A. ROBERTO

AURIFODINA UNIVERSALIS

2

BV4611
R6
v.2
1875

007912



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080015333

# AURIFODINA

## UNIVERSALIS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

V.
250
18

PARIS. — IMPRIMERIE Vve P. LAROUSSE ET Cie
49, RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49

# AURIFODINA

UNIVERSALIS

## SCIENTIARUM DIVINARUM

ATQUE HUMANARUM

EX FONTIBUS AUREIS SANCTORUM PATRUM

CONCILIORUM, DOCTORUM, NEC NON PAGANORUM FERE DUCENTORUM

TAM IN THEOLOGIA, QUAM IN PHILOSOPHIA

PER SENTENTIAS PLUSQUAM OCTOGINTA MILLIA, SUB TITULIS SEPTINGENTIS ET ULTRA ORDINE ALPHABETICO DIGESTARUM, RELIGIOSIS ET SÆCULARIBUS, MAXIMEQUE CONCIONATORIBUS ORATORIBUS, JURISPERITIS, ALIISQUE OMNIBUS STUDIOSIS UTILISSIMA

A V. P. ROBERTO

CAMERACENSI CAPUCINO, PROVINCIÆ GALLO-BELGICÆ

EDITIO TERTIA

L. V.

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCLXXV

EX LIBRIS
* C. M. *
Domus Culiacanensis

Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

44643

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BV 4611
R6
V.2
1875

CAPILLA ALFONSINA
UANL
FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# AURIFODINA UNIVERSALIS

# SCIENTIARUM DIVINARUM

## ATQUE HUMANARUM



### DISCIPLINA.

S. ISID. HISP. *Etymologia.* Disciplina a discendo nomen accepit, unde et scientia dici potest : nam scire dictum est a discere, quia nemo scit, nisi qui discit. Aliter disciplina, quia discitur plena. Lib. 1, *Etymol.*, cap. 11.

RICHARD. A S. VICTORE. Inde disciplina dicitur, quod ad plenum discatur, ut idem intelligatur disciplina quod discentia plena. Part. lib. 6, *de Trinit.*, cap. 25.

S. THOMAS AQUINAS. Disciplina dicitur a discendo : et ideo disciplina aliquando sumitur pro scientia, quæ græce dicitur, ἐπιστήμη : aliquando autem sumitur pro correptione, et græce dicitur παιδεία. Super *Epist. ad Hebræos*, cap. 12, lect. 2.

S. ANTONIN. *Definitio.* Disciplina est bona et honesta conversatio, cui parum est non malum facere, sed etiam studet in his, quæ bene agit, irreprehensibilis apparere. Part. 1, tit. 17, cap. 1, § 3.

S. BONAV. & S. AUGUST. Disciplina est morum ordinata correctio, et majorum præcedentium regularis observatio. Part. 3, *Centiloquii*; sect. 44, *et August. de Duodecim Abus.*, cap. 11.

HUGO A S. VICTORE. Disciplina est membrorum omnium motus ordinatus, et dispositio decens in omni habitu et actione. *De Inst. Novitior.*, cap. 10.

Disciplina est necessarium sanctitatis officium vitia arguentis, et peccata corrigentis. Lib. 4, *de Anima*, cap. 16.

S. AUGUST. *Divisio.* Disciplina in duobus distribuitur : in coercitionem, et instructionem : coercitio timore, instructio vero amore perficitur. *De Moribus Eccles.*, cap. 28.

HUGO A S. VICTORE. Triplex est disciplina, correctionis, institutionis, conversationis : prima et secunda ad magistrum, tertia ad discipulum pertinet. *Prosec.*

Duobus modis fit disciplina correctionis, monitis et flagellis.

Duobus modis traditur disciplina institutionis, præceptis et exemplis.

Duobus agitur modis disciplina conversationis, moribus et studiis. Lib. 1 *Miscellan.*, tit. 76.

HUGO CARD. Duplex est disciplina, una quæ fit verberibus et tribulationibus, quæ dicitur παιδεία, latine Pædia : alia quæ fit verbis et doctrina, quæ græce dicitur ἐπιστήμη, latine Episteu, unde versus, Pædia verberibus castigat, Episteme verbis. Super *Psalm.* XVII.

S. BONAV. *Comparatio.* Sicut aliqua retrahit alas, ut melius extendat : sic interdum remittenda, et temperanda est disciplina, ut postea convalescat. Tit. 4, *Diætæ*, cap. 1.

HUGO CARD. Disciplina quasi limatio cordis est ad suscipiendam deaurationem doctrinæ ; et quasi spinarum extirpatio ad susceptionem seminis. Super *Proverb.*, cap. 19.

#### SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Disciplina est, filia justitiæ, soror religionis, amica pœnitentiæ, domina humilitatis, ducissa fortitudinis, magistra castitatis, fabricatrix devotionis, sponsa sanctorum, nutrix bonorum, medica omnium. Part. 5, cap. 49.

S. AMBROS. 2. Prima institutionis est disciplina, culpam avertere, secunda virtutem infundere. *De Viduis.*

3. Ne neglexeris disciplinam Dei, severa quidem est in corripiendo, sed dulcis in corrigendo. Super *Psalm.* XXXXIII.

S. AUGUST. 4. Non dormiat severitas disciplinæ, in qua



007953

tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio charitatis. Lib. 3, *contra Epist. Parmeniani*, cap. 2.

5. Tunica corporis Christi, disciplina Ecclesiæ est : quia autem extra disciplinam est, alienus est a corpore Christi. *De duodecim Abusion.*, cap. 11.

6. Omnes in domo disciplinæ sumus, sed multi nolunt habere disciplinam : et quod est perversius, nec in domo disciplinæ volunt habere disciplinam. *De disciplina christiana*, cap. 1.

7. Disciplina magistra est religionis, magistra veræ pietatis : quæ nec ideo increpat ut lædat, nec ideo castigat ut noceat. *De Bono disciplinæ*, cap. 1.

8. Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina. *De verbis Apost.*, serm. 22.

9. Sicut disciplinam qui abjicit, infelix est : sic disciplinam qui negat, crudelis est. Serm. 1, in *Sabbat. post* 3 *Dom. Quadr.*

10. Si puer indisciplinatus sic vivat ut pereat, et pater dissimulet, pater parcat, pater perditum filium disciplinæ asperitate offendere timeat, parcendo crudelis est. *Ibid.*

11. Nemo habere disciplinam potest in animo, qui nihil didicit. Lib. 3, *contra Academic.*, cap. 3.

12. Semper vivit in quo est disciplina. *De Immortal. animæ*, cap. 1.

13. Unaquæque disciplina quamvis vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit. *De Utilitat cred.*, cap. 17.

S. BERNARD. 14. O quam compositum reddit omnem corporis statum, nec non et mentis habitum, disciplina ! Epist. 113, *ad Sophiam Virginem*.

15. Disciplina cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum. *Ibid.*

16. Disciplina cupiditatis compes, malorum desideriorum carcer, frænum luxuriæ, iracundiæ vinculum, intemperantiam domat, levitatem ligat, omnes corporis inordinatos motus, et omnes illicitos suffocat appetitus. Lib. 5 *Florum*, cap. 12.

S. BONAV. 17. Quando sapientis disciplina corrigeris, ornaris ornamento pulcherrimo : quando disciplinam contemnis, margaritam conculcas. Serm. 2, in *Hexam.*

18. Disciplina in tribus consistit : in præceptis, in testamentis, in flagellis, in præceptis, experitur obedientia ; in testamentis, constantia ; in flagellis, patientia. Super *Psalm.* XVII.

19. Rigor disciplinæ est crux carnis, cujus quatuor sunt brachia : scilicet, vigilia, abstinentia, asperitas vestium, et disciplina verborum. Super *Luc.*, cap. 23, in illud *Galat.* ult : *Mihi mundus crucifixus est*, etc.

20. Cum disciplina negligitur, insolentiæ crescunt. Epist. *ad quemdam Provincial.*

21. Religiosus extra disciplinam vivens, gravi patet ruinæ. In *Ocio collat.*, collat. 7.

22. Disciplina est malorum desideriorum carcer, frænum lasciviæ, elationis jugum. In *Speculo disciplinæ*, part. 1, cap. 7.

23. Disciplina domat intemperantiam, levitatem ligat, inordinatos motus mentis suffocat. *Ibid.*

24. Qui disciplinam in novæ conversationis initio negligit, ad eam postmodum difficile applicatur ; et formam quam primo quis recipit, vix deponit. In *Speculo discipl.*, part. 1, in prolog.

25. Disciplina est custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis. *De Disciplina et habit. virg.*, cap. 1.

26. Cor quod sine disciplina est, exaltari non valet. Lib. 13 *Moral.*, cap. 2.

27. Etsi corpus sub disciplina est, cor sæpe sub disciplina non est : et dum quis flagellatur, ad humilitatem mentis non reducitur. *Ibid.*, lib. 13, cap. 11.

28. Grave est ut illic habere pravam contingat actionem refugium, unde disciplinæ debet prodire censura. Lib. 4, in *Regist.* indict. 13, cap. 62, *epist. ad Rom. Exarchum.*

29. Proprium disciplinæ est, ab illicitis prohibere, et excessus culparum salubriter resecare. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 36, *ad Chrysant. episc. Spoletan.*

30. Utraque sunt inutilia, tam segnities odiosa quam fervor disciplinæ nescius. Orat. 20. *de Modestia.*

31. Qui sub disciplina Dei non est, ad hæreditatem Filiorum Dei pertingere non potest. Super *Psalm.* XVII, cap. 30.

32. Nemo contemnat disciplinam Dei, quia si peccator est, necessaria est illi, ut corrigatur : si justus est, necessaria est illi, ut erudiatur. *Ibid.*

33. Si gravior est culpa, gravior competit disciplina. Super *Regul. D. August.*, cap. 7.

34. Quamvis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat, diligentius tamen, et magis sollicite ibi conservanda est, ubi vel neglecta pluribus generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis exemplum. *De Instit. Novit.*, cap. 13.

35. Quatuor sunt præcipue, in quibus servanda est disciplina in habitu, in gestu, in locutione, in mensa. *De Instit. Novit.*, cap. 10.

36. Rationalis disciplina, perfecta est disciplina. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 21.

37. Quid utilius disciplina, quæ quietem generat, perversos necat ? *Ibid.*, lib. 3, cap. 6.



38. Disciplina est vitiorum emendatrix. Lib. 4, *de Anima*, cap. 16.

HUGO CARD. 39. Tenenda est disciplina tanquam via regia, quæ ducit ad civitatem. Super *Prov.*, cap. 4.

40. Disciplina mores informat, et vitia destruit. *Ibid.*, cap. 8.

41. Disciplina in præsenti habet quidem amaritudinem, sed gaudium generat et exultationem mentis etiam in præsenti : in futuro, fructum æternæ remunerationis. Super *Epist. ad Hebræos*, cap. 12.

S. JOANNES CHRYSOST. 42. Disciplina domini ex moribus familiæ demonstratur. Homil. 10, super *Matth. Oper. imperf.*

43. Magistri absentia discipuli pigriores fiunt, et satis est ad correctionem ejus præsentia. Homil. 14, super I *Cor.*

44. Disciplina participatio sanctitatis est, negligentiam pellit, cupiditates excludit, animam convertit. Homil. 29, super *Epist. ad Hebr.*

45. Disciplina exercitatio est, quæ athletam efficit fortiorem, et insuperabilem reddit in certaminibus, et inexpugnabilem declarat. *Ibid.*, homil. 30.

46. Eruditio disciplinæ custos est spei, vinculum fidei, dux viæ ad salutem ferentis, et magistra virtutum. Homil. *de Erudit. disciplinæ.*

S. JOANNES DAM. 47. Amabilis revera et expetenda est spiritualium disciplinarum suavitas : ut quæ animos sanctitate afficiat, eosque alat et augeat. In princ. *suorum oper.*

PETR. BLES. 48. Disciplina unica est clavis innocentiæ, Religionis anchora, custos ordinis. Epist. 86, *ad Alexandr. Carthu.*

49. Disciplinæ austeritas, sola est clavis innocentiæ, religionis anchora, custodia cordis, et peremptoria prorsus appetitus illiciti. In *invectiva contra depravator.*

RICHARD. A S. VICTORE. 50. Disciplina corporis sine disciplina cordis, absque dubio inutilis est : disciplina vero cogitationum sine disciplina sensuum, omnino observari non potest. Part. 1, *de Benjamin. minore.*, cap. 32.

THOMAS A KEMPIS. 51. Ubi disciplina viget, ibi major pax et spiritualis profectus invenitur. *De Disciplina claustr.*, cap. 1.

52. Ubi disciplina perit, ibi dissolutio crescit, ibi vitia regnant et virtutes enervantur. *Ibid.*

53. Ubi disciplina custoditur, ibi adest gratia cœlestis, ibi devotio floret, ibi lectio sapit, ibi meditatio dulcescit, ibi oratio fervet. *Ibid.*

54. Religiosus extra disciplinam vivens, gravi patet ruinæ. *Ibid.*, lib. 1, cap. 25, sect. 7.

S. VALER. 55. Disciplina magistra est religionis, magistra veræ pietatis : quæ nec ideo increpat, ut lædat : nec ideo castigat, ut noceat. Homil. 1, *de Bono disciplinæ.*

56. Nihil est quod non disciplina aut emendet, aut salvum faciat. *Ibid.*

57. Omnia sub metu disciplinæ vitia jacent ; et nisi constitutus esset ordo vivendi, nunquam profecto finem poneret natura peccandi. *Prosec.*

58. Quid adultero castum ? quid furi tutum ? quid latroni non pervium ? quid non præsumptio possideret, nisi furorem animorum sub metu pœnæ disciplina compesceret ?

59. Nihil est quod non gula suadeat, si gulæ disciplina consentiat.

60. Nihil est quod non perdat luxuria, si amore vitiorum ab homine disciplina discedat.

61. Nihil est quod non habendi ac possidendi cupiditate animus occupet, nisi avaritiæ vitium disciplina condemnet. *Ibid.*

62. Hostis est et inimicus animæ suæ qui spretis disciplinæ monitis, diabolicis occupatur officiis. *Ibid.*

63. Disciplinæ jugum non gravat, nisi perditos aut perituros. *Ibid.*

64. In omni actu tuo, vitam tuam disciplina comitetur. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

65. Præcipua disciplina, dediscere mala. In *Sent.* ANTISTENES PHILOS.

66. Maxime intendendum est circa disciplinam juventutis : nam id neglectum in civilatibus, affert reipublicæ detrimentum. Lib. 8 *Polit.*, cap. 1. ARISTOTEL.

67. Educatio et disciplina mores faciunt : et id unusquisque sapit, quod didicit. *De moribus.* SENECA.

Vide etiam tit. *Arrogantia*, sent. 17 ; *Bonitas*, sent. 7, 8, 10 ; *Domare*, sent. 52 ; *Dominus*, sent. 20 ; *Iniquitas*, sent. 83 ; *Mores*, sent. 31 ; *Tentatio*, sent. 261 ; *Zelus*, sent. 40.

## DISCIPULUS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Perfectio discipulorum, gaudium et corona magistri est. Super I *ad Thessal.*, cap. 2. S. AMBROS.

2. Fructus magistri discipulus est obediens, cujus dum bona conversatio proficit magistro, fructus sui edit laborem. *Prosec.*

3. Labor enim discipuli in opere bono, coronam dat magistro. *Ibid.*

4. Multi videntur discipuli Jesu, qui non modo faciunt, quæ ab eo præcipiuntur, sed et magistro insidias ponunt, ut proditor Judas. Serm. super illud : *Invenietis pullum*, etc. S. ATHANAS. MAGNUS.

5. Pudet doctos homines, ex discipulis Platonis, fieri discipulos Christi. Lib. 10, *de Civit. Dei*, cap. 29. S. AUGUST

S. BASILIUS MAGNUS. 6. Docentis auctoritas, attentiores discipulos reddit. Apud. D. Joan. Damasc., lib. 1, *Parallel.*, cap. 90.

S. BENEDIC. 7. Loqui et docere, magistrum condecet : tacere et audire, discipulo convenit. In *Regula*, cap. 6.

S. BERNARD. 8. Discipulus aurem parat magistro. Serm. 7, super *Cant.*

9. Erubescunt superbi esse discipuli, si eos in humilitate præcesserint magistri. In suis *Sent.*, verbo *Quantum*.

10. Quisquis in schola Christi non proficit, ejus indignus est magisterio. Epist. 341, *ad Monachos S. Bertini*.

BOETIUS. 11. Non est dignus scientia, qui scientiæ insurgit præceptoris. *De disciplina scholarum*, et habetur apud Bedam, in *Axiomat. Philosoph.*, verbo *Non est*.

12. Discipulus debet esse docilis, attentus, et benevolus : docilis cum ingenio, attentus in exercitio, benevolus animo ad audiendum. *Ibid.*, verbo *Discipulus*.

13. Miserum est eum esse magistrum, qui nunquam novit se esse discipulum. *Ibid.*, verbo *Miserum*.

S. BONAV. 14. Ille discipulus est bonus, qui est attentus ad audiendum, docilis ad intelligendum, benevolus ad retinendum. Super *Luc.*, cap. XVI, in illud : *Omnes erunt docibiles*.

15. Discipulus Filii Dei est, qui est docibilis ejus auditor : discipulus enim est, qui aurem parat. Collat. 62, super cap. 13, *Joan.*

16. Ille verus est discipulus Christi, qui semper in ejus doctrina et sermone, nec unquam per aliquam tentationem separatur ab ejus dilectione : nec unquam quibuslibet damnis, opprobriis, et suppliciis illatis, cessat ab ejus nominis confessione. Serm. 2, *Dominicæ in octav. Paschæ*.

17. Boni magistri bonos discipulos facere consueverunt. *De Sex alis Seraphin.*, cap. 6.

S. CLEMENS PAPA. 18. Nihil injustius, vel inhonestius est, quam discipulos magis inobedientes vel protervos existere. Epist. 3, *de Officio sacerdotis*.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 19. Multi videntur jam esse membra diaboli, qui postea discipuli erunt Christi. In suis *Opusc.*, collat. 22.

GILLEBERT. ANGLUS. 20. Nihil confert cultura diligens disciplinæ, si custodia desit. Serm. 35, super *Cant.*, apud S. Bernard, num. 1.

GLOSS. ORD. 21. Modus est docilis discipuli, aurem suam humiliter inclinare ad verba magistri sui. Super *Psalm.* LXXVII.

22. Nulla est hæresis, quæ primis contenta sit discipulis : sed semper novos, quos decipiat, quærit. Super *Prov.*, cap. VII.

S. GREGOR. MAGNUS. 23. Nonnulli dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt. Lib. 6 *Moral.*, cap. 17, num. 26.

24. Plerumque discipuli incassum bona audiunt, cum ex magistri vita mala, et exemplo destruuntur. *Ibid.*, lib. 21. 8.

25. Dum quique veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt. *Ibid.*, lib. 6, cap. 17, num. 26.

26. Magna humilitate debet magistro loqui discipulus. *Ibid.*, lib. 5, cap. 11.

27. Qualis magister erit, si discipulus non fuerit? Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 5, epist. 5, *ad Brunichildam regin. Franc.*

S. HIERON. 28. Ne miles antequam tyro, ne prius magister sis, quam discipulus. Epist. 4, *ad Rustic.*

29. Plus debet discipulus Christi præstare quam mundi Philosophus. Epist. 26, *ad Pammach.*

30. Lædit discipulus magistrum, si per negligentiam suam præcepta ejusque laborem disperdat. In *Regula monachor.*, cap. 6, *de Correct. et doctrina*.

31. Trade te illi, cujus sermo et habitus et incessus, doctrina virtutum est. In *Regula monachor.*, cap. 24, *de Virt. humilit.*

32. Opus magistri, salus discipuli est. Lib. 1, super *Ezech.*, cap. 3 : *Si dicente me ad impium*, etc.

33. Discipulorum salus, præmium magistrorum est. *Ibid.*, lib. 13, cap. 45.

34. Luctus doctoris, est malus discipulus. Lib. 2, super *Michæam*, cap. 7.

35. Doctor nunquam satiatur multitudine sectatorum : et quanto plures habuerit discipulos, tanto magis ad doctrinæ studium concitatur. Lib. 1, super *Habacuc*, cap. 2, super illud : *Væ qui congregat.*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 36. Discipulus debet esse humilis, sanctus, obediens, intentus, patiens, promptus, diligens, præceptorem suum parentis animi, non corporis loco habens et colens. Lib. 4, *de Propriet. rerum.*, cap. 4.

HUGO CARD. 37. Non prius doceas, quam addiscas : non prius sis canalis, quam concha : non prius sis didascalus, quam discipulus. Super *Ecclesiastic.*, cap. 11.

38. Qui non novit esse discipulus, nescit esse magister. *Ibid.*, cap. 18.

39. Discipuli Domini sunt, qui ejus audiunt lectiones. Super *Matth.*, cap. 13.

S. JOANNES CHRYSOST. 40. Non est verus discipulus, qui non imitatur magistrum : nec est vera imago, quæ similis non est auctori. Homil. 35, super *Matth. Oper. imperf.*

41. Non semper clementia utendum est, et lenitate : sed ignavus discipulus, et ingenio pinguior, serioribus magistri stimulis ab ignavia excitandus est. Homil. 45, super *Joan.*



42. Doctoris opus est, suis operibus discipulos moderari. Homil. 44, super *Acta Apost.*

43. Optimi doctoris est, non ubique discipulorum obsecundare libidini, sed eos ad suam cogere voluntatem. Serm. 16, super *Epist. ad Rom.*

44. Hæc vita, hæc consolatio, hæc refrigeratio est doctorum, si discipulos proficere videant. *Ibid.*, homil. 15.

45. Discipuli hæc maxima laus est, quando doctor de illo gloriatur. *Ibid.*, homil. 16.

46. Hæc paterna sunt viscera, discipulorum salutem suæ gloriæ præferre. *Ibid.*, homil. 29.

47. Tum placide leniterque loqui discipulis, cum opus est acrimonia ; non doctoris, sed corruptoris est hostis. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 1.

48. Convenit discipulis, præceptoribus obtemperare. *Ibid.*

49. Si discipulus es, magistrum imitare, hoc quippe est discipuli. Homil. 28, super *Epist. ad Hebr.*

50. Doctores, qui vident discipulos priorum lectionum memoriam animo bene tenere, majore alacritate sequentium scientiam concredunt. Homil. 8, super *Gen.*

51. Discipuli quæ acquisierunt, custodiunt : quæ vero necdum didicerunt, discendo acquirunt. Homil. 24, super *Epist. ad Hebr.*

S. JOAN. CL. 52. Castitas discipulum theologum facit. Gradu 30.

JOAN. TRITH. 53. Nulla res discipulis ita est fructuosa, sicut magistri sancta vita. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 1.

54. Magisterium Christi, discipulos humiles requirit. *Ibid.*, cap. 2, text. 34.

55. Nullus superbus, nullus avarus, nullus denique carnalis homo, Christi discipulus esse potest. *Ibid.*

56. Magisterium periculosum est, discipulatus autem securus : nam qui alterius regitur voluntate, etiam errans, dicitur non errare ; quia non sibi, sed culpa imputabitur gubernanti. In cap. 7, *Regul. S. Bened.*, verbo *Sicut*.

57. Non te pudeat nomen subire discipuli, si pertingere cupias ad honorem magisterii. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 4.

S. ISIDOR. PELUSIOTA. 58. Discipuli veros magistros, et ut patres amare, et ut principes timere debent : ac neque ob amorem metum discutere, neque ob metum amorem obscurare. Lib. 2, epist. 26, *ad Orionem diacon.*

S. LEO I. 59. Tales illic erunt discipuli, ubi quales docebunt magistri. Epist. 93, *ad Turibium Asturiens. episc.*, cap. 17.

60. Ut doctoris ignorantia discipulos perdit : ita discipulorum negligentia doctori periculum affert. In lib. *Ascetico*.

61. Discipulus, qui magistro suo insidias parat, Judam illum magistri sui proditorem imitatur. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 21.

PHILO JUD. 62. Præcipua virtus discipulorum est, dare operam ut perfectum ipsi quoque perfecte imitentur. *De sacrific. Abel.*

SALVIANUS 63. Quomodo bonus magister est, cujus tam malos videmus esse discipulos ? Lib. 4, *de Gubern. Dei.*

THEOPHYLACTUS. 64. Nihil ita offendit discipulos, ut divelli, et non idem sentire doctores. Super *Joan.*, cap. 17.

65. Discipulorum virtus, præceptorem ornat. Super II *Cor.*, cap. III.

66. Præceptor tum discipulo damnum infert quando delinquentem non objurgat. *Ibid.*, cap. VII, super illud : *In nullo detrimentum patiamini*, etc.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO 67. Is maxime docilis est. qui attentissime paratus est audire. Lib. 1, *de Invent. Rhet.*

Vide etiam tit. *Contemptus sui*, sent. 72 ; *Error*, sent. 59 ; *Magister* ; fere per totum, *Sequi Christum*, sent. 91.

## DISCORDIA.

S. ANTONIN. *Etymologia*. Discordia dicitur, quasi diversum cor ab altero. Part. 2, tit. 4, *de Inani gloria*, cap. 8.

S. BONAV. *Definitio*. Discordia est voluntas fugiens minorationem sapientiæ, ab his, quæ ab aliis dicuntur, dissentiens. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 18.

S. ANTONIN. *Productio*. Discordia est sexta filia inanis gloriæ, sub qua continetur seditio. Part. 2, tit. 4, *de Inani gloria*, cap. 8.

S. BONAV. Ex discordia animorum, etiam discordia verborum procedit. In *speculo animæ*, cap. 1.

JOAN. CASS. Ex discordia sine dubio contentiones, rixæque verborum plerumque consurgunt. Collat. 16 *Abbatis Joseph.*, cap. 8.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ubi inimicitiæ sunt, discordia est. *De fuga sæculi*, cap. 7.

2. Nulla spolia possunt satis esse discordibus. Lib. 2, *de Abraham.*, cap. 6.

3. Sapienti pacis est studium, imprudenti amica jurgia. *Ibid.*

4. Melius est emigrare cum gratis, quam cohabitare cum discordia. *Ibid.*, lib. 1, cap. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. ANTONIN. 5. Turpius nihil est, quam cum illo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. Part. 2, tit. 4, cap. 8, § 3.

S. AUGUST. 6. Dissentiones nunquam debent amari, sed aliquando tamen aut a charitate nascuntur, aut charitatem probant. Epist. 87, *ad Felicitatem et Rusticum.*

7. Ubi est æqualitas, nulla discordia. Lib. 4, *de Musica*, cap. 14.

8. Quomodo sanitatem pacis tenere animus potest, qui discordiis et certaminibus pascitur? *De Catechiz. rudibus*, cap. 16.

9. Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. *De Verb. Dom.*, serm. 57.

S. BASILIUS MAGNUS. 10. Dissensio atque bellum non essent inter homines, si peccatum naturam non divisisset. In *Constit.*, cap. 18.

V. BEDA. 11. Qui societatem fraternitatis aliqua discordiæ peste commaculant, Christum produnt ut Judas. Lib. 4, super *Marc.*, cap. XIV, in illud : *Promiserunt ei pecuniam*, etc.

S. BERNARD. 12. Culpas discutere, retractare causas, recordari injurias, solent hæc magis instigare, quam mitigare discordias. Epist. 1, *ad Robertum nepotem suum.*

S. CYPRIAN. 13. Inexpiabilis et gravis culpa discordiæ, nec passione purgatur. *De Unit. Eccles.*, cap. 8.

GLOSS. ORD. 14. In perpetuum cum Cain damnabitur, qui hoc genere homicidii tenetur, ut discordet a fratribus. Super 1 *Joan.*, cap. 3, in illud : *Omnis homicida non habet*, etc.

S. GREGOR. MAGNUS. 15. Quando per discordiam homines dissident, quasi membra a corpore cadunt. Lib. 21 *Moral.*, cap. 16.

16. Per linguæ incontinentiam, discordiæ origo propinatur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 11.

17. Discordes etsi boni operis fructus suis actionibus proferunt, profecto nulli sunt : quia non ex unitate charitatis oriuntur. Part. 3, in *Pastorali*, cap. 1, admonit. 24.

18. Discordia consuevit scandala generare. Lib. 2, in *Regist.*, ind. 10, cap. 3, epist. 3.

S. GREGOR. NAZ. 19. Nihil ad discordiam facit, quam dissonantia de Deo. Orat 1, *de Reconciliat. monach.*

20. Discordia res est valde perniciosa, ac multorum malorum causa. *Ibid.*

21. Pax est quid pulcherrimum et utilissimum; discordia vero est quid turpissimum et damnosissimum. Orat. 20, *de Modestia in disceptationibus.*

S. HIERON. 22. In tanta morum discordia, quæ potest esse concordia? Epist. 2, *ad Nepotian.*

23. Melius est parva bona cum charitate facere sine scientia, quam magis effulgere virtutibus cum admixtione discordiæ. In *Regula monachor.*, cap. 24, *de Virt. humilit.*

24. Quidquid separat inter fratres, infernus dicendus est. *Ibid.*, cap. 28, *de Charitate.*

S. HILARIUS. 25. Dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque fit sensus animorum. Lib. 10, *de Trin.*

S. IGNATIUS MARTYR. 26. Ubi amicorum discordia est, ibi Deus minime habitat. Epist. 9, *ad Philadelph.*

S. JOANNES CHRYSOST. 27. Quemadmodum quique etsi sexcenta miracula edant, dum dissident inter se, ridiculi cæteris erunt : ita etiamsi nullum signum edant, diligant autem sese vere, invicti suspiciendique omnibus mortalibus permanebunt. Homil. 32, super I *Cor.*

28. Morbus discordiæ præcipue fœminarum est. Homil. 4, super II *Cor.*

29. Tanto longior erit pœna, quanto et discordia. Lib. 1, *de Compunct. cordis.*

JOAN. TRITH. 30. Exterior discordia, interioris discordiæ indicium est. *De Ruina monast. ordin.*, cap. 8.

LACT. FIRM. 31. Nulla vehementior discordiarum est causa, quam unius fœminæ speciem a multis maribus appeti. Lib. 3, *de Divin. Inst.*, cap. 21.

32. Discordia atque dissensio non est secundum hominis rationem. *Ibid.*, lib. 6, cap. 11.

33. Discordiis, dissensionibusque turbulentis ac pestiferis, humanæ societates et publici fœderis divina conjunctio rumpitur, dirimitur, dissipatur. *De Ira Dei*, cap. 23.

SALVIANUS. 34. Maxima causa est discordiarum, diversitas voluntatum. Lib. 8, *de Gubern. Dei.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 35. Dissolvendæ statim sunt eorum discordiæ, qui multum possunt : omnino enim excellentium virorum discordiæ, totam post se trahunt civitatem. Lib. 5 *Politic.*, cap. 4.

CICERO. 36. In tranquillo tempestatem adversam optare, dementis est; obvenire autem tempestati, quovis animo, quavis ratione, sapientis est. Lib. 1, *de Offic.*

37. Nullus alius discordiarum solet esse exitus inter potentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus, aut regnum. Orat. 30, *de Haruspic. responsis.*

PLATO. 38. Vitium est discordia, virtus concordia. In *dialog. Phædonis.*

SENECA. 39. Vir bonus in dissentione vinci, quam vincere mavult. Lib. 4 *de Benefic.*, cap. 32.

40. Concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Epist. 94.

Vide etiam tit. *Concordia*, sent. 29, 44; *Culpa*, sent. 44; *Divortium*, sent. 19; *Pax*, sent. 64.

## DISCRETIO.

S. BERNARD. *Definitio.* Discretionis virtus est, qua veras a palliatis atque simulatis virtutibus discernimus. Serm. de *Donis spirit.*, cap. 5.



HUGO CARD. Discretio est, qua discernitur quid, quando, quomodo, et propter quid faciendum. Super *Prov.*, cap. XII.

HUGO A S. VICTORE. Discretio est adjudicandis rerum causis provida humanorum motuum moderatrix ratio. *De fruct. carnis et spiritus*, cap. 15.

S. JOAN. CLIM. Discretio est vera suorum intimorum profectuum recognitio. Gradu 26.

JOAN. GERS. Discretio est prudentia præceptiva, segregans, vel secernens a commodis omnia incommoda. Part. 4 *de Descript. term.*, cap. *Virtus.*

RICHARD. A S. VICTORE. *Divisio.* Discretionis gradus sunt quinque. Primus, dijudicatio; secundus, deliberatio; tertius, dispositio; quartus, dispensatio : quintus, moderatio. Part. 2 super *Psalm.*, CXXXXIII.

Dijudicatio discernit inter licitum et illicitum, deliberatio, inter commodum et incommodum, dispositio inter ordinatum et inordinatum, dispensatio inter opportunum et importunum, moderatio inter moderatum et immoderatum.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. 1. Argumentum veræ discretionis habet, qui omnia facta sua cum consilio discretorum pertractat. Part. 1 *de Paradiso animæ*, cap. 34, de *Virtutibus.*

S. ANTONIUS ABBAS. 2. Quamplurimos, qui sustinuerunt maximum certamen in conversatione sanctissima, indiscretio interfecit. Epist. 2 *ad Fratres.*

S. AUGUST. 3. Si quis sine discretione fuerit, sicut navis absque gubernaculo, pro impetu suo instabili motu semper feretur. *De Amicitia*, cap. 21.

V. BEDA. 4. Vera discretio, non nisi vera humilitate acquiritur. In suis *Proverb.*, verbo *Vera.*

S. BERNARD. 5. Discretio, quæ mater virtutum est, et consummatio perfectionis, docet ne quid nimis, ut non plus nec minus fiat. Serm. 3, *de Circumcis.*

6. Nihil sic spiritum discretionis extinguit, quomodo voluntas propria, subvertens corda hominum, et rationis oculos claudens. Serm. 2 *Paschæ.*

7. Discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit et decorem, etiam perpetuitatem. Serm. 49.

8. Discretio non tam virtus est, quam quædam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrixque affectuum et morum doctrix. *Ibid.*

9. Tolle discretionem, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ. *Ibid.*

S. BONAV. 10. Prælatus indiget non modica discretione, ut sciat inter rigorem et remissionem medium tenere. *De Sex alis Seraph.*, cap. 7.

11. Esto discretus in omnibus agendis. In *Alphabet. Relig.*, lect. 18.

12. Est habenda discretio circa opus, et quod faciendum est, discrete fiat. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 22.

DIONYSIUS CARTHUS. 13. In omni actu virtuoso, moderatrix, doctrix, et velut auriga esse debet discretio. *De Profectu spirit.*, art. 23.

GLOSS. ORD. 14. Necesse est, ut non solum intueamur quod agimus, sed qua discretione agimus. Super *Hierem.*, cap. 48.

S. GREGOR. MAGNUS. 15. Ubi virtus discretionis perditur, intentio (quæ initium virtutis habuit) finem accepit criminis. Lib. 3 *Moral.*, cap. 9.

S. HIERON. 16. Nihil potest habere virtutis, quod indiscretio facit. In *Regula monachor.*, cap. 36.

17. Virtutes discretionem quærunt. Lib. 4 super *Prov.*, cap. 4, super illud : *Averte pedem tuum a malo.*

HUGO A S. VICTORE. 18. Summa discretio est, nolle quod non potes, providere, quod nescis. Lib. 2 *de Claustro anim.*, cap. 12.

19. Discretio fræno sui moderaminis furentes cohibet, moderatur, dirigit, et gubernat. Serm. 41 *de Divers. de Purificat. B. M.*

20. Tantum valet discretio, ut sine ipsa et omne otium turpe sit, et labor inutilis. Lib. 5 *Didasc.*, cap. 5.

HUGO CARD. 21. Sine discretione omnis via præcipitium habet. Super *Prov.*, cap. 16.

22. Discretio esse debet sermonis in judicando, in ordinando, in orando, in prædicando, in corrigendo. Super *Ecclesiastic.*, cap. 20.

JOAN. CASS. 23. Discretio non solum lucerna corporis, sed etiam sol nuncupatur : hæc vitæ nostræ gubernatio, hæc consilium rectissime dicitur. Col. 2 *Abbat. Moysis*, cap. 4.

24. Omnium virtutum generatrix, custos, moderatrixque discretio est. *Ibid.*

S. JOAN CLIM. 25. Discretio est in tenebris lucerna, errantium reditus, cæcutientium illuminatio. Gradu 26.

26. Discretus est sanitatis inventor, morbique emendator. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 27. Prudentis viri discretio solerter prospicit, ne bonum intemperanter agat, et de virtute in vitium transeat. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 24, sent. 5.

28. Discretio Sanctorum tanta esse debet, ut inter bonum et præditi ratione dijudicent, ne eos diabolus per speciem boni fallat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 5, sent. 9.

29. Interdum ordinata discretio est, dum negatur proximo, quod præstatur extraneo. *Ibid.*, cap. 21, sent. 5.

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

30. In omni actione tene discretionem, in nulla re indiscretus appareas. *Prosec.*

31. Perspice quid cui aptum sit tempori : quid, ubi, quando, qualiter, quandiu facere debeas.

32. Causas rerum, et temporum regulas inspice, singulorum operum discretiones agnosce.

33. Diligenter distingue omnia, quæ agis : qualiter bonum incipias, qualiter cito peragas.

34. Servi unicuique virtuti congrue in tempore suo : cum bene distinxeris opus tuum, optime intus eris.

35. Quidquid cum discretione feceris, virtus est : quidquid sine discretione gesseris, vitium est.

36. Virtus enim indiscreta, pro vitio deputatur : virtus sine discretione, vitii obtinet locum. Lib. 2, de *Synonym.*, cap. 16.

LACT. FIRM. 37. Quis discernere bonum et malum, pravum et rectum poterit, nisi qui sapiens fuerit ? *De ira Dei*, cap. *Nam.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 38. Rationis judicium, et sanctæ discretionis moderamen ubique sequatur. Lib. 1, *Enchirid. parvulor.*, document. 12.

S. NILUS. 39. Virtutis omnis fons, ac radix et caput, atque vinculum, est discretio. Orat. 3 *de Superb.*

PETRUS BLESENS. 40. Discretio inter amicos plurimum necessaria est. *Prosec.*

41. Sicut enim navis sine remige, sic spiritus amicorum sine discretione. *De Amicit.*, cap. 16.

S. PETRUS DAM. 42. Ille scit recte discernere, qui virtutem novit a vitio separare : qui autem cum zizaniis simul etiam triticum eradicat, hic procul dubio vim discretionis ignorat. *Opusc.* 12, cap. 11.

RICHARD. A S. VICTORE. 43. Qui discretione caret, pauper est. Part. 1 lib. 2 *de Erudit., Homil. inter.*, cap. 38.

44. Cito magnum periculum incurritur, si timor per discretionem non moderatur. Part. 1, *de Benjamin. minore*, cap. 65.

45. Quis nesciat vera bona animi sine discretione nec posse acquiri, nec posse conservari? *Prosec.*

46. Merito ergo discretio singulariter diligitur, sine qua nulla virtus conquiritur, nulla consummatur, nulla conservatur. *Ibid.*, cap. 67.

47. Discretio custos, non corruptrix esse solet internæ puritatis. *Ibid.*, cap. 68.

48. Nisi per discretionem, virtutum damna animus nec cognoscit, nec corrigit. *Ibid.*, cap. 68.

49. Quanto crebrioribus periculis exercemur, tanto perfectius ad discretionem erudimur : et sæpe aliarum virtutum damna, discretionis sunt lucra. *Ibid.*, cap. 68.

THOMAS A KEMPIS. 50. Quidquid modum excedit, et discretionem non tenet, nec Deo placet, nec diu durare solet. *De Discipl. claus.*, cap. 9, sect. 2.

## DISPENSATIO.

S. BONAV. *Etymologia.* Dispensare dicitur, quasi diversa pensare. Super 4 *sent.*, dist. 19, dubio 6.

*Definitio.* Dispensatio est juris relaxatio facta cum causæ cognitione ab eo, qui jus habet dispensandi. *Ibid.*

HUGO CARD. Dispensatio est qua ordinatur res in suo loco, et tempore, secundum quod videtur expedire rei quæ dispensatione indiget. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1.

RICHARD. A S. VICTORE. Dispensatio est, quæ supervenienti occasioni cedit, et humanæ infirmitati consulens, humanam dispositionem divinæ dispositioni resultare non permittit. Part. 2, super *Psalm.* CXXXXIII.

S. THOMAS AQUINAS. Dispensatio est quædam commensurata distributio, vel applicatio communis alicujus ad ea quæsub ipso continentur. Quæst. 88, art. 10.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Melius est mercedis præmium, quam dispensationis obsequium. Lib. 5, epist. 20, *ad Horontian.*

S. AUGUST. 2. Multa secundum veniam relaxantur infirmitati, quamvis sincerissimæ nequaquam placeant veritati. *Contra mendacium*, cap. 19.

S. BERNARD. 3. Fidelis revera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat. Serm. 13, super *Cant.*

4. Ratio dispensationis in præceptis, est evidens necessitas, vel communis utilitas. *Prosec.*

5. Ubi autem necessitas urget, excusabilis dispensatio laudabilis est : ubi utilitas communis provocat, dispensatio laudabilis est : cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Lib. 3 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

6. Absque necessitate remissio voti, non dispensatio, sed prævaricatio est. *De præcepto et dispens.*

7. Indulgentiæ suo judicio non sunt admittendæ, nec tamen recusandæ sunt alieno. Part. 2, *Speculi discipl. ad Novit.*, cap. 2.

DIONYSIUS CARTHUS. 8. Tenuitas victus et vestitus, ita sunt de essentia Religionis, quo super ea non cadit dispensatio. *De profes. monast.*, art. 11.

GLOSS. ORD. 9. Non sunt dispensatores, sed prodigi extirpatores, qui tollunt panem filiorum, et mittunt canibus. Super *Matth.*, cap. VII.

10. Qui temporalia, quæ possidet, non bene dispensat, æternorum sibi gloriam, de qua tumet, evacuat. *Ibid.*

11. Si carnales divitias, quæ labuntur, non bene dispensatis, veras et æternas quis dabit vobis ? *Ibid.*



S. GREGOR. MAGNUS. 12. In rebus temporalibus dispensandis quanto est cura distensior, eo nobis multiplicius inimicus insidiatur. *Prosec.*

13. Omnis enim qui dispensandis terrenis rebus præsidet, occulti hostis jaculis latius patet. Lib. 2, *Moral.*, cap. 26.

14. Recta mens cum curas dispensationis suscipit, quid sibi, quid proximis debeat, attendit. *Ibid.*, cap. 26.

15. Piæ dispensationi nequaquam se gloria vitæ præsentis admisceat : sed opus rectitudinis appetionem ignoret favoris. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 21.

16. Monstrat quam bene dispenset propria, qui fideliter administrat aliena. Lib. 2, *Registro*, indict. 2, cap. 72, epist. 33, *ad Dinamium.*

S. HIERON. 17. Optimus dispensator est, qui sibi nihil reservat. Epist. 2, *ad Nepotian.*

HUGO A S. VICTORE. 18. Quod sine culpa fieri non potest, absque dispensatione faciendum non est. *Prosec.*

19. Etsi cum aliquando conceditur, ipsum malum non est : indulgentia enim eget, quia non sine malo est. Lib. 1 *Miscellan.*, codic. 1, tit. 153.

HUGO CARD. 20. Indiscretio dispensationis non fiat occasio dissolutionis, ne medela modum excedat. Super *Cant.*, cap. VIII.

JOAN. GERS. 21. In dispensando debet quisque duplicem oculum assumere : unum, quo commune bonum; alium, quo particularem profectum consideret. *De Religion. perfect.*, consid. 14.

22. Facta monacho dispensatione voti, desinit esse monachus. In *dialogo de Castit. Ecclesiasticor.*, act. 4.

JOAN. TRITH. 23. Dispensationem nisi Deus approbet, te minime excusabit. *De Ruina monast. ord.*, cap. 4.

24. Quid proderit in judicio temere hic præsumpta dispensatio, quam nec probare licebit testimonio, nec jure defendere? *Ibid.*

25. Quid mihi dispensationem allegas? putasne summi Pontificis auctoritate iram Dei te posse effugere? *Prosec.*

26. Audeo dicere nihil tibi proderit dispensatio Papæ, si fraude, si dolo, si mendacio, si injuste fuerit impetrata. *Ibid.*

27. Ad dispensationem, ut justa sit quatuor requiruntur : sine quibus dispensatio te minime salvabit : Necessitas, congruitas, utilitas, honestas. Sit necessitas evidens et manifesta; sit congruentia vera; sit utilitas non privata, sed publica; sit honestas non ficta, sed propria : alioquin dispensatio erit injusta. *Ibid.*

28. Non salvabit te dispensatio quam fraude postulas, mendacio narras, importunis supplicationibus extorques. *Ibid.*

29. Licita dispensatione non indigent : sin autem illicitum est, quis licitum faciet? dispensatio? vehementer dubito. *Ibid.*

30. In his quæ sunt de jure positivo, dispensatio licitum facit, quod alioquin non licuit, si causa rationabilis id exposcat. *Ibid.*

31. Non dispensatio faciet licitum, quæ falsis narrationibus fuerit impetrata : si non adsit in supplicatione necessitas, in intentione supplicantis integritas, in usu dispensationis honestas. *Prosec.*

32. Quando autem causa narrationis falsa est, dispensatio non liberat, sed damnat impetrantem. *Ibid.*

ORIGENES. 33. Non ad dispensantem culpa reflectitur, ubi digna dispensatorum meritis providentur. Homil. 16, in cap. XLVII, *Genes.*

PETR. BLES. 34. Non est in præcepto Domini dispensatio admittenda. Epist. 90, *ad Guillelm. Abbat.*

35. Nihil dispenses de ordine sine recompensatione, aut cogente necessitate. Serm. 31, *de S. Augustino.*

S. PET. MAURIT. ABBAS CLUN. 36. Sunt quæ dispensare pro velle juxta rationem possumus, sunt et alia, quæ non ut statuta sunt, dispensare nec possumus, nec debemus. Lib. 6, epist. 27, *ad Eugen. Pap.*

SALVIANUS. 37. Usurpata absolutio, damnationem parit. Lib. 4, *ad Eccles. catholic.*

S. THOMAS AQUINAS. 38. Infidelis est dispensans, si non habet intentionem ad bonum commune : imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret. 1, 2, quæst. 97, art. 4.

39. Dispensatio non debet fieri in præjudicium boni communis; sed ea intentione, ut ad bonum commune proficiat. *Ibid.*

40. Omnis dispensatio a prælato petita, debet fieri ad honorem Christi, in cujus persona dispensat. 2, 2, quæst. 88, art. 12.

41. Magis convenit cum imperfectis et novitiis, in jejuniis dispensare, quam cum antiquioribus et perfectis. *Ibid.*, quæst. 147, art. 4.

42. Sicut Papa non potest dispensare, ut aliquis sine baptismo salvetur : ita nec quod salvetur sine confessione. Part. 3, *Supplementi*, quæst. 6, art. 6.

## DISPLICERE.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Christus displicet avaris, quia non aureum corpus habuit; displicet impudicis, quia ex fœmina natus est; multum enim oderunt impudici, quod concipiunt et pariunt fœminæ; displicet superbis, quia contumelias patienter pertulit; displicet delicatis, quia cruciatus est : displicet timidis, quia mortuus est. *De Agone Christ.*, cap. 11.

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

2. Propter hoc renascimur, ut Deo placeamus, cui merito displicet quod nascendo contraximus. In *Enchirid.*, cap. 76.

3. Si placent corpora, Deum ex illis lauda; ne in his quæ tibi placent, tu displiceas. Lib. 4 *Conf.*, cap. 11.

4. Non est sanitas eis, quibus displicet aliquid creaturæ tuæ. *Ibid.*, lib. 7, cap. 14.

5. Gemitus meus testis est, displicere me mihi. *Ibid.*, lib. 10, cap. 2.

6. Cum malus sum, nihil est aliud confiteri tibi, quam displicere mihi. *Ibid.*

7. Sibi placentes, multum tibi displicent. *Ibid.* cap. 39.

8. Perfecto displicet rerum imperfectio. *Ibid.*, lib. 13, cap. 4.

9. Est hoc erroris proprium, ut quod cuique displicet, hoc etiam Deo displicere arbitretur. Lib. 2, *de Genesi contra Manich.*, cap. 16.

10. Quanto magis nobis displicet vitium, tanto minus volumus inemendatum interire vitiosum. Epist. 54.

11. Non vobis displiceat quod rogamini a bonis quia nec bonis displicet quod timemini a malis. *Ibid.*

12. Qui ad horam contristatur, nec timet displicere hominibus, quia corripitur; sed timet displicere Deo, quia non corrigitur. Epist. 87.

13. Non ita displicet aliis sermo tuus, ut displicet tibi. *De Catechiz. rud.*, cap. 2.

14. Quando diabolo placemus, displicemus Deo. *Annot. in Job*, cap. XXX.

15. Bonis vita malorum displicet. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 9.

16. Homo plus intendere in ea debet, in quibus sibi displicet, quam in ea, quæ non tam ipsi, quam veritati placent. *Ibid.*, lib. 5, cap. 20.

17. Cui displicet Deus qui fecit mundum, cur non displicet Deus per quem factus est mundus? Lib. 1, *contra advers. legis*, cap. 3.

18. Legis justitia est jubere quod Deo placet, vetare quod displicet. Lib. 3, *ad Bonifac.*, cap. 7.

19. Dolor quo sibi displicet homo quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in majoris orationis affectum. *De corrept. et grat.*, cap. 5.

20. Cum cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Tract. 12, super *Joan.*

21. Quæ gravior offensio, quam ut superbia illi displiceas, qui propter te superbis displicuit? *De sancta Virgin.*, cap. 38.

22. Hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret. Tract. 12, super *Joan.*

23. Non Deus erit major, quia placet tibi : sed tu minor, si displicet tibi. *Ibid.*, tract. 13.

24. Displicentes amati sumus, ut esset in nobis unde placeremus. *Ibid.*, tract. 102.

25. Si de infirmitate vitæ surrepserit peccatum, continuo displiceat, et securus ad judicem venies. Tract. 1, super *Epist. Joan.*

S. BERNARD. 26. Anima quo sibi plus displicet in malo, quod in se videt, eo se ardentius ad bonum, quod æque in se conspicit, trahit. Serm. 82, super *Cant.*

27. Qui sibi displicet, Deo placet. *De Inter. domo*, cap. 28.

28. Cum vides aliquid quod tibi displicet, vide si hoc est in te, et abscinde; si vero vides aliquid quod tibi placet, vide si hoc est in te, et tene; si non est, assume. In *notabili documento.*

29. Totus displiceas tibi, ut totus possis placere ei, qui est summus, verus et solus Deus : cui nemo placet, nisi qui sibimetipsi displicet : et nemo ei displicet, nisi qui sibimetipsi placet. Serm. *de Miseria humana.*

30. Vere ille est felix, et æterna felicitate dignus, qui displicet sibi, ut placeat Creatori suo. Serm. 15, *de cœna Dom.*

S. FRANC. ASSISIAS. 31. Servo Dei nulla res debet displicere, præter peccatum. In suis opusc., in *Admonit. ad Fratres*, cap. 11.

S. GREGOR. MAGNUS. 32. Quanto quisque se minus videt, tanto minus sibi displicet. Lib. 35 *Moral.*, cap. 5.

33. Magna est consolatio in eo quod displicet quod illo ordinante erga nos agitur, cui nonnisi justum placet. *Ibid.*, lib. 2, cap. 13, num. 18.

S. JOANNES CHRYSOST. 34. Quod carni placet, animæ displicet : et quod animæ placet, carni displicet. Homil. 13, super *Matth. Oper. perf.*

LACT. FIRM. 35. Necesse est bono ac justo displicere quæ prava sunt : et cui malum displicet, moveri justitiæ zelo, cum id fieri videat. *De Ira Dei*, cap. 17.

S. PAULINUS 36. Beata esset nostra conditio, si æque Deo ut hominibus vel displicere timeremus, vel curaremus placere. Epist. *ad Alethium episc.*

THOMAS A KEMPIS. 37. Deo sæpe displicet, quod hominibus placet. Lib. 1, *de Imit. Christi*, cap. 7, sect. 3.

S. VALER. EPISCOPUS. 38. Discat prius displicere sæculo, qui placere vult Christo. Homil. 17, *de Bono Martyrii.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 39. Nulla major pœna nequitiæ est, quam quod sibi ac suis displicet. Epist. 42.

Vide etiam tit. *Delicie*, sent. 14; *Placere*, sent. 8, 17, 24, 27, 30, 48, 51, 56, 65; *Vitium*, sent. 32

## DISPUTATIO.

COLLECTOR. *Definitio.* Disputatio est actus syllogisticus unius ad alterum, ad propositum ostendendum.



SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Disputatio sine ira, suavitas sine amaritudine sit. Lib. 1 *Offic.*, cap. 22.

S. AUGUST. 2. Meliores sunt fabulæ, quam disputationes. Lib. 3 *Conf.*, cap. 6.

3. Vix quisquam invenitur, quem non pudeat convinci disputantem. Lib. 2 *Soliloq.*, cap. 7.

4. Aufer litem, et revoca pacem, ne tibi pereat homo amicus, et de te gaudeat diabolus inimicus. Epist. 75, *ad Auxilium episc.*

5. Non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata. In *Enchiridio*, cap. 59.

6. Tanto fortius convincuntur hæretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos. Lib. 1, *de Trinit.*, cap. 13.

7. Gratanter suscipit oculum columbinum, pulcherrima et modestissima charitas. *Prosec.*

8. Dentem caninum vel evitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas. Lib. 2, *de Trinit.*

9. Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Lib. 8, *de Genesi ad litt.*, cap. 5.

10. Turpe est disputantibus in verborum quæstione immorari, cum certamen nullum de rebus remanserit. Lib. 2, *contra Academicos*, cap. 11.

11. Cum de re constat, propter quam verba dicuntur, de verbis non debet contendi. *Ibid.*, lib. 3, cap. 13.

12. In scripturis sacris bonorum vita, non disputationum ambagibus, sed mysteriorum auctoritate facillime purgatur. Lib. 2, *de Ordine*, cap. 9.

13. Tanta est pernicies animorum, qui cum vincere homines volunt, ab errore convincuntur. *Contra Adimantum*, cap. 28.

14. Disputare non amant hæretici, sed quoquo modo superare impudentissima pervicacia, ut congregent quæ non pepererunt, christianos scilicet, quos maxime sub Christi nomine seducunt. Lib. 13, *contra Faustum*, cap. 12.

15. Qui verus disputator est veritatis, a falsitate discretor est. Lib. 1 *contra Cresconium*, cap. 15.

16. Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. Lib. 2, *de Peccat. meritis et remissione*, cap. 36.

17. Disputationes tunc fructuosæ sunt disputantibus, si non ibi considerentur, nisi viæ Domini. Super *Psalm.* CXVIII, super illud : *Et considerabo vias tuas.*

18. Ubi multum laboraturus est disputator, non remissus debet esse auditor. Tract. 63, super *Evang. Joan.*, de cap. 13.

19. Quod simpliciter prædicatur, credendum est : quod subtiliter disputatur, intelligendum. *De Verb. Dom.*, serm. 54.

20. Sit veritas in pugna, ut acquiratur securitas in victoria. *De Verbis Apostoli*, serm. 3.

21. In rebus incomprehensibilibus exempla non suppetunt disputanti. *Contra Felician.*, cap. 3.

22. Divino intonante præcepto obediendum est, non disputandum. Lib. 16, *de Civit. Dei*, cap. 32.

23. Celeritas intelligendi, et disputandi acumen, donum Dei est. Lib. 4 *Conf.*, cap. 16.

24. Dementia est disputationes suas rationi tribuere, et actiones suas casibus subjugare. *De Continentia*, cap. 5.

25. In collatione disputationis, hoc cavendum est, ne prorumpatur in litem. Lib. 4 *contra Crescon.*, cap. 3.

V. BEDA. 26. Sufficit unicuique sic disputare, ut intelligatur. In suis *Proverbiis*, verbo *Sufficit.*

S. BONAV. 27. Si resistentiæ incidant verba, cedendum est continuo resistenti. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 20.

28. Inter Dei servos collatio, non altercatio debet esse. *Ibid.*

S. CLEMENS PAPA. 29. Nihil gravius est, quam si quis defendat verum esse, quod falsum est. Lib. 5 *Recognit.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 30. Salus ipsa fidei nostræ non ex commentitia disputatione, sed ex demonstratione divinarum scripturarum est. Cateches. 4, *de Spiritu sancto.*

FRANCISCUS TITELM. 31. Nihil periculosius esse potest, quam simplices cum illis disputatione contendere, qui pro sui ingenii pravitate et astutia simul et exercitatione, longe in suis vanitatibus parati sunt ad impugnandum valide admodum veritatem. In *Annot. super Psalm.* XXXVII.

S. FULGENT. 32. Quid potest absurdius dici, quam ut cum de Deo quis disputat, nonnisi de crassioribus tantum corporibus documenta disputationis assumat? Lib. 2, *ad Monimum*, cap. 2.

S. GAUDENT. 33. Desinamus, fide neglecta, contumeliosis quæstionibus divinum pulsare mysterium. Tract. 14.

GLOSS. ORD. 34. Non omnium est de Deo disputare, sed eorum qui nihil femineum, nihil fluxum in cogitationibus vel operibus habent. *Prosec.*

35. De Deo disputare præsumere non debemus, dum per singulares phantasias, a masculorum dignitate declinamus. Super *Levitic.*, cap. VI.

36. Disputando de Deo, id est, theologizando, sufficit nobis tantum tangere : qui enim vult calefieri, si manum in ignem miserit, pro calefactione adustionem sustinebit. *Ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS — ALERE FLAMMAM VERITATIS

37. Sicut qui multa cogitat, ipsa frequenter somniat : sic in stultitiam recidit, qui ultra se de Deo disputat. Super *Ecclesiasten*, cap. 5.

GLOSS. INT. 38. De verbis Domini humano sensu argumentari, sacrilegium est. Super *Hierem.*, cap. 31.

S. GREGOR. MAGNUS. 39. Jurgantium controversias celeri sententia terminare, et æquitati procul dubio convenit, et rigori. Lib. 2, in *Registro. ind.* 10, cap. 28, epist. 28, *ad Joan. episc. Ravennat.*

S. GREGOR. NAZ. 40. Rixosæ disputationes pugna jucunda non est hominibus piis, ut quibus adversarius unus, nempe diabolus, negotii satis exhibeat. Lib. 3 *de Theologia*.

HESYCHIUS. 41. Qui profundius, vel altius de Deo disputare præsumit, pro eo quod gloriosius quid vult ostendere, in blasphemiam cadit. Lib. 2, super *Levitic.*, cap. 1.

S. HIERON. 42. Nunquam de formis mulierum disputes. Tom. 1, epist. 2 *ad Nepotian.*

43. Nihil tam facile, quam otiosum et dormientem de aliorum labore et vigiliis disputare. Lib. 1, super *Michæam*, cap. 2, super illud : *Ne loquamini*.

HUGO CARD. 44. Optimus disputator est, qui ibi bene respondet, ubi multis concluditur. Super *Ecclesiasten*, cap. VIII.

45. Multa mala oriuntur ex disputationibus curiosis. Super I *ad Tim.* VI.

46. In disputando homines, qui volunt se ostentare, invident aliis quando superantur. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 47. Rationibus divina velle discutere, blasphemia est. Homil. 5, super I *Timot.*

48. Ubi certant facta cum dictis, dimicat doctrina cum factis. Homil. 11 : *Ex variis in Matth. locis.*

49. In disputationibus de rebus divinis, solis illis debetur corona, qui se rei magnitudine victos ingenue fatentur. Homil. in *dictum Apost. Cum subjecta fuerint.*

JOAN. TRITH. 50. Stulta est rei decertatio, quæ ex laude pendet aliena. Lib. 2 *de Vir. illustr. Ord. S. Bened.*, cap. 144.

51. Melior est, qui pauca novit, et multa facit : quam qui plura disputat, et minus opere implet. In cap. 4 *Regulæ S. Bened.*, verbo *Sacras*.

S. ISIDORUS PALENS. 52. Tunc clarius manifestatur veritatis assertio, quando patuerit quælibet dissentio. Lib. 1 *de Sum. bono*, cap. 16, sent. 5.

53. In disputatione cavenda est propositionum artificiosa subtilitas, quæ callidis objectionibus retia tendit. *Prosec.*

54. Ita enim versutis assertionibus pravorum disputatio innodatur, ut recta esse simulent, quæ perversa persuadent. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 14, sent. 6.

55. In disputatione tolle certamen, tolle pertinacem vincendi defensionem : cede cito veritati, non contradicas justitiæ, non contendas evacuare quod rectum est. *Prosec.*

56. Jure, non fraude contende : nec te peritiorem aliis judices, nec te ad disputationes contrariis præpares, nec ut vincas oppugnare coneris. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 15.

57. In omni disputatione tene rationem; plus dilige audire, quam docere; plus auscultare, quam loqui. *Ibid.*

LACT. FIRM. 58. Turpe est hominem ingeniosum dicere id, quod si neges, probare non possit. Lib. 3 *de Divin. inst.*, cap. 29.

59. Neque ea tantum periculosa sunt, quæ falsa de Deo dicuntur; sed etiam quæ vera sunt, et non opportune proferuntur, disputanti periculum generant. Homil. 1, in cap. 12, *Ezechiel.*

ORIGENES. 60. Fortior est disputatio in contradictione, et contrarietate operum, quam verborum. Epist. 52 *ad Gaufrid.*

PETRUS BLESENS. 61. Propter disputationes illicitas et incautas, virulenta hæresum seges circumquaque silvescit. *Ibid. contra perfid. Judæor.*, cap. 1.

62. Absurdum est de Trinitate in triviis disputare, et æternam Filii genituram in materiam scandali, et in arenam publicæ disputationis extrudere. *Prosec.*

63. Ideo Justinianus Christianissimus Imperator generali sanctione constituit, ne de summa Trinitate et fide catholica disputetur.

64. Disputatio enim corporis et sanguinis Christi, et de cæteris fidei nostræ articulis plena discrimine est. *Ibid.*

65. Noli cum Judæo vel hæretico disputare, si enim in theatrum pugnæ vulgaris solus et inermis introeas, imminet tibi periculum, si succumbas. *Ibid.*

66. Tu quisquis es, noli unquam cum malis contendere, in quo victor victo fit deterior. *De Agricult.*

PHILO JUD. 67. Publice disputare cum infidelibus, coram fidelibus idiotis et simplicibus, dubitando de fide, peccatum est. *Prosec.*

S. THOMAS AQUINAS. 68. At disputare de fide ad exercitium, vel ad errores confutandos, coram tamen sapientibus, vel confirmatione fidei egentibus, laudabile est. 2,2, quæst. 10, art. 7.

69. Non debet disputari de his, quæ sunt fidei, quasi de eis dubitando : sed propter veritatem manifestandam, et errores confutandos. *Ibid.*

70. Ad hoc debet tendere christiani disputatoris intentio in articulis fidei, non ut fidem probet, sed ut fidem defendat. *Contra Græcos et Armenos*, cap. 2.



THOMAS A KEMPIS. 71. Caveas disputare de altis materiis, et de occultis Dei judiciis : ista omnem humanam facultatem excedunt, nec ad investigandum judicium divinum ulla ratio prævalet vel disputatio. Lib. 3, *de Imit. Christ.*, cap. 44, sect. 1.

72. Taceant carnales et animales homines de Sanctorum statu disserere, qui non norunt nisi privata gaudia diligere. *Ibid.*, 3. cap. 44 sect. 5.

S. ZENO EP. ET MART. 73. De eo quod modum humani sensus excedit, disputare devita. Serm. *de Fide*, in fine.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET. 74. Contra verbosos noli contendere verbis,
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.
Lib. 1 *Distichor.*, metr. 19.

75. Vincere cum possis, interdum cede sodali;
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.
*Ibid.*, metr. 66.

CICERO. 76. Non tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt. Lib. 1. *de Natura Deorum.*

77. Acute disputantis illud est, non quid quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit videre. Lib. 5 *Tusc. quæst.*

MIMUS PUB. 78. Nimium altercando, veritas amittitur. In suis *Sent.*, sent. 264.

PLINIUS II. 79. Disputatio decens est cum docto homine et perito; cui nihil æque ut brevitas placet. Lib. 1, epist. 20, *ad Cornel. Tacit.*

SENECA. 80. Vir bonus in dissensione vinci, quam vincere mavult. Lib. 4, *de Benefic.*, cap. 32.

Vide etiam tit. *Adventus*, sent. 15; *Arrogantia*, sent. 11; *Blasphemia*, sent. 28; *Deus*, sent. 85; *Eloquentia*, sent. 11; *Fides*, sent. 178; *Meritum*, sent. 51; *Philosophia*, sent. 62; *Remedium*, sent. 22; *Trinitas*, sent. 89; *Verbum*, sent. 45.

## DISSIMULATIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Fortis est viri non dissimulare, cum aliquid immineat. Lib. 1 *Offic.*, cap. 38.

2. In causa Dei, ubi communionis periculum est, etiam dissimulare, peccatum non est leve. *Ibid.*, lib. 2, cap. 24.

3. Melius est dissimulare injuriam, quam cum redarguis vindicare. Super *Psalm.* XXXVII.

S. ANTONIN. 4. Quod facit fluctus irruens, hoc et sentina neglecta. Parte 2, tit. 9, cap. 3, § 3.

5. Quatuor sunt causæ dissimulandi delicta. Prima, cum mali sunt occulti, et non possunt a bonis discerni; secunda, cum multitudo tanta est in scelere, quod non possit extirpari sine schismate Ecclesiæ; tertia, quando probabiliter præsumitur de emendatione; quarta, omissio correctionis, si exercitando bonos, prosunt Ecclesiæ. *Ibid.*, cap. 5, § ultimo.

S. AUGUST. 6. Perpetienda sunt vitia multitudinis, ut curentur : et prius toleranda, quæ sedanda est pestilentia. *De Moribus Eccles.*, cap. 32.

7. Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina. *De Verbis Apostoli*, serm. 22.

S. BERNARD. 8. Proprium est mollis et delicatæ animæ, etiam necessarias dissimulare curas, ne æstuantes sollicitudines sentiat, sub latibulo dissimulationis abscondi. Serm. 39, super *Cant.*

9. Multa nescias, plurima dissimules nonnulla obliviscaris. Lib. 5, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

S. CYPRIAN. 10. Dissimulanda veritas non est, nec vulneris medicina reticenda. *De Lapsis*, cap. 5.

11. Contumelias dissimulare et ferre possem, sicut dissimulavi semper et pertuli : sed dissimulandi nunc locus non est, cum decipiatur fraternitas. Epist. 10, *ad Clerum de Presbyteris.*

GRATIANUS. 12. Quæ est ista justitiæ inimica bonitas, palpare criminosos, et vulnera eorum usque in diem judicii incurata servare? In *Decret.*, dist. 50, can. *Si quis diaconus*, § *Ecce.*

S. GREGOR. MAGNUS. 13. Aliquando subjectorum vitia prudenter sunt dissimulanda : sed quia dissimulantur, sunt indicanda. Parte 2, *Pastoralis*, cap. 10.

14. Culpa, quæ feriri digna severitate non potest, dissimulanda est, non exponenda : quia audacius a subjectis delinquitur, si prælatorum infirmitas agnoscatur. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. V.

S. HIERON. 15. Prudentis viri est dissimulare. Epist. 4 *ad Rustic.*

16. Vera amicitia quod sentit dissimulare non debet. Epist 20 *ad Rufin.*

17. Prudentis hominis est (etiamsi doleat) dissimulare. Epist. 21, *ad Pammach. et Marcellin.*, lib. 1.

S. JOANNES CHRYSOST. 18. Melius est propter bonos, etiam malos fovere, quam propter malos etiam bonos negligere. Melius est malis justa præstare, quam bonis justa subtrahere. Homil 43, super *Matth. Oper. imperf.*

19. Nullum tam certum est amicitiæ indicium, quam non dissimulare delinquentibus. Serm. 10, super *Epist. ad Ephes.*

20. Multorum excessibus viam aperit, qui subjectorum dissimulatis erroribus, eis præstat audaciam delinquendi. Epist. 33.

JOAN. TRITH. 21. Ubi remissio potestatis dissimulat, vigor juris vacillat. *De Ruina monast. ordin.*, cap. 7.

22. Paucorum dissimulata rebellio, multis rebellandi erit occasio. *Ibid.*

23. Vereor et vehementer timeo, ne diu dissimulata iniquitas, graviori tandem animadversione veniat punienda. *Orat.* 3 *in Conventu Abbat. habita.*

S. LEO I. 24. Rectores multam sæpe nutriunt pestilen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Téllez

tiam, dum necessariam dissimulant adhibere subditis medicinam. Epist. 3, *ad Januarium Aquileiens. episcop.*

MINUT. FEL. 25. Deus cum patitur, dissimulat. In suo *Octavio.*

PETR. BLES. 26. Graviter offenditur Deus, cum quis propriam malitiam dissimulando, eam ministerio prosequitur alieno. Epist 10, *ad Cancellar. regis Siciliæ.*

27. Enorme famæ et animæ discrimen incurres, si injuriam Christi silentio aut neglectu dissimules. *Ibid.*, epist. 112, *ad Aurelianens.*

S. THOMAS AQUINAS. 28. Ex hoc ipso quod prælati dissimulant, videntur annuere. 2, 2, quæst. 147, art. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 29. Qui moderate dissimulatione utuntur, nec ea dissimulant, quæ nimis ante oculos sunt et extant, gratiosi sunt. Lib. 4 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7.

CICERO. 30. Aperte amare vel odisse, magis ingenuum est, quam fronte occultare, seu dissimulare sententiam. *De Amicit.*

MIMUS PUB. 31. Invitat culpam, qui peccatum præterit. In suis *Sent.*, sent. 85.

SENECA. 32. Sæpe satius fuit dissimulare, quam ulcisci. Lib. 2, *de Ira*, cap. 33.

33. Sæpe animus etiam aperta dissimulat. Epist. 94.

SIXT. PHIL. 34. Domesticorum indignationes ferre, sapientis domini est. Sent. 283.

Vide etiam titul. *Correctio*, sent. 78 ; *Defensio*, sent. 12 ; *Ingenium*, sent. 63 ; *Judicium sui*, sent. 16 ; *Suspicio*, sent. 25 ; *Vitium*, sent. 179.

## DIVINATIO.

GLOSS. ORD. *Etymologia.* Divinatio non divinitus datur, sed per antiphrasim dicitur, quasi quæ per homines fiat dæmonibus repletos. Super *Num.*, cap. 23.

S. ISID. HISP. Divini dicti sunt, quasi Deo pleni : divinitate enim se plenos simulant, et astutia quadam fraudulenta, hominibus futura conjectant. Lib. 8, *Etym.*, cap. 9.

S. THOMAS AQUINAS. Ex hoc aliqui divini dicuntur, quod manifeste usurpant sibi divinando, quod Dei est. 2, 2, quæst. 95, art. 1.

Divinatio non dicitur ab ordinata participatione alicujus divini, sed ab indebita usurpatione ejus, quod Dei est. *Ibid.*

Præstigium vocatur ex eo quod oculi hominum perstringuntur. *Ibid.*, quæst. 95, art. 3.

S. BONAV. *Definitio.* Divinatio est superstitiosa investigatio præscientiæ futurorum. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 29.

Sortilegium est ratio divinandi per sortes. *Ibid.*

Maleficium est peritia, per quam mulieres faciunt aliquas ligaturas in damnum vel incommodum alicujus. *Ibid.*

Augurium est ratio divinandi per garritus avium vel gestus, ut per volatum. *Ibid.*

Præstigium est per quod diabolicis illusionibus oculi hominum perstringuntur, ne possint cernere quod verum est, sed phantastica figmenta, ut faciunt incantatores. *Ibid.*

Sortilegus est, qui sub nomine fictæ religionis, divinationis scientiam profitetur, vel ex inspectione aliquarum scripturarum prædicit futura. *Ibid.*

Sortilegium est, cum id quod futurum est, per dæmonum consultationes inquiritur. In *Speculo animæ*, cap. 1.

GLOSS. ORD. Arioli sunt, qui circumeunt aras nefandis precibus, et divinationem in extis animalium quærunt. Super *Deuter.*, cap. XVIII, in illud ; *Qui Ariolos sciscitetur*, etc.

HUGO CARD. Divinatio est mendax futurorum prædictio. Super *Ecclesiastic.*, cap. 34.

ORIGENES. Divinatio est quædam in ministerio præscientiæ operatio dæmonum, quæ artibus quibusdam ab iis, qui se dæmonis mancipaverint, colligitur. Homil. 16, in cap. 23, *Num.*

S. THOMAS AQUINAS. Divinatio est peccatum, quo quis sibi usurpat futurorum, ut futura sunt, notitiam et prædictionem, ad Deum proprie pertinentem. 2, 2, quæst. 95, art. 1.

Omnis divinatio est præcognitio futuri eventus, aliquo dæmonum consilio vel auxilio. *Ibid.*, art. 3.

Præstigium est divinatio per dæmones ingerentes se aspectui, et auditui hominum ad prænuntiandum futura. *Ibid.*

CICERO. Divinatio est earum rerum, quæ fortuitæ putantur prædictio, atque præsensio. Lib. 1, *de Divinat.*

S. BONAV. *Divisio.* Divinationis quinque sunt species : dementia, maleficium, sortilegium, augurium, præstigium. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 29.

S. ISIDORUS HISPALENS. Duo sunt genera divinationis, ars et furor. Lib. 8, *Etymol.*, cap. 9.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Illos planetarios, quos mathematicos vocant, plane consulere non desistebam : quod quasi eis nullum esset sacrificium, et nullæ preces ad aliquem spiritum ob divinationem dirigerentur, quod tamen christiana et vera pietas consequenter repellit et damnat. Lib. 4 *Confess.*, cap. 3.

2. Hi, qui de paginis evangelicis sortes legunt, ut ad dæmonia consulenda concurrant, maxime sunt cavendi. Epist. 117, *ad Januarium*, cap. 20.

3. Ex notatione velle nascentium mores, actus,



eventa prædicere, magnus error et magna dementia est. *Prosec.*

4. Constellationes enim, quas vocant, notatio est siderum, quomodo se habeant, cum ille nasceretur, de quo isti miseri a misërioribus consuluntur, sine ulla dubitatione refellitur hæc superstitio. Lib. 2, *de Doctrina christ.*, cap. 22.

5. Istæ opiniones quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis, ad eadem illa quasi quædam cum dæmonibus pacta et conventa referenda sunt. *Ibid.*, in fine.

6. Bono christiano sive mathematici, sive quilibet impie divinantium, maxime dicentes vera, cavendi sunt. Lib. 2 *de Genesi ad litteram*, cap. 17.

7. Ars matheseos evitanda, et fugienda est : hanc enim astutia et subtilitas invenit diaboli. *De quæst. vet. et novi Testamenti*, quæst. 115.

8. Nefarios ritus suos hominibus sacrilega curiositate deceptis, vel decipiendis, magicarum artium doctrina commendat. Tract. 97, super *Evang. Joan.*, de cap. 16.

9. Illæ illicitæ divinationes inspectis pecudum visceribus occisarum, aut vocibus et volatibus avium, aut signis multiformibus dæmoniorum, insusurrant auribus hominum periturorum per colloquia perditorum. *Ibid.*

10. Magi turbant mentes hominum confidentium in Deo, ac sine ullo veneni haustu, violentia tantum carminis interimunt. Habet. in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 26; quæst. 5, can. *Nec*, § *Magi.*

11. In præcantationibus, sed in caracteribus suspendendis atque ligandis, ars dæmonum est ex quadam pestifera societate hominum et angelorum malorum exorta. *Ibid.*, can. *Nec*, § *Ad hæc*, etc.

12. Unde hæc vitanda sunt christiano, et omni penitus exceratione repudianda atque damnanda. *Ibid.*

13. His portentis per diabolorum fallaciam illuditur curiositas humana, quando id impudenter appetunt scire, quod nulla ratione compelit eis investigare. *Ibid.*, can. *Nec*, § *His*, etc.

S. BASILIUS SELEUC. 14. Nec per miracula diabolica diabolum colentes, diaboli simus hæredes. Orat. 27.

S. BONAV. 15. Omnis divinatio deceptio est, et delusio diabolica ; et ideo a Deo maledicta, et ab Ecclesia interdicta. In *Centiloq.*, part. 1, sect. 29.

S. CYRILLUS ALEX. 16. Turpissimum crimen est, divinatio mendax, studiumque vaticiniorum. Homil. 14, *de Festis Paschal.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 17. Fuge omnem diabolicam operationem, neque auguriis, neque divinationibus ullis mentem adhibeas. Catechis. 4, *de Libris.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 18. Qui ad augures et divinos atque incantatores currit, captivum se diabolo tradit. Homil. 10, *ad Monachos.*

GLOSS. ORD. 19. Grande peccatum est, ad magos vel ariolos declinare : hoc est enim a Deo recedere. *Prosec.*

20. Sunt enim arioli deceptores et adulatores, qui veneficis verbis auditus multorum corrumpunt, et a veritate avertunt. Super *Levit.*, cap. 20.

21. Omne genus divinationis dæmoniacæ interdicitur : Dei enim solius rerum futurarum cognitio propria est, ac sane impius, qui Satanæ eam attribuit, quoniam mendax est. Super *Deuter.*, cap. 18.

22. Impium est dicere dæmones incantamentis curiosorum in animas potestatem habere, in quas, quoad homines, potestatem nullam habuerunt. Super 1, *Reg.*, cap. 28.

GRATIANUS. 23. Arioli, haruspices, incantatores, et sortilegi, atque cæteri hujusmodi sectatores, ab Ecclesia sunt eliminandi. In *Decret.*, part. 2, causa 26, quæst. 5, can. *Quicumque*, § *Ex præmissis.*

S. JOANNES CHRYSOST. 24. Si ad vates abieris pro perditis recuperandis, animam tuam perdes, et aliis derisio eris, atque iterum rem perditam male amittes. Homil. 5, *de patientia Job.*

25. Impostrices mulieres maxime sunt fugiendæ, quæ solent dæmones provocare, et incantationibus suis vulnus augere. Homil. 16, *Ex divers. Matth.*

26. Nonnulli sortibus, auspiciis, signis atque etiam adalligationibus et magicis carminibus utuntur, et cum diabolo pereunt. Homil. 4, super I *Cor.*

27. Vatis proprium est, mente commoveri et necessario compelli, et trahi tanquam furiis percitum. *Ibid.*, homil. 29.

28. Sortilegi et vates dicunt quidem multa et bona, nihil autem sciunt eorum quæ dicunt. *Ibid.*

29. Pompa satanica, sunt dierum observationes et præsagia et omina. Homil. 21, *ad Popul. Antioch.*

30. Contristavit te diabolus ablatis pecuniis, afficias illum tristitia, et tu ne exhilares eum : si divinatores accesseris, exhilarabis illum ; si Deo gratias agis, lethaliter eum vulnerabis. *Prosec.*

31. Et vide quid fiat ; neque amissa reperies, si divinatores accesseris : neque enim divinatores quod quæris scire poterunt. Sin forte divinatione remalligerint, simul tamen animam perdes, et rursus ea male perdes.

32. Videns enim dæmon quod damnum ferre nequeas, sed et bonorum temporalium gratia Deum tuum neges, pecunias reddit, ut occasionem habeat denuo te seducendi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

33. Si vero divinatores quod quæritur dixerint; ne mireris, incorporalis est dæmon, ubique circuit, latrones ipsos ipse in facinora armat, neque enim ista sine dæmone fiunt.

34. Si ergo istos armat et novit ubi locorum in insidiis abditi sunt, non celabit hoc ministros suos divinatores. Homil. 3, super I *Thessal.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 35. Qui ad sortilegos et magiæ professores se conferunt, nefaria consilia ab eis petituri, derelicto Deo ad diabolum desciscunt. In can. *Vitæ spirit.*, cap. 9.

MINUT. FEL. 36. Magi non tantum sciunt dæmones, sed etiam quidquid miraculi edunt, per dæmones faciunt; illis aspirantibus et infundentibus, præstigias edunt: vel quæ non sunt, videri: vel quæ sunt, non videri. In suo *Octavio.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 37. Nequaquam negligenda divinatio est, quæ ad divina paulatim contendit, et quasi consectarium habet illud quod est in hominum facultate pretiosissimum. *De Insomniis.*

38. Quæ in mundo sunt maleficæ virtutes, etiam ex usu divinæ providentiæ sunt, cum in eos animadvertant, qui sint animadversione digni sunt, illæ tamen et invisæ Deo et execrabiles. Epist. 57, *adversus Andronic.*

S. THEODOR. 39. Omni impietati serviunt, veneficiis dæmonumque carminibus utentes. Super *Psalm.* LXXX, vers. 11.

S. THOMAS AQUINAS. 40. Divinator non ipse divinat, id est, quod divinum est, facit: sed magis quod divinum est, suscipit et usurpat. 2, 2, quæst. 95, art. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 41. Homines fascinando utuntur invocatione astuta, ut ex se videantur id facere: vir enim justus, non recipit impressionem fascinationis. Lib. 6 *Theolog.*, cap. 3.

42. Vir pronus ad aliquam dispositionem exteriorem, facile suscipit impressionem fascinationis. *Ibid.*, cap. 4.

CATO POET. 43. Quid Deus intendat, noli perquirere sorte:
Quid statuat de te, sine te deliberat ipse.
Lib. 2, *Distich.*, metr. 33.

EPICTETUS. 44. Ad vatem accessurus memento te negotii eventum ignorare: sed ea de causa adesse, ut eum e vate cognoscas. In suo *Enchirid.*, cap. 39.

PLATO. 45. Quicunque ad ulterius incommodum veneficiis utitur, non tantum ad hominum perniciem, sed et ad pecorum, aut aliorum hujuscemodi calamitatem, sive illa sit lethalis, sive non, capite puniatur. Lib. 11, *de Legibus.*

SENECA. 46. Sæpe fortuita est divinatio. Lib. 6, *Controvers.*

Vide etiam tit. *Superstitio*, sent. 2.

## DIVITIÆ.

CASSIODOR. *Etymologia.* Dives dictus a divo, qui quasi Deus nihil creditur indigere. Super *Psalm.* XLVIII, vers. 17.

COLLECTOR. Divitiæ dicuntur, quasi diræ deliciæ.

*Definitio.* Divitiæ sunt communiter opum ac possessionum abundantiæ, seu quidquid superest deducto honesto victu et cultu.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non soli tibi, sed etiam pluribus, congreges: dives esto, sed pauperibus, ut naturæ participes tuæ, participes etiam sint facultatum. Lib. 1, *de Virgin.*

2. Dives ille vere est, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, ut nihil concupiscat, nullis agitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat, nec nova quærat, et semper desiderando non fiat summis divitiis inops. Lib. 3, epist. 10, *ad Simplicianum.*

3. Etsi aliis dives videtur, sibi pauper est, qui non utitur eo quod habet: quid adhuc alia rapit, alia desiderat. *Ibid.*

4. Ubi nullus cupiditati modus, quis fructus divitiarum? *Ibid.*

5. Nemo est dives, qui quod habet, secum hinc auferre non potest: quod enim hic relinquitur, non nostrum, sed alienum est. *Ibid.*

6. Hic magis dives est, hic magis rex, qui ita sibi abundat, suasque regit cupiditates, ut nihil alienum concupiscat. *Ibid.*

7. Discant homines bonorum operum divitias quærere, et morum esse, locupletes. *Prosec.*

8. Pulchritudo enim divitiarum non in sacculis divitum, sed in alimentis pauperum est. *Ibid.* lib. 7, epist. 44, *ad Constantium.*

9. Cito invenitur dives naturæ, difficile cupiditatis. *Ibid.*, lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens.*

10. Qui nescit regere suum censum, onere suo mergitur. *Ibid.*

11. Esto pauper spiritu, et eris dives qualicunque censu, quia non in abundantiam divitiarum vita est hominis, sed in virtute ac fide. *Prosec.*

12. Istæ divitiæ te verum divitem facient si sis in Deum dives. Lib. 1, *de Cain et Abel*, cap. 5.

13. Nihil satis est divitum cupiditati: quanto ditior quis fuerit, tanto avidior ad possidendum. Lib. 1, *de Abraham.*, cap. 3.

14. Divitiæ dictæ sunt curæ, eo quod mentem dividant, atque in diversum scindant, et in partes trahant, nec sinant incorruptam esse et integram. *Ibid.*, lib. 2, cap. 8.

15. O dives! nescis quam pauper sis: quam



inops tibiipsi videaris, qui te divitem dicis. *Prosec.*

16. Quanto plus habueris, plus requiris: et quidquid acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. *De Nabuthe*, cap. 2.

17. Dives quod suum est, quasi vile fastidit: quod alienum est, quasi pretiosissimum concupiscit. *Ibid.*

18. Ipsum nomen considera; ditem dicunt gentiles inferni præsulem, arbitrum mortis ditem appellant et divitem. *Prosec.*

19. Quid nisi mortem dives inferre noverit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferna sint?

20. Quid est enim dives, nisi quidam inexplebilis gurges divitiarum; inexplebilis auri fames ac sitis? quo plus hauserit, plus inardescit. *Ibid.*, cap. 6.

21. Dives naturæ ipsius nescit munia, nec somni ipsius novit vices, nec est quod eum sinat dormire. *Prosec.*

22. Excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum perturbat, sollicitat abundantia. *Ibid.*

23. Nescis, homo, struere divitias: si vis dives esse, esto pauper sæculo, ut sis dives Deo. *Prosec.*

24. Dives fidei, dives est Deo: qui dives est in misericordia, hic est dives Deo.

25. Dives simplicitate, dives Deo est: dives sapientiæ et scientiæ, dives est Deo. *Ibid.*, cap. 14.

26. Cum divitiæ sint caducæ, pœna perpetua est. Lib. 4, super *Lucam*, cap. 4, in illud: *Multi erant*, etc.

27. Frustra congregat opes, qui se his nescit usurum. *Ibid.*, lib. 7, cap. 12, in illud. *Dic fratri meo*, etc.

28. Discant divites non in facultatibus crimen hærere, sed in iis qui uti nesciunt facultatibus. *Ibid.*, lib. 8, cap. 19, in illud: *Et confestim vidit*, etc.

S. ANTONIN. 29. Aliud est divitias amare et non habere, aliud habere et non amare, aliud nec habere nec amare, aliud habere et amare. *Prosec.*

30. Amare et non habere, vanum est et infructuosum: habere nec amare, laboriosum: nec habere nec amare, perfectum: habere et amare, periculosum et perniciosum. Part. 2, tit. 1, cap. 1, § 1.

S. ANTONIUS ABBAS. 31. Divitias nobis tribuit Deus, ut et ipsas, his qui indigent, ministremus: sed nos, qui divitias possidemus, pauperes e contrario spoliamus. Serm. *de Vanitate mundi.*

S. ANTONIUS DE PADUA. 32. Cum miser homo affluit divitiis, se dilatat in deliciis, et tunc decrescit, quia libertatem amisit per sollicitudinem divitiarum, quæ eum ita afficit, ut deficiat a se, et in se decrescat. *Prosec.*

33. Tunc enim minor est, cum se rei, et non rem sibi supponit: hæc servilis suppositio tunc apertius cognoscitur, quando quod cum amore possidetur, cum dolore amittitur: ipse vero dolor magna servitus est. Serm. *Dom. infra octav. Nativit.*

34. Dives purpuratus, quia hic sepultus fuit in deliciis, postmodum sepultus est in pœnis inferni. Serm *Dom.* 6, *post Pascha.*

35. Divitiæ dissolvunt, deliciæ enervant. Serm. *Dom. infra octav. Nativit.*

S. AUGUST. 36. Multo mirabilius est non inhærere divitiis, quamvis possideas, quam omnino eas non possidere. *De Moribus Eccles.*, cap. 23.

37. Divitiæ si diliguntur, ibi serventur, ubi perire non possunt. Epist. 45, *ad Armentarium.*

38. Si in divitiis velit homo requiescere, magis superbus efficitur quam securus. *De Catechiz. rudibus*, cap. 16.

39. Per fraudes et scelera ad divitias pervenitur. Super *Psalm.* IX, vers. 25.

40. Quis dicitur dives in hac terra? quando laudatur dives, quid dicitur? multum dives est, nihil illi deest: laus certa laudantis illa est, nam ista non est, cum dicit, nihil illi deest. Attende si nihil deest, si nihil cupit, nihil illi deest: si autem adhuc cupit majora quam quæ habet, ad hoc accesserunt divitiæ ut egestas cresceret. Super *Psalm.* CXXII.

41. Nihil est quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam: omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum: vermis divitiarum est superbia. Serm. 5, *de Verbis Dom.*

42. Pauper nihil portat, tu nimium oneratus es: ille nihil secum portat, tu iterum plus portas quam opus est. Oneratus es, da illi de eo quod habes, et illum pascis, et pondus minuis. *Ibid.*

43. Illæ sunt veræ divitiæ, quas cum habuerimus, perdere non possumus. *Ibid.*, serm. 35.

44. Vermis divitiarum, superbia est: difficile est ut non sit superbus, qui dives est. Tolle superbiam, divitiæ non nocebunt. Homil. 13, *Ex quinquaginta Homil.*

45. Tu forte putas quod ille sit dives, cujus arca plena est auro, et ille non sit dives, cujus conscientia plena est Deo? *Prosec.*

46. Non ita est, fratres, sed ille vere dives esse videtur, in quo Deus habitare dignatur. Serm. 1, *Dom.* 3 *post Epiphan.*

47. Morbus divitiarum est superbia; nam grandis animus est, qui inter divitias isto morbo non tentatur. *Prosec.*

48. Magnus animus est in divitiis suis, qui eas vincit non concupiscendo, sed contemnendo.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

33. Si vero divinatores quod quæritur dixerint ; ne mireris, incorporalis est dæmon, ubique circuit, latrones ipsos ipse in facinora armat, neque enim ista sine dæmone fiunt.

34. Si ergo istos armat et novit ubi locorum in insidiis abditi sunt, non celabit hoc ministros suos divinatores. Homil. 3, super I *Thessal.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 35. Qui ad sortilegos et magiæ professores se conferunt, nefaria consilia ab eis petituri, derelicto Deo ad diabolum desciscunt. In can. *Vitæ spirit.*, cap. 9.

MINUT. FEL. 36. Magi non tantum sciunt dæmones, sed etiam quidquid miraculi edunt, per dæmones faciunt ; illis aspirantibus et infundentibus, præstigias edunt : vel quæ non sunt, videri : vel quæ sunt, non videri. In suo *Octavio.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 37. Nequaquam negligenda divinatio est, quæ ad divina paulatim contendit, et quasi consectarium habet illud quod est in hominum facultate pretiosissimum. *De Insomniis.*

38. Quæ in mundo sunt maleficæ virtutes, etiam ex usu divinæ providentiæ sunt, cum in eos animadvertant, qui sint animadversione digni sunt, illæ tamen et invisæ Deo et execrabiles. Epist. 57, *adversus Andronic.*

S. THEODOR. 39. Omni impietati serviunt, veneficiis dæmonumque carminibus utentes. Super *Psalm.* LXXX, vers. 11.

S. THOMAS AQUINAS. 40. Divinator non ipse divinat, id est, quod divinum est, facit : sed magis quod divinum est, suscipit et usurpat. 2, 2, quæst. 95, art. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 41. Homines fascinando utuntur invocatione astuta, ut ex se videantur id facere : vir enim justus, non recipit impressionem fascinationis. Lib. 6 *Theolog.*, cap. 3.

42. Vir pronus ad aliquam dispositionem exteriorem, facile suscipit impressionem fascinationis. *Ibid.*, cap. 4.

CATO POET. 43. Quid Deus intendat, noli perquirere sorte :
Quid statuat de te, sine te deliberat ipse.
Lib. 2, *Distich.*, metr. 33.

EPICTETUS. 44. Ad vatem accessurus memento te negotii eventum ignorare : sed ea de causa adesse, ut eum e vate cognoscas. In suo *Enchirid.*, cap. 39.

PLATO. 45. Quicunque ad ulterius incommodum veneficiis utitur, non tantum ad hominum perniciem, sed et ad pecorum, aut aliorum hujuscemodi calamitatem, sive illa sit lethalis, sive non, capite puniatur. Lib. 11, de *Legibus.*

SENECA. 46. Sæpe fortuita est divinatio. Lib. 6, *Controvers.*

Vide etiam tit. *Superstitio*, sent. 2.

## DIVITIÆ.

CASSIODOR. *Etymologia.* Dives dictus a divo, qui quasi Deus nihil creditur indigere. Super *Psalm.* XLVIII, vers. 17.

COLLECTOR. Divitiæ dicuntur, quasi diræ deliciæ.

*Definitio.* Divitiæ sunt communiter opum ac possessionum abundantiæ, seu quidquid superest deducto honesto victu et cultu.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non soli tibi, sed etiam pluribus, congreges : dives esto, sed pauperibus, ut naturæ participes tuæ, participes etiam sint facultatum. Lib., 1, *de Virgin.*

2. Dives ille vere est, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, ut nihil concupiscat, nullis agitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat, nec nova quærat, et semper desiderando non fiat summis divitiis inops. Lib. 3, epist. 10, *ad Simplicianum.*

3. Etsi aliis dives videtur, sibi pauper est, qui non utitur eo quod habet : quid adhuc alia rapit, alia desiderat. *Ibid.*

4. Ubi nullus cupiditati modus, quis fructus divitiarum? *Ibid.*

5. Nemo est dives, qui quod habet, secum hinc auferre non potest : quod enim hic relinquitur, non nostrum, sed alienum est. *Ibid.*

6. Hic magis dives est, hic magis rex, qui ita sibi abundat, suasque regit cupiditates, ut nihil alienum concupiscat. *Ibid.*

7. Discant homines bonorum operum divitias quærere, et morum esse, locupletes. *Prosec.*

8. Pulchritudo enim divitiarum non in sacculis divitum, sed in alimentis pauperum est. *Ibid.*, lib. 7, epist. 44, *ad Constantium.*

9. Cito invenitur dives naturæ, difficile cupiditatis. *Ibid.*, lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens.*

10. Qui nescit regere suum censum, onere suo mergitur. *Ibid.*

11. Esto pauper spiritu, et eris dives qualicunque censu, quia non in abundantiam divitiarum vita est hominis, sed in virtute ac fide. *Prosec.*

12. Istæ divitiæ te verum divitem facient si sis in Deum dives. Lib. 1, *de Cain et Abel*, cap. 5.

13. Nihil satis est divitum cupiditati : quanto ditior quis fuerit, tanto avidior ad possidendum. Lib. 1, *de Abraham.*, cap. 3.

14. Divitiæ dictæ sunt curæ, eo quod mentem dividant, atque in diversum scindant, et in partes trahant, nec sinant incorruptam esse et integram. *Ibid.*, lib. 2, cap. 8.

15. O dives! nescis quam pauper sis : quam inops tibiipsi videaris, qui te divitem dicis. *Prosec.*



16. Quanto plus habueris, plus requiris : et quidquid acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. *De Nabuthe*, cap. 2.

17. Dives quod suum est, quasi vile fastidit : quod alienum est, quasi pretiosissimum concupiscit. *Ibid.*

18. Ipsum nomen considera ; ditem dicunt gentiles inferni præsulem, arbitrum mortis ditem appellant et divitem. *Prosec.*

19. Quid nisi mortem dives inferre noverit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferna sint?

20. Quid est enim dives, nisi quidam inexplebilis gurges divitiarum ; inexplebilis auri fames ac sitis? quo plus hauserit, plus inardescit. *Ibid.*, cap. 6.

21. Dives naturæ ipsius nescit munia, nec somni ipsius novit vices, nec est quod eum sinat dormire. *Prosec.*

22. Excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum perturbat, sollicitat abundantia. *Ibid.*

23. Nescis, homo, struere divitias : si vis dives esse, esto pauper sæculo, ut sis dives Deo. *Prosec.*

24. Dives fidei, dives est Deo : qui dives est in misericordia, hic est dives Deo.

25. Dives simplicitate, dives Deo est : dives sapientiæ et scientiæ, dives est Deo. *Ibid.*, cap. 14.

26. Cum divitiæ sint caducæ, pœna perpetua est. Lib. 4, super *Lucam*, cap. 4, in illud : *Multi erant*, etc.

27. Frustra congregat opes, qui se his nescit usurum. *Ibid.*, lib. 7, cap. 12, in illud. *Dic fratri meo*, etc.

28. Discant divites non in facultatibus crimen hærere, sed in iis qui uti nesciunt facultatibus. *Ibid.*, lib. 8, cap. 19, in illud : *Et confestim vidit*, etc.

S. ANTONIN. 29. Aliud est divitias amare et non habere, aliud habere et non amare, aliud nec habere nec amare, aliud habere et amare. *Prosec.*

30. Amare et non habere, vanum est et infructuosum : habere nec amare, laboriosum : nec habere nec amare, perfectum : habere et amare, periculosum et perniciosum. Part. 2, tit. 1, cap. 1, § 1.

S. ANTONIUS ABBAS. 31. Divitias nobis tribuit Deus, ut et ipsas, his qui indigent, ministremus : sed nos, qui divitias possidemus, pauperes e contrario spoliamus. Serm. *de Vanitate mundi.*

S. ANTONIUS DE PADUA. 32. Cum miser homo affluit divitiis, se dilatat in deliciis, et tunc decrescit, quia libertatem amisit per sollicitudinem divitiarum, quæ eum ita afficit, ut deficiat a se, et in se decrescat. *Prosec.*

33. Tunc enim minor est, cum se rei, et non rem sibi supponit : hæc servilis suppositio tunc apertius cognoscitur, quando quod cum amore possidetur, cum dolore amittitur : ipse vero dolor magna servitus est. Serm. *Dom. infra octav. Nativit.*

34. Dives purpuratus, quia hic sepultus fuit in deliciis, postmodum sepultus est in pœnis inferni. Serm *Dom.* 6, *post Pascha.*

35. Divitiæ dissolvunt, deliciæ enervant. Serm. *Dom. infra octav. Nativit.*

S. AUGUST. 36. Multo mirabilius est non inhærere divitiis, quamvis possideas, quam omnino eas non possidere. *De Moribus Eccles.*, cap. 23.

37. Divitiæ si diliguntur, ibi serventur, ubi perire non possunt. Epist. 45, *ad Armentarium.*

38. Si in divitiis velit homo requiescere, magis superbus efficitur quam securus. *De Catechiz. rudibus*, cap. 16.

39. Per fraudes et scelera ad divitias perveniur. Super *Psalm.* IX, vers. 25.

40. Quis dicitur dives in hac terra? quando laudatur dives, quid dicitur? multum dives est, nihil illi deest : laus certa laudantis illa est, nam ista non est, cum dicit, nihil illi deest. Attende si nihil deest, si nihil cupit, nihil illi deest : si autem adhuc cupit majora quam quæ habet, ad hoc accesserunt divitiæ ut egestas cresceret. Super *Psalm.* CXXII.

41. Nihil est quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam : omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum : vermis divitiarum est superbia. Serm. 5, *de Verbis Dom.*

42. Pauper nihil portat, tu nimium oneratus es : ille nihil secum portat, tu iterum plus portas quam opus est. Oneratus es, da illi de eo quod habes, et illum pascis, et pondus minuis. *Ibid.*

43. Illæ sunt veræ divitiæ, quas cum habuerimus, perdere non possumus. *Ibid.*, serm. 35.

44. Vermis divitiarum, superbia est : difficile est ut non sit superbus, qui dives est. Tolle superbiam, divitiæ non nocebunt. Homil. 13, *Ex quinquaginta Homil.*

45. Tu forte putas quod ille sit dives, cujus arca plena est auro, et ille non sit dives, cujus conscientia plena est Deo? *Prosec.*

46. Non ita est, fratres, sed ille vere dives esse videtur, in quo Deus habitare dignatur. Serm. 1, *Dom.* 3 *post Epiphan.*

47. Morbus divitiarum est superbia ; nam grandis animus est, qui inter divitias isto morbo non tentatur. *Prosec.*

48. Magnus animus est in divitiis suis, qui eas vincit non concupiscendo, sed contemnendo.

49. Magnus est dives, qui non se ideo magnum putat, quia dives est : qui autem ideo se magnum putat, superbus et egenus est. Serm. 1, *Dom.* 6 *post Trinit.*

50. Habent delectationem suam divitiæ, sed plus habet delectari justitia; delectare divitiis cum justitia. Serm. 6, *de Martyrib.*

51. Venenum commixtum dulcedini faciliter sumitur, et qui recipit moritur : sic qui divitias amat, dulcedinem videtur gustare, sed ecce mors inter divitias latens, hominem divitem inflatum aggreditur, aggressus occiditur, et occisus ad infernum perducitur Serm. 31, *ad Fratres in eremo.*

52. Comes divitiarum, superbia et luxuria est. *Ibid.*, serm. 48.

53. A regula mortis non etiam parcitur diviti : cur divitiis te jactas? ipsæ enim potius insidiæ tibi sunt, quam amicitiæ. *Ibid.*, serm. 48.

S. BASILIUS MAGNUS. 54. Quis est mendacii pater? quis conficta accusationis opifex? quis perjurii parens? nonne divitiæ? nonne opum studium? Conc. 7, *ad Divites.*

V. BEDA. 55. Dives dicendus, cui parvus suppetit usus. In suis *Proverb.*, verbo *Dives.*

56. Quis dives? qui nil cupit : et quis pauper? avarus. *Ibid.*, verbo *Quis.*

S. BERNARD. 57. Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. Serm 4, *de Adventu.*

58. Laqueus diaboli, divitiæ sunt hujus sæculi. Heu quam paucos invenimus, qui ab hoc laqueo liberati exultent? Serm. 8, super *Qui habitat.*

59. Divitiæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur. *Prosec.*

60. Quæris ut acquiras, acquiris ut perdas, perdis ut doleas. Serm. *de Quinque negotiat.*

BOETIUS. 61. O præclara opum mortalium beatitudo! quam cum adeptus fueris, securus esse desistis. Lib. 2, *de Consol. Philos.*, prosa 5.

S. BONAV. 62. Quærat divitias Paganus, qui sine Deo vivit : quærat Judæus, qui terrenas promissiones accepit : sed qua fronte Christianus divitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicavit? Serm. 2, *de S. Andræa.*

63. Divitiæ potius hominem gradiis prædatorum exponunt, quam beatum faciunt : sæpe enim divites cum periculo capitis vadunt, ubi pauperes secure incedunt. Serm. 7, *de sanctis Apostolis.*

64. Quot sunt, quibus (quia divites sunt) ponuntur insidiæ, capiuntur, ligantur, tormentis exponuntur, et occiduntur, ut ab eis quod lucrati sunt, auferatur? Serm. 1, *de Plur. de confess.*

65. Dives divitias non congregat absque labore, non tenet absque metu, non desinit absque dolore. Tit. 8 *Diviæ*, cap. 1.

66. Divitiæ diu colliguntur, cito amittuntur. Lib. 1, *de Profectu Religiosor.*, cap. 35.

67. Quid quæris, unde plus crucieris? affligunt divitiæ nondum habitæ et amissæ. *Ibid.*

68. Divitiæ pœnas æternas amatoribus suis lucrantur. *Ibid.*

69. Fructus divitiarum est largitas eleemosynarum, sine qua infructuosæ sunt et periculosæ. *Ibid.*

70. Qui delicata quærit, cupit divitias, ut possit habere quæ appetit. *Ibid.*, cap. 36.

CASSIODOR. 71. Si locuples humilitatem diligat, non est sæculi dives. Super *Psalm.* LXXI, vers. 2.

CLEMENS ALEX. 72. Sunt habendæ divitiæ ut est rationi consentaneum : suntque benigne, non autem sordide, nec insolenter communicandæ. Lib. 3, *Pædag.*, cap. 6.

S. CYRILLUS ALEX. 73. Angitur dives et graviore quam alii discruciatur cura. Homil. 27, *de Festis paschalib.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 74. Non ad apparentiam divites sunt, multaque possident, qui in anima pauperes sunt. *Prosec.*

75. Quanto enim plura congregant, tanto magis eorum quæ desunt concupiscentia tabescunt.

76. Fidelis autem vir (quod est maxime paradoxon) in paupertate dives est. Catoches. 5.

DIONYSIUS CARTHUS. 77. Quanto quis Dei amore perituras divitias amplius spernit, eo in anima exuberantius locupletatur. *Prosec.*

78. Et quanto quis temporales divitias diligentius quærit, eo in anima extat pauperior. Super *Apocal.*, cap. 2, art. 3.

S. EDMUND. 79. Divites sunt qui divitias habent et amant; aut qui divitias non habent, sed illas amant, et habere cupide desiderant. In *Speculo Eccles.*, cap. 16.

S. EUCHER. 80. Quid opibus perniciosius, quæ raro cum justitia congeruntur? *Prosec.*

81. Quid divitiæ istæ in se voluptatis habent, quarum est et misera possessio, et incerta transmissio? In *Epist. parænetica ad Valerian.*

82. Si opibus capimur, veris opibus excitemur : optimus quisque in cœlestes opes, terrenas opes transfert. *Ibid.*

S. EUSEBIUS CÆSAR. 83. Impossibile est divitiis affluere, et Christum sequi. Epist. *ad Damas. Pap. de Morte D Hieronym.*

FRANCISCUS TITELM. 84. Divites sæculi, qui in divitiis transitoriis hujus mundi spem suam constituunt, et in illis omne adhibent studium, ipsi vere egeni sunt, pauperes et inopes, esuriemque et defectum magnum patientes. In *Elucidat. super Psalm.* XXXIII, vers. 10 : *Divites eguerunt*, etc.



85. Divites avari veras et æternas non noverunt divitias, sed suas sine modo expetunt, nullum suæ cupiditati constituentes terminum, ita ut nunquam expleri valeat illorum inordinata cupiditas. *Prosec.*

86. Hi vero etiam in amplissimis possessionibus semper adhuc egent, semper eis dees, aliquid ad quod aspirent : imo quo amplius conquirunt, eo et pluribus et majoribus in dies indigent. In *Annot. super Psalm.* XXXIII.

GLOSS. INT. 87. Facile despicit divitias, qui non habet : difficile viles æstimat, qui habet. Super *Job*, cap. 12.

88. Divitiis præest iniquus Mammon, ut de iis tentet homines. Super *Luc.*, cap. 16.

89. Qui multiplicandis divitiis incumbunt, alterius vitæ gaudia contemnunt. *Ibid.*, cap. 18.

GLOSS. ORD. 90. Divitiæ grave malum est, quia contumeliæ et injuriarum sunt adhortatrices. Super *Isai.*, cap. 2.

91. Divitiis servire, Deum negare est. Super *Matth.*, cap. 6.

92. Qui carnales divitias, quæ labuntur, non bene dispensatis, veras et æternas divitias quis dabit vobis? *Ibid.*

93. Servit qui divitias custodit ut servus : qui servitutis excussit jugum, distribuit ut dominus. Super illud XVI *Luc.* : *Non potestis Deo servire, et Mammonæ.*

S. GREGOR. MAGNUS. 94. Hostes ad rapinam provocat, qui suas eorum notitiæ divitias denudat. Lib. 8 *Moral.*, cap. 30, super illud *Psalm.* LXXVII : *Tradidit in captivitatem virtutes eorum.*

95. Fallaces sunt divitiæ, quæ nobiscum diu permanere non possunt : fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt. *Prosec.*

96. Solæ divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus faciunt. Homil. 15, super *Evang.*

97. Quid sunt divitiæ pereuntes, et transitoriæ facultates, nisi stercora? Lib. 2 in 1 *Reg.*, cap. I, super illud : *Suscitans de pulvere egenum.*

98. Non substantia solum ditescas, sed et pietate; non solum auro, sed et virtute. Orat. 17, *de Paupert.*

99. Si dives est aliquis, a divitiis philosophari incipiat : distribuat indigentibus, de iis quæ possidet, tanquam aliorum dispensator. Orat. 25.

S. GREGOR. THAUMAT. 100. Quid absurdius esse potest, quam cum magno studio et cura reconditas opes conservare, ac sexcentorum malorum occasiones sibi ipsi custodire? Super *Ecclesiasten*, cap. 5.

HAYMO. 101. Homini diviti, dies tenebræ sunt, ac vita luctus. *Ibid.*

102. Divitiæ cum labore acquiruntur, et cum magna sollicitudine custodiuntur, et sine iniquitate aut vix, aut raro haberi possunt. Serm. *Dom.* 10 *post Pent.*

S. HIERON. 103. Præpara tibi divitias, quas quotidie eroges, et nunquam deficiant, dum viget ætas, dum nondum canis spargitur caput, antequam subeant morbi, tristisque senectus. Epist. 13, *ad Paulin.*

104. Non laudis est possidere divitias, sed pro Christo eas contemnere. Epist. 27, *ad Eustoch.*

105. Grandi tibi opus est vigilantia, grandique cura, et tanto sollicitius cavendus est inimicus, quanto apud Deum ditior esse cœpisti. *Prosec.*

106. Quanto ditior es, tanto debes esse vigilantior : qui enim plus possidet, plus debet timere. Epist. 1, *ad Demetriad.*

107. Omnes divitiæ de iniquitate descendunt : nisi alter perdiderit, alter invenire non potest. Unde vulgata sententia videtur esse verissima : quod dives aut iniquus, aut iniqui hæres. In *Regula Monachor.*, cap. 4, de *Paupert.*

108. Nihil vanius deprehendi potest, quam eum hominem, qui divitias congregat, et cui eas relinquat ignorans. Super *Ecclesiasten*, cap. IV super illud : *Et vidi vanitatem.*

109. Iræ Dei est, ut peccator diebus ac noctibus opes congreget, et nequaquam eis utens, aliis relinquat. *Ibid.*, cap. II, super illud : *Non est bonum homini*, etc.

110. Blandæ sunt divitiæ, aliud agentes, aliud pollicentes : lubrica est earum possessio, dum huc illucque circumferuntur, et instabili gradu vel habentes deserunt, vel non habentes resarciunt. Lib. 2, super *Matth.*, cap. XIII super illud : *Qui autem seminatus est in spinis*, etc.

111. Non dixit Jesus, impossibile est divites intrare in regnum cœlorum, sed difficile; ubi difficile ponitur, non impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur. Lib. 3, super *Matth.*, cap. XIX, super illud : *Dives difficile intrabit*, etc.

112. Fruges justitiæ sunt facultates, cum de eis fit justitia : cum vero aut inique congregantur aut ad avaritiam vel superbiam possidentur, fruges iniquitatis fiunt. Super II *ad Cor.*, cap. IX in illud : *Et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.*

113. Occasio tentationis est, et laqueus diaboli, velle habere divitias. Super I *ad Tim.*, cap. VI, in illud : *Incidunt in tentationem.*

114. Difficile divitem invenies non superbum, qui pauperes vel parentes agnoscat : et qui non graviter ferat minime sibi ab inferiore honorem deferri. *Ibid.*, cap. VI in illud : *Non sublime sapere.*

S. HILAR. 115. Periculosa cura est, velle ditescere : et grave onus innocentia subit incrementis opum

occupata. Super *Matth.*, in illud : *Difficile est divitem*, etc.

HUGO A S. VICTORE.

116. Per divitiarum affluentiam, quod placet impetrari solet. Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 4.

117. Divitiæ cito transeunt, superbiam generant, mentem sollicitudine pungunt, viam ad Dominum impediunt, a dæmone denuntiantur. *Prosec.*

118. Spinæ sunt semen bonum supprimentes, radicare non sinentes : iis tamen bonæ sunt, qui illis utuntur bene.

119. In metallis, in gemmis, et victualibus, ac utensilibus, thesauris, et possessionibus consistunt. Lib. 4, *de propriet. rer.*, cap. 4.

120. Laqueus diaboli sunt divitiæ hujus mundi : heu quam pauci sunt, qui volunt ab isto laqueo liberari ! quam multi sunt, qui dolent quod parum sunt irretiti ! Lib. 2 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 57.

HUGO CARD.

121. Divitiæ stercora sunt, quæ in unum congregatæ fœtent, dispersæ fœcundant. Super *Gen.*, cap. VI.

122. Quanto plus quis fulcitur divitiis temporalibus, tanto amplius refrigescit ab amore Dei et proximi. Super III *Reg.*, cap. I.

123. Divites dividuntur in tres partes ; nam anima datur dæmonibus, pecunia raptoribus, cadaver vermibus. Super *Psalm.* LIII.

124. Sicut fimus dispersus utilis est, congregatus fœtidus ; sic divitiæ. Super *Ecclesiasten*, cap. V.

125. Miserabilis prorsus divitis infirmitas, quæ totius vitæ comes est inseparabilis, et tam miserabili morte, et casu periculosissimo terminatur. *Ibid.*

126. Dives nihil nisi pœnam habet, et laborem in acquirendo, timorem in possidendo, dolorem in deferendo. Super *Sapient.*, cap. 5.

127. Divitiæ ignis sunt, et spinæ, et lapides. Mirabile est ignem tangere, et non uri : spinas colligere, et non pungi ; lapides supportare, et non lædi. Super *Ecclesiastic.*, cap. 31.

IDIOTA.

128. Divitiarum acquisitio magni laboris est, possessio magni timoris, et amissio magni doloris. Lib. 1, in *Contemplat. de Amore Dei*, cap. 33.

S. INNOC. III

129. Dives a superfluitate resolvitur, et jactantia effrænatur, currit ad libitum, at corruit ad illibitum. *Prosec.*

130. Etiam fiunt instrumenta pœnarum, quæ fuerant oblectamenta culparum.

131. Labor in acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo, mentem ejus semper fatigat et affligit. Lib. 1, *de contemptu mundi*, cap. 14.

132. O falsa divitiarum felicitas, quæ divitem veraciter efficit infelicem ! *Prosec.*

133. Quid est infelicius, quam opes mundi, quæ divitiæ nuncupantur ?

134. Opposita sunt esse divitem et egenum; at opes mundi non auferunt, sed afferunt egestatem.

135. Quot et quanti magnates indigeant, ipsemet frequenter experior : opes itaque non faciunt hominem divitem, sed egenum. *Ibid.*, lib. 2, cap. 8, per totum.

136. Facilius invenies, qui divitias diligat, et non habeat : quam qui habeat et non diligat. Quia difficile est esse in igne et non ardere : difficilius est possidere divitias, et non diligere. *Ibid.*, cap. 15.

137. Opes cupidus congregat, et avarus conservat. *Ibid.*, cap. 26.

JOAN. CASS.

138. Divitiæ senum non sunt canitie capitis, sed industria juventutis, ac præteritorum laborum stipendiis metiendæ. In collat. 2, *Abbat. Moysis*, cap. 13.

S. JOANNES CHRYSOST.

139. Quanto facultatum major est accessio, tanto et curam et studium suum amplius dives intendit. Homil. 11, super *Gen.*

140. Magna in conservandis facultatibus est formido, et instabilis opum possessio. *Idid.*

141. Sæpe ante mortem post multos labores et sudores, quasi procella quadam ingruente negotiorum difficultate, repente qui plurimas possidebat divitias pauperrimis factus est pauperior. *Ibid.*

142. Facultatum multitudo causa fit discessus, divisionem operatur, concordiam impedit, et cognationis vinculum dirimit. *Ibid.*, homil. 33.

143. Quid infidelius et fugacius divitiis, quæ sæpe nec usque ad vesperam permanent, sed sicut ingratus transfuga ab hoc ad illum, et ab illo ad alium subinde transeunt ? Homil. *de Habenda cura salutis proximi.*

144. Maximus ros est, nequaquam amore divitiarum ab inopum conversatione revocari : suntque omnibus ditiores, qui divitiarum cupiditatem conculcarunt. Homil. 5, super *Matth. oper. perfect.*

145. Duo vitia inter se opposita in divitiis sunt, Alterum quod incendit sollicitudinem, et obfuscat curis : alterum quod molliores deliciis reddit. *Ibid.*, homil. 45.

146. Quid prodest, si divitiis non servis, ignavus autem atque mollis sis? *Ibid.*

147. Quid interest, si non divitiarum fraude, sed otio : aut non otio, sed pusillanimitate corrumparis? *Ibid.*

148. Duplex pestis cogitationes divitis invadit : deliciarum putredo, et curarum magnitudo. *Ibid.*



149. Quæ divitiarum voluptas sit, ego non video nisi dolores et mœrores ipsarum, qui sunt curæ, insidiæ, desidia, odium, timor, perpetua sitis, et mœstitia sempiterna. *Prosec.*

150. Quæ tranquillitas aut voluptas animi est, ubi continua obsessio, bellum ingens, et tempestas universos maris fluctus exsuperans, viget? *Ibid.*, homil. 54.

151. Non dives ille est, qui multis opibus circumvallatus est, sed qui non eget multis. Conc. 2 *de Lazaro.*

152. Quid sunt divitiæ? umbra iners, fumus, qui cito evanescit, flos fœni, vel etiam viliores. Homil. 32, super *Joan.*

153. Fame pauper tabescit, tu copia rumperis : frater nudo corpore oberrat, tu vestibus addis, quæ tineis consumuntur : quanto satius foret, ut his egenorum corpora tegerentur? *Ibid.*, homil. 58.

154. Ille vero dives est, qui omnia præsentia contemnit. *Ibid.*, homil. 80.

155. Dives nihil aliud mihi esse videtur, quam civitas absque muris in agro sita, et undique insidiantibus exposita. Homil. 13, super *Acta Apost.*

156. Divitis anima omnibus est plena malis, arrogantia, vana gloria concupiscentiis innumeris, ira et furore, avaritia, injustitia, et omni alio. *Ibid.*

157. Malus dives supplicii viaticum divitias habet, nisi permutet quæ possidet, et ante supplicium, sæpe ipsi multorum malorum auctores factæ sunt divitiæ, et in multas dejecerunt miserias. Homil. 29, super I *Cor.*

158. Divitiæ ad malitiam additæ affectus augent. *Ibid.*

159. Qui somno ditescunt, postquam evigilaverunt, nihilo magis quæ habere videbantur, habent : par divitum est ratio, imo deterior. *Ibid.*, homil. 36.

160. Si vis ditari, contemne divitias. Homil. 12, super II *Cor.*

161. Ille dives est, qui vere philosophus est. Serm. 21, super *Epist. ad Ephes.*

162. Est profecto multo gravius atque onerosius ostentare, quam custodire divitias. Homil. 7 super II *Tim.*

163. Ditior est ille, qui nihil colligens in affluentia multa consistit, et nullius eget : quam qui per singulos dies exigit, et festinat plura colligere, et timet ne aliquid ei deficiat. Homil. 18, super *Epist. ad Hebr.*

164. Nihil tam infidum, quam divitiæ, nihil infidelius, nihil miserabilius his, qui circa ipsas studium collocant. Homil. 2, *ad Populum Antioch.*

165. Dives est, non qui multa possidet, sed qui multa pauperibus expendit. *Ibid.*

166. Vis ditari? amicum habeas, et omnium ditissimus eris. *Ibid.*

167. Nihil tam invidiosum, quam homo dives. *Ibid.*

168. Non est dives, qui multa possidet, sed qui nullius indiget. *Ibid.*, homil. 65.

169. Divitiarum pedissequa est luxuria, ira, intemperantia, furor, injustitia, arrogantia, superbia, omnisque irrationabilis motus. Homil. *Quod nemo læditur, nisi a seipso.*

170. Divitiæ plus odii, quam amoris acquirunt. *Ibid.*

171. Opes luxuriæ occasio, malitiæ schola, turpis vitæ et defluentis causa, animæ corruptela, via ad diversa ferens mala. Homil. 7, *de pœnit.*

172. Ille vero est dives, qui in Deo dives est, qui magis misericordia opulentus est, quam divitiis. Homil. *de Misericord. et duab. viduis.*

173. Divitiæ periculosæ proditrices sunt, ingratæ, fugitivæ, homicidæ, crudeles, bestiæ incurabiles, præcipitium undequaque præruptum, scopulis assiduis plenæ, mare innumeris ventis et fluctibus agitatum. Homil. *de Avaritia.*

174. Divitiæ tyranni sunt acerbe imperantes, dominæ quovis barbaro sæviores, inimicæ irreconciliabiles, hostes implacabiles. *Ibid.*

175. Contemne divitias, et eris locuples. Homil. 25, super *Epist. ad Hebr.*

S. JOANNES DAM.

176. Opes vitii potius, quam virtutis ministræ sunt. Lib. 1 *Parall.*, cap. 77.

JOANNES SARESB.

177. Quicunque jam non habet divitias, stultus est, asinus, stipes, caudex, plumbum, aut si quid insensibilius est. Lib. 5, *de Nugis curial.*, cap. 17.

178. Sic omnes post divitias currunt, ac si alibi laborum requies, dolorumque solatium inveniri non posset. *Prosec.*

179. Ac si naufragi de profundo queant enatare facilius, si prægravi sarcina fuerint onerati.

180. Sed quis autem ulcerosus spinas congessit, ut volutatus in eis quiescat molliter ?

181. Profecto si ei perfecte crederes, qui ait, divitiæ sunt spinæ, minime tanto studio a sapientibus nostri temporis quærerentur. *Ibid.*

182. Divites pauperibus miseriores sunt, eo quod a sapientia longius abeunt. *Prosec.*

183. Appetitus divitiarum sapientiæ exclusio est, et fuga virtutum. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPAL.

184. Non sunt opes in vitio, sed voluntas : nam crimen in rebus non est, sed in usu agentis. Lib. 4, *de Summo bono*, cap. 59, sent. 12.

185. Graviter delinquunt, qui divitiis a Deo

concessis, non in rebus salutaribus, sed in usibus pravis utuntur. *Prosec.*

186. Nesciunt enim impartire pauperibus, oppressis subvenire despiciunt: et inde magis augent delicta, unde redimere debuerunt. *Ibid.*, cap. 60, sent. 1.

187. Divitiæ usque ad periculum pertrahunt, divitiæ nunquam sine peccato acquiruntur, gazæ semper cumulum peccatorum faciunt. *Prosec.*

188. Multi propter opes periclitaverunt, multi propter divitias in discrimen venerunt, multis exitiabiles fuerunt divitiæ, multisque mortem generaverunt opes. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 17.

189. Valde rarum est, ut qui divitias possident, ad requiem tendant. *Ibid.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 190. Divitiæ superbiam et arrogantiam pariunt, voluptates subministrant, vitii omnis architectæ sunt. Lib. 3, epist. 322, *ad Martinian.*

S. JUSTIN. MART. 191. Nullo modo laudandæ sunt divitiæ, quæ delectant quidem adhibitamque materiem firmant, sed ad extremum materiei consumptio sunt et vermes et ignis et fures et tyranni. Epist. *ad Zenam.*

LACT. FIRM. 192. Hinc divitiarum maximus et verissimus fructus est, non uti opibus ad propriam unius voluptatem, sed ad multorum salutem: non ad præsentem suum fructum, sed ad justitiam, quæ sola non interit. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 12.

193. Qui apud Deum dives est, pauper esse nunquam poterit. *Ibid.*

194. Divitiæ non faciunt insignes, nisi quos possunt bonis operibus facere clariores. *Ibid.*, lib. 5, cap. 16.

195. Divites sunt, non qui divitias habent, sed qui utuntur illis ad opera justitiæ. *Ibid.*

196. Unum est sapientis et justi viri opus, divitias suas in sola justitia collocare. *Ibid.*, lib. 6, cap. 13.

197. Locupletes multis et ingentibus sarcinis onerati per viam mortis incedunt, quæ latissima est, quoniam late perditio dominatur. *Ibid.*, lib. 7, cap. 1.

198. Quis furor est in divitiis congerendis laborare? In *Epitome, cap. Cohibenda.*

199. Si quid opum, si quid suppetit copiarum, non voluptati unius, sed multorum saluti impartiatur. *De Ira Dei*, cap. 23.

S. LAURENT. JUSTIN. 200. Divitiæ plus cruciant adeptæ amissionis timore: quam delectat cupidas adeptionis amore. *De ligno vitæ, de Timore.*

201. Divitiæ sæculares, si desunt, non per mala opera quærantur in mundo: si autem adsunt, per bona opera serventur in cœlo. *Prosec.*

202. Animum virilem et fidei virtute decoratum, nec debent si accedant extollere, nec debent frangere, si recedant. *De Ligno vitæ, de Fide*, cap. 5.

S. LEO I. 203. Terrenæ et corporeæ facultates exlargitate Dei proveniunt: ut merito rationem earum quæsiturus sit; quæ non magis possidenda tradidit, quam dispensanda commisit. Serm. 35, *de Collectis.*

MINUT. FEL. 204. Dives es, sed fortunæ male creditur, et magno viatico breve vitæ iter non instruitur, sed oneratur. In suo *Octavio*,

S. NILUS. ABB. MART. 205. Divitias si habes, distribue; si vero non habes, ne collige. Parænes. 52.

206. Opulentus sollicitudinibus, veluti navis onerata, opprimitur. Orat. 3, *de Avarit.*

207. Dives ærumnis et molestiis impeditus, canis instar, catenis devinctus est. *Ibid.*

PETRUS BLESENS. 208. Nisi divitiæ et honores variis anxietatum aculeis pungerent, nunquam spinis eas Dominus comparasset. Epist. 93, *ad Guillelmum Abbat.*

209. Dives filius est avaritiæ, cultor mammonæ, servus pecuniæ. *Ibid.*

210. Qui opes congregat, ignem in sinu portat. *Prosec.*

211. Cum colubro dormit, qui opes ambit. Serm. 9, *de Purific.*

212. Ubi copia divitiarum major exuberat, ibi se gravior molestia sollicitudinem totius perturbativa quietis intrudit. *Ibid.*, *de Charit.*, cap. 4.

213. Sanctos etiam inter divitias, nec solitudo servandi, nec timor amittendi sollicitat. *Ibid.*, cap. 5.

S. PETRUS CHRYSOL. 214. Dives quanto plus habet, tanto amplius debet. Serm. 26.

S. PETRUS DAMIANUS. 215. Qui divites sunt, dispensatores potius jubentur esse, quam possessores, et non proprii juris debent deputare quod habent: quia non ad hoc bona transitoria perceperunt, ut deliciis affluant, vel in proprios usus insumant, sed ut administrationis fungantur officio, dum in commisso permanent villicatu: quapropter qui stipem pauperibus erogant; aliena reddunt, non sua distribuunt. *Opusc.* 9, cap. 1.

216. Quanto in egenis mundi lucris copiosior fueris, tanto a veris divitiis ærumnosius evanescis. *Opusc.* 12, cap. 4.

217. Quid prodest congregare divitias, quasneque huc quispiam, dum ingrederetur advexit; neque comitari poterunt de sæculo recedentem? *Opusc.* 31, cap. 3.

PHILO JUD. 218. Ingentes opes sæpe una dies abstulit. *De Joseph.*

219. Divitiæ umbris et vanis imaginibus, nihil



solidum firmumve habentibus similes sunt: feruntur enim ultro citroque ventorum in morem; quia sicut interdum repente advolant, ita priusquam prehendantur, possessore illuso, rursum avolant. Lib. 1, *de Monach.*

220. Malorum nullus dives est, quamvis etiam omnia ea, quæ ubivis terrarum sunt, metalla adeptus sit. Hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 24.

221. Divitiarum pulchritudo non in crumenis, sed in sublevanda pauperum inopia sita est. *Ibid.* lib. 2, cap. 16.

S. PROSPER. 222. Ditari divitiis, grande est bonum: sed inde ditari, unde debeas, non est habenda facultas, sed detestanda calamitas. Lib. 2, *de Vita Contemplat.*, cap. 13.

223. Illæ nobis sunt ambiendæ divitiæ; quæ nos ornare possint pariter et munire; quas nec acquirere possumus inviti, nec perdere: quæ nos contra hostiles impetus armant, a mundo disterminant, Deo commendant, ditant animas nostras atque nobilitant. *Prosec.*

224. Divitiæ nostræ credendæ sunt, pudicitia, quæ nos pudicos: justitia, quæ justos: pietas, quæ pios: humilitas, quæ humiles: mansuetudo, quæ mansuetos: innocentia, quæ innocentes: puritas, quæ puros: prudentia, quæ prudentes: temperantia, quæ temperantes; et charitas, quæ nos facit Deo et hominibus charos. *Ibid.*

225. Qui divitias habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. *Ibid.*

ROBERTUS BELLARM. 226. Census terrenus eis, a quibus vitiose diligitur, non est voluptatum materia, sed dolorum. *Ibid.*

227. Divites non sibi, sed pauperibus divites sunt. Conc. 5, *de Tribulat.*, part. 1.

228. In hoc mundo magnæ opes impedimento potius, quam adjumento sunt. Conc. 26, Dom. *Lætare* 2.

229. Divitiæ fluunt, dum affluunt. Super *Psalm.* LXI, vers. 10.

SALVIANUS. 230. Nemo dubitat omnibus ferme malis et infidelibus, divitias mundi causam mortis magis esse, quam vitæ. Lib. 1, *ad Eccles. cathol.*

231. Si servatæ divitiæ ad malum hominis conservantur, quanto utique ad majus malum si coacervantur? *Prosec.*

232. Quis enim nunc divitum tantæ est continentiæ qui opes custodire contentus, accumulare jam nolit!

233. O miseria temporis! cum servare opes genus sit magni criminis: non augere, jam genus putatur esse virtutis. *Ibid.*

234. Quid dici simplicius, quid evidentius potest? Non dicit diviti, torquendus es, quia homicida es: torquendus es, quia fornicator; sed torquendus es tantummodo, quia dives. Hoc est, quia divitiis male uteris, quia datas tibi ad opus sanctum divitias non intelligis. *Prosec.*

235. Non enim divitiæ ipsæ per se noxiæ sunt, sed mentes male utentium criminosæ.

236. Nec ipsæ opes homini pœnæ causa sunt, sed de opibus sibi pœnas divites faciunt: quia dum uti divitiis bene nolunt, ipsas sibi divitias in tormenta convertunt. *Ibid.*, super illud *Jacobi* V: *Agite nunc divites*, etc.

237. Omnis fructus divitiarum, in usu est positus deliciarum. *Ibid.*, lib. 2.

238. In divitiis, diaboli catena est. *Ibid.*

239. Divitiæ hoc fallunt homines nomine præsentium bonorum, cum sint causæ malorum æternorum. *Ibid.*

240. Dicite mihi, quæso, omnes Christum amantes, si esse ulli omnino homines tam sævi ac tam crudeles adversum inimicos suos possunt, quam sunt divites adversum se? *Prosec.*

241. Nulli quippe sunt tam feri, tam inhumani, qui non vel desperatos jam atque morientes adversarios suos persequi desinant: isti seipsos etiam in morte positi persequuntur.

242. O quanto leviores sunt extranei, et carnales inimici. Illi enim corporum tantum hostes sunt, vos spirituum: illi tantum artuum, vos et animarum. *Ibid.*

S. THEOPH. ALEX. 243. Divitiarum cura somnos interrumpit dulcissimos, innoxiis calumnias struit. Epist. *Paschal.* 3.

244. Non tantum adversarii contra hostes suos, quantum divitiæ contra virtutes dimicant. *Ibid.*

245. Nunquam divitiarum desiderium, ullis divitiis satiari potest. *Ibid.*

246. Divitiarum cupidinem, nisi ratione frænetur, nec consilium temperat, nec lex mitigare potest, nec ulla satiat abundantia. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAT. 247. Divitiæ sunt non habentibus ad tentationem, habentibus, in laqueum. Super I *Tim.*, cap. 6, lect. 2.

248. Magnæ virtutis dives esse ostenditur, et perfecta charitate fixus in Deo, qui ex affectu divitiarum maculam peccati non contrahit, qui post aurum concupiscendo non vadit, nec de divitiis confidendo, per superbiam super alis se extollit. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 7.

249. Vere mirabilia facit, qui in divitiis vivens, divitiis affluentibus cor non apponit. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS. 250. Vanitas est, divitias perituras quærere, et in illis sperare. Lib. 1, *de Imitat. Christi*, cap. 1.

S. VALER. 251. Nihil tibi prosunt divitiæ tuæ, si divitiarum beneficiis non utaris : nam pars mendicitatis est, congestam secreto pecuniam possidere. Homil. 8, *de Misericord.*

252. Illæ divitiæ acceptabiles sunt Deo, cujus largitate pauper alitur, nudus vestitur, captivus redimitur, vinctus absolvitur, cœlestis regni hæreditas comparatur. *Ibid.*

253. Divitiæ hujus sæculi quotidie augmento suo famem faciunt, et in posterum dignitatis suæ flore nudatæ, amatores suos esurire patiuntur. *Ibid.*

254. Infructuosæ divitiæ adversum se ultrices criminum flammas accedunt. *Ibid.*

255. Quid prosunt homini opes, quæ ad hoc solum congregantur ut pereant? *Ibid.*, homil. 20, *de Avarit.*

S. ZENO EP. ET MART. 256. Divitias si erogaveris, pecunia est : si servaveris, simulachra. Serm. 2, *de Avarit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTIPPUS PHILOSOPH. 257. Opes ejusmodi tibi para, quæ navi fracta, simul cum Domino enatent. In *Sent.*, sent. 1.

ARISTOTEL. 258. Divitiæ magna ex parte ab hominibus pravis potius, quam bonis habentur. Sect. 29, *Problem.*, quæst. 8.

259. Ipsæ divitiæ non sunt id, quod quærimus, bonum : utiles enim sunt, et ob aliud quæri solent. Lib. 1 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 5.

260. Divitiis optime is utetur, qui virtutem eam habet, quæ ad pecuniam attinet. *Ibid.*, lib. 4, cap. 1.

261. Divitiarum nullus est finis constitutus hominibus. Lib. 1 *Polit.*, cap. 5.

262. Absurdum est tales esse divitias affirmare, quarum abundans quis fame perire possit. *Ibid.*

263. Non est finis divitiarum : omnes enim in infinitum augent, qui pecuniis student. *Ibid.*

264. Divitiis quisquam proderit, cum juste utatur : et lædet, cum injuste. Lib. 1, *rhetor.*, cap. 1.

265. Divitem esse in utendo magis, quam possidendo consistit : utentis enim operatio est; possessio vero ipsæ divitiæ sunt. *Ibid.*, cap. 5.

266. Mores qui divitias comitantur, facile omnes perspicere possunt : contumeliosiores namque sunt ac superbi, delicati, arrogantes. *Ibid.*, lib. 2, cap. 16.

267. Sunt quasi pretium aliorum divitiæ, quibus eorum dignitas æstimatur; ac idcirco cuncta videntur emi posse divitiis. *Ibid.*

BIAS. PHIL. 268. Quis dives? qui nihil cupiat; quis pauper? avarus. *Ex dictis sapient.*, *ex Ausonio*, dict. 3.

CATO IOSEF. 269. Despice divitias, si vis animo esse beatus. Lib. 4 *Distichor.*, metr. 5.

270. Utere quæsitis opibus; fuge nomen avari :
Quid tibi divitiæ prosunt, si pauper abundas?
*Ibid.*, metr. 34.

271. Omnium rerum nec aptius est quidquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligi : nec alienius, quam timeri. Lib. 2, *de Offic.* CICERO.

272. Animus hominis dives, non arca appellari solet; quamvis illa sit plena; dum te inanem videbo, divitem non putabo. *Prosec.*

273. Animus oportet tuus se judicet divitem, non hominum sermo, atque possessiones tuæ : qui si nihil deesse tibi putas, nihil cures amplius, satiatus es, aut etiam contentus pecunia, concedo dives es. Sin autem propter aviditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putas, si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, rapis, ærarium expilas.

274. Qui innumerabiles cupiditates habet, quæ brevi tempore magnas copias exhaurire possint, hunc ego quomodo appellabo divitem, cum ipse egere se sentiat?

275. Etenim divitiarum fructus in copia est, copiam declarat satietas rerum atque abundantia. *De Paradoxis*, cap. 6.

276. Quis dubitet, quod in virtute divitiæ sint : quoniam nulla possessio, nulla vis auri et argenti pluris quam virtus æstimanda est. *Ibid.*

277. Uter est ditior, cui deest, aut cui superat? qui eget an qui abundat? cui possessio quo major est, eo plus requirit ad se tuendam, an qui suis viribus se sustinet? *Prosec.*

278. Non esse cupidum pecuniæ, non esse tenacem vectigalis, contentum vero suis esse rebus, maximæ sunt certissimæque divitiæ. *Ibid.*

279. Si voles divitias cum virtute comparare, vix satis idoneæ tibi videbuntur divitiæ, quæ virtutis pedissequæ sint. Lib. 4, *de Arte Rhetor. ad Herennium.*

280. Omnes sunt divites, qui cœlo frui possunt. Lib. 7, epist. 16, *ad Atticum.*

281. Alii, non sibi dives est, quisquis est dives. In *Dialogo Menexeni.* PLATO.

282. Felices vix, et ne vix quidem fieri possunt divites, qui magnam pecuniarum vim possident, quam etiam improbus quispiam possidere posset. *Prosec.*

283. Quod si ita est, nunquam equidem concedam divitem revera esse felicem, nisi etiam sit bonus : fieri vero non potest, ut quis et probitate et divitiis una abundet. Lib. 5, *de Legibus.*

284. Nullum gravius malum opulentia : opes enim quanto majores, tanto plures et majores calumniantium impetus sentit, et turpium noxiarumque voluptatum architectos in suo nutrit sinu. Epist. 3, *ad Dionys.*



285. Divitiæ corpori et animo subserviant. *Ibid.* epist. 8, *ad Dionem.*

286. Sermo ille, qui divites appellat beatos plane est infelix, muliercularum et puerorum ineptiis magis conveniens, prorsus vecors et insipidus, et eos qui illi fidem adhibent, tales efficit. *Ibid.*

SENECA. 287. Non est quod putes omnibus divitias convenire, nihil est insolentius novitio divite. Lib. 2 *Controvers.*, controv. 9.

288. Tunc est tormentum carere divitiis, cum illas jam senseris. *Ibid.*, lib. 1, controv. 6.

289. Divitias nego bonum esse; nam si essent, bonos facerent. Nunc quoniam quod apud malos deprehenditur, dici bonum non potest, hoc illis nomen nego : cæterum et habendas esse, et utiles, et magna commoda afferentes, fateor. *De Vita beata*, cap. 24.

290. Divitiæ apud sapientem virum, in servitute sunt : apud stultum, in imperio. *Ibid.*, cap. 26.

291. Otiosi divitiis luditis, nec providetis illarum periculum. *Ibid.*

292. Sapienti quisquis abstulerit divitias omnia illi sua relinquet. *Ibid.*

293. Animus est, qui divites facit, pecunia nihil ad animum pertinet. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 11.

294. Quis sit divitiarum modus, quæris? primus, habere quod necesse est : proximus, quod sat est. Epist. 2.

295. Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget. Epist. 14.

296. Si ad naturam vives, nunquam eris pauper : si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Epist. 16.

297. Non est in divitiis vitium, sed in ipso animo. Epist. 17.

298. Magnus est ille, qui in divitiis pauper est : sed securior, qui caret divitiis. Epist. 20.

299. Si vis te divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est. Epist. 21.

300. Brevissima ad divitias, per contemptum divitiarum via est. Epist. 62.

301. Divitem illum putas, quia aurea suppellex, etiam in via eum sequitur : quia tantum agri possidet? *Prosec.*

302. Late possidet, sed multum debet : habet domum formosam, sed alienis nummis paratam : et cum omnia dixeris, pauper est; quia debet quantum possidet, quia debet omnia. Epist. 87.

303. Non tantum bonum divitiæ non sunt, sed malum sunt. Epist. 87.

304. Divitiæ causa sunt malorum, non quia ipsæ faciant aliquid, sed quia facturos irritant. *Prosec.*

305. Inflant animos, superbiam pariunt invidiam contrahunt : et usque eo mentem alienant, ut fama pecuniæ eos etiam nocitura delectet. *Ibid.*

306. Divitiæ non sunt bona : bona autem omni carere culpa decet, pura sunt, non corrumpunt amicos, non sollicitant; extollunt quidem, et dilatant, sed sine tumore. *Prosec.*

307. Quæ bona sunt, fiduciam faciunt, divitiæ autem audaciam : quæ bona sunt, magnitudinem animi dant, divitiæ insolentiam. *Ibid.*

308. Divitiæ non dant magnitudinem animo, nec fiduciam, nec securitatem, sed insolentiam, tumorem, arrogantiam creant. *Ibid.*

309. Opes auctoramenta sunt servitutum. Epist. 104.

310. Homines in animo, non in patrimonio putent esse divitias : eum esse locupletem, qui paupertati suæ aptus est, et parvo se divitem fecit. Epist. 108.

311. Ostenduntur res istæ, non possidentur : et dum placent, transeunt. Ad veras potius te converte divitias, disce parvo esse contentus. Epist. 110.

312. Omnia ista nobis accedant, non hæreant; si abducantur, sine ulla nostri laceratione discedant : utamur illis, non gloriemur, et utamur parce tanquam depositis apud nos et abituris : quisquis illa sine rationne possedit, non diu tenuit. Epist. 74.

313. Quæ sunt maximæ divitiæ? non desiderare divitias. *De moribus.*

314. Utendum est divitiis, non abutendum. *Ibid.*

315. Mihi crede, non potes dives esse, et felix. *Ibid.*

316. Difficile est divitem salvari. Sent. 183. SIXT. PHIL.

317. Divitum frons hilaris, sed multis intus amaritudinibus mens est referta. Lib. 4 *Dictor. memorabil.*, cap. 4. VALERIUS MAXIMUS.

Vide etiam tit. *Abundantia*, sent. 1, 11, *Acquirere*, sent. 24 : *Amissio*, sent. 17, 114; *Auctoritas*, sent. 35; *Contemptus* in genere, sent. 46; *Damnum*, sent. 32; *Devotio*, sent. 66; *Dignitas*, sent. 2, 29; *Egestas*, sent. 18, 44 : *Eleemosyna*, sent. 301; *Gloria vana*, sent. 115; *Habere*, sent. 37, 39, 40; 67; *Maledictio*, sent. 31; *Onus*, sent. 8; 9, 10; 11, 12, 13; *Paupertas* in genere, sent. 9, 10, 52, 59, 60, 62; *Paupertas Christi*, sent. 7; *Paupertas voluntaria*, sent. 80, 14. 193; *Pecuniarum cupiditas*, sent. 1, 4, 17, 25, 29, 41, 42; *Possessio*, sent. 7, 30, 85; *Rapina*, sent. 44; *Relinquere*, sent. 29; *Renuntiatio*, sent. 48; *Sufficientia*, sent. 32; *Superbia*, sent. 96; *Virtus*, sent. 142.

## DIVORTIUM.

GLOSS. DECR. *Etymologia.* Divortium dictum est a diversitate mentis, vel quia in diversas partes eunt, qui matrimonium distrahunt : nec fit divortium quoad matrimonii essentiam, sed quoad usum carnis; et dupliciter fit, vel perpetuo, vel ad tempus. Apud Gratianum in *Decret.*

S. ISIDORUS HISPALENS. Divortium dictum est a fluxu viarum, hoc est, via in diversa tendens. Lib. 9 *Etym.*, cap. 8.

GLOSS. DECR. *Definitio.* Divortium est separatio corporalis, quæ causa fit delicti, non autem causa honestatis. Apud Gratianum in *decretis.*

S. ISIDORUS HISPAL. Repudium est, cum uxor sub testimonio testium, vel præsenti, vel absenti dimittitur. Lib. 9 *Etym.*, cap. 8.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Dominus ut non facile uxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit, cæteras vero universas molestias (si quæ forte extiterint) jubet pro fide conjugali, pro castitate fortiter sustineri. De serm. *Dom in monte*, lib. 1.

2. Nihil iniquius quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari. *Ibid.*

3. Licite dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis. Lib. 2, *de Adulterinis conjug.*, cap. 4.

4. Etiamsi per repudium conjux casto corpore separetur, non ideo uxorem solvit, nisi mors conjugis, non in adulterium corruentis, sed de corpore exeuntis. *Ibid.*, cap. 13.

5. Interveniente divortio, non aboletur illa confœderatio nuptialis : ita ut sibi conjuges sint etiam separati, cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri. *De bono conjugali*, cap. 7.

6. Non erit turpis, neque difficilis, etiam post perpetrata atque purgata adulteria, reconciliatio conjugum post divortium, ubi per claves regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum. *Prosec.*

7. Non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post Christi consortium adultera non vocetur. Lib. 2, *Adult. conjug.*, cap. 9.

8. Conjuges a suo consortio divortiantes, non alia quærant conjugia, quia non erunt conjugia, sed adulteria. *Ibid.*, cap. 19.

9. Causa fornicationis, divortium nascitur. *Ibid.*, lib. 1, cap. 1.

10. Sicut conjunctio a Deo, ita divortium a diabolo est. Tract. 9, de cap. 2 super *Evang. Joan.*

S. BASILIUS MAGNUS. 11. Sive asper sit, sive feris moribus maritus, necesse est ferre conjugem, et ex nulla occasione admittere, ut unio divortio divellatur. Homil. 7, *Hexam.*

V. BEDA. 12. Melius est facere divortium cum homine, quamcum Deo. In suis *Proverb.*, verbo *Melius.*

S. BONAV. 13. Licet Ecclesia propter impedimenta matrimonii, possit divortia facere, nunquam tamen potest, nec debet matrimonium (quod legitime celebratum est) dissolvere. Lib. 6, *Compend. theolog. verit.*

GRATIANUS. 14. Adulter uxorem adulteram dimittere non potest. In *Decretis*, part. 2, causa 32, quæst. 6 can. *Non mœchaberis.*

15. Divortium non est verum, nisi quod animo perpetuam constituendi discessionem fit. In *Decret.*, part. 2, *de Pœnit.*, dist. 1, can. *Divortium.*

S. GREGOR. MAGNUS. 16. Etsi mundana lex præcipit, conversionis gratia, utrolibet invito posse solvi conjugium : divina tamen lex hoc fieri non permittit. Lib. 9, in *Registro*; et indict. 4, cap. 44, *ad Adrianum Notarium.*

17. Excepta fornicationis causa, viro uxorem dimittere nulla ratione conceditur. *Ibid.*

S. GREGOR. NAZ. 18. Lex ob omnem causam divortium permittit, Christus autem nequaquam ob omnem causam : sed solum a meretrice separari concedit, omnia vero reliqua boni consulere jubet. Orat. 28.

S. HIERON. 19. Discordia seminarium est repudii. Epist. 1 *adversus Helvidium.*

20. Ubicunque est fornicatio et fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Lib. 3 super *Mat.*, cap. 19 super illud : *Quicunque dimiserit uxorem suam*, etc.

21. Grave pondus uxorum est, si excepta causa fornicationis, eas dimittere non licet : quid si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si jurgatrix, si maledica, tenenda erit istiusmodi ? velis nolis sustinenda est. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 22. Separatio per libellum repudii, est penitus interdicta. Lib. *Sentent.*, tract. 7, cap. 5.

23. Quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem suam, prior debet esse a fornicatione purgatus. *Ibid.*, cap. 9.

HUGO CARD. 24. Repudium malum est, tamen cum ratione licitum est. Super *Matth.* cap. 19.

JOAN. CASS. 25. Tutius est cum homine, quam cum Deo habere divortium. Collat. 21, *Abbat. Theonæ*, cap. 9.

26. Divortia inter unanimes fratres, hostis invidus ac malignus interserit. Collat. 16, *Abbat. Joseph.*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 27. Cum videas sive virum, sive mulierem de dimittendis uxoribus aut viris legem interrogantes ; cognosce quia vir ille lascivus est, et mulier illa meretrix. Homil. 32, super *Matth. Oper. imperf.*



28. Matrimonium non facit coitus, sed voluntas : et ideo illud non solvit separatio corporis, sed separatio voluntatis. *Ibid.*

29. Sicut crudelis est et iniquus, qui uxorem castam dimittit : sic fatuus est et injustus, qui retinet meretricem. *Ibid.*

30. Cum propter continentiam et pusillanimitatem et alias causas fieri divortia contingit, melius est ut non fiant a principio. Homil. 19, super I *Cor.*, in illud VII : *Uxorem a viro non discedere*, etc.

31. Si tibi vir imperat, ut impietatem cum eo propter matrimonium communicees, vel ut discedas : melius est divortium facere nuptiarum, quam pietatis. *Ibid.*, super illud VII : *Si infidelis discedit*, etc.

32. Qui patrem reliquit propter uxorem, si illam ipsam quoque postea dimiserit ac reliquerit, quanam venia dignus erit ? Serm. 20, super *Epist. ad Ephes.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 33. Ubicunque est fornicatio, et fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Lib. 2, *Offic. Eccles.*, cap. 19.

S. THOMAS AQUINAS. 34. Repudii proxima causa est odium viri in uxorem. In *supplement.*, part. 3, quæst 67, art. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 35. Ut in uxore divortium fiat, necessitas cogit. Lib. 3, *de Oratore.*

SIXT. PHIL. 36. Vir qui uxorem dimittit, profitetur se nec mulierem gerere. Sent. 227.

VALERIUS MAXIMUS. 37. Repudium inter uxorem et virum a condita urbe, usque ad vicesimum et quingentesimum annum nullum intercessit. Lib. 2, *Dictor. memorabil.*, cap. 1.

## DOCTRINA, DOCTOR.

COLLECTOR. *Definitio.* Docere nihil aliud est, quam disciplinæ vel alterius cujuscunque rei cognitionem dare.

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Quid alios volare doces, qui vix repiare potes ? Part. 1, in *Apologia*, cap. 15.

2. Quanto divitius impensiusque doces alios, tanto illustrior tibi crescit scientia. *Ibid.*

S. AUGUST. 3. Memento gravitatis tuæ, ut gravissimum aliquid, et saluberrimum doceas. Epist. 56, *ad Dioscorum.*

4. Doctrina constans mutato præcepto non mutat instructionem. Epist. 5, *ad Marcellin.*

5. Vidit Apostolus Jacobus in audiendo facillimo servari humilitatem, quæ difficilis est in docendo : quoniam necesse est ut doctor habeat superiorem locum, ubi laboriosum est obtinere ne subrepat elatio. Epist. 132, *ad Florentinam.*

6. Omnis doctrina vel rerum est, vel signorum. Lib. 1, *de Doctrin. christiana*, cap. 2.

7. Sicut gratus est, qui cognoscenda enubilat; sic onerosus est, qui cognita inculcat : nam delectandi gratia nota dicuntur ubi non ipsa, sed modus quo dicuntur, attenditur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 10.

8. Hæc est in docendo eloquentia, qua fit dicendo, non ut libeat quod horrebat, aut fiat quod pigebat, sed ut appareat quod latebat. *Ibid.*, cap. 11.

9. Bonorum ingeniorum insignis est indoles in verbis verum amare, non verba. *Prosec.*

10. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est ? *Ibid.*, cap. 11.

11. Dixit quidam eloquens, et verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat : docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ. *Ibid.*, cap. 12.

12. Doctor et dictor id agere debet, ut non solum intelligenter, verum etiam libenter, et obedienter audiatur. *Ibid.*, cap. 26.

13. Doctor eligat bonam vitam, ut etiam bonam non negligat famam. *Ibid.*, cap. 28.

14. Doctor non existimet dici melius, nisi quod dicitur verius : nec doctor verbis serviat, sed verba doctori. *Ibid.*

15. Surgunt indocti et cœlum rapiunt, et nos cum doctrinis nostris sine corde : ecce ubi, volutamur in carne et sanguine. Lib. 8, *Con.*, cap. 8.

16. Cavendum est ne quid aperiatur ei, qui non capit : melius enim quærit quod clausum est, quam id quod apertum est, aut infestat, aut negligit. *De serm. Dom. in Monte*, lib. 2.

17. Doctrina Christianorum est plane conferenda, sed incomparabiliter præferenda doctrinis philosophorum. *De Epicur.*, cap. 8.

18. Quando Deus docet, non per legis litteram, sed per spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Lib. 1, *de Gratia Christi*, cap. 14.

19. Non est ut hæreat lector, ubi caliget auditor, Lib. 2, *contra Julian.*, cap. 5.

20. Non sit in voluntate exercitatio doctrinæ tuæ, sed in necessitate. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 12.

21. Doctrina per malos, palmes in sepe, botrum inter spinas, caute lege : botrum carpe, spinam cave, ne dum quæris fructum, laceres manum;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. Tract. 45, super *Evang. Joan.*, de cap. 10.

22. In doctore molesta est causa, nec facere, nec præcipere, nec observare : in discente vero audire velle quod nolit implere, aures auditu accommodare, et ab opere voluntatem avertere. Serm. 3, *de Verbis Dom.*

23. Sine Deo nulla doctrina instruit. Lib. 8, *de Civit. Dei*, cap. 4.

24. Doctrina inconstans, mentis lepram significat. *De Verbis Apostoli*, serm. 10.

25. Sicut cæcus sine ductore, sic homo sine doctore viam rectam vix graditur. Serm. 1, *fer. 6, post Dom. Pas.*

26. Nemo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit : quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Serm. 1, *Vigil. Pent.*

S. BASILIUS MAGNUS. 27. Docentis auctoritas, fidem orationi conciliat, attentioresque discipulos reddit. *Apud D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Paral.*, cap. 90.

V. BEDA. 28. Doctrinæ verba paucis prosunt sine factis. In suis *Prov.*, verbo *Doctrinæ*.

29. Expers doctrinæ, tenebras patietur ubique. *Ibid.*, verbo *Expers*.

30. Frustra sibi officium doctoris usurpat, qui discretionem catholicæ fidei ignorat; neque sanctuarium Domino ; sed ruinam sibi ædificat, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicere conantur. *De templo Salomon.*, cap. 4.

S. BENEDIC. 31. Loqui et docere, magistrum condecet ; tacere et audire, discipulo convenit. In *Regula*, cap. 6.

S. BERNARD. 32. Doctrina Spiritus sancti non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. Serm. 8, super *Cant.*

33. Indoctus si præsumit docere quod nescit, nihil indoctius agit. Epist. 89, *ad Ogerium canonic. regular.*

34. Docere nec indocto est in promptu, nec monacho in ausu, nec peccanti in affectu. *Ibid.*

35. Tu qui alios doces, doce teipsum. Lib. 4, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

S. BONAV. 36. Docet Deus quinque modis, per scripturam, per doctrinam, per inspirationem, per exemplum, per flagella. Super *Psalm* LXX.

37. Doctoris est, audientium considerare personas, irrideant, antequam audiant. Super *Luc.*, cap. 9.

38. Ille solus verus est doctor, qui potest speciem imprimere, et lumen infundere, et virtutem dare cordi audientis. *De Reduct. artium ad Theolog.*

S. CLEMENS PAPA. 39. Si indoctus et inscius officium doctoris accipiat, sine dubio auditores ignorantiæ tenebris obvoluti, in interitum demergentur. Epist. 1.

S. CYRILLUS ALEX. 40. Doctrina sanctorum est spiritalis, non caliginosum habens velum, sed splendorem et puritatem. Lib. 1, *Glaphyror.* in *Deuteronom.*, cap. 4.

DIONYSIUS CARTHUS. 41. In moralibus documenta sunt tanto perfectiora, quanto plus ad particularia descendunt ac limitantur. *De fructuosa temporis deductione.*

FRANCISCUS TITELM. 42. Valde turpe est doctori, si ea quæ alios docuit, ipse cum maxime opus fuerit sibi, negligat. In *Elucidat.*, super cap. 4, *Job*, in illud : *Tetigit te, et conturbatus es.*

43. Præstat bene silendo vera discere, quam male loquendo falsa docere. *Ibid.*, super cap. 34, in illud : *Si erravi, tu doce me.*

S. GAUDENT. 44. Doctrina veritatis, obedientes vivificat, rebelles interficit, vitia prosternit, virtutes erigit, incredulos dejicit, fideles extollit. In præfat. *ad Benevolum.*

GILLEBERT. ANGLUS. 45. Suspecta est omnis doctrina, et certe despecta, quæ nullam inducit de Christo mentionem. Serm. 5, super *Cant.* apud S. Bernard.

46. Non tam debes attendere, quæ te dicere deceat, quam quæ debeant audire quos instruis. Serm. 27, super *Cant.*

GLOSS. ORD. 47. Custodia nostræ salutis et dux, doctrina est. Super *Levitic.*, cap. 16.

48. Doctores Ecclesiæ, quasi Patres et Matres fovent plebem : Patres auctoritate, Matres pietate. Super *Deuter.*, cap. 22.

GLOSS. INT. 49. Vasa infirma ad conflictum nec sunt apta, quibus ne frangantur et pereant, non permittitur docere, sed tantum doceri. Super *Josue*, cap. 1.

50. Qui gradum doctoris accipit, merito vitæ perfectioris, transcendere debet actionem vulgi. Super 2 *Esdræ*, cap. 8.

51. Vere docet qui facit quod docet; aliter condemnat seipsum. Super *Matth.* cap. 5, in illud : *Sic luceat lux vestra.*

52. Non est prius doctor alii idoneus mederi, qui nondum se sanaverit. Super *Luc.*, cap. IV.

GRATIANUS. 53. Qui ea docet quæ ab auditoribus non valent intelligi, non ad eorum utilitatem, sed ad sui ostentationem facit. In *Decret.*, part. 1, dist. 43, can. *Dispensatio*, § *Pariter*.

54. Oportet eum, qui docet et instruit animas rudes, esse talem, ut pro ingenio discentium, semetipsum possit aptare, et verbi ordinem pro audientium capacitate dirigere. *Ibid.*, part. 2, causa 8, quæst. 1, can. *Oportet*.

S. GREGOR. MAGNUS. 55. Vera doctrina tanto vehementius elationis vitium fugit per cogitationem, quanto ardentius verborum suorum jaculis ipsum magistrum elationis insequitur. Lib. 23 *Moral.*, cap. 7.



56. Non cuncta tempora doctrinæ sunt congrua : nam plerumque doctorum virtus perditur, si intempestive proferatur : sæpe vero et quod lenius dicitur, conventu temporis congruentis animatur. *Ibid.*, lib. 30, cap. 7.

57. Quantalibet doctrina mens polleat, gravis ejus imperitia est, velle docere meliorem. *Ibid.*, lib. 6, cap. 18, super illud *Job.* V : *Quod auditum mente pertracta.*

58. Plerumque doctor, qui docere audet quod negligit agere : cum desierit bona loqui, quæ operari contempsit, docere subjectos incipit prava quæ agit. *Ibid.*, lib. 11, cap. 9.

59. Culpa superbiæ est, docere meliorem. *Ibid.*, lib. 16, cap. 8, super illud *Job* XXII : *Suscipe ex ore illius legem*, etc.

60. Doctrina ut pervenire ad cor audientis valeat, quæ sibi congrua sint temporum momenta perpendat. *Ibid.*, lib. 29, cap. 7.

61. Tanto quisque minus ostenditur doctus, quanto minus convincitur patiens : non potest enim veraciter bona docendo impendere, si vivendo nescit æquanimiter aliena mala tolerare. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 10.

62. Tunc possidet homo quod docet, quando se innotescere non gaudet, sed prodesse. Homil. 12, super *Ezech.*

63. Nemo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit : quia nisi intus sit Spiritus sanctus qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Homil. 30, super *Evang.* super illud *Joan.* XIV : *Ipse vos docebit omnia.*

64. Magnis virtutum fulgoribus ornari debet persona doctoris. Lib. 6, in I *Reg.*, cap. 3, super illud : *Erat autem rufus et pulcher.*

65. Doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta. Homil. 2, super *Ezech.*

S. GREGOR. NAZ. 66. Feris et immanibus hominibus lapidum vice est; vera et solida doctrina. Lib. 2, *de Theologia*.

S. HIERON. 67. Noli temeritate quorumdam docere quod nescias : sed ante disce quod docturus sis. Epist. 27.

68. Non præjudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est. Epist. 31, *ad Minerium et Alexandr.*

69. Multo tempore disce quod doceas, et sic non temeritate quorumdam doceas quod nescias, sed ante disce quod dicturus es. In *Regula Monachor.*, cap. 6, *de Correct. et doctrina.*

70. Stultissimum est docere, quod noverit ille, quem doceas. In *Regula monachor.*, cap. 24, *de Virt. humilit.*

71. Doctrina hæreticorum, non in sensu : sed in multiloquio, et clamore versatur. Lib. 7, super *Isaiam*, cap. XXII, super illud : *Clamoris plena*, etc.

72. Nonnulli rugata fronte, demisso supercilio, verbisque trutinatis, auctoritatem sibi doctorum vendicant. Lib. 2, super *Epist. ad Ephes.*, cap. IV, in illud : *Cum humilitate*, etc.

73. Quid tam superbum, quam divinis contraire doctrinis! Super II *ad Cor.*, cap. X, in illud : *Et omnem altitudinem.* etc.

S. HILARIUS. 74. Dolosa doctrina est hæreticorum, sub nomine Dei blasphema, sub prætextu religionis impia, sub veritatis specie fallax. Super *Psalm.* CXXXVIII.

75. Sacratissimam doctrinam habet, qui docet quod sapit, qui instruit quod sentit : qui docet non solum cognoscere verum, sed apprehendere bonum et amare justum. Lib. 4, super cap. 3, *Cœlestis Hierarch.*

HUGO A S. VICTORE. 76. Sapientes velle docere, superbia est. *De Instit. Novitior.*, cap. 14.

77. Doctrina debet esse de fide et moribus; catholica, id est, generalis, publica, sana, discreta; vera, matura. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 4.

78. Non videri doctus, sed esse discas, vel quæras. Lib. 3 *Didasc.*, cap. 14.

HUGO CARD. 79. Omnes arrogantes cum doctorum speciem accipiunt, velut in alto positi, distantes ab aliis loquuntur, quasi verba eorum dignatione quadam, super indignos homines cœlitus effundantur. Super *Job*, cap. 34.

80. Velle doceri, prudentia est : velle docere, charitatis. Super *Prov.*, cap. 15.

81. Sicut tibiæ vehiculum sunt corporis : ita verbum doctrinæ vehiculum est cordis. *Ibid.*, cap. 26.

82. Boni, qui salutem suam, et aliorum quærunt; magis volunt exemplo quam verbo docere. Super *Ecclesiastic.*, cap. 5.

83. Doctrina in tribus consistit : in suggillatione vitiorum, in plantatione fidei, in ædificatione morum. *Ibid.*, cap. 25.

84. Nihil proficit exterius vox doctoris, nisi intus operetur gratia Conditoris. Super *Isai.*, cap. 10.

85. Duo sunt necessaria docenti : ut sit fide dignus, ut diligatur ab his quos docet ; ut liberum tempus sit a tumultu. Super *Matth.*, cap. 24.

86. Hæreticorum doctrina venenosa est, philosophorum infirma, avarorum lutosa, luxuriosorum fœtida, superborum inanis. Super II *ad Tim.*, cap. 1.

JOAN. CASS. 87. Duabus ex causis inefficacem spiritalium rerum constat esse doctrinam, aut ille qui docet inexperta commenta vano verborum sono ins-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

truere nititur auditorem ; aut certe nequam ac vitiis refertus auditor salutarem spiritalis viri, sanctamque doctrinam obturato corde non recipit. Collat. 14, *abbat. Neserot.*, cap. 18.

S. JOANNES CHRYSOST. 88. Lethale venenum falsæ doctrinæ fugiendum est, multo majus hoc damnum, et tanto majus damnum, quanto anima corpore melior est. Homil. 5, *Gen.*

89. Multo fidelior et certior est doctrina operum, quam sermonum. *Ibid.*, homil. 13.

90. Respectum personarum nescit spiritualis doctrina. *Ibid.*, homil. 18.

91. Qui doctrinæ gratiam ad utilitatem aliorum accipit, nec utitur ea, gratiam quoque omnino perdit : qui autem studiose ac sedulo utitur majorem gratiam impetrabit. Homil. 79, super *Matth. Oper. perf.*

92. Si is qui alios docet, alterius indiguerit doctrina : non præceptoris, sed discipuli munere fungitur. Homil. 1, super *Joan.*

93. Istud potissimum est generosi doctoris, non solum sermone, quos imbuit ac docet, sed et precibus juvare. Serm. 32, super *Epist. ad Rom.*

94. Doctorem oportet non solum consulendo docendoque discipulorum mentes instruere ac corrigere, sed et terrendo, Deoque tradendo. Serm. 12, super *Epist. ad Ephes.*

95. Sæpius doctorem volentem ad ulteriora procedere, et secretiores altioresque sermones attingere non permittit segnities discentium. Homil. super *Epist. ad Hebr.*

JOAN. SAR. 96. Sicut doctorum officium est docere, sic auditorum se præbere dociles. Lib. 7, *de Nugis curial.*, cap. 14.

JOAN. TRITH. 97. Doctrina eo diuturnius perpetuata senescit, quo publicata fœcundius se diffundit. Lib. 1, *de Regim. claustr.*

98. Non facile sine doctore doctus efficitur. *Orat.* 5. *in Conventu. Abbat. habita.*

99. Nemo potest docere utiliter, quod ipse non prius didicerit : veraciter docet, qui semper paratus est discere. Epist. 4, *ad Nicolaum presbyt. Mernicensem.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 100. Doctrina sine adjuvante gratia, quamvis infundatur auribus, ad cor nunquam descendit : foris quidem perstrepit, sed interius nihil proficit. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 10, sent. 1.

101. Quomodo docere poterunt, qui non didicerunt? desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere. *Ibid.*, cap. 35, sent. 1.

102. Doctoris vitio, etiam ipsa vera doctrina vilescit : quia dum non vivit sicut docet, ipsam quam prædicat veritatem contemptibilem facit. *Ibid.*, cap. 37, sent. 1.

103. Bonus doctor et in humilitate servat disciplinam, et per disciplinam non incurrit superbiam. *Ibid.*, cap. 37, sent. 1.

104. Multi sunt, qui non ex consulto ædificandi, sed ex tumore superbiendi docent. Nec ut prosint, sapientes sunt : sed ut sapientes videantur, docere student. *Ibid.*

105. Superbi doctores vulnerare potius, quam emendare noverunt. *Ibid.*, sent. 6.

106. Non omnibus una eademque doctrina est adhibenda ; sed pro qualitate morum, diversa sit exhortatio doctorum : nam quosdam increpatio dura, quosdam vero exhortatio corrigit blanda. *Ibid.*, cap. 43.

107. Prima prudentiæ virtus est, eam quam docere oporteat, æstimare personam. *Ibid.*, sent. 4.

108. Bonum quod audieris, dic : bonum quod didiceris, doce ; discendi et docendi non contemnas studium. *Prosec.*

109. Scientiam, quam aure concipis, ore effunde : sapientiam enim cum cæteris impertiris, tibi magis hanc auges.

110. Doctrina quanto amplius data fuerit, tanto magis abundat : sapientia dando largior sit, retinendo minorabitur. Largiendo redundantior est sapientia, et dum plus confertur, plus abundat. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 14.

111. Cum doces, cum erudis, cum instruis, noli verborum obscuritate uti : ita dic, ut intelligaris ; nec simplicibus displiceas, nec prudentes offendas. *Prosec.*

112. Juxta sensum audientis, sit sermo docentis : secundum mores impertienda est doctrina : juxta vulnus adhibendum est remedium.

113. Sic alios instrue, ut tecustodias : sic doce, ut humilitatis gratiam non amittas.

114. In doctrina ipsa ab humana laude te tempera : cave ne dum alios docendo erigis, ipse laudis appetitu demergaris. *Ibid.*

115. Plus dilige discere, quam docere : disce quod nescis, ne doctor inutilis inveniaris : antea esto auditor, postea doctor. *Ibid.*, cap. 15.

116. Doctrina morum dux est, in hoc constituta, ut omnia quæ in nobis sunt, ex ratione moderetur. Lib. 2, epist. 411, *ad Nicanor.* S. ISIDORUS PELUSIOTA.

117. Clausum habeat os peccator : quia qui seipsum non docuit, alium docere non potest. Homil. 38, super *Levitic.* ORIGENES.

118. Quanto doctrina secretior, tanto jucundior, quanto morosior, tanto gratior. Serm. 2, *de S. Petro ad vincula.* PETR. BLES.

119. Prius teipsum doce, quam alios doceas : non est sapiens, qui non est sapiens sibi. *Ibid.*, tract. *de Inst. Episcopi.*

120. Deliciosus et improbus doctor est, qui in PETR. CELL.



eo quod alium docet, seipsum non docet. Lib. 4, epist. 6.

S. SIDONIUS EPISCOPUS. 121. Miser est, qui ante compulsus est docere, quam dicere, tanquam sterilis arbor, cum non habeat opera pro pomis, spargit verba pro foliis. Lib. 5, epist 3. *ad Apollinar.*

S. THOMAS AQUINAS. 122. Sacra doctrina est cibus et potus animæ, quia illam portat et satiat : aliæ enim scientiæ tantum illuminant intellectum, hæc autem illuminat, nutrit et roborat animam. Super *Epist. ad Hebr.*

THOMAS A KEMPIS 123. Doctrina Christi, omnes doctrinas sanctorum præcellit. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 124. Minimum valet doctrina, nisi industria, studio, labore, diligentia comprobetur. Lib. 3, *de arte Rhetor. ad Herenn.*

126. Quod nosse pulcherrimum est, id docere gloriosum. *De perfecto oratore.*

125. Sicut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest : sic sine doctrina animus. Lib. 2, *Tusc. quæst.*

SENECA. 127. Eum elige doctorem, quem magis admireris cum videris, quam cum audieris. Epist. 52.

128. Hæc aliis dic, ut dum dicis, audias ipse. Epist. 89.

SIXTUS PHILOSOPH. 129. Doctrinam, quæ non est Deo digna, ne dicas. Sent. 239.

130. Doctrinam ex qua proficere potes in amore Dei, illam necessario expete. *Ibid.*, sent. 242.

131. Fidelis, qui libenter vult doceri, operarius efficietur veritatis. *Ibid.*, sent. 271.

VALERIUS MAXIMUS. 132. Doctrina proficit ut politoria, non ut meliora fiant ingenia. Lib. 5 *Dictor. memorabil.*, cap. 4.

Vide etiam tit. *Arrogantia*, sent. 34 ; *Correctio*, sent. 50 ; *Deus*, sent. 95 ; *Discere*, sent. 16 ; *Episcopus*, sent. 21 56 ; *Lex*, sent. 55 ; *Magister*, sent. 37 ; *Memoria*, sent. 22 ; *Persecutio*, sent. 104, 105 ; *Persona*, sent. 15 ; *Prædicatio*, sent. 67 ; *Retrogredi*, sent. 41.

## DOGMA.

S. ISIDORUS HISPAL. *Etymologia.* Dogma a putando Philosophi nominaverunt, id est, hoc puto esse verum, hoc puto esse bonum. Lib. 8, *Etym.*, cap. 2,

SENECA. Græci δόγματα vocant, nobis vel decreta licet appellare, vel scita, vel placita. Epist. 95.

S. AUGUST. *Definitio.* Dogmata sunt placita sectarum, id est, quod placuit singulis sectis. Lib. *Quæst. evang.*, quæst. 11.

CLEMENS ALEX. Dogma est quædam quæ fit ratione comprehensio. Lib. 8, *Stromat.*

S. BASILIUS MAGNUS. *Differentia.* Aliud est dogma, et aliud prædicatio : dogmata enim silentur, prædicationes vero publicantur. *De Spiritu sancto*, cap. 27.

S. JOANNES DAMASC. *Comparatio.* Ut oculus turbatus, sic anima quoque a repugnantibus naturæ dogmatibus infecta et conspurcata, veritatis lucem plane intueri non potest. Lib. 1 *Parall.*, cap. 12.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Dogmata quæ in Ecclesia servantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recipimus. *De Spiritu sancto*, cap. 27. S. BASILIUS MAGNUS.

2. Contempta sunt Patrum dogmata, cum novorum hominum inventa in Ecclesiis regnant. Epist. 16, *Ad Fratres episcop.*

3. Prava dogmata, mali imbres sunt, quæ pro fructibus spinas producunt, et tribulos. Serm. 58, super *Cant.* S. BERNARD.

4. Hæretici prava dogmata disseminant in populo, et perversitate doctrinæ suæ fidem catholicam obnubilant, et inducunt simplices in errorem. Serm. *ad pastores in synodo congregatos.*

5. Hæretici viam Domini deserentes, pravis dogmatibus populos decipere, potius quam docere festinant. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 4. CASSIODOR.

6. Pietatis modus in his duobus consistit, in piorum dogmatum certitudine et bonis operibus. *Prosec.* S. CYRILLUS HIEROSOL.

7. Neque enim dogmata sine bonis operibus accepta sunt Deo, neque absque piis dogmatibus opera perfecta suscipit Deus. *Catech. mystagog.*

8. Dogma est quod consistit in doctrina fidei christianæ. In *decretis Gratiani.* GLOSSA DECR.

9. Hæreticorum dogmata non habent bonum Christi odorem, sed fœtorem. Super *Genes.*, cap. 11. GLOSS. INT.

10. Sapientes hujus sæculi, dogmata mortua exhalant. Super *Psalm.* V.

11. Qui repente in fide Catholica nova dogmata inserit, mendacii minister est. Super *Prov.*, cap. 12. GLOSS. ORD.

12. Hæretici dogma dogmatibus conjungunt, donec deficiant. Super *Isaiam*, cap. 5.

13. Quid immundius hæreticorum dogmatibus? Super *Oseam*, cap. 8.

14. Dogmata philosophorum, cito crescunt et corruunt, nil vitale promittentia. Super *Matth.*, cap. 13.

15. Mens Deo spiritaliter inhærens, cum perversis persuasionibus ad pravitatem dogmatis perducitur, quasi aliena conjux a corruptore maculatur. Lib. 16 *Moral.*, cap. 25, super illud *Job* XXIV : *Oculus adulteri*, etc. S. GREGOR. MAGNUS.

16. Omnis qui sentiendo, vel agendo perversitate dogmatis nequiter vivit, vultum suum operit, ut

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ab omnipotente Deo in judicio recognosci non possit. *Ibid.*, etc. super illud : *Et operiet vultum suum*, etc.

17. Nonnulli inquieti spiritus, dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt : et dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt. *Ibid.*, lib. 6, cap. 17.

S. HIERON. 18. Quasi Christianus Christianis loquor, venenata sunt Origenis dogmata, aliena a scripturis sanctis, vim scripturis facientia. Epist. 49, *ad Pamm. et Ocean.*

19. Nec propter doctrinam Origenis prava recipienda sunt dogmata, nec propter dogmatum pravitatem, si quos commentarios in scripturas sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt. Epist. 84, *ad Tranquillum.*

20. Sæpe Ecclesiæ falsorum dogmatum jacula superveniunt, et intrare desiderant : sed auxiliante Christo Domino, irruunt quidem, sed ingredi non possunt. Super *Nahum*, cap. 3.

21. Ecclesiæ dogmata libera sunt, die gratulantur et lumine. Lib. 1, super *Habacuc*, cap. 2 super illud : *Væ qui potum dat*, etc.

23. Omne dogma perversum, abominatio desolationis est. Lib. 3, super *Matth.*, cap. 24 super illud : *Tunc qui in Judæa sunt*, etc.

22. Inimica sunt omnia dogmata falsitatis Deo repugnantia. Lib. 2 super *Epist. ad Galat.*, cap. 5, in illud *Rom.* VIII : *Inimica est Deo*, etc.

S. HILARIUS 24. Hæretici cognitionem se habere divinarum scripturarum mentientes, hæretica et perversa dogmata prædicant. Super *Psalm.* CXVIII, vers. : *Defecit in salutare tuum*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 25. Qui fidei constantiam pravis dogmatibus impugnant, sanctæ Ecclesiæ inimici et hæretici sunt. Super *Thren.*, in illud 2 : *Aperuerunt super te*, etc.

26. Perversi dogmatis auctores, quasi venena fugiendi sunt. Lib. 3, *Didasc.*, cap. 14.

HUGO CARD. 27. Hæretici varia et perniciosa dogmata inter ubera collocantes, expoliati virtutibus, infidelibus comparantur. Super *Oseam*, cap. 2.

JOAN. CASS. 28. Hæretici dogmata sua divinæ scripturæ pallio tegere consueverunt. Lib. 7, de *Incarnat.*, cap. 7.

S. JOANNES CHRYSOST. 29. Sicut mala dogmata impuram inducere consueverunt vitam ; ita et vita perversa dogmatum perversitatem sæpe parit. Serm. in *dictum Pauli : Nolo vos ignorare*, etc.

30. Non laborandi artes et honesta exercitia, sed mendacia et conficta dogmata contemptibiles solent reddere doctores. Serm. 2, super *Epist. ad Rom.*

31. Dogmata philosophorum sunt perniciosa. Homil. 35, super I *Cor.*

32. E corrupta vita, dogmata corrupta pullulantur. *Ibid.*, homil. 40.

33. Ibi dogmatum malorum est causa, ubi immunda est vita. Serm. 13, super *Epist. ad Ephes.*

34. Plerique ex eo confirmantur, quia multos habent dogmatum consortes. Homil. 1, super Epist. *ad Coloss.*

35. Pudefiant quotquot humani præsidii gratia ob persecutionem in alieno dogmata transeunt. Homil. 2, super II *Thess.*

36. Ubi vita reprehensibilis fuerit, dogma item hujusmodi sit necesse est. Homil. 5, super I *Timot.*

37. Omne dogma non solum pietate, verum etiam vitæ integritate perficitur. *Ibid.*, homil. 7.

38. Si fidei dogma quislibet pervertat, etiamsi Angelus sit, obedire noli : sin vero recta docet, noli vitæ, sed verbis intendere. Homil. 2, super II *Timot.*

39. Non ex verbis dogmata, verum ex ipsis rebus atque vita gentiles judicare consueverunt. Homil. 4, super *Epist. ad Tit.*

40. Christiano nihil prosunt recta dogmata, si vitam suam non bene instituat. Homil. 13, super *Genes.*

41. Vita consonet fidei dogmatibus, et dogmata prædicent vitam. *Ibid.*, homil. 2.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 42. Cum rectis dogmatibus sapientiam conjungere oportet : quod si ambo permisceantur et copulentur, tum perfecta et suprema gloria elucet. Lib. 3, epist. 403, *ad Cassian.*

S. MAXIMUS MART. 43. Omnia dogmata aut de visibilibus et invisibilibus, aut de ea, quæ in illis est providentia et judicio constituta sunt. Centur. 1, *de Charit.*, cap. 78.

S. PETR. DAM. 44. Vitium in hæresim vertitur, cum perversi dogmatis assertione firmatur. *Opusc.* 5.

45. Qui per abrupta perversi dogmatis rapitur, in hæresim necesse est prolabatur. *Opusc.* 24.

PHILO JUD. 46. Anima, quæ ex seipsa tollit dogma pium, et virtutis amicum, virtuti est mortua. Lib. *De eo quod deterius potiori*, etc.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 47. Difficile est, vel fieri potius nullo pacto potest, ut quæ scientiarum ratione ad demonstrationem perducta, dogmata in animum pervenerint, convellantur. Epist. 5, *ad Fratrem.*

S. THOMAS AQUINAS. 48. Pestifera et mortifera dogmata non sunt, nisi illa quæ opponuntur dogmatibus fidei, per quam justus vivit. 2, 2, quæst. 11, art. 2.

## DOLOR.

CASSIODOR. *Etymologia.* Dolor dictus est, quasi domabilis horror. Super *Psalm.* VII.



S. AUGUST. *Definitio.* Quid est dolor corporis, nisi corruptio repentina salutis ejus rei, quam male utendo anima corruptioni fecit obnoxiam? *De vera Religione*, cap. 12.

Dolor est dissentio ab his rebus, quæ nobis nolentibus accedunt. Lib. 14, *de Civit. Dei*, cap. 15.

S. THOMAS AQUINAS. Dolor est appetitus sensitivi motus, consequens apprehensionem mali.

CICERO. Dolor est motus asper in corpore a sensibus alienus. Lib. 2, *Tusc. quæst.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. In *Enchiridio*, cap. 68.

2. Valde durus est, cujus mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare. *Prosec.*

3. Sciat culpabiliter se durum, qui dellet damna temporis, et dolorem peccati lacrymis non ostendit. *De Vera et falsa pænit.*, cap. 9.

4. Hæretici prava dogmata disseminant in populo, et perversitate doctrinæ suæ fidem catholicam obnubilant, et inducunt simplices in errorem. Serm. *ad pastores in synodo congregatos.*

5. Nemo est, qui magis dolorem fugiat, quam appetat voluptatem. *De* LXXXIII *quæst.*, quæst. 36.

6. Vis desideriorum facit tolerantiam dolorum. *De Patient.*, cap. 4.

7. Non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur. *De Serm. Dom. in monte*, lib. 1.

8. Dolor carnis offensio est animæ ex carne, et quædam ab ejus passione dissensio ; sicuti animæ dolor (quæ tristitia nuncupatur) dissensio est ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt. Lib. 14, *de Civit. Dei*, cap. 15.

9. Est quædam vita sine dolore, dolor autem sine aliqua vita esse non potest. *Ibid.*, lib. 19, cap. 13.

10. Dolor testimonium est boni adempti, et boni relicti : nisi enim bonum relictum esset, bonum amissum dolere non posset. *Ibid.*

11. Dolere anima etiam non dolente corpore potest, dolere autem corpus sine anima non potest. Super *Psalm.* LXXXVII, vers. 3.

12. Multi dolores, sed multæ consolationes : amara vulnera, sed suavia medicamenta. Super *Psalm.* XCIII, vers. 19.

13. Patiens esto, sustine, tolera : in doloribus medicus exigit patientiam, sed post dolores promittit salutem. *Prosec.*

14. Et ipse qui tolerat dolores in ferro medici, nisi sibi proponat sanitatem, quam nondum habet, deficit in dolore quem patitur. Super *Psalm.* XCI.

15. Necesse est ut vivat dolens, non est necesse ut occidat dolor. Lib. 21, *de Civit. Dei*, cap. 3.

16. Melius ordinatur natura, ut juste doleat in supplicio, quam ut impune gaudeat in peccato. *De Natura boni*, cap. 9.

17. Melior est natura sentiens et cum dolet, quam lapis qui dolere nullo modo potest. Lib. 12, *de Civ. Dei*, cap. 1.

18. Omnino non dolere, cum sumus in loco miseriæ, stupiditas est. *Ibid.*, lib. 14, cap. 9.

19. Profecto convenientius injustus dolet in supplicio ; quam lætatus est in delicto. *Ibid.*, lib. 19, cap. 13.

20. Mirabile est, in ignibus dolere, et tamen vivere : sed mirabilius est in igne vivere, nec dolere. *Ibid.*, lib. 2, cap. 2.

21. Certum est vivere omne quod dolet, doloremque omnem nisi in re vivente esse non posse. *Ibid.*, cap. 3.

22. Qui dolet miserum, mallet tamen utique non esse quod doleret qui germanitus misericors est. Lib. 3 *Conf.*, cap. 8.

23. Melius timor capitis dolet, dum curatur, quam dum ei parcitur. Epist. 15, cap. 2.

24. In hoc mundo non dolere impossibile est. Epist. 82.

25. Anima dolet, cum corpus vulneratur. Epist. 120, cap. 13.

26. Quod valde putre est, nec dolet, non pro sano habendum, sed pro mortuo computandum est. homil. 28, *ex Homil. quinquag.*, cap. 3.

27. Plus dolet vulnus cum curatur, quam si non curaretur : sed ideo plus dolet accedente medicina, ut nunquam doleat succedente salute. Tract. 9, super *epist. Joan.*

28. In corpore melius est vulnus cum dolore, quam putredo sine dolore. *De Natura boni*, cap. 20.

29. Nonnullus dolor approbandus, nullus amandus est. Lib. 3 *Confess.*, cap. 2.

30. Misericordia, quia non sine dolore est, hac una causa amantur dolores. *Ibid.*

31. Absurdissimum est dolorem necessarium fuisse, ne ulceris dolor esset. *De Nat. et grat.*, cap. 27.

32. Possunt dolores curari doloribus. *Ibid.*, cap. 28.

S. BASILIUS MAGNUS. 33. Iis, qui in dolore versantur, solatium affert gemituum societas. Apud. D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 56.

V. BEDA. 34. Cum dolore abscindenda sunt, quæ leviter sanari non possunt. In suis *Proverb.*, verbo *Cum.*

35. Dolentem non potest consolari, qui non concordat dolori. *Ibid.*, verbo *Dolentem.*

S. BERNARD. 36. Dolor nimius non deliberat, non verecundatur, non consulit rationem, non metuit digni-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

latis damnum, legi non obtemperat, judicio non acquiescit, modum ignorat et ordinem. Epist. 1, *ad Robertum Nepotem suum.*

37. Si doles condoleo, si non doles doleo, et maxime sciens longius a salute absistere membrum quod obstupuit : et ægrum sese non sentientem periculosius laborare. *Prosec.*

38. Plaga recens dolore non caret; neque enim occaluit vulnus, nec in tam brevi versum in insensibile est. Lib. 1, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

39. Melius est stomachum dolere quam mentem. *De ordine vitæ.*

S. BONAV. 40. Sicut clavus clavo repellitur, sic majori dolor dolore curatur. Serm. 5, *De Plurib. Mart.*

41. Valde dolorem aggravat, dum ille mala irrogat, qui consolari debebat. Serm. 5, *de sanctis Apost.*

42. Turpe est, et valde alienum, imo contra naturam, ut sub capite dolente membrum non doleat. Serm. 2, *de Plurib. Mart.*

CASSIODOR. 43. Crescit dolor, ubi calamitas augetur. Super *Psalm.* LXXIII, vers. 8.

FRANCISCUS TITELM. 44. Dolor vehemens prolixiora verba, quantumvis videantur consolatoria, non æquo satis animo sustinet. In *Elucidat.*, super cap. 2, *Job* in illud : *Videbant dolorem esse vehementem.*

45. Donec excessus doloris nullus cernitur, passionum acerbitas, non quanta fuerit, æstimatur. *Ibid.*, super cap. 3.

GLOSS. ORD. 46. Dolens animus debet se custodire, ne de igne probatorio murmuret. Super *Job*, cap. 1.

47. Cum dolor non percutit, elatio mentis succisa cadit, ut jam quærat manum levantis. *Ibid.*, cap. 6.

48. Quandiu dolor tenetur clausus in corde, magis pungit : sed per fletum et planctum evaporat et evanescit. Super *Ezech.*, cap. 26.

S. GREGOR. MAGNUS. 49. Quo se interius gaudiis animus robustius inserit, eo minus exterius dolores sentit. Lib. 10 *Moral.*, cap. 12.

50. Non frangit quod ex dolore obviat, si menti citius hoc quod ex munere sublevat, occurrat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

51. Mitigat vim doloris considerata æquitas et potentia ferientis. *Ibid.*, lib. 9, cap. 12, num. 17.

52. Justus non est, qui justitiam in dolore deserit. *Ibid.*, lib. 4, num. 16.

S. GREGOR. NAZ. 53. Magnum doloris medicamentum ab iis accipitur, qui dolentibus condolescunt : condolentia ad mitigandum dolorem satis virium habet. Hab. apud D. Damascenum, lib. 3 *Parall.*, cap. 56.

S. HIERON. 54. Modum adhibeas in dolore, memor illius sententiæ, ne quid nimis. Epist. 3, *ad Heliodor.*

55. Quod satis dolet, majori dolore expellitur. Tom. 1, epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio.*

56. Sapienter debet dolere, qui dolet, ne perdat sine causa quod dolet. Epist. 52, *ad Tyrasium.*

HUGO A S. VICTORE. 57. Quanto profundior est amor, tanto altius tangit dolor. Super *Pentateuc.*, cap. 7.

58. Qui dolorem capitis non patiuntur benigne, pro Christo capitis abscisionem quomodo paterentur? Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 12.

HUGO CARD. 59. Dolor et timor quasi duæ molæ sunt, inter quas molitur justus, ut fiat panis, et possit comedi a Christo et Ecclesiæ incorporari. Super *Gen.*, cap. 20.

60. Dolor principium est hominis, labor medium, timor finis. Super III, *Regum*, cap. 3.

S. JOANNES CHRYSOST. 61. Si quis dolores pertulerit, et gratias egerit, martyrii coronam sortitur. Homil. 8, super *Epist. ad Coloss.*

62. Quanto doloris plus toleratum fuerit, tanto etiam corona erit magnificentior. Orat. 5, *advers. Judæos.*

63. Anima magni doloris particeps, irritari atque irasci non patitur : ubi enim dolor et contritio, longe omnis abit irritatio. Homil. 59, super *Joan.*

64. Mens dolore percussa, non studet elationi, sed amare ingemiscit, amarius flet. *Ibid.*

65. Prorsus neminem invenies doloris exortem: neque enim fas est, ut homo qui sit, mortalemque hanc agat vitam, doloris angorisque sit expers, sive quispiam dives sit, sive Rex. Homil. 1, super II *Tim.*

66. Doleamus hic animo, ne doleamus illic supplicio. Homil. 2, super *Epist. ad Hebr.*

S. ISIDORUS HISPAL. 67. Qui dolorem clauso pectore tegit, quanto amplius per silentium linguam premit, tanto acriorem dolorem intrinsecus nutrit. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 29, sent. 23.

68. Electus Dei doloribus vitæ hujus atteritur, ut perfectionem vitæ futuræ lucretur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 1, sent. 3.

LACT. FIRM. 69. Omne animal doloris est fugiens. Lib. 3, *de Divin. Instit.*, cap. 8.

PETR. BLES. 70. Dolor speciem ignis gerit, quia dum plus tegitur, plus ignescit. Epist. 42, *ad Decan. Carnotens.*

71. Ubi causa est doloris, modus debet esse dolentis. *Ibid.*, epist. 176, *ad Quemdam.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 72. Dolor refrigeratio pectoris est. Sect. 11, *Problem.*, quæst. 13.

CICERO. 73. Habet præteriti doloris secura recordatio delectationem. Lib. 5, epist. 12, *ad Lucceium.*



74. Eo gravior est dolor, quo culpa major. Lib 11, epist. 11, *ad Atticum.*

75. Peccati dolor maximus est et æternus : solius, cujus peccatum corrigi non potest. *Ibid.*, epist. 15.

76. Doloris medicina est philosophia. Lib. 1 *Academic. quæst.*

77. Majores sunt dolores animi, quam corporis. Lib. 2, *de Finibus.*

78. Firmandus est animus ad dolorem ferendum. Lib. 2, *Tusc. quæst.*

79. Consuetudo laborum, perpessionem dolorum efficit faciliorem. *Ibid.*

80. Nemo justus esse potest, qui dolorem timet. Lib. 2 *Offic.*

81. Hoc maxime in dolore providendum est, ne quid abjecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter, ne quid muliebriter faciamus. *Prosec.*

82. Ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque raro : ejulatus ne mulieri quidem. Lib. 2, *Tusc. quæst.*

83. Multum potest prævisio animi et præparatio ad minuendum dolorem. *Ibid.*, lib. 3.

MIMUS PUB. 84. Cuivis dolori remedium, est patientia. In suis *Sent.*, sent. 80.

85. Dolor decrescit, ubi quo crescat, non habet. *Ibid.*, sent. 93.

SENECA. 86. Imperare dolori silentium non potest. Lib. 5, *de Declamat. controvers.* 5.

87. In tuis malis id agere te oportet, ut dolori tantum des quantum poscit ratio, non quantum consuetudo. *De Tranquillit. animi*, cap. 15.

88. Dolorem dies consumit, licet contumacissimum quotidie insurgentem, et contra remedia effervescentem; tamen illum efficacissimum mitigandæ ferociæ tempus enervet. *De consolat. ad Marciam.*, cap. 8.

89. Omnis magnitudo doloris modum excedentis, necesse est delectum verborum eripiat, cum sæpe vocem quoque ipsam intercludat. *De consolat. ad Helviam.*, cap. 1.

90. Dolore nihil est apud miseros potentius. *Ibid.*, cap, 2.

91. Quædam nos magis torquent, quam debeant : quædam ante torquent, quam debeant : quædam torquent, cum omnino non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præcipimus. Epist. 13.

92. Imbecillus est et ignavus, qui propter dolorem moritur : stultus, qui doloris causa vivit. Epist. 58.

93. Nulla res citius in odium venit, quam dolor : qui recens consolatorem invenit, inveteratus vero deridetur. Epist. 63.

94. Non est, nisi ex eo quod sentias, dolor. Epist. 74.

95. Summi doloris intentio inveniet finem, nemo potest valde dolere et diu. *Prosec.*

96. Sic nos amantissima nostri natura disposuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret.

97. Maxime dolores consistunt in macerrimis corporis partibus : nervi, articulique, et quidquid aliud exile est acerrime sævit, cum in arcto vitia concepit : sed cito hæ partes obstupescunt, et ipso dolore sensum doloris amittunt.

98. Hoc itaque solatium vasti doloris est, quod necesse est desinas illum sentire, si nimis senseris. Epist. 78.

99. Dolorem gravem sentio : quidni sentias, si illum muliebriter toleris. *Ibid.*

100. Dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, cum ad sapientem pervenere, mansueta sunt. Epist. 85.

101. Plus dolet, quam necesse est, qui ante dolet, quam necesse sit. Epist. 98.

102. Plus ostentatio doloris exigit, quam dolor. Epist. 99.

103. Toto contra dolorem pugnet quisque animo : vincetur, si pugnare cesserit : vincet, si se contra dolorem suum intenderit. Epist. 78.

104. Vincetur dolor ratione, si victus est usu. Epist. 78.

105. Dolor imminet; si exiguus est, feramus, levis enim est patientia : si gravis est, feramus. non levis est gloria. *De remediis fortuitor.*

106. Dolor clamorem exprimit, dum secreta non exprimat : non potest par dolori esse, nec rationi dolor. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Desiderium*, sent. 31 ; *Lacrymæ*, sent. 37, 69 ; *Peccatum* in genere, sent. 5 ; *Pœna*. sent. 50 ; *Sanctitas*, sent. 25.

DOLUS. *Vide* Fraus.

## DOMARE.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Nihil sic valet ad carnis desideria edomanda, sicut cogitare qualis sit futura mortua. Part. 4, tit. 4, *de Temperantia*, cap. 4, § 3.

2. Cum corpus per flagella atteritur, cor circa libidinis delectationes non vagatur. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 18.

S. AUGUST. 3. Freni gutturis temperata relaxatione et constrictione tenendi sunt. Lib. 10 *Conf.*, cap. 31.

4. Carnem vestram domate jejuniis, et abstinentia escæ, quantum valetudo permittit. Regul. 3, *ad Clericos.*

5. Id agit spiritus in domanda carne, ut solvat

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

latis damnum, legi non obtemperat, judicio non acquiescit, modum ignorat et ordinem. Epist. 1, *ad Robertum Nepotem suum.*

37. Si doles condoleo, si non doles doleo, et maxime sciens longius a salute absistere membrum quod obstupuit : et ægrum sese non sentientem periculosius laborare. *Prosec.*

38. Plaga recens dolore non caret; neque enim occaluit vulnus, nec in tam brevi versum in insensibile est. Lib. 1, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

39. Melius est stomachum dolere quam mentem. *De ordine vitæ.*

S. BONAV. 40. Sicut clavus clavo repellitur, sic majori dolor dolore curatur. Serm. 5, *De Plurib. Mart.*

41. Valde dolorem aggravat, dum ille mala irrogat, qui consolari debebat. Serm. 5, *de sanctis Apost.*

42. Turpe est, et valde alienum, imo contra naturam, ut sub capite dolente membrum non doleat. Serm. 2, *de Plurib. Mart.*

CASSIODOR. 43. Crescit dolor, ubi calamitas augetur. Super *Psalm.* LXXIII, vers. 8.

FRANCISCUS TITELM. 44. Dolor vehemens prolixiora verba, quantumvis videantur consolatoria, non æquo satis animo sustinet. In *Elucidat.*, super cap. 2, *Job* in illud : *Videbant dolorem esse vehementem.*

45. Donec excessus doloris nullus cernitur, passionum acerbitas, non quanta fuerit, æstimatur. *Ibid.*, super cap. 3.

GLOSS. ORD. 46. Dolens animus debet se custodire, ne de igne probatorio murmuret. Super *Job*, cap. 1.

47. Cum dolor non percutit, elatio mentis succisa cadit, ut jam quærat manum levantis. *Ibid.*, cap. 6.

48. Quandiu dolor tenetur clausus in corde, magis pungit : sed per fletum et planctum evaporat et evanescit. Super *Ezech.*, cap. 26.

S. GREGOR. MAGNUS. 49. Quo se interius gaudiis animus robustius inserit, eo minus exterius dolores sentit. Lib. 10 *Moral.*, cap. 12.

50. Non frangit quod ex dolore obviat, si menti citius hoc quod ex munere sublevat, occurrat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

51. Mitigat vim doloris considerata æquitas et potentia ferientis. *Ibid.*, lib. 9, cap. 12, num. 17.

52. Justus non est, qui justitiam in dolore deserit. *Ibid.*, lib. 4, num. 16.

S. GREGOR. NAZ. 53. Magnum doloris medicamentum ab iis accipitur, qui dolentibus condolescunt : condolentia ad mitigandum dolorem satis virium habet. Hab. apud D. Damascenum, lib. 3 *Parall.*, cap. 56.

S. HIERON. 54. Modum adhibeas in dolore, memor illius sententiæ, ne quid nimis. Epist. 3, *ad Heliodor.*

55. Quod satis dolet, majori dolore expellitur. Tom. 1, epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio.*

56. Sapienter debet dolere, qui dolet, ne perdat sine causa quod dolet. Epist. 52, *ad Tyrasium.*

HUGO A S. VICTORE. 57. Quanto profundior est amor, tanto altius tangit dolor. Super *Pentateuc.*, cap. 7.

58. Qui dolorem capitis non patiuntur benigne, pro Christo capitis abscissionem quomodo paterentur? Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 12.

HUGO CARD. 59. Dolor et timor quasi duæ molæ sunt, inter quas molitur justus, ut fiat panis, et possit comedi a Christo et Ecclesiæ incorporari. Super *Gen.*, cap. 20.

60. Dolor principium est hominis, labor medium, timor finis. Super III, *Regum*, cap. 3.

S. JOANNES CHRYSOST. 61. Si quis dolores pertulerit, et gratias egerit, martyrii coronam sortitur. Homil. 8, super *Epist. ad Coloss.*

62. Quanto doloris plus toleratum fuerit, tanto etiam corona erit magnificentior. Orat. 5, *advers. Judæos.*

63. Anima magni doloris particeps, irritari atque irasci non patitur : ubi enim dolor et contritio, longe omnis abit irritatio. Homil. 59, super *Joan.*

64. Mens dolore percussa, non studet elationi, sed amare ingemiscit, amarius flet. *Ibid.*

65. Prorsus neminem invenies doloris exortem: neque enim fas est, ut homo qui sit, mortalemque hanc agat vitam, doloris angorisque sit expers, sive quispiam dives sit, sive Rex. Homil. 1, super II *Tim.*

66. Doleamus hic animo, ne doleamus illic supplicio. Homil. 2, super *Epist. ad Hebr.*

S. ISIDORUS HISPAL. 67. Qui dolorem clauso pectore tegit, quanto amplius per silentium linguam premit, tanto acriorem dolorem intrinsecus nutrit. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 29, sent. 23.

68. Electus Dei doloribus vitæ hujus atteritur, ut perfectionem vitæ futuræ lucretur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 1, sent. 3.

LACT. FIRM. 69. Omne animal doloris est fugiens. Lib. 3, *de Divin. Instit.*, cap. 8.

PETR. BLES. 70. Dolor speciem ignis gerit, quia dum plus tegitur, plus ignescit. Epist. 42, *ad Decan. Carnotens.*

71. Ubi causa est doloris, modus debet esse dolentis. *Ibid.*, epist. 176, *ad Quemdam.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 72. Dolor refrigeratio pectoris est. Sect. 11, *Problem.*, quæst. 13.

CICERO. 73. Habet præteriti doloris secura recordatio delectationem. Lib. 5, epist. 12, *ad Lucceium.*



74. Eo gravior est dolor, quo culpa major. Lib 11, epist. 11, *ad Atticum.*

75. Peccati dolor maximus est et æternus : solius, cujus peccatum corrigi non potest. *Ibid.*, epist. 15.

76. Doloris medicina est philosophia. Lib. 1 *Academic. quæst.*

77. Majores sunt dolores animi, quam corporis. Lib. 2, *de Finibus.*

78. Firmandus est animus ad dolorem ferendum. Lib. 2, *Tusc. quæst.*

79. Consuetudo laborum, perpessionem dolorum efficit faciliorem. *Ibid.*

80. Nemo justus esse potest, qui dolorem timet. Lib. 2 *Offic.*

81. Hoc maxime in dolore providendum est, ne quid abjecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter, ne quid muliebriter faciamus. *Prosec.*

82. Ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque raro : ejulatus ne mulieri quidem. Lib. 2, *Tusc. quæst.*

83. Multum potest prævisio animi et præparatio ad minuendum dolorem. *Ibid.*, lib. 3.

[..]MUS PUB. 84. Cuivis dolori remedium, est patientia. In suis *Sent.*, sent. 80.

85. Dolor decrescit, ubi quo crescat, non habet. *Ibid.*, sent. 93.

SENECA. 86. Imperare dolori silentium non potest. Lib. 5, *de Declamat. controvers.* 5.

87. In tuis malis id agere te oportet, ut dolori tantum des quantum poscit ratio, non quantum consuetudo. *De Tranquillit. animi*, cap. 15.

88. Dolorem dies consumit, licet contumacissimum quotidie insurgentem, et contra remedia effervescentem; tamen illum efficacissimum mitigandæ ferociæ tempus enervet. *De consolat. ad Marciam.*, cap. 8.

89. Omnis magnitudo doloris modum excedentis, necesse est delectum verborum eripiat, cum sæpe vocem quoque ipsam intercludat. *De consolat. ad Helviam.*, cap. 1.

90. Dolore nihil est apud miseros potentius. *Ibid.*, cap, 2.

91. Quædam nos magis torquent, quam debeant : quædam ante torquent, quam debeant : quædam torquent, cum omnino non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præcipimus. Epist. 13.

92. Imbecillus est et ignavus, qui propter dolorem moritur : stultus, qui doloris causa vivit. Epist. 58.

93. Nulla res citius in odium venit, quam dolor : qui recens consolatorem invenit, inveteratus vero deridetur. Epist. 63.

94. Non est, nisi ex eo quod sentias, dolor. Epist. 74.

95. Summi doloris intentio inveniet finem, nemo potest valde dolere et diu. *Prosec.*

96. Sic nos amantissima nostri natura disposuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret.

97. Maxime dolores consistunt in macerrimis corporis partibus : nervi, articulique, et quidquid aliud exile est acerrime sævit, cum in arcto vitia concepit : sed cito hæ partes obstupescunt, et ipso dolore sensum doloris amittunt.

98. Hoc itaque solatium vasti doloris est, quod necesse est desinas illum sentire, si nimis senseris. Epist. 78.

99. Dolorem gravem sentio : quidni sentias, si illum muliebriter tuleris. *Ibid.*

100. Dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, cum ad sapientem pervenere, mansueta sunt. Epist. 85.

101. Plus dolet, quam necesse est, qui ante dolet, quam necesse sit. Epist. 98.

102. Plus ostentatio doloris exigit, quam dolor. Epist. 99.

103. Toto contra dolorem pugnet quisque animo : vincetur, si pugnare cesserit : vincet, si se contra dolorem suum intenderit. Epist. 78.

104. Vincetur dolor ratione, si victus est usu. Epist. 78.

105. Dolor imminet; si exiguus est, feramus, levis enim est patientia : si gravis est, feramus, non levis est gloria. *De remediis fortuitor.*

106. Dolor clamorem exprimit, dum secreta non exprimat : non potest par dolori esse, nec rationi dolor. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Desiderium*, sent. 31 ; *Lacrymæ*, sent. 37, 69 ; *Peccatum* in genere, sent. 5 ; *Pœna*, sent. 50 ; *Sanctitas*, sent. 25.

## DOLUS. *Vide* Fraus.

## DOMARE.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Nihil sic valet ad carnis desideria edomanda, sicut cogitare qualis sit futura mortua. Part. 4, tit. 4, *de Temperantia*, cap. 4, § 3.

2. Cum corpus per flagella atteritur, cor circa libidinis delectationes non vagatur. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 18.

S. AUGUST. 3. Freni gutturis temperata relaxatione et constrictione tenendi sunt. Lib. 10 *Conf.*, cap. 31.

4. Carnem vestram domate jejuniis, et abstinentia escæ, quantum valetudo permittit. Regul. 3, *ad Clericos.*

5. Id agit spiritus in domanda carne, ut solvat

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

malæ consuetudinis quasi pacta perversa, et fiat pax consuetudinis bonæ. Lib. 1, *de Doctr. christiana*, cap. 24.

6. Non ait Apostolus, Linguam nullus domare potest; sed nullus hominum : ut cum domatur, Dei misericordia, Dei adjutorio, Dei gratia fieri fateamur. *Prosec.*

7. Conetur ergo anima domare linguam, et dum conatur poscat auxilium, et oret lingua, ut dometur lingua, domante gratia. *De Natura et gratia*, cap. 15.

8. Princeps et domina carnis naturaliter anima est, quæ domare carnem debet et regere. Lib. 2, *contra Julian.*, cap. 8.

9. Non melius poterit caro luxuriosa domari, quam qualis erit post mortem præmeditari. *De Speculo peccator.*, cap. 4.

10. Linguam nullus hominum domare potest : et homo domat feram, non domat linguam; domat leonem, et non refrænat sermonem; domat ipse, et non domat seipsum. Serm. 4, *de Verbis Dom.*

11. Equus non se domat, camelus non se domat, elephantus non se domat, aspis non se domat, leo non se domat : sic et homo non se domat : sed ut dometur equus, camelus, elephantus, aspis, leo, quæritur homo; ergo Deus quæratur, ut dometur homo. *Ibid.*

12. In frænandis libidinibus et coercendis voluptatibus, ne seducat quod male blanditur, et enervet quod prosperum dicitur, continentia opus est. Serm. 1, Dom. 23, *post Trin.*

13. Summa verecundia est, et depressa dejectio, non posse linguam refrænare, et vile non posse ligare membrum. Serm. 3, *ad fratres in Eremo.*

14. Per temperantiam linguam refræna, appone ei pessulum rationis, circumcide eam maturitate discretionis. *Ibid.*

15. Restringenda est parva linguæ favilla, ne in magnam vertatur flammam, surculus ne crescat in silvam, gutta ne tumescat in fontem. *Ibid.*

16. Caro domanda est, ne impinguata, incrassata, et dilatata recalcitret. *Ibid.*, serm. 40.

17. Equum fame domares, quem fræno non posses. *De utilit. jejunii*, cap. 3.

18. Filium tuum domas, ut tibi obediat, non propterea odisti. *Ibid.*

19. Facilius est feras domare, quam linguam. *De Nat. et grat.*, cap. 15.

V. BEDA. 20. Affectus carnis, nisi mentis jure domentur, unumquemque hominem ducunt ad perditionem. In suis *Prov.*, verbo *Affectus.*

21. Ferreas mentes libido domat. *Ibid.*, verbo *Ferreas.*

S. BERNARD. 22. Refrænari debent incontinentes motus voluptatis, bestiales motus curiositatis, et cervicosi motus elationis. Serm. 3, *de Circumcis.*

23. Conculca bestiales tuos motus, quia domari debent, ne dominari prævaleant, nisi calcati fuerint, conculcabunt te; nisi premantur, opprimeut te. Serm. 4 *Ascension.*

24. Equum indomitum flagella domant, animam immitem contritio spiritus, et assiduitas lacrymarum. Serm. 1 *omnium Sanctorum.*

25. Jugo disciplinæ insolentia morum domanda est. Serm. 23, super *Cant.*

26. Durius tractandum est corpus, ne rebellet, ne insolescat : sic tamen ut servire sufficiat, quia ad serviendum spiritui datum est. *De vita solit.*

27. Puer quando nimis clamat, compescitur : sic homo censura quadam judiciali debet passiones domare. Serm. 19, in *Hexam.*

28. Corpus est verberibus, jejuniis macerandum, et vigiliis edomandum, ne sit sicut equus sine calcaribus et fræno, et sicut bos sine stimulo, qui lascivit in prato. Serm. 2, *de S. Nicolao.*

29. Turpe est, et rationi contrarium, ut ubi se refrænat brutalis natura, quæ tota in lasciviam prona est; sine fræno vivat rationalis creatura, quæ sensualitatis et carnis est domina, et non ancilla. Serm. 5, *de Una virg.*

30. Pudicitiæ est moderamine rationis petulantiam domare. In *Centiloquio*, part. 3, sect. 42.

S. BONAV. 31. Oportet carnem restringere, non extinguere; reprimere, non opprimere : ut serviat, non lasciviat; ancilletur, non dominetur. Lib. 2, *de Profectu Relig.*, cap. 1.

CLEMENS ALEX. 32. Voluptates continere, ventrique dominari, est maximi imperii. Lib. 2 *Pædagogi*, cap. 10.

DIONYSIUS CARTHUS. 33. Si vis tendere ad perfectionem, necesse est ut studeas mentis tuæ vitiosas passiones edomare. *De perf. charit.*, art. 4.

S. GREGOR. MAGNUS. 34. Quo plus caro premitur, eo de cœlesti spe animus securius lætatur. Lib. 31 *Moral.*, cap. 17, super illud *Job* XXXIX : *Terram ungula fodit.*

35. Tanto mens melius ad superna appetenda componitur, quanto ab illicitis arctius corpus edomatur. *Ibid.*

36. Spiritus per attenuationem sic carnem domat, ut tarde superbiat, et cito conquiescat. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. 1.

37. Discretione magni moderaminis, carnis cura frænanda est, ut serviat, et minime principetur, ne quasi domina animum vincat, sed subjecta mentis dominio, quasi ancilla famuletur. Lib. 9 *Moral.*, cap. 40, num. 51.

S. HIERON. 38. Tenera adhuc et primæ ætatis animalia, sine labore domari solent : quantoque citius a vagandi libertate dissueta sunt, tanto facilius vel



colla jugo, vel frænis ora insuescunt. Epist. 1, *ad Demetriad.*

39. Grande est domare luxuriam, et concupiscentiæ flammam adolescentiæ facibus æstuantem animi virtute restinguere. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

40. Quomodo potest libidinem refrænare, qui nec manum valet cohibere, nec linguam ? Lib. 16, super *Isai.*, cap. 58, super illud I *Tim.* 3 : *Jejunatis, et percutitis.*

HUGO A S. VICTORE. 41. Quando caro domatur, spiritus roboratur. Super *Regul. D. August.*, cap. 3, in illud : *Carnem vestram domate.*

42. Tantum debet quisque carnem suam domare per abstinentiam, quantum valetudo permittit naturæ. *Ibid.*

43. Sic nutrienda est caro, ut serviat : sic domanda, ut non superbiat.

HUGO CARD. 44. Qui de statu peccati egrediuntur, debent carnem domare, et sic in terram viventium ad Deum Patrem ire. Super *Gen.*, cap. 45.

45. Tantum caro domanda est, quantum valetudo permittit : id est, tantum ut carnis lascivia reprimatur, et natura custodiatur. *Ibid.*, cap. 46.

JOAN. CASS. 46. Iræ conterendus est furor, tristitiæ superanda est dejectio, vana gloria contemnenda, superbiæ calcandus est fastus, mentis quoque ipsius instabiles vagique discursus assidua Dei memoria refrænandi. Lib. 5, *de Cœnob. Inst.* cap. 10.

S. JOANNES CHRYSOST. 47. Non est vulgaris negotii refrænare cupiditatem, cohibere sitim inanis gloriæ, coercere fastum, a deliciis temperare, et in aspera degere disciplina. Conc. 3, *De Lazaro.*

48. Canes doces imperare ventri, et furorem in leone domas, et ferociam in equo, et teipsum domare nescis. Homil. 34, super *Acta Apost.*

49. Magnum est, corpus frænare. Homil. 9, *de Pœnit.*

JOAN. TRITH. 50. Adversarius noster caro, tanto nobis periculosior est, quanto vicinior : quem domari oportet, ne impugnatus insolescat : domandus, inquam, est, non occidendus. Lib. 1, *de Tentat. Relig.*, cap. 3.

S. ISID. HISP. 51. Non potest quispiam spiritalia bella suscipere, nisi prius carnis edomaverit cupiditates. Lib. 2, *de Sum. bono.*, cap. 41, sent. 1.

S. NILUS. 52. Equus bene frænatus, est corpus inedia domitum. Orat. 1, *de Gula.*

THOMAS A KEMPIS. 53. Virtuosius est passiones domare, quam dæmones fugare. *De Disciplina claustral.*, cap. 1, sect. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 54. Nulli sunt tam feri, et sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur. Lib. 2, *de Ira*, cap. 12.

55. Ut licentiosa mancipia, animi imperio coerce linguam, ventrem, et libidinem. *De morib.*

Vide etiam tit. *Gula*, sent. 93; *Libido*, sent. 49, 55, *Victoria sui*, sent. 18, 19.

## DOMINIUM, DOMINUS, DOMINARI.

S. ANTONIN. *Definitio.* Dominium est jus habendi, possidendi, et utendi aliqua re simpliciter pro libito voluntatis; vel secundum aliquem determinatum modum ex quadam superioritate et auctoritate. Part. 3, tit. 3, *de Domin.*, cap. 3, § 4.

EPICTETUS. Cujusque dominus is est, qui ea quæ ipse vult potestatem habet vel conservandi, vel eripiendi. In suo *Enchirid.*, cap. 20.

PLATO. Dominium est principatus justus quem nemo accusare potest. Syzygia 6, *de Definit.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Dominus nomen magnificentiæ, nomen est potestatis. Lib. 1, *de fine ad Gratianum*, cap. 1.

S. ANTONIN. 2. Asperitas verborum reddit dominos servis onerosos, ut non eis a servis prompto animo serviatur. Part. 4, tit. 2, cap. 5, § 7.

3. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum superiorem tecum vivere velis. *Ibid.*

4. Considerare debent domini se cum servis ab uno Deo esse productos, ad suam imaginem esse factos, et ejusdem gloriæ esse capaces. *Ibid.*

S. AUGUST. 5. In dominationibus et servitutibus clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellant dominatione. Lib. 1, *Quæst.* super *Genes.*, quæst. 133.

6. Cum quis hominibus dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est. Lib. *de Doctr. christ.*, cap. 23.

7. Homo cum dominari appetit (etsi populi serviant) ipsa ei dominandi libido dominatur. Lib. 1, *de Civitate Dei*, cap. 1.

8. Libido ista dominandi, magnis malis agitat, et conterit genus humanum. *Ibid.*, lib. 3, cap. 14.

9. In domo justi viventis ex fide, qui imperant serviunt eis quibus videntur imperare. *Ibid.*, lib. 19, cap. 14.

10. Qui contemptor gloriæ, dominationis est avidus, bestias superat crudelitate vitæ, sive fluxu luxuriæ. *Ibid.*, lib. 5, cap. 19.

11. Hominem rationalem factum ad imaginem suam, noluit Deus nisi irrationalibus dominari; non hominem homini, sed hominem pecori. *Ibid.*, lib. 19, cap. 15.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

12. Justi non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi : nec principandi superbia, sed providendi misericordia. *Ibid.*, cap. 14.

13. Qui imperant, serviunt eis quibus imperare videntur : neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 14.

14. Sicut prodest humilitas servientibus, ita nocet superbia dominantibus. *Ibid.*, cap. 1.

15. Non fere quisquam est, qui careat amore dominandi. Super *Psalm.* I, *vers.* 1 : *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.*

V. BEDA. 16. Nullus fere est, qui careat amore dominandi. Super *Psalm.* I.

S. BERNARD. 17. Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare, Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? Homil. 1, super *Missus*.

18. Quam pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur! Serm. 4, *Ascens.*

19. Ament te domestici tui : si non, facito ut timeant. Lib. 4, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

20. Non oportet ut vitia domus tuæ ultimus scias; quapropter alius aliud dispenset, de disciplina tu provide. *Ibid.*

21. Nullum venenum, nullus gladius plus formidandus est, quam libido dominandi. *Ibid.*, lib. 3.

S. BONAV. 22. Vere dominus est, qui non eget servo. Collat. 35, super cap. 6, *Joan.*

23. Vera dominatio est non pejorum excessus, sed omnis et pulchrorum et bonorum possessio, et cadere non valens fortitudo. *Prosec.*

24. Vera dominatio est servitute privata, habitu libera, nullo modo in subjectos tyrannica, dilectione flebili, severa et mansueta. *Ibid.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 25. Intolerabile jugum peccatorum, et fœda dominatio et erubescenda subjectio. Homil. 4.

CASSIODOR. 26. Necesse est devotum famulum dolore cruciari, quando irreverendissimum aliquid de domino contingit audire. Super *Psalm.* XCIX, vers. 5.

S. GREGOR. MAGNUS. 27. Cum austeritate et potentia imperant, qui subditos suos non tranquille ratiocinando corrigere, sed aspere inflectere dominando festinant. Lib. 23 *Moralium*, cap. 7.

28. Dominorum est servos alere, non negligere : delinquentes corrigere, non necare; fugientes requirere, non abdicare. Super *septem Psalm. Pœnitent.* super *Psalm.* I, vers. 1.

29. Custodia fidei dominorum fulget imperium. Lib. 5, in *Registro*, indict. 14, cap. 163, epist. 63, *ad Maurit. August.*

S. GREGOR. NAZ. 30. Ubi nullum est imperium, ibi nullus ordo : ubi multorum imperium, ibi seditio. Lib. 3, *de Theologia.*

S. INNOC. III. 31. O extrema conditio! dominum, si crudelis est, oportet vereri propter nequitiam subjectorum : si mitis est, contingit illum contemni propter insolentiam subjectorum : severum ergo metus affligit, mansuetum vilitas parvipendit. Nam crudelitas parit odium, et familiaritas parit contemptum. Lib. 1, *de Contemplat. mundi*, cap. 15.

JOAN. CASS. 32. Vere dominationem in illo non potest exercere peccatum, qui dominatur affectibus peccatorum. Collat. 21, *Abbat. Theonæ*, cap. 30.

S. JOANNES CHRYSOST. 33. Boni domini est, omnia providere quæ ad utilitatem pertinent servi : boni autem servi est, fideliter operari, et non discutere domini sui actus. Homil. 28, super *Matth. Oper. imperfect.*

S. ISIDORUS HISPAL. 34. A subjectis venerari magis, quam timeri stude : subjecti plus te revereantur, quam metuant : plus tibi officio dilectionis, quam necessitate adhæreant. *Prosec.*

35. Talem te redde subditis, ut magis ameris, quam timearis.

36. Ex reverentia enim amor procedit, odium timor affert, fidem metus tollit, affectus restituit.

37. Quapropter tempera dominii austeritatem, summa bonitate subditos rege : nec sis terribilis, sed amabilis in subjectis.

38. Sic eis dominare, ut tibi delectentur servire, et in disciplina et in modestia modum para : nec nimium, nec parum indulgeas, nec modicum, nec satis ignoscas. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 16.

S. LAURENT. JUSTIN. 39. Non natura, sed infirmitas et superbia fecit hominem hominibus dominari.. *Prosec.*

40. Nusquam reperies quod Deus mandaverit, ut hominibus dominarentur homines : verum ut homo homines regeret, hoc in divinis frequentissime claret eloquiis. *De Regim. prælat.*, cap. 2.

S. LEO I. 41. Dum dominari magis, quam consulere subditis quæritur : placet honor, inflat superbia. Epist. 84, *ad Anastas. episc. Thessalon.*, cap. 1.

PETR. BLES. 42. Sæpe multorum dominatio, eorum est damnatio. *Prosec.*

43. Quot paupertas ad cœlum promovet, tot cum dignitatibus suis infernus absorbet. Epist. 131, *ad quemdam Prior.*

SALVIANUS. 44. Boni domini bonus famulus. Lib. 3, *de Gubernatione Dei.*

45. In domo sua dominus quasi corporis sui caput est, et vita ejus cunctis norma vivendi. *Ibid.*, lib. 7.

46. Morbido autem capite nil sanum est : neque ullum omnino membrum officio suo fungitur, ubi quod est principale non constat. *Ibid.*



SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 47. Dominus est, non in possidendo servos, sed in utendo servis. Lib. 1 *Polit.*, cap. 4.

48. Equum maxime pinguem facit oculus domini. Lib. 1, *Œconomic.*, cap. 6.

PLATO. 49. Eum, qui nunquam servivit, nec bonum laudabilemve unquam dominum futurum, perspicuum est. lib. 6, *de Legibus.*

SENECA. 50. Ille multorum est dominus, sed plurium, scilicet vitiorum, servus. Epist. 9.

51. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem velles vivere. *Prosec.*

52. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in servum liceat, veniat in mentem tantumdem in te domino tuo licere. Epist. 47.

53. Servis tuis hilarem te præstes, non superbe superiorem : colant potius te, quam timeant. Epist. 47.

54. Dominus, qui in servos irascitur, et crudelis est, satis ostendit potestatem adversus alienos sibi defuisse. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Servitus*, sent. 21, 23, 31; *Timor*, sent. 75.

## DOMUS.

COLLECTOR. *Definitio.* Domus proprie est ædificium ad habitaculum factum, quod ex tecto et pariete constat.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Bona domus, in ipso vestibulo agnosci debet, ac primo prætendat in gressu, nihil intus latere tenebrarum. Lib. 2, *de Virginibus.*

S. ANTONIN. 2. Domus est tutissimum hominis receptaculum. Part. 4, tit. 2, cap. 6, § 2.

3. Mulieris est domi philosophari, id est in domo operosam continue se reddere, et a discursibus se cohibere. Part. 4, tit. 2, *de Prudentia*, cap. 5, § 2.

S. ANTONIUS DE PADUA. 4. Beata illa domus, quam sapor sapientiæ afficit, in qua ipsa sapientia requiescit. Serm. *Dom.* 10, *post Trin.*

5. Domus ex tribus consistit : fundamento, parietibus, tecto; in fundamento, humilitas; in parietibus, virtutum congeries; in tecto, charitas notatur. *Ibid.*

S. AUGUST. 6. Domus nulla tam felix, in qua non aliquod flagitium extiterit. Epist. 137, *ad Clerum.*

7. Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, et inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam Arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est. *Prosec.*

8. Aut melior sit quam domus Abrahæ, ubi dictum est : Ejice ancillam et filium ejus.

9. Aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est : Jacob dilexi, Esau odio habui.

10. Aut melior sit quam cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni, perfidum et furem Judam toleraverunt.

11. Aut melior sit postremo, quam cœlum, unde Angeli ceciderunt. *Ibid.*

12. In domo justi viventis ex fide, qui imperant, serviunt eis, quibus videntur imperare. Lib. 19, *de Civitate Dei*, cap. 14.

13. Ubi caro imperat, et spiritus servit, perversa domus est. Recta domus est, ubi vir imperat, femina obtemperat. Tract. 2, super cap. 1, *Evang. Joan.*

14. Si negotiationis domus, non debet fieri domus Dei, dissolutionis debet fieri? *Ibid.*, tract. 10, de cap. 2, super illud : *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.*

15. Diabolus intrare non potest domum, in qua pax dominatur. Serm. 2, *ad fratres in eremo.*

16. Alii ita sunt in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei : alii autem ita dicuntur esse in domo Dei, ut non pertineant ad compagem domus. Lib. 7, *contra Donatist.*, cap. 51.

17. Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei? *De decem chordis*, cap. 10.

18. Lætitia domus lætitiam significat eorum qui lætantur in domo, etiamsi non eos domus ipsa, sed alia res lætos faciat. Lib. 11, *de Civit. Dei*, cap. 8.

19. Adduc ad domum Dei tecum, qui in domo tua sunt tecum : vel non te pigeat in domum Dei cum illis venire, qui in domum tuam soliti fuerant convenire. Epist. 66.

20. Filii cum parentibus unam domum habent suam, et domum Dei non habent unam. Epist. 147.

21. Domum tuam intras propter requiem temporalem, domum Dei intras propter requiem sempiternam. Si ergo in domo tua ne quid perversum fiat satagis : in domo Dei non debes ferre quantum in te est, si quid forte perversum videris. Tract. 11, super *Joan.*

22. Domus Dei adhuc ædificatur. *Ibid.*, tract. 68.

23. Infelix, qui habitationem inimico accommodans, de se arma ministrat adversario. Orat. 36. S. BASILIUS SELEUC.

24. Felix domus est, ubi de Maria et Martha conqueritur : nam Mariæ Martham æmulari, indignum prorsus est. Serm. 3 *Assumpt. B. M.* S. BERNARD.

25. Mira abusio? domus ardet, ignis instat a tergo, et fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi, ab his qui in incendio positi sunt. Epist. 111.

26. Quid est negligentia gubernantis domum?

ignis validus in domo accensus. Epist. *de Cura et regim. rei familiaris.*

27. Si vis ædificare domum, inducat te necessitas, non voluntas : cupiditas enim ædificandi, ædificando non tollitur. *Ibid.*

**BOETIUS.** 28. Famuli si vitiosi moribus sunt, perniciosa domus sarcina est. Lib. 2, *de Consolat. philosoph.*, prosa 5.

29. Humili domum momento certus figere saxo. *Ibid.*, lib. 2, metr. 4.

**S. BONAV.** 30. Domus alta, non in petra, sed in arena fundata, semper minatur ruinam : et tanto major est, quanto situm obtinet altiorem. Serm. 2, *de S. Bartholom.*

31. Fundata domus in arena, semper minatur ruinam : nec a casu potest esse tuta, nisi diligentissime fuerit conservata. Serm. 6, *de SS. Apostol.*

**CLEMENS ALEX.** 32. Res est pulcherrima, mulier domus custos. Lib. 3 *Pædagogi.*, cap. 11.

**FRANCISCUS TITELM.** 33. Recte domus et habitacula, in quibus super terram homines inhabitant, tabernacula vocantur, quoniam minimum temporis in eis permittuntur demorari, neque ulla in eis fixa aut stabilis mansio est. In *Annot. super Psalm.* XLVIII, vers. 11.

34. Frequenter contingit, ut mox, postquam ædificatæ fuerint divitum domus, morte absorbeantur : imo nonnunquam et priusquam ad perfectum structura fuerit perducta, coguntur, velint, nolint, erectas multis laboribus posteris delinquere. *Ibid.*

35. Sit domus Christiani hominis, immunis a chora diaboli, sit plane humana, sit hospitalis. Tract. 8.

**S. GREGOR. MAGNUS.** 36. In domo Domini nil noxium, nilque debet esse confusum. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 110, epist. 110, *ad Syagrium episcop.*

**S. HIERON.** 37. Nec quid agatur in una domo, domus alia per te noverit. Epist. 2, *ad Nepotian.*

38. Instar palatii, privatorum extructæ sunt basilicæ, ut vile corpusculum hominis pretiosius inambulet, qui tecta sua volunt magis aspicere, quam cœlum. Epist. 18, *ad Marcellam.*

**HUGO A S. VICTORE.** 39. Domus Dei, totus est mundus ; domus Dei, Ecclesia Catholica est : domus Dei, etiam est quilibet fidelis. *Prosec.*

40. In mundo est, ut Imperator in regno : in Ecclesia est, ut pater familias in domo : in anima est, ut sponsus in thalamo. Lib. 1, *de Arca Noe Morali*, cap. 1.

**HUGO CARD.** 41. Domus Dei est, humanitas Christi, beata virgo, quælibet anima fidelis, conscientia pura, corpus justi, fides, quælibet virtus, ecclesia militans, ecclesia triumphans, religio, hospitale pauperum, vita activa, vita contemplativa, sacra scriptura. Super *Psalm.* XXV.

42. Tanta est stultitia hominum, ut ita ædificent domos, et præparent, et repleant, ac si semper essent victuri : de cœlesti vero domo construenda adeo negligentes sunt, quasi non essent in ea nisi per biduum, aut triduum moraturi. Super *Ecclesiasten*, cap. 9.

43. Omnis domus Dei, ubicunque sit, pauperum est, et omnia ejus bona. Super *Matth.*, cap. 5.

**S. JOANNES CHRYSOST.** 44. Domus non extruitur, nisi sit qui ædificet. Homil. 3, super *Genes.*

45. O stultos homines illos, qui pauperibus maledicunt, dicentes inopia universam perturbari vitam, et dedecore claras nonnunquam domos maculari. *Prosec.*

46. Quod est enim hoc dedecus? dic quæso. Non est sibi constructus ebore lectulus, non argentea vasa : sed samia cuncta sunt, et lignea, ac magna istud gloria et nobilitas domus est.

47. Quare cum ab exterioribus nimium pendere hominem videas, tunc de decore illius erubescere debes : nullus enim habitus, nulla honesta species in divitum ædibus aspicitur.

48. Nam quando vides ligna peripsematibus velata, lectos exornatos argento, quasi in theatro, et superba scenarum pompa, quid hac deformitate deformius fieri potest?

49. Quæ igitur domus orchestræ, ac tripudiorum locis similis est, divitisne an pauperis? Divitis certe, hæc ergo dedecoris plena est.

50. E regione autem, quæ domus Pauli, aut Abrahæ domui conferri potest? nonne domus inopis?

51. Hæc igitur optima atque probatissima domus est : quod ut melius discas, Zachæi domum cogitatione ingrediaris, et considera, cum audisset Christum apud eum mansurum, quomodo eam ornavit.

52. Sic et nos, oro, domos nostras exornemus, ut Christum suscipere mereamur : hæc pulcherrima sunt portarum velamina, ibi cœlorum rex habitat.

53. Vilitas enim et deformitas domus, non a vasis inordinate projectis, non a neglecto lectulo, non a muris fumo decoloratis, sed ab improbitate habitantium cernitur.

54. Quod inde Christus ostendit, quia virtute habitantis vel vilissimas petere casas non dedignatur : ad improborum autem ædes, etiamsi aureis contegantur laquearibus, nunquam tamen ingreditur.

55. Illa igitur regia domus rutilantissima est, in qua Dominus omnium habitat ; hæc vero



quamvis aureis tectis, ingentibusque columnis constet, cloacis tamen, et omni sorditie confluentibus rivis similis est, cum diaboli vasa in ea contineantur.

56. Quapropter nusquam videmus Christum in splendidas ædes divertisse, sed regiis omissis, et molles indutis purpuras posthabitis, publicanorum casas et piscatorum eligebat.

57. Quare tu etiam, cum ipsum in domum tuam vocare volueris, eleemosyna, orationibus, supplicationibus, vigiliis ipsam diligenter ornato.

58. Quas ob res nemo vilitate domus erubescat si his ornamentis eam decorat. Homil. 84, super *Matth. Oper. perf.*

59. Sicut sancti domus facti sunt Christi, ita impii domus sunt diaboli. Homil. 20, super *Matth Oper. imperf.*

60. Mundus domus est diaboli : sicut enim in domo Dei malum non est, ita in domo diaboli non invenitur bonum. *Ibid.*, homil. 29.

61. Vis domum Dei ædificare? da fidelibus pauperibus unde vivant, et ædificasti rationabilem domum Dei : in domibus enim homines habitant, Deus autem in hominibus sanctis. *Ibid.*, homil. 45.

62. Si in hac vita ut splendidas nobis domos et salubres comparemus, magnam pecuniarum vim ædificando anxii consumimus : qui nobis subeundi sunt labores, ut clarissimam nobis in cœlis domum ædificemus, ubi lux illa ineffabilis est? Homil. 55, super *Joan.*

63. Quæ tibi domus utilitas, o homo? numquid ipsam tecum ducens abibis? Non certe, sed animam ducens migrabis, et tamen domum potius quam animam ornas : quomodo non turpe est marmoribus parietes frustra et temere contegere, Christum vero nudum circumeuntem negligere. Homil. 2, *ad Pop. Antioch.*

64. Domus necessitate major, in cœlos transitum impedit. *Ibid.*

65. Vis magnas et splendidas domos ædificare? ædifica tabernacula in cœlis, ut et alios suscipere possis, tabernacula nunquam delenda. *Ibid.*

66. Qui splendidas domus ædificat, post tantos labores, tantosque pecuniarum sumptus inutiles, miser est : et quamvis ita laboret, ut immortalem servet sui memoriam, tamen non est hoc tam laudem, quam crimen sibi parere. *Prosec.*

67. Nam statim ad hæc subjungentur plurimarum contumeliarum verba : Domus hæc hujus est avari, hujus rapacis, hujus viduarum et orphanorum spoliatoris. Hoc non est memoriam assequi, sed infamari. Homil. 30, super *Gen.*

68. Civitas ac domus si fuerit scissa, dissolvetur. Homil. 42, super *Matth. Oper. imperf.*

**LACT. FIRM.** 69. Justi et sapientis viri domus non debet illustribus patere, sed humilibus et abjectis. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 12.

**PETR. BLES.** 70. Non aliquo singularitatis obtentu deseras domum tuam, ne alibi domum tibi ædifices ad gehennam. In *Invectiva contra Depravatorem.*

**PHILO JUD.** 71. Da operam, o anima! ut fias Dei domus sacrosancta, robusta reddita e debilissima, potens ex impotente, ex imprudente intelligens, e delira sapientissima. *De Somniis.*

**S. THOMAS AQUINAS.** 72. Domus sine triplici conjunctione, scilicet viri et uxoris, patris et filii, domini et servi, non est perfecta. Quæst. 58, art. 7.

**THOMAS A KEMPIS.** 73. Omnis bona domus debet habere fundamentum firmum, parietes rectos, fenestras claras, et tectum integrum. Serm. 30, *ad Novit.*, divis. 1.

74. Claude ostium domus tuæ, et eris in pace. In *Hortulo rosar.*, cap. 11.

**IN VITIS PATR.** 75. Quid opus est alienam domum ædificare, et propriam subvertere? In *Sent. in fine positis*, sent. 79.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

**CICERO.** 76. Ornanda est dignitas domo, at non ex domo tota quærenda ; nec domo dominus, sed domino domus est honestanda. Lib. 1, *de Officiis.*

**MIMUS PUB.** 77. Cui nusquam domus est, sine sepulcro est mortuus. In suis *Sent.*, sent. 112.

**SENECA.** 78. Domus munimentum sit adversus infesta corpori. Epist. 8.

79. Sic habita, ut potius laudetur dominus, quam domus. *De Moribus.*

80. Nulla pusilla domus, quæ multos amicos capit. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Ædificium*, sent. 31 ; *Disciplina*, sent. 6 ; *Dominus*, sent. 20 ; *Episcopus*, sent. 47 ; *Infernus*, sent. 84 ; *Nobilitas*, sent. 132 ; *Regimen*, sent. 127, 128, 191.

## DONUM.

**PLATO.** *Definitio.* Donum est gratiæ commutatio. *De Definit.*

**S. ISIDORUS HISPALENS.** *Differentia.* Inter munus et donum hoc interest, quod munus accipientis sit, donum dantis : illud a muniendo, istud a dando. Lib. 1, *de Differentiis*, differ. 108.

**PHILO JUD.** Observa dona differre a muneribus : illa enim magnitudinem bonorum præ se ferunt, hæc intra parvum modum contrahuntur. Lib. 2, *Legis allegoriarum.*

SENTENTIÆ PATRUM.

**S. AMBROS.** 1. Quidquid ex affectu puro ac sincero promitur, hoc est decorum. Lib. 2 *Offic.*, cap. 21.

2. Qui non habet quod donet, adscribi ei culpa

non potest, quod non donaverit : qui autem habet quod donet, et non dat, utique obnoxius esse incipit peccato. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 9, vers. 5.

3. Perit omne quod perditis datur. Serm. 81.

S. ANSELM. 4. Plus dat, qui arborem simul cum fructibus, quam qui solos fructus dat. *De similitud.*, cap. 84.

S. ANTONIN. 5. Datum offuscat, qui cum tristitia dat, vel illud extollit. Part. 4, tit. 4, *de Temperantia*, cap. 1, §7.

S. ATHANAS. MAGNUS. 6. Nemo amplius dedit, quam qui sibi nihil reservavit. In *Exhort. ad Monachos*.

S. AUGUST. 7. Nemo est donis Dei beatus, qui donanti existit ingratus. *De Bono viduit.*, cap. 16.

8. Qui dat, sic servet hilaritatem, ut qui accipit non perdat securitatem. *De amicitia*, cap. 25.

9. Deus, non cui detur, sed quo animo detur, attendit. Lib. 21, *de Civit. Dei*, cap. 27.

10. Habet semper unde det, cui plenum pectus est charitatis. Super *Psalm.* XXXVI, vers. 22.

11. Vis ut Deus det se tibi? quid si quod vis habere, non vult ipse ut habeas, ut se sibi det? impedimenta removet, ut intret ad te, et se tibi det. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 4.

12. Deus dare vult, sed non dat nisi potenti, ne det non capienti. Super *Psalm.* CII, vers. 5.

13. Quando non dat Deus, ideo non dat, ne obsit quod dat. Super *Psalm.* CXLIV, vers. 16.

14. Totum habet, qui bonam voluntatem habet : ipsa est quæ potest sufficere, si cætera non sint. Si autem sola desit, nihil prodest quidquid habitum fuerit : sola sufficit, si adsit. Homil. 8, *Ex quinquaginta Hom.*

15. Omnia dona temporalia figuræ sunt donorum æternorum. *Contra Adimant.*, cap. 20.

16. Bona mea, dona tua sunt. Lib. 10, *Conf.*, cap. 4.

17. Res prospera, donum est consolantis : res adversa, donum est admonentis Dei. Epist. 87.

V. BEDA. 18. Bis dat, qui dat celeriter. In suis *Proverb.*, verbo *Inopi*.

S. BERNARD. 19. Nonne jure perditum reputatur, quod ingrato donatum est? aut dedisse non pœnitet, quod perisse videtur? Serm. 2, *de Septem panibus*.

20. Cavendum est ex his aut dare quod nobis accepimus, aut quod erogandum accepimus, retinere. Serm. 18, super *Cantic.*

21. Numquid non perit, quod donatur ingrato? *Ibid.*, serm. 51.

22. Quis dare velit quod dedisse dedeceat, accepisse non prosit?

23. Libenter do, invitus perdo : scimus quoniam sperandi grandia, modica minus grata venire solent : quod autem non venit gratum, perditum est, non datum.

24. Scio quidem dare quam accipere beatius esse; sed si detur quod danti honestum est, accipienti utile sit. Epist. 153, *ad Bernard. de Portis*.

25. Nullus se poterit excusare, quin omni petenti se tribuat : qui autem dare non possunt, tam afflicti, quam voluntaria paupertate coacti, voluntatem dare tenentur. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 31.

26. Plus te delectet dare, quam accipere : melius est enim dare, quam accipere. Serm. 44, *ad Soror.*

S. DONAT. 27. Mimis et histrionibus dare, nihil aliud est, quam dæmonibus immolare. Super *Lucam*, cap. 16, in illud : *Omni petenti te tribue*.

28. Copiosius donat, qui ex majori corde donat. *Ibid.*, cap. 21.

29. Dona perfecta gratuita, perficiunt dona optima naturalia. *De Septem donis Spirit. sancti in genere*, cap. 2.

30. Minima dona per magna reputa, eris et dignus majora accipere. In *Alphabeto Religiosorum*, lect. 12.

S. FULGENT. 31. Tanto quis deterioris tenetur superbiæ reus, quanto in melioribus donis existit ingratus. *Prosp.*

32. Damnabilis est, qui substantia sæculi male utitur : sed damnabilior est, qui spiritalibus donis superbus efficitur. Epist. 6, *ad Theodorum*.

GLOSS. INT. 33. Voluntas dantis a Deo pensatur, non dati quantitas. Super *Tobiam*, cap. 4.

GLOSS. ORD. 34. Quidquid bono animo non datur, apud Deum gratiam non meretur. Super *Ecclesiastic.*, cap. 8.

35. Qui invitus dat propter præsentem pudorem non habet mercedem. Super II, *ad Cor.*, cap. IX in illud : *Non ex tristitia*, etc.

36. Qui spiritualibus donis dotati sunt, terrenis non debent negotiis implicari : cavendum est tamen, ut hi qui donis spiritualibus emicant, nequaquam proximorum infirmantium negotia funditus deserant. Super I, *ad Cor.*, cap. 6.

37. Large dat, qui affectum largiendi habet, et si nihil habeat quod largiri possit. Super II, *ad Cor.*, cap. IX in illud : *Hilarem datorem diligit Deus*.

GRATIANUS. 38. Eorum, qui pauperes opprimunt, dona sunt refutanda. In *Decret.*, part. 1, dist. 90, can. *Eorum*.

S. GREGOR. MAGNUS. 39. Plerumque mali, qui provocari donis ad meliora debuerant, donis pejores fiunt. Lib. 11, *Moral.*, cap. 2.

40. Quisquis dona percipit, sed donorum tempora nequaquam etiam flagella pertimescit, in



elationem per lætitiam corruit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

41. Omne quod datur, dantis mente pensatur. *Ibid.*, lib. 22, cap. 8.

42. Quoties digna consideratione aliqua merentibus conceduntur, et Deum lætificant, et ipsum ditant sine dubio largientem. Lib. 10, in *Registro*, indict. 5, cap. 2, epist. 3 *ad Anastas. episc. Antiochen.*

43. Quid dat pauper, nisi ea quæ pauperis sunt? *Ibid.*, lib. 7, indict. 1, cap. 3, epist. 3 *ad Anastas. episc.*

44. Non in omnipotentis Dei judicio quid datur, sed a quo datur aspicitur. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 126, epist. 126 *ad Recharedum regem Visigothor.*

45. Dum per occultum tumorem apud semetipsum extollitur, ejus qui donum tribuit, gratia privatur. *Ibid.*

46. Necesse est ut de dono cœlesti et timendo gaudeas, et gaudendo pertimescas. *Ibid.*, lib. 9, indict. 4, epist. 59 *ad August. episc. Anglor.*

S. GREGOR. NAZ. 47. Donando magnificus, jucundius dat, quam alii accipiunt. Orat. 3, *de Sancto lavacro*.

S. HIERON. 48. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati; beatius est enim dare, quam accipere. Nescio quomodo etiam ipse qui deprecatur ut tribuat, cum acceperis, viliorem te judicat, et mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur. Epist. 2, *ad Nepotian.*

49. Non est grata donatio, si unus offerat rem duorum. Epist. 14, *ad Celantiam*.

S. JOANNES CHRYSOST. 50. Dat Deus temporalia bonis et malis, sed se non dat, nisi tantum modo bonis. Homil. super *Psalm.* XXXIII.

51. Dona pauperum, lucra sunt animarum. Serm. *de Zachæo*.

52. Donum non est accipientis meritum, sed largitoris liberalitatis gratificatio. Serm. *de Verb. Apostol. Habentes eumdem spiritum*, etc.

53. Non quæritur num multa quisque dederit, vel modica; sed an non minus dederit, quam potuerit. Serm. 1, super *Epist. ad Coloss.*

LACT. FIRM. 54. Perit quidquid gratiæ causa tribuitur non indigentibus, aut cum fœnore redit. Lib. 6, *de Divin inst.*, cap. 11.

S. LEO I. 55. Semper illi quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit. Serm. 1, *de Jejun. decimi mensis*.

56. Temporale donum, in præmium transit æternum. Serm. 2, *de Jejun. septimi mensis*.

S. THOMAS AQUINAS. 57. Quicunque dat aliquid quod multiplicatur sibi debet prompte, abundanter, et hilariter dare. Super II, *Cor.*, cap. 9.

58. Qui obligat se ad dandum aliquid minus, non reputatur reus, si dederit majus. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 25.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 59. Gratia sequitur eum, qui dat, non eum qui non capit; et laus etiam magis : facilius est etiam non accipere, quam dare. Lib. 4 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 1.

CATO POET. 60. Quod donare potes, gratis concede roganti. Lib. 4 *Distichor.*, metr. 19.

PLATO. 61. Manus manum fricat : da aliquid, et cape aliquid. In dialogo. *Axiochi*.

SENECA. 62. Ne cessaveris dare, opus tuum perage, et partes boni viri exequere. Lib. 1, *de Benefic.*, cap. 2.

63. Non quid fiat, aut quid detur refert, sed qua mente. *Ibid.*, cap. 6.

64. Multo gratius venit, quod facili; quam quod plena manu datur. *Ibid.*, cap. 7.

65. Non quanti quæque sint, sed a quali dentur, perspiciendum est. *Ibid.*, cap. 9.

66. Sic demus, quomodo vellemus accipere : ante omnia libenter, cito sine ulla dubitatione. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1.

67. Qui tarde dedit, et diem extrahens profuit, non ex animo fecit. *Ibid.*, cap. 5.

68. Idem est quod datur, sed interest quomodo detur. *Ibid.*, cap. 6.

69. Quam dulce, quam pretiosum est, si gratias sibi agi non est passus, qui dedit : si dedisse, dum dat, oblitus est. *Ibid.*

70. Omni genere, quod des, quo sit acceptius, adornandum est. *Ibid.*, cap. 8.

71. Qui quod dedit imputat, gratiam destruit : et qui quantum det ostendit, munus suum non commendat, sed exprobrat. *Ibid.*, cap. 15.

72. Æstimanda est persona, cui damus. *Ibid.*

73. Non refert quid sit quod datur, nisi a volente volenti detur. *Ibid.*, cap. 18.

74. Turpissimum genus perdendi est, inconsulta donatio. *Ibid.*, lib. 4, cap. 10.

75. Stultum est dare alicui, quod accipere non possit. *Ibid.*, lib. 7, cap. 13.

76. Non est magni animi, dare, et perdere : sed hoc est magnanimi, perdere et dare. Lib. 7, *de Offic.*, cap. ultim.

77. Plurimum interest, utrum quis dare sciat, servare nesciat : multi sunt enim, qui non donant, sed projiciunt. Epist. 128.

78. Id quod datur nec bonum, nec malum est : animus est, qui parva extollit, sordida illustrat, magna et in pretio habita dehonestat. Lib. 1, *de Benefic.*, cap. 6.

79. Magis nos obligat, qui dedit parva magnifice, qui regum æquavit opes animo : qui exiguum tribuit, sed libenter. *Ibid.*, cap. 27.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**SIXT. PHIL.** 80. Occasiones donorum perquire, etiam cum labore. Sent. 92.

81. Quæcunque dat mundus, nemo firmiter tenet. *Ibid.*, sent. 390.

Vide etiam tit. *Dilatio*, sent. 12, 13 ; *Eleemosyna*, sent. 24, 26, 27, 28, 44, 99, 100, 101, 102 ; *Eucharistia*, sent. 32 ; *Ingratitudo*, sent. 18 ; *Insidiæ*, sent. 26, 23 ; *Misericordia in genere*, sent. 95, 96, 98 ; *Opus*, sent. 82 ; *Reddere rationem*, sent. 30 ; *Virtutes theolog.*, sent. 69.

## DORMIRE.

**CASSIODOR.** *Definitio.* Dormire est a sensibus carnis remissa mentis intensione requiescere. Super *Psalm.* XL.

Dormire est ad actus vitæ nostræ reparatio animi vigore remeare. *Ibid.*

**S. GREGOR. NYSS.** Somnus nihil aliud est, quam brevis et temporaria mors. *De somno et vigilia*, Habetur apud D. Joan. Damascen., lib. 3 *Parall.* 88.

**HUGO CARD.** *Divisio.* Est dormitio quadruplex, scilicet dormitio naturæ, dormitio mortis, dormitio culpæ, dormitio gratiæ. Super *Genes.*, in cap. 8.

**DIONYSIUS CARTHUS.** *Comparatio.* Sicut corporaliter dormit, qui oculos carnis tenet clausos, nec utitur ratione ; sic spiritaliter quod dormit qui oculos mentis ad ea quæ Dei sunt, ac suæ salutis, non aperit. Super *Apocal.*, cap. 3, art. 4.

### SENTENTIÆ PATRUM.

**S. AMBROS.** 1. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fit : et tamen cum quiescit corpus, vigilet animus. *Prosec.*

2. Qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat. Lib. 2, *de Virginib.*

3. Dormiat caro tua, vigilet fides ; dormiant illecebræ corporis, vigilet cordis prudentia. In *Exhortat ad Virgines.*

4. Perfidis dormit Jesus, fidelibus vigilat. Super *Psalm.* XLIII.

5. Grave est si te otiosum in stratis radius, solis orientis inverecundo pudore inveniat. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 19, vers. 4.

**S. ANTONIN.** 6. Nec somnus Sanctorum vacat a merito. Part. 4, tit, 9, cap. 1, § 2.

**S. ARSENIUS** 7. Sufficit una hora Monacho ad dormiendum, si pugnator fuerit, et adversarius vitiorum. Habetur apud Joannem Trithemium. Homil. 17, *ad Monachos.*

**S. AUGUST.** 8. Si dormiat fides vestra, dormit Christus in vobis : in quo autem non dormit fides, vigilat Christus. Super *Psalm.* CXX, vers. 4 : *Ecce non dormitabit*, etc.

9. Vigilat hostis, dormis tu ? Super *Psalm* LXV.

10. Cum dormis, benedicat anima tua Dominum : non te excitet cogitatio flagitii, non te excitet depositio furti, non te excitet condicta forte corruptio. Innocentia tua etiam in dormiente, vox est animæ tuæ. Super *Psalm.* CII, vers. 1.

11. Medicamentum lassitudinis, somnus est : medicamentum fatigationis, dormitio est, medicamentum dormitionis, vigilatio est. Homil. 38, *Ex quinquaginta Hom.*

**S. BERNARDIN. SEN.** 12. Nimia dormitio hebetem ad virtuosa reddit hominem, et inertem : negligentiam parit et fovet, ex quo faciliter mens ad casum omnibus tentationibus patet. Serm. 1, *de Christiana vita*, art. 1, cap. 2.

**S. BERNARD.** 13. Dormiens in contemplatione, Deum somniat. Serm. 18, super *Cant.*

14. Non est tutum dormire vicinis serpentibus. Epist. 241, *ad Tholosanos.*

15. Cave in quantum potes, serve Dei, ne totus aliquando dormias : ne sit somnus tuus non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati : non reparatio, sed extinctio spiritus tui. *De vita solit.*

16. Suspecta res est somnus, et ex magna parte ebrietati similis. *Ibid.*

17. Iturus ad somnum, semper aliquid boni defer tecum in memoria, vel cogitatione ; in quo placide obdormias, quod nonnunquam etiam somniare juvet. *Ibid.*

18. Sobrium cibum sequitur sobrius somnus. *Ibid.*

19. Ruminantem psalmos somnus te occupet, ut in somno somnies te dicere psalmos. In *Formula honestæ vitæ.*

**S. BONAV.** 20. Vere periculosus est somnus negligentiæ : Noe dormiens denudatur, Tobias dormiens excæcatur, Isboseth dormiens jugulatur. Serm. 4, *Dom. 2, post Epiph.*

21. Stultum est, et rationi contrarium, ibi dormire, ubi est vigilandum. Serm. *S. Petro ad vincula.*

22. Valde turpe est, ut brutum volatile pro sua salute vigiliam tentat, et rationale animal dormiat. *Prosec.*

23. Nam et leo si cogente natura dormiat, semper tamen ejus oculi vigilant, eo quod eos dormiendo non claudat.

24. Lepusculus etiam, quando dormit nunquam oculos claudit ; in quibus docemur non dormire, sed semper vigilare. Serm. 4, *de Angelis.*

25. Beatus Arsenius dixit, quod Monacho sufficeret, si una hora dormiret. Væ igitur illis miseris, qui tota nocte dormiunt, ut in die vanitatibus intendant. *Ibid.*



**CLEMENS ALEX.** 26. In lanuginosis plumis dormire, est noxium. lib. 2 *Pædadogi.*, cap. 9

**S. CYPRIAN.** 27. Christianus cum dormit oculis, debet corde vigilare. *De Orat. Dominica*, cap. 14.

28. Non dormiat in thesauris suis, qui pauperes dormire non sinit. *De duodecim Abusion.*, cap. 4.

**GILLEBERT. ANGLUS.** 29. Amantis anxietas illum dormire non sinit. Serm. 2, super *Cant.*, apud S. Bernard., num 6.

**S. GREGOR. MAGNUS.** 30. Dormire est, in peccatis jacere. Lib. 8 *Moral.*, cap. 6.

31. In terrenis desideriis oculos mentis claudere, in pulvere dormire est. *Ibid.*, lib. 15, cap. 34.

**S. HIERON.** 32. Insidiatur hostis ut rapiat, et tu frondosæ arboris tectus umbraculo molles somnos, futurus præda, carpis? Epist. 1, *ad Heliodor.*

33. Nulla securitas est, vicino serpente dormire : potest fieri ut me non mordeat, tamen potest fieri ut aliquando me mordeat. Epist. 6, *advers. Vigilant.*

34. Non prius corpusculum requiescat, quam animam pascat. In *Regula Monachor.*, cap. 14, *de Contemplat.*

35. Monachus, qui non vigilat, sed dormit, non custodit se. Super *Psalm.* LXXVI, vers. 4.

**S. HILARIUS.** 36. Qui dormit, in ipso somni opere est : qui autem dormitat, antequam dormiat, dormitat. Super *Psalm.* CXVIII, vers : *Adhæsit pavimento anima mea.*

**HUGO A S. VICTORE.** 37. Somnus officium membrorum tollit, paulatim serpit, phantasmata ingerit, corpus aggravat, postea ipsum fovet ad laborem. Lib. 4, *de Propriet. rerum.*, cap. 17.

**HUGO CARD.** 38. Turpe est Christiano, si radius solis eum invenerit otiosum in lecto. Super *Psalm.* V.

39. Usurarius nunquam dormit, sicut diabolus. Super *Psalm.* XIV.

40. Laqueos comedis et bibis, et in laqueis quiescis et dormis. Super *Prov.*, cap. 2.

**JOAN. CASS.** 41. Nullatenus poterit fragilis caro ita totius noctis quiete fraudari, ut per consequentem diem sine dormitatione mentis animique torpore inconcussam possit servare vigilantiam. *De Cœnob.* lib. 3, *de Noct. Orat.*, cap. 8.

42. Somnus sanitatis, in mediocri satietate consistit. Homil. 16, super *Acta Apost.*

**S. JOANNES CHRYSOST.** 43. Qui naturali somno quiescit, nec bonum, nec malum operatur. Homil. 50, in *Genes.*

44. Dormit, qui in peccatis est. Serm. 18, super *Epist. ad Ephes.*

**JOAN. TRITH.** 45. Periculosum est se in eo statu reponere ad lectum, in quo quis mori non vellet. In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Hinc.*

46. Dormiendi consuetudo postquam Monachum semel captivum abduxerit, raro liberum permittit. Lib. 1, Homil. 17, *ad Monachos.*

47. Somnus multus est comes et soror libidinis, raptor vitæ hominis, imago mortis, oblivionis conciliator, inertiæ conjux. *Ibid.*

48. Somnus immoderatus stomachum corrumpit, cerebrum lædit, cor simul et animam dissolvit. *Ibid.*

49. Frequenter somno deditus sapientiam spernit, castitatem prostituit, animæ salutem negligit, tempus pretiosum perdit, mentem interficit, vitia nutrit. *Ibid.*

**S. PETRUS CHRYSOL.** 50. Quam secure dormit, qui Deum suorum meruit habere custodem. Serm. 7.

51. Quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? quid tam vita plenum, quam forma vigilantis? *Prosec.*

52. Indulgendum est somno, ut corpus reparet, non resolvat : et vires revocet, non enervet. *Ibid.*, serm. 24.

**S. PETRUS DAMIANUS** 53. Præveniat somnus accubitum, non accubitus somnum : ut quo difficilius necessitas dilata conceditur, a fessis membris avidius rapiatur. *Opusc.* 48, cap. 11.

**THOMAS A KEMPIS.** 54. Sit lectus tuus velut sepulcrum, in quo quieturus es modicum, paulo post iterum surrecturus ad Dei laudes celebrandas. *Prosec.*

55. Quantum præparatius transis dormitum, tanto expeditior eris ad surgendum. *De exercit. spirit.*, cap. 11, sect. 2.

**S. VALER.** 56. Non est utilis servus, qui feriatos dies ad hoc expectat, ut dormiat. Homil. 19.

**IN VIT. PATR.** 57. Satietas somni mentem sensumque hominis, stupidum pigrumque reddit. Lib. 3, num. 2.

58. Sufficit Monacho ; si dormierit unam horam, si tamen pugnator est. Lib. 5, libell. 4, *de Continent.*

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

**ARISTOTEL.** 59. Scire oportet nullum penitus animal esse, quod aut semper vigilando, aut semper dormiendo vitam agat, imo vero eidem animali res utraque tribuitur ; nec animal ullum est, quod utraque privetur. *De somno et vigilia.*

**CATO PORT.** 60. Somnia ne cures ; nam mens humana quod optat,
Dum vigilat sperans, per somnum cernit id ipsum.

Lib. 2 *Distichor.*, metr., 68.

**CICERO.** 61. Jacet corpus dormientis, ut mortui ; viget autem et vivit animus. Lib. 1, *de Divinat.*

**HYPOCRAT.** 62. Somnus et vigilia modum si excesserint, malum. Commentaru. 2, *Aphorism.*

**MIMUS PUB.** 63. Bene dormit, qui non sentit quam male dormiat. In suis *Sentent.*, sent. 58.

**SENECA.** 64. Dormio minimum, brevissimo somno utor :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

satis mihi est vigilare desiisse, aliquando dormisse me scio, aliquando suspicor. Epist. 83.

65. Stultum est somno delectari, et quasi mortem moliri. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Chorus*, sent. 40, 44; *Officium divin.*, sent. 6.

## DUBIUM.

COLLECTOR. *Definitio.* Dubium est judicio deficiente acceptio utriusque partis cum formidine, et ad neutram partem determinatio. *Vel.*

Dubium est motus indifferens in utramque partem contradictionis. *Vel.*

Dubium est æqualitas rationum contrariarum.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. In dubiis tutior via est eligenda, propter quod scrupulosus eligit viam rigidiorem. Part. 1, tit. 3, cap. 10, § 10.

2. In dubiis bonorum vita, aliis vivendi regula est : et tanto magis, quanto meliores sunt. *Ibid.*, cap. 10, § 10.

3. Dubia melius solvuntur ratione, quam inquisitione. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 3.

4. In rebus dubiis et incertis ratio non debet proferre judicium absque inquisitione rationis præcedente. Part. 4, tit. 2, *de Prudentia*, cap. 1, § 4.

S. AUGUST. 5. De omnipotentia Dei et justitia dubitare, dementis est. Lib. 1, *Retract.*, cap. 9.

6. Omnis, qui utrum sit veritas dubitat, in seipso habet verum, unde non dubitet : non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare. *De vera Relig.*, cap. 39.

7. Si mens dubitat unde dubitet, meminit; si dubitat, dubitare se intelligit; si dubitat, certa esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, judicat non se temere consentire oportere. Lib. 10, *de Trinit.*, cap. 10.

8. Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Lib. 8, *de Genesi ad litt.*, cap. 5.

9. Nemo debet cum trepidatione prædicare, unde non potest dubitare. Super *Psalm.* LXXXVIII, vers. 5.

10. Tene certum, dimitte incertum. Homil. 41, *Ex quinquaginta Homil.*

V. BEDA. 11. Gravis animus dubiam non habet sententiam. In suis *Prov.*, verbo *Gravis.*

S. BERNARD. 12. Nemo super his quæ certa sunt hæsitet, nemo dubia pro certis admittat, nemo sibi in dubiis judicium vendicet. Serm. *Quomodo voluntas nostra divinæ voluntati subjici debeat.*

13. Unicum in dubiis remedium, seu refugium, oratio est. Serm. 57, super *Cant.*

14. In rebus dubiis plus alieno se, quam proprio credendum est judicio. Epist. 82, *ad Abbat. S. Joan. Carnut.*

15. Error est humanæ mentis, certa recipere pro dubiis, dubia pro certis. Epist. 85, *ad Villelmum abb.*

16. Nunquam pertinaciter aliquid affirmes, aut neges : sed sint tuæ affirmationes et negationes dubitationis sale conditæ. In *Notabili documento.*

CASSIODOR. 17. Anxius spiritus vicinitatem periculi prodit. Super *Psalm.* CXLII, vers. 4 : *Et anxiatus est.*

S. GAUDENT. 18. Dubiis in fide Christi, inhærere exitialis est quædam parata submersio, ac naufragium. In *Resp. ad Paulum.*

S. GREGOR. MAGNUS. 19. Cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. Lib. 32 *Moral.*, cap. 17, num. 32.

20. In rebus ambiguis, absolutum non debet esse judicium. Lib. 2, in *Registro*, indict. 2, cap. 83, epist. 44, *ad Andream episc. Tarentin.*

21. Minus nobis Maria Magdalene præstitit, quæ citius credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit. *Prosec.*

22. Ille etenim dubitando vulnerum cicatrices tetigit, et de nostro pectore dubitationis vulnus amputavit. Homil. 29, super *Evang.*

S. HIERON. 23. Ubi quid ambiguum est, non cito sententiam proferamus. Lib. 2, super *Matth.*, cap. XIII, super illud : *Qui seminat bonum semen*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 24. Dubia in meliorem partem semper vertenda sunt. *De Quæst. circa Epist. ad Rom.*, quæst. 315.

HUGO CARD. 25. Pessimus in dubiis augur, timor est : nam si qua lateant, pejora putat. Super *Sapient.*, cap. 17.

S. JOANNES CHRYSOST. 26. Res dubia semper facit hominem negligentem. Homil. 49, super *Matth. Oper. imperf.*

JOAN. GERS. 27. Dubius in fide, infidelis est. *De Mirab. Victor. cujusdam puellæ.*

S. LAURENT. JUSTIN. 28. Oratione melius solvuntur dubia, quam inquisitione. *De ligno vitæ*, tract. 13, *de Orat.*, cap. 1.

S. LEO I. 29. In his, quæ vel dubia, vel obscura fuerint, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum. Epist. 9, *ad Rustic. Narbonens. episc.*

SALVIANUS. 30. Res dubia ac latens melius semper bonis interpretatoribus, quam malis defensoribus creditur. Epist. 7, *ad Aprum, et Verum.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 31. Dubitationis solutio, inventio est veritatis. Lib. 7 *Ethicor. ad Nicomach.*, cap. 2.

32. Gravis animus dubiam non habet sententiam. In suis *Sentent.*, sent. 151.



SENECA. 33. Proximus est neganti, qui dubitavit. Lib. 2, *de Benef.*, cap. 1.

34. Expavescimus dubia pro certis : non servamus modum rerum, statim in timorem venit scrupulus. Epist. 13.

35. Semper quidquid dubium est, humanitas inclinat in melius. Epist. 81.

36. De dubiis non definias, sed suspensam teneas sententiam. *De quatuor virtut.*

Vide etiam tit. *Definitio*, sent. 11; *Sententia*, sent. 40; *Suspicio*, sent. 15; *Vulnus*, sent. 5.

## DUX.

COLLECTOR. *Definitio.* Dux est princeps præcipuus, qui coram populo est, et ei indicat quid faciendum sit.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1 Julius Cæsar dicere solitus erat: Dux qui non laborat, ut militibus charus sit, militem nescit amare, nescit humilitatem ducis. Part. 3, cap. 1, § 9.

S. CYPRIAN. 2. Gloriosi ducis est, commissa sibi signa servare. Epist. 73, *ad Jubajanum*, cap. 3.

S. GREGOR. MAGNUS. 3. Dux impius est, qui a tramite veritatis exorbitat, et dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes invitat. Lib. 24 *Moral.*, cap. 15, num. 30.

4. Dux impius est, qui per tumoris exemplum, viam ostendit erroris. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 5. Dux, nisi antea miles optimus fuerit, ne dux quidem esse aliquando poterit. Homil. 5, super I, *Timot.*

JOAN. GERS. 6. Si unus dux efficiatur Episcopus vel Sacerdos, remanet dux. *De Pot. ecclesiast. et laica*, cap. 7.

JOAN. SARR. 7. In tota re militari nihil utilius, nihil clarius duce erudito : nam virtus et industria ducis, efficaciam exercitus, quasi altera lance compensat. Lib. 6, *de Nugis curial.*, cap. 15.

S. URBAN. I PAPA MART. 8. Quis tam arrogans, tam impudens, qui in cœlesti militia, quæ propensius ponderanda est, statim dux esse desideret, cum tiro ante non fuerit? In *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 60, can. *Si Officia.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

MIMUS PUB. 9. Ducis in consilio posita est virtus militum. In suis *Sent.*, sent. 100.

PLATO. 10. Probo summo duci est, ambitiosum et pecuniæ amantem esse : si palam duces imperii causa mercedem exigant, mercenarii vocantur : si clam ex suo illo imperio mercedem acceperint, fures. Lib. 1, *de Republ.*

## EBRIETAS.

S. REMIGIUS. *Etymologia.* Briam genere masculino dicimus calicem aptum potioni a quo dicitur ebrietas, quæ est nimia potio vini. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 5.

S. BASILIUS MAGNUS. *Definitio.* Ebrietas est spontaneus dæmon ex voluptate in animas irruens. Conc. 14, *contra Ebriosos.*

S. BONAV. Ebrietas est excessus, et dicitur ebrietas quasi extra briam : nam bria dicebatur antiquitus calix vel poculum, qui erat mensura potus; dabatur enim vinum ad mensuram. Tit. 1 *Diætæ*, cap. 8.

HUGO A S. VICTORE. Ebrietas est, per quam menti quædam sui oblivio generatur, ex superfluorum potuum indulgentia. *De Fructib. carnis et spiritus*, cap. 9.

Crapula est solius corporis causa illecebra, et avidus potuum appetitus. *Ibid.*

JOAN. GERS. Ebrietas est vitium, quo quis potat quando et qualiter et qualia non oportet, et plus quam oportet. Part. 4, in *Descript. termin.*, cap. *Temperantia.*

SENECA. Nihil aliud est ebrietas, quam voluntaria insania. Epist. 83.

S. AMBROS. *Divisio.* Ebrietas species gemina est. Una quæ tribulationem corpori afferat, atque ejus supplantet vestigia, sensumque perturbet; altera quæ mentem virtutis vaporet gratia, et omnem infirmitatem videatur avertere. *De Noe et Arca*, cap. 29.

PHILO JUD. Est duplex ebrietas altera vino madere; altera vino delirare. Alterum horum est peccatum, alterum peccati causa : utrumque alienum a boni viri officio. *De plantat. Noe.*

SENECA. *Differentia.* Plurimum interest inter ebrium et ebriosum : potest, qui ebrius est, tunc primum esse, nec habere hoc vitium; qui ebriosus est, sæpe extra ebrietatem esse. Epist. 83.

S. AMBROS. *Productio.* Fuit ebrietas origo incesti, pessimæ regeneratricis partus deterior. *De Elia et jejunio*, cap. 5.

S. BASILIUS MAGNUS. Ebrietas mater est malitiæ, hostis virtutis. Conc. 14, *contra Ebriosos.*

S. ISIDORUS HISPALENS. Esca crapulam, potus ebrietatem generat, ebrietas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 43, sent. 1.

SENECA. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas : hæc acerrimas gentes, bellicosasque hostibus tradidit. *Prosec.*

Hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit.

Hæc contumacissimos, et jugum recusantes, in alienum egit arbitrium.

Hæc invictos acie mero domuit, ac fatalis scyphus condidit. Epist. 83.

S. AUGUST. *Comparatio.* Sicut piscis cum avidas fauces profert ut glutiat escam, repente hamum intra fau-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

satis mihi est vigilare desiisse, aliquando dormisse me scio, aliquando suspicor. Epist. 83.

65. Stultum est somno delectari, et quasi mortem moliri. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Chorus*, sent. 40, 44; *Officium divin.*, sent. 6.

## DUBIUM.

COLLECTOR. *Definitio.* Dubium est judicio deficiente acceptio utriusque partis cum formidine, et ad neutram partem determinatio. *Vel.*

Dubium est motus indifferens in utramque partem contradictionis. *Vel.*

Dubium est æqualitas rationum contrarium.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. In dubiis tutior via est eligenda, propter quod scrupulosus eligit viam rigidiorem. Part. 1, tit. 3, cap. 10, § 10.

2. In dubiis bonorum vita, aliis vivendi regula est : et tanto magis, quanto meliores sunt. *Ibid.*, cap. 10, § 10.

3. Dubia melius solvuntur ratione, quam inquisitione. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 3.

4. In rebus dubiis et incertis ratio non debet proferre judicium absque inquisitione rationis præcedente. Part. 4, tit. 2, *de Prudentia*, cap. 1, § 4.

S. AUGUST. 5. De omnipotentia Dei et justitia dubitare, dementis est. Lib. 1, *Retract.*, cap. 9.

6. Omnis, qui utrum sit veritas dubitat, in seipso habet verum, unde non dubitet : non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare. *De vera Relig.*, cap. 39.

7. Si mens dubitat unde dubitet, meminit; si dubitat, dubitare se intelligit; si dubitat, certa esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, judicat non se temere consentire oportere. Lib. 10, *de Trinit.*, cap. 10.

8. Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Lib. 8, *de Genesi ad litt.*, cap. 5.

9. Nemo debet cum trepidatione prædicare, unde non potest dubitare. Super *Psalm.* LXXXVIII, vers. 5.

10. Tene certum, dimitte incertum. Homil. 41, *Ex quinquaginta Homil.*

V. BEDA. 11. Gravis animus dubiam non habet sententiam. In suis *Prov.*, verbo *Gravis.*

S. BERNARD. 12. Nemo super his quæ certa sunt hæsitet, nemo dubia pro certis admittat, nemo sibi in dubiis judicium vendicet. Serm. *Quomodo voluntas nostra divinæ voluntati subjici debeat.*

13. Unicum in dubiis remedium, seu refugium, oratio est. Serm. 57, super *Cant.*

14. In rebus dubiis plus alieno se, quam proprio credendum est judicio. Epist. 82, *ad Abbat. S. Joan. Carnut.*

15. Error est humanæ mentis, certa recipere pro dubiis, dubia pro certis. Epist. 85, *ad Villelmum abb.*

16. Nunquam pertinaciter aliquid affirmes, aut neges : sed sint tuæ affirmationes et negationes dubitationis sale conditæ. In *Notabili documento.*

CASSIODOR. 17. Anxius spiritus vicinitatem periculi prodit. Super *Psalm.* CXLII, vers. 4 : *Et anxiatus est.*

S. GAUDENT. 18. Dubiis in fide Christi, inhærere exitialis est quædam parata submersio, ac naufragium. In *Resp. ad Paulum.*

S. GREGOR. MAGNUS. 19. Cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. Lib. 32 *Moral.*, cap. 17, num. 32.

20. In rebus ambiguis, absolutum non debet esse judicium. Lib. 2, in *Registro*, indict. 2, cap. 83, epist. 44, *ad Andream episc. Tarentin.*

21. Minus nobis Maria Magdalene præstitit, quæ citius credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit. *Prosec.*

22. Ille etenim dubitando vulnerum cicatrices tetigit, et de nostro pectore dubitationis vulnus amputavit. Homil. 29, super *Evang.*

S. HIERON. 23. Ubi quid ambiguum est, non cito sententiam proferamus. Lib. 2, super *Matth.*, cap. XIII, super illud : *Qui seminat bonum semen*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 24. Dubia in meliorem partem semper vertenda sunt. *De Quæst. circa Epist. ad Rom.*, quæst. 315.

HUGO CARD. 25. Pessimus in dubiis augur, timor est : nam si qua lateant, pejora putat. Super *Sapient.*, cap. 17.

S. JOANNES CHRYSOST. 26. Res dubia semper facit hominem negligentem. Homil. 49, super *Matth. Oper. imperf.*

JOAN. GERS. 27. Dubius in fide, infidelis est. *De Mirab. Victor. cujusdam puellæ.*

S. LAURENT. JUSTIN. 28. Oratione melius solvuntur dubia, quam inquisitione. *De ligno vitæ*, tract. 13, *de Orat.*, cap. 1.

S. LEO I. 29. In his, quæ vel dubia, vel obscura fuerint, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum. Epist. 9, *ad Rustic. Narbonens. episc.*

SALVIANUS. 30. Res dubia ac latens melius semper bonis interpretatoribus, quam malis defensoribus creditur. Epist. 7, *ad Aprum, et Verum.*

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 31. Dubitationis solutio, inventio est veritatis. Lib. 7 *Ethicor. ad Nicomach.*, cap. 2.

32. Gravis animus dubiam non habet sententiam. In suis *Sentent.*, sent. 151.



SENECA. 33. Proximus est neganti, qui dubitavit. Lib. 2, *de Benef.*, cap. 1.

34. Expavescimus dubia pro certis : non servamus modum rerum, statim in timorem venit scrupulus. Epist. 13.

35. Semper quidquid dubium est, humanitas inclinit in melius. Epist. 81.

36. De dubiis non definias, sed suspensam teneas sententiam. *De quatuor virtut.*

Vide etiam tit. *Definitio*, sent. 11; *Sententia*, sent. 40; *Suspicio*, sent. 15; *Vulnus*, sent. 5.

## DUX.

COLLECTOR. *Definitio.* Dux est princeps præcipuus, qui coram populo est, et ei indicat quid faciendum sit.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1 Julius Cæsar dicere solitus erat: Dux qui non laborat, ut militibus charus sit, militem nescit amare, nescit humilitatem ducis. Part. 3, cap. 1, § 9.

S. CYPRIAN. 2. Gloriosi ducis est, commissa sibi signa servare. Epist. 73, *ad Jubajanum*, cap. 3.

S. GREGOR. MAGNUS. 3. Dux impius est, qui a tramite veritatis exorbitat, et dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes invitat. Lib. 24 *Moral.*, cap. 15, num. 30.

4. Dux impius est, qui per tumoris exemplum, viam ostendit erroris. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 5. Dux, nisi antea miles optimus fuerit, ne dux quidem esse aliquando poterit. Homil. 5, super I, *Timot.*

JOAN. GERS. 6. Si unus dux efficiatur Episcopus vel Sacerdos, remanet dux. *De Pot. ecclesiast. et laica*, cap. 7.

JOAN. SARR. 7. In tota re militari nihil utilius, nihil clarius duce erudito : nam virtus et industria ducis, efficaciam exercitus, quasi altera lance compensat. Lib. 6, *de Nugis curial.*, cap. 15.

S. URBAN. I PAPA MART. 8. Quis tam arrogans, tam impudens, qui in cœlesti militia, quæ propensius ponderanda est, statim dux esse desideret, cum tiro ante non fuerit? In *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 60, can. *Si Officia.*

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

MIMUS PUB. 9. Ducis in consilio posita est virtus militum. In suis *Sent.*, sent. 100.

PLATO. 10. Probo summo duci est, ambitiosum et pecuniæ amantem esse : si palam duces imperii causa mercedem exigant, mercenarii vocantur : si clam ex suo illo imperio mercedem acceperint, fures. Lib. 1, *de Republ.*

## EBRIETAS.

S. REMIGIUS *Etymologia.* Briam genere masculino dicimus calicem aptum potioni a quo dicitur ebrietas, quæ est nimia potio vini. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 5.

S. BASILIUS MAGNUS. *Definitio.* Ebrietas est spontaneus dæmon ex voluptate in animas irruens. Conc. 14, *contra Ebriosos.*

S. BONAV. Ebrietas est excessus, et dicitur ebrietas quasi extra briam : nam bria dicebatur antiquitus calix vel poculum, qui erat mensura potus; dabatur enim vinum ad mensuram. Tit. 1 *Diætæ*, cap. 8.

HUGO A S. VICTORE. Ebrietas est, per quam menti quædam sui oblivio generatur, ex superfluorum potuum indulgentia. *De Fructib. carnis et spiritus*, cap. 9.

Crapula est solius corporis causa illecebra, et avidus potuum appetitus. *Ibid.*

JOAN. GERS. Ebrietas est vitium, quo quis potat quando et qualiter et qualia non oportet, et plus quam oportet. Part. 4, in *Descript. termin.*, cap. *Temperantia.*

SENECA. Nihil aliud est ebrietas, quam voluntaria insania. Epist. 83.

S. AMBROS. *Divisio.* Ebrietas species gemina est. Una quæ tribulationem corpori afferat, atque ejus supplantet vestigia, sensumque perturbet; altera quæ mentem virtutis vaporet gratia, et omnem infirmitatem videatur avertere. *De Noe et Arca*, cap. 29.

PHILO JUD. Est duplex ebrietas altera vino madere; altera vino delirare. Alterum horum est peccatum, alterum peccati causa : utrumque alienum a boni viri officio. *De plantat. Noe.*

SENECA. *Differentia.* Plurimum interest inter ebrium et ebriosum : potest, qui ebrius est, tunc primum esse, nec habere hoc vitium; qui ebriosus est, sæpe extra ebrietatem esse. Epist. 83.

S. AMBROS. *Productio.* Fuit ebrietas origo incesti, pessimæ regeneratricis partus deterior. *De Elia et jejunio*, cap. 5.

S. BASILIUS MAGNUS. Ebrietas mater est malitiæ, hostis virtutis. Conc. 14, *contra Ebriosos.*

S. ISIDORUS HISPALENS. Esca crapulam, potus ebrietatem generat, ebrietas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 43, sent. 1.

SENECA. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas : hæc acerrimas gentes, bellicosasque hostibus tradidit. *Prosec.*

Hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit.

Hæc contumacissimos, et jugum recusantes, in alienum egit arbitrium.

Hæc invictos acie mero domuit, ac fatalis scyphus condidit. Epist. 83.

S. AUGUST. *Comparatio.* Sicut piscis cum avidas fauces profert ut glutiat escam, repente hamum intra fau-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ces reperit ; ita et ebriosus intra se vinum suscipit inimicum, qui cum ut intraverit, mox impellit ad omne opus nefandissimum. *De Salut. docum.*, cap. 37.

S. BONAV. Sicut ebrietas corporalis aufert officium membrorum, et usum sensuum, sic ebrietas spiritualis. Super *Psalm.* XXXV.

SENECA. Quemadmodum musto dolia rumpuntur, et omne quod in imo jacet, in summam partem vis caloris ejectat : sic vino exæstuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur et prodit in medium. *Prosec.*

Onerati mero, quemadmodum non continent cibum vino redundante : ita ne secretum quidem, quod suum alienumque est pariter effundunt. Epist. 83.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ubi caro inebriatur, mens titubat, animus vacillat, cor fluctuat. Lib. 1, *de Pœnit.*, cap. 14.

2. Ebrietas fomes est libidinis, qua per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit, anima exuritur. Lib. 1, *de Cain et Abel*, cap. 5.

3. Non esset hodie servitus, si ebrietas non fuisset. *De Elia et jejunio*, cap. 5.

4. Habet hoc temulentia, ut et molliat et resolvat corda temulentorum. *Ibid.*, cap. 12.

5. Ebrietas perpetuum dat tremorem, sudant vino corpora temulentorum : si levius ea tetigeris, exprimis vinum. *Ibid.*, cap. 16.

6. Ebrietas fomentum est libidinis, ebrietas incentivum insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ. *Ibid.*

7. Quid est homo ebrius, nisi superflua creatura? *Ibid.*

8. O quanta insania! bibamus pro salute imperatoris, et qui non biberit sit reus in devotione : videtur enim non amare imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. *Ibid.*, cap. 17.

S. ANTONIN. 9. Ebrietas fomes est, et nutrix omnium vitiorum. Part, 2, tit. 6, cap. 3, § 1.

S. AUGUST. 10. Non est aliud ebrietas, quam manifestus dæmon. *De Salutar. docum.*, cap. 37.

11. Ebriosus putat se aliquod optimum gerere, cum fuerit ad præcipitia devolutus. *Prosec.*

12. Per vinolentiam armatur ad maledicta, et convicia proximorum, et immutatur mens ejus, et lingua balbutit. *Ibid.*

13. Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparum materia, radix criminum, origo omnium vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, temporis amissio, insania voluntaria, ignominiosus languor, mentis sanæ debilitatio, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. *De sobriet.*, cap. 1.

14. Ebrietas timorem Dei aufert, futurum Dei judicium de corde se habentium tollit, cuncta mala semper appetit, et nefanda committit, temulentis tempora furatur, dies surripit, depositi sui non reminiscitur, ante temulentum posita, nec mente nec oculis contuetur. *Ibid.*

15. Quisquis immoderatus convivioque medius amissis modestiæ frænis insana fuerit ebrietate prostratus, aversos respicit nutantes, quos integros videre nequivit, aut sermone longo superflua verba emittit, et vana dicta componit, male clamans et bene sibi sonans. *Ibid.*

16. Ad universa, vel crudelitatis, vel turpitudinis facinora perpetranda facilis invenitur, cui nulla sobriæ mentis ratio, sed ebrietas dominatur, cordis sui arcana patefacit, et amicorum sibi commissa secreta in medium prodit. *Ibid.*

17. Sobrietas in fœminis ad terram deponit aspectum, ebrietas autem amisso pudore inverecundos erigit vultus. *Ibid.*, cap. 3.

18. Omne secretum quod sobrietas custodit, temulentia publicat. *Ibid.*

19. Qui alterum cogit, ut se plusquam opus est bibendo inebriet : minus malum ei esset, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem necaret. Serm. 1 *Dom.* 17, *post Trinit.*

20. O infelicitas generis humani! quam multi inveniuntur, qui ebriosos amplius quam oportet cogunt bibere, et ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare. *Ibid.*

21. Ebrietas est quasi inferni puteus, quoscunque susceperit (nisi digna subvenerit pœnitentia) ita fortiter sibi vendicat, ut eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo ad sobrietatis lucem redire non permittat. *Ibid.*

22. Se dicunt esse viros, qui in ebrietatis cloaca jacent : et illos non dicunt esse viros, qui honeste et sobrie stant. Jacent prostrati et viri sunt : stant erecti, et viri non sunt. Serm. 2, *Dom.* 17, *post Trinit.*

23. Nullus se vestrum inebriet, quia ebrius insano simillimus est. Serm. 1, *Dom.* 26, *post Trinit.*

24. Sunt multi, quod pejus est, qui non solum seipsos inebriant, sed etiam alios cogunt et adjurant, ut amplius quam expedit bibant, et inde sæpe inter eos nascuntur jurgia et homicidia. *Ibid.*

25. Ebrietas omnium malorum est mater, omnis luxuriæ soror, omnis superbiæ pater. Serm. 33, *ad Fratr. in eremo.*

26. O ebrietas! tu mentem cæcas, judicio recto cares, consilium nullum habes, blandus dæmon es, venenum dulce es, peccatum suave es. *Prosec.*



27. O ebrietas! numquid non per te inflatur stomachus! numquid non per te putrescit anhelitus? numquid non oculos cæcas? numquid non cuncta membra debilitas? numquid non mortem acceleras? numquid non bursam evacuas? *Ibid.*

28. Sicut ignis facile incendit stipulas, et leviter siccas exurit paleas : sic ebrietas corpus corrumpit et animam, simul et corpus in grave peccatorum incendium dejicit. Serm. 64, *ad Fratr. in eremo.*

29. Homo ebriosus diversis in luxuriis se proruit, et in stercore vitiorum se volutat. *Ibid.*, serm. 67.

S. BASILIUS MAGNUS. 30. Ebrietas Dominum non suscipit, ebrietas Spiritum sanctum fugat. Conc. 1, *de Jejunio.*

31. Ebrietas fortem timidum reddit, temperatum petulantem, justitiam non novit, prudentiam tollit. Conc. 14, *contra ebriosos.*

32. Sicut piscis se præparat ut glutiat escam, ita et ebriosus in vino suscipit inimicum. Apud Bedam. in suis *Scintillis.*

S. BENEDIC. 33. Nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula. In *Regula*, cap. 39.

S. BERNARD. 34. Ebrietas solet evertere mentem, atque omnino reddere immemores sui. Tract. *de Diligendo Deo*, cap. *Sed.*

35. Ebrius nihil recte facit, nisi cum in lutum cadit. Epist. *de Cura et regimine rei familiaris.*

36. Sentis vinum? fuge consortium : sentis vinum? quære somnum, antequam colloquium. *Prosec.*

37. Qui se ebrium verbis excusat, ebrietatem suam aperte accusat. *Ibid.*

38. Ebrietas corpus debilitat, animam illaqueat, perturbationem mentis generat, furorem cordis auget, fornicationis flammam nutrit. Serm. 25, *ad Sororem.*

39. Ebrietas manifestissimus est dæmon. *Ibid.*

40. Homo ebrius est ita a semetipso alienus, ut nesciat ubi sit. *Ibid.*

41. Nullum secretum est, ubi ebrietas est. *Ibid.*

S. BONAV. 42. Quisquis est ebrius, amaritudinem laboris, quem tolerat, ignorat. Collat. 12, super cap. 2, *Joan.*

43. Ubi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus, sua vina (quæ super mel et favum dulciora sunt) propinare non dignatur. Serm. 1, *de Dedicat. Eccles.*

44. O quanta mala ebrietatem sequuntur, dum ratio subvertitur, dum secreta omnia revelantur, dum omnia turpia committuntur, dum rixæ et sæpe homicidia generantur. Serm. 1, *de Uno Conf.*

45. Ebrietas est parens litium, furoris mater, et petulantiæ deformis est magistra. *Prosec.*

46. Hanc qui habet, se non habet : hanc qui habet, homo non est : hanc qui habet, peccatum non facit, sed ipse est peccatum. *De Sex alis Cherubim.*, ala 3, pœna. 4.

47. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, illecebrosa honestatis injuria. *Ibid.*

48. Qui delectatur ebrietate, multis damnis afficietur. *Paranesi* 46. S. EPHRÆM.

49. Qui vinolentia delectatur, ebrietatis, quæ mater est vitiorum, captivus efficitur. Homil. 11, *de Pascha.* S. EUSEBIUS EMISSEN.

50. Homines cum multum biberint, infirmantur, et magno dolore nonnunquam torquentur; subinde etiam cum amaritudine evomere compulsi, quæ cum modica delectatione fuerant ingurgitata. *Prosec.* FRANCISCUS TITELM.

51. Et cum in compotatione ad diem sederint, fatigati coguntur recedere, et somno sese dare : rationeque ita destituuntur, et ejus usu privantur, ut neque proximos sibi, neque etiam seipsos cognoscant. In *Annot.*, super *Psalm.* XXXV.

52. Qui inebriatur, et mortuus et sepultus est. Epist. 41, *ad Ocean.* S. HIERON.

53. Noe ad unius horæ ebrietatem, nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. *Prosec.*

54. Loth per temulentiam nesciens libidini miscet incestum, et quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. *Ibid.*

55. Ebrietas est cibus dæmonum. Epist. 24, *ad Damas. Papam.*

56. Qui inebriatur, nocte inebriatur, quod juxta litteram stare non potest : quanti enim in prandiis conviviisque dierum inebriantur? sed quia ebrietas cordis offendens Deum, tenebrarum est et non lucis, propterea quicunque inebriatur, nocte inebriatur. Lib. 3, super *Ezech.*, cap. VIII, super illud *Prov.* II : *Qui inebriatur.*

57. Ebrii vomunt ut bibant, bibunt ut vomant : digestio ventris et guttur uno occupatur officio : et qui plus biberit, fortior computatur. Super *Epist. ad Tit.*, cap. I, in illud : *Non vinolentum.*

58. Nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. *Ibid.*

59. Vinum et ebrietas incendium est. Hab. in *Decretis Gratiani*, part. 1, dist. 35, can. *Vinolentum.*

60. Quid infelicius ebrietatis dominatu? ventri ultra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, et mortem quamdam naturæ imperare? Super *Psalm.* CXXV. S. HILARIUS.

61. Ebrietas perturbationem gignit mentis : fu- HUGO A S.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

VICTORE. rorem cordis, flammam libidinis. Lib. 4, de *Anima*, cap. 17.

62. Ebrietas ita mentem alienat, ut ipsa ubi sit nesciat, sæpeque malo consentit, quod per ebrietatem immittitur. *Ibid.*

63. Ebrietas ex frequenti potatione provenit; Vomitum provocat; hominem audaciorem reddit; gressus titubare facit; linguam impedit, et quasi balbutientem reddit; gressus permutat; insensibilem facit; secreta denudat; fletum provocat; officium membrorum tollit; oblivionem ingerit; sui immemorem facit; discretionem aufert. Lib. 3, *De Propriet. rerum*, cap. 5.

HUGO CARD. 64. Sex mala facit ebrietas: primo, ad pœnam obligat; secundo, parentes damniferat; tertio, proximos exasperat; quarto, sibi laqueum parat; quinto, corpus vulnerat; sexto, seipsum excæcat. Super II, *Reg.*, cap. IV.

65. Ebrius est primo hilaris, secundo sibi dives videtur, tertio loquitur, quarto furit. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXI.

S. INNOC. III 66. Quid turpius ebrioso? cui fœtor in ore, tremor in corpore, qui promittit multa, prodit occulta, cujus mens alienatur, facies transformatur. Lib. 2, *de Contemptu mundi*, cap. 19.

67. Ebrietas verenda nudavit, incestum commisit, filium regis occidit, principem exercitus jugulavit. *Ibid.*, cap. 20.

S. JOANNES CHRYSOST. 68. Nihil lucri quippiam ex ebrietate accedit; imo perniciosum damnum et jactura intolerabilis inde expectatur. Homil. 1, super *Gener.*

69. Crapula humano generi innumerorum malorum causa est, et conciliatrix. *Ibid.*

70. Satietas ebrietatis morbus est, radix et fons omnium malorum. *Ibid.*

71. Ebrietas degravans mentem, et impinguans corpus, captivam facit animam, nec eam sui rationis judicium firmum obtinere, sed impellit ut in præceps feratur. *Ibid.*

72. Sicut navis, quæ aquis ita impletur, ut exhauriri nequeat, statim submergitur: ita et homo quando ebrietati seipsum exponit, in præceps vadit, et rationem suam submergit. *Ibid.*, homil. 10.

73. Gravissimum quiddam est ebrietas, et quod potest excæcare sensus, et submergere mentem. *Ibid.*, homil. 29.

74. Ebrius nihil boni valet operari, ad malum tamen faciendum non omnino omnipotens est, jacetque ridiculus omnibus, et uxori et pueris et famulis. *Ibid.*

75. Quid eo miserius, qui ebrietati quotidie vacat, et vinum profundit, et mentis suæ judicium corrumpit! *Ibid.*

76. Si quis ebrietate vincatur, non traducatur, nec evulgetur: sed a suis contegatur, et non jaceat omnibus risus et turpitudinis materia. *Ibid.*

77. Ebrietati vacantes nunquam satiantur, sed quantum ingurgitant, tantum et siti flagrant, et inflammatio quædam est eis usus vini. *Ibid.*

78. Vere ebrietas voluntarius est dæmon, et gravius quam dæmon mentem obtenebrat, et captum omnium benevolentia destituit. *Ibid.*

79. Qui ebrius est, quidquid fecerit, non est venia dignus; quia sponte et libenter eo devenit, ut ebrietatis tyrannidi seipsum dediderit. *Ibid.*

80. Ebrii quanto magis mero se ingurgitant, tanto magis flagrant siti, et caminum succendunt minus tolerabilem. *Ibid.*, homil. 31.

81. Quid turpius ebriosa femina, quæ huc et illuc ex temulentia pervagatur? quanto enim infirmius vasculum est, tanto magis naufragium fit. Homil. 58, *Matth. Oper. imperf.*

82. Si non essent deliciæ, non esset ebrietas: vinum, Dei, ebrietas opus diaboli est. *Ibid.*

83. Nolite pati pejores bestiis homines fieri, nihil enim ultra quam opus est illæ desiderant, isti autem mediocritatis terminos excedentes, irrationabiliores illis constituuntur. *Prosec.*

84. Quanto melior asinus ebrioso est! quanto canis præstantior! *Ibid.*

85. Quemadmodum hydra apud poetas, multiceps bestia est: sic et ebrietas, multis capitibus armatur. Hinc fornicatio, hinc ira, hinc mollities, hinc turpes amores, et alia hujusmodi oriuntur. *Ibid.*, homil. 71.

86. Ubi temulentia, ibi dæmones et diabolus exultant. *Ibid.*

87. Quisquis in temulentia totos agit dies, et in ingurgitatione, sub diaboli tyrannidem redactus est. Conc. 1, *de Lazaro mendico.*

88. Quid ebrio turpius? ridiculus est famulis, ridiculus est inimicis, miserabilis apud amicos, omnium detestatione dignus. Homil. 27, super *Acta Apostolorum*, in *Morali.*

89. Ebrius bestia magis est, quam homo. *Ibid.*

90. In crapula invenitur insuavitas, mala valetudo, infirmitas, illiberalitas, sumptus. *Ibid.*

91. Nihil adeo concupiscentiam et iram inflammat, sicut ebrietas et vinolentia. Serm. 24, super *Epist. ad Rom.*

92. Ex ebrietate scortatio, ex scortatione adulterium, ex adulterio cædes, imo cæde etiam aliquid pejus oritur. *Ibid.*, in *Morali.*

93. Ebrietas anxietatis mater est, diaboli lætitia, innumera pariens mala: hinc morti similis somnus, hinc gravedo capitis, hinc morbi et oblivio et mortis imago. Homil. 27, super I *Cor.*



94. Ubi ebrietas, ibi diabolus adest. Homil. 12, super *Epist. ad Coloss.*

95. Ebrius nunquam mero satiatur, sed siti semper anhelat. Homil. 7, super II *Tim.* in *Morali.*

96. Quid ebrietate miserabilius? mortuus est animatus, ebrius dæmon est voluntarius, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis humani opprobrium. Homil. 1, *ad Populum Antioch.*

97. Nihil diabolo tam gratum, quam ebrietas, quoniam omnium est fons malorum et genitrix. *Ibid.*, homil. 71.

98. Ex temulentia luxuria, ex luxuria adulterium, ex adulterio homicidium oritur. Serm. *Carnis concupiscentias ne sectemur.*

99. Ebrietas nihil aliud est, quam exidisse a recta ratione, deliratioque et sanæ mentis privatio. Orat. 5, *advers. Judæos.*

JOAN. JERS. 100. Vinum compellit eos quos inebriat, vivere more simiarum, porcorum, vel leonum. Serm. *Dom.* 1. *Advent.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 101. Ebrietas ita mentem alienat, ut ubi sit nesciat: unde etiam et malum non sentitur, quod per ebrietatem committitur. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 43.

S. JUSTIN. MART. 102. Cum quispiam ebriosus loquitur, nec irridendus est, nec arcendus, sed ferendus, quod propter silentium erubescens finem faciat. Epist. *ad Zenem.*

103. Ebrio lingua primum impeditur et colligatur, deinde oculi lucent, tum pedes tremunt et nutant; postremo sensus officium suum non faciunt. *Ibid.*

S. LEO I. 104. Quotidiano experimento probatur, potus satietate aciem mentis obtundi. Serm. 8, *de Jejun. mensis decimi.*

ORIGENES. 105. Sobrietas omnium virtutum mater est; sicut e contrario ebrietas omnium vitiorum. Homil. 7, in cap. X, *Levitic.*

106. Est ebrietas vini perniciosa in omnibus; sola namque est, quæ simul cum corpore et animam debilem reddit. *Ibid.*

107. In ebrietatis ægritudine corpus simul et animam corrumpitur, spiritus pariter cum carne vitiatur. *Prosec.*

108. Omnia membra debilitat, pedem, manum, linguam resolvit, oculos tenebrat, mentem velut oblivio, ita ut hominem se nesciat esse, nec sentiat. *Ibid.*

S. PETRUS CHRYSOL. 109. Ebrietas in laico crimen est, in sacerdote sacrilegium: alter animam suam necat, sacerdos spiritum sanctitatis extinguit. Serm. 26.

110. Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est magistra. *Prosec.*

111. Hanc qui habet, se non habet; hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum. *Ibid.*

112. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis, et pudoris injuria. *Ibid.*

113. Vinum ebrietas non est: sed ebrietatem non cognovi, nisi per vinum. *Ibid.*, serm. 116.

114. Vir bonus non inebriatur. *De Plant. Noe.* PHILO JU.

115. Insanorum, phreneticorum, a dæmone obsessorum, multo melior conditio est, quam ebriorum. Conc. 2, *Dom. Quinquag.* ROBERTUS BELLARM.

116. Crapula et ebrietas, a diabolo sunt. Super *Psalm* CIII, vers. 17.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

117. Ebriosi tremunt, et eo magis, quo liberalius merum hauserunt. Sect. 3, *Problem.*, quæst. 5 ARISTOTEL.

118. Multi vinolenti sese interimunt. *Ibid.*, sect. 30, quæst. 1.

119. Vino mersi, si quid mali perpetrarint, sine controversia afferunt injuriam, quandoquidem ipsi sibi ejus ignorantiæ causa extiterunt. Lib. 1, *Magno. Moral.*, cap. 34.

120. Non excidit ebriis ratio, nec quidem scientia, quæ sub ebrietate delituerat, fueratque prostrata: deinde ab ebrietate immunis, rursus fit qui prius erat. *Ibid.*, lib. 2, cap. 6.

121. Quod potu peccas, ignoscere tu tibi noli. CATO POET.
Nam nullum crimen vini est, sed culpa bibentis.
Lib. 2 *Distich.*, metr. 50.

122. Quid ebrius est, ignorat ubinam terrarum sit. Syzygia 4, lib. 3, *de Republ.* PLATO.

123. Vir ebrius tyrannicum quemdam spiritum gerit. *Ibid.*, lib. 9. SENECA.

124. Turpis est ebrietas in rege, quem oculi omnium, auresque sequuntur. Lib. 3, *de Ira*, cap. 14.

125. Ebrietas donec exsiccetur, dementia est, et nimia gravitate defertur in somnum. Lib. 3, quæst. 20.

126. Non est animus in sua potestate, ebrietate devinctus. Epist. 83.

127. Quam turpe est virum ebrium fieri, et plus sibi ingerere quam capiat, et stomachi non esse mensuram! *Ibid.*

128. Quam multa ebrii faciunt quibus sobrii erubescunt!

129. Omne vitium ebrietas et intendit et detegit, obstantem malis conatibus verecundiam removet. *Ibid.*

130. Ubi possedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. *Prosec.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

131. Non facit ebrietas vitia, sed prodit : tunc libidinosus, ne cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus suis, quantum petierint, sine dilatione permittit.

132. Impudicus morbum suum profitetur, et publicat : tunc petulans in linguam, non manum continet.

133. Crescit insolenti superbia, crudelitas sævo, malignitas livido, omne denique vitium detegitur et prodit. *Ibid.*

SIXT. PHIL. 134. Ebrietatem, quasi insaniam, fuge. Sent. 261.

Vide etiam tit. *Clericus*, sent. 66 ; *Furor*, sent. 22 ; *Gula*, sent. 122; *Libido*, sent. 59 ; *Maria*, sent. 203 ; *Sacerdos*, sent. 9, 10 ; *Sobrietas*, sent. 4, 6, 16 ; *Vinum*, fere per omnia.

## ECCLESIA.

S. ISIDORUS HISPAL. *Etymologia*. Ecclesia græcum est, quod in latinum vertitur convocatio, eo quod omnes ad se convocet. Lib. 8, *Etymol.*, cap. 1.

CATECHISM. ROMANUS. *Definitio*. Ecclesia est omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno et summo post Christum capite et pastore in terris gubernatur.

CASSIODOR. Ecclesia est convocatio, quæ de diversis gentibus aggregata colligitur. Super *Psalm.* LXXXI, in *Proœmio*.

HUGO A S. VICTORE. Quid est ecclesia, nisi multitudo fidelium, universitas Christianorum ? Lib. 2, *de Sacram.*, part. 2, cap. 2.

LUDOVICUS BLOSIUS. Ecclesia est omnium fidelium ad Christi corpus attinentium congregatio. Lib. 1, *Collyrii hæreticor.*, cap. 2.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ecclesia quædam forma justitiæ est, commune ejus omnium, in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Lib. 1 *Offic.*, cap. 29.

2. Aurum ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, et subveniat in necessitatibus. *Ibid.*, lib. 2, cap. 28.

3. Ecclesiæ vasa pro pauperibus sublevandis, pro captivis redimendis, pro templis ædificandis, confringere, conflare, vendere licet. *Ibid.*

4. Sancta ecclesia immaculata coitu, fœcunda partu virgo est castitate, mater est prole. Lib. 1, *de Virginibus*.

5. Sancta Ecclesia virgo est sacramentis, mater est populis, sponso nupta est æterno. *Ibid.*

6. Nihil Ecclesia præter fidem sibi possidet : possessio enim Ecclesiæ sumptus est egenorum. Lib. 5, epist. 31, *ad Valentinianum Imper.*

S.ANTONIN. 7. Ad Ecclesiam fit humilis et devotus accessus, nec ibi fiant parlamenta, nec judicia, vel vaniloquia, sed auditio et meditatio attenta divinorum. Part. 2, tit. 1, cap. 21, § 6.

8. Sit ad Ecclesias humilis et devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio Deo grata, inspicientibus placida, quæ considerantes non solum instruat, sed etiam reficiat ibidem convenientes. Part. 3, tit 12, *de Ecclesiis*, cap. 7, § 1.

9. Ecclesia, quæ errare non potest, et fides quæ non potest deficere, est Ecclesia Romana, et fides Romanæ Ecclesiæ. *Prosec.*

10. Et hæc dicitur Ecclesia Romana et fides Ecclesiæ Romanæ : sive sint Romæ, sive alibi. Part. 4, tit. 8, de fide, cap. 4, § 4.

11. Ecclesia Catholica domus est veritatis. Epist. 4, *ad Fratres*. S.ANTONIUS ABBAS.

12. Merito, Ecclesia catholica mater christianorum verissima, omnis apud te medicina præpollet. *Prosec.* S. AUGUST.

13. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi ætas est, exerces, ac doces.

14. Tu fœminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis.

15. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbeciliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis.

16. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione præponis.

17. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis, nectis.

18. Tu omnem generis propinquitatem, et affinitatis necessitudinem, servatis naturæ voluntatisque nexibus, mutua charitate constringis.

19. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate quam officii delectatione, doces adhærere.

20. Tu dominos servis, summi Dei scilicet communis Domini consideratione, placabiles et ad consulendum quam coercendum propensiores facis.

21. Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus hominibus homines, primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis.

22. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces : ostendens quemadmodum, et non omnibus omnia, et omnibus charitas, et nulli debeatur injuria. *De Moribus Eccles.*, cap. 30.



23. Blande pia mater Ecclesia perditos filios, si per salubres leges in ejus gremio revocentur, amplectitur, et de illis multo amplius, quam de his, quos nunquam perdiderat gratulatur. Epist. 50, *ad Bonifac.*

24. Qui vult habere Spiritum sanctum, caveat foris ab Ecclesia remanere, caveat in eam simulate intrare : aut si jam talis intravit, caveat in eadem simulatione persistere, ut veraciter coalescat arbor vitæ. *Ibid.*

25. Ecclesia sine macula et ruga ex omnibus gentibus congregata, atque in æternum regnatura cum Christo, ipsa est terra beatorum, terra viventium. Lib. 3, *de Doctr. christ.*, cap. 34.

26. Ecclesia tantummodo catholica potest unicuique prodesse, et perceptio baptismatis, et opera misericordiæ, et nominis Christi gloriosa confessio, si tamen in Ecclesia catholica bene vivat. *De fide ad Petrum*, cap. 3.

27. Ecclesia catholica per totum orbem longe lateque diffusa, insidiosas hæreticorum quæstiones fide irridet, diligentia discutit, intelligentia dissolvit. *De Agone christiano*, cap. 12.

28. Nusquam tam vigere debent viscera misericordiæ, quam in catholica Ecclesia, ut tanquam vera mater nec peccantibus filiis superbe insultet, nec correctis difficile ignoscat. *Prosec.*

29. Debet ergo Ecclesia catholica correctis et pietate firmatis filiis libenter ignoscere, cum ipsi Petro personam ejus gestanti, et cum in mari titubasset, et cum Dominum carnaliter a passione revocasset, et cum aurem servi gladio præcidisset, et cum ipsum Dominum ter negasset, et cum in simulationem postea superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam, eumque correctum aque firmatum usque ad Dominicæ passionis gloriam pervenisse. *Ibid.*, cap. 30.

30. Charitas Christiana, nisi in unitate Ecclesiæ, non potest custodiri. Lib. 2, *contra Lit. Petiliani*, cap. 77.

31. In medio spinarum est Ecclesia, sicut lilium, malis et bonis permixta. Lib. 5, *de Baptismo*, cap. 27.

32. Tota Ecclesia constans ex hominibus fidelibus quia fideles omnes membra sunt Christi, habet illud caput positum in cœlestibus, quod gubernat corpus suum, etsi separatum est a visione, sed annectitur charitate. Super *Psalm.* LVI.

33. Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum : nec habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem. *Prosec.*

34. Ecclesia mater est spiritalis, Ecclesia sponsa Christi est, gratia ejus dealbata, pretioso sanguine dotata. Lib. 4, *de Symbolo*, cap. 13.

35. Ecclesia omnium credentium mater est, quæ natos a morte regenerat ad salutem. Serm. 2, *Dedicat. Eccles.*

36. Ecclesiæ nomine non una anima, sed multarum unitas, vel potius unanimitas designatur. Serm. 61, super *Cant.* S. BERNARD.

37. Auctoritati matris Ecclesiæ non reluctari, summus honor est gloria. Epist. CLXXXV, *ad Eustach.*

38. Quatuor sunt Ecclesiæ necessaria, ut non succumbat : mandata, flagella, charismata, tentamenta : mandatis firmatur, flagellis probatur, charismatibus decoratur, tentamentis conservatur. Expos. 2, super *Psalm* CXXVIII. S. BONAV.

39. Pulchra est Ecclesia plena fide, pulchrior spe, pulcherrima charitate *Prosec.*

40. Pulchra in conjugatis, pulchrior in viduis, pulcherrima in virginibus.

41. Pulchra in incipientibus, pulchrior in proficientibus, pulcherrima in perfectis. Serm. 6, in *Rogat.*

42. Ecclesia fit spelunca latronum, quando in ea est negotiatio cupidorum. Serm. 4, *Dom.* 1 *post Pent.*

43. Noluit Ecclesiam suam cæcam esse omnipotens Deus, oculos ei dedit, qui eam illuminarent, et ei veritatis viam ostenderent, qui eam errare non permitterent. *De Confessor.*, serm. 3. S. BRUNO.

44. Regnum cœlorum, regnum angelorum, regnum apostolorum, sancta Ecclesia est : quoniam cœlis munitur, cœlis clauditur, cœlis regitur et defenditur. *Ibid.*, serm. 2.

45. Ecclesia merito hæreditas Christi dicitur, cujus pretioso sanguine comparata monstratur. Super *Psalm.* V, in proœmio. CASSIODOR.

46. Ornatur Ecclesia auro apostolorum, argento prophetarum, gemmis virginum, cocco martyrum, purpura pœnitentium. Super *Psalm.* XLIV, vers. 2.

47. Ecclesia solet passionis falce crescere, et persecutionum plagis in sancto populo semper augeri. Super *Psalm.* LXXIX, vers. 9.

48. Quidquid absque catholica Ecclesia fuerit, simulatio est. In *Sentent. episc. Conc. Carthag.*, sent. 75. S. CYPRIAN.

49. Ecclesiæ fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. *De Unitat. Eccles.*

50. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur : nec pertinet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est. *Ibid.*

51. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. *Ibid.*

52. Catholica vocatur Ecclesia, quia per uni- S. CYRILLUS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**HIEROSOL.** versum orbem terrarum diffusa, a finibus terræ usque ad extrema. *Catechesi* 18.

**S. EPIPHAN.** 53. Una sola est catholica Ecclesia, non aliud quid habens : sed Christi christianorum Ecclesia existens : non christorum sed christianorum. Hæres. 42, *contra Marcionistas.*

**S. FRANCIS. ASSISIAS.** 54. Mater omnium Ecclesiarum est Romana, et Domina omnium est religionum. In suis *Opusc.*, collat. 20.

**S. GELASIUS PAPA.** 55. Ecclesiarum non est dignus ingressu, qui eas violat. *Epist. ad Epiphan. Episcop.*, et Habet in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 17, quæst. 4, can. *Ad Episcopos.*

**GILLEBERT. ANGLUS.** 56. Ecclesia remittit, permittit, promittit, præmittit; delicta remittit, infirma permittit, æterna promittit, et ipsorum primitias quasdam præmittit. Serm. 34, super *Cant.*, apud. S. Bernard.

**GLOSS. ORD.** 57. Nemo extra Ecclesiam salvatur : qui foras exit mortis suæ reus fit. Super *Josue*, cap. II.

58. Ecclesia mater dicitur omnium christianorum, licet multi eorum sint ejus filii numero, et non merito. Super lib. *Judic.*, cap. XVII.

59. Ecclesia quanto sinum cordis gratiæ recipiendæ dilatat, tanto fluctus seculi securius calcat. Super *Marcum*, cap. III.

**S. GREGOR. MAGNUS.** 60. Quantum sancta Ecclesia ascendendo profecerit, tantum Deus hominibus ex ejus virtutibus innotescit. Homil. 15, super *Ezec.*

61. Sancta Ecclesia ea quæ per publicam locutionem prædicat, etiam per intimam fidem servat : nec in aperto aliud docet, atque in occultis aliud retinet : sed et quod sentit, loquendo docet; et quod loquitur, vivendo custodit. Lib. 8 *Moral.*, cap. 2, super illud *Job.* V : *Et non invenietis in lingua mea iniquitatem*, num. 3.

62. Sancta Ecclesia consistit unitate fidelium; sicut corpus unitum est compago membrorum. *Ibid.*, lib. 19, cap. 14, num. 22.

63. Sancta Ecclesia afflictionis tempore, proverbium pravis efficitur. *Ibid.*, lib. 20, cap. 17.

64. Sancta Ecclesia scit in passionibus crescere, atque inter opprobria honorabilem vitam tenere : scit nec adversis dejici, nec de prosperis gloriari. *Ibid.*, num. 19.

65. Absit quod Ecclesia cum augmento recipiat, quod de rebus terrenis videtur amittere, et lucra damnis quærat. Lib. 12, in *Registro*, indict. 7, super 11, *Interrog.*, cap. 4.

66. Ecclesia petræ soliditate fundata, nec minarum ventis concutitur, nec persecutionum fluminibus movetur, nec corporalium pœnarum incommodis titubat, nec mortis ipsius timore vacillat. Super *Septem Psalm. Pœnit.* in *Psalm.* V, vers. 26.

67. In Ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt. Homil. 38, super *Evang.*

**S. HIERON.** 68. Hæreticorum Ecclesiæ, Synagogæ magis diaboli appellandæ sunt, quam Christi conciliabula. Epist. 11, *ad Gerontiam.*

69. Christi Ecclesia persecutionibus crevit, martyriis coronata est. Epist. 16, *ad Theophil.*

70. Pulchre Ecclesia Christi appellatur terra viventium, ut e contrario hæreticorum conciliabula mortuorum terra esse credantur. Lib. 10, super *Ezech.*, cap. XXXII, super illud : *Dedi terrorem meum.*

71. Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate : Ecclesia ibi est, ubi fides vera est. Super *Psalm.* CXXXIII, vers. 2 : *Qui statis in domo Domini.*

72. Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata permansit, Domino providente, et beato Petro opem ferente, in futuro manebit sine ulla hæreticorum insultatione prævalente, atque firma et immobilis omni tempore persistet. Habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 24, quæst. 1, can. *Hæc*, § *Item.*

**S. HILARIUS** 73. Hoc Ecclesiæ proprium est, ut tum vincat cum læditur, tum intelligat cum arguitur, tum obtineat cum deseritur. Lib. 7, *de Trinit.*

74. Ecclesia instar navis est, quæ diversissimi generis et gentis vectore suscepto, sujecta est omnibus, et ventorum fluctibus et maris motibus. Super *Matth.*, cap. VII.

**HUGO CARD.** 75. Ecclesia triplicem habuit inimicum, et quartum expectat, scilicet antichristum. Primo habuit manifestos persecutores tempore martyrum, secundo fraudulentos hæreticos, tertio falsos fratres. Super *Psalm.* III, *Mystice.*

76. In sanguine martyrum fundata est Ecclesia. Super *Psalm.* XLIII, *Mystice.*

77. Caput Ecclesiæ, est prælatus : cor ejus, religiosus. Super *Psalm.* LIV.

78. Ecclesia fidelis domus, et habitaculum Christi est. Super *Prov.*, cap. XXXI, *Mystice.*

**S. JOANNES CHRYSOST.** 79. Ecclesia locus est quidam medicinæ spiritualis. Homil. 4, super *Genes.*

80. Ecclesia Dei mercatus est quidam spiritualis, medicorumque officina animabus. *Ibid.*, homil. 32.

81. Mater Ecclesia prælium in filiis quotidie gerit, in confessoribus vincit, in martyribus triumphatrix existit. Serm. super illud, *Gen.* III : *Inimicitias ponam inter te.*

82. Ecclesia luna dicitur, quæ crescit in sanctis, decrescit in peccatoribus. Homil. super *Psalm.* LXXI, vers. : *Donec auferatur luna.*

83. In Ecclesia, gaudentium, conservatur gaudium, in Ecclesia, animo dejectorum, animorum est recreatio : in Ecclesia, dolentium est voluptas.



in Ecclesia, defatigatorum est respiratio : in Ecclesia, laborantium est requies. Homil. de verb. *Isaiæ.*

84. Ecclesiæ radices in cœlo fixas habet, potius quam in terra. *Ibid.*, homil. 4.

85. Ecclesia est cœlo honoratior : quare conditum est cœlum? propter Ecclesiam. Ecclesia non est condita propter cœlum : cœlum conditum est propter hominem, non homo propter cœlum. *Ibid.*

86. Ecclesia sanctorum est civitas : cives ejus sunt omnes fideles; turres illius sunt prophetæ; portæ ejus sunt apostoli, muri ejus sunt sacerdotes et doctores. Homil. 10, super *Matth. Oper. imperfect.*

87. Quamvis infestatione inimici, vel sæculi tempestate Ecclesia laboret, quibusvis tentationum fluctibus pulsetur, naufragium facere non potest, quia Filium Dei habet gubernatorem. *Ibid.*, homil. 23.

88. Non ille de Ecclesia exire videtur, qui corporaliter exit : sed qui spiritualiter veritatis Ecclesiasticæ fundamenta relinquit. *Ibid.*, homil. 46.

89. Ecclesia hæreticorum deserta est, non ab hominibus (abundat enim perversis hominibus : sicut semper malorum major est copia quam bonorum), sed deserta est a sanctis, deserta a sanctitate, a fide, a veritate, a gratia, a spiritu, deserta denique est ab ipso Deo. *Ibid.*

90. Non est hic locus lupanar, sed Ecclesia : si membra meretricis habes, abesto ab Ecclesia, ne præsentia tua sordescat. Homil. 62, super *Joan.*

91. Nihil ita decet ecclesiam, ut silentium, ut morum compositio : strepitus ad theatra pertinent et fora, non ad ecclesiam. Homil. 30, super *Acta Apost.* in *Morali.*

92. Non tonstrina est ecclesia, aut officina forensis; sed locus Angelorum, locus archangelorum regia cœli, cœlum ipsum. Homil. 36.

93. Ecclesia nihil aliud quidquam, quam sancta sonare decet. *Ibid.*

94. Numquid domos ad nugandum habetis? Ecclesia enim neque nugandi, neque disceptandi, sed discendi locus est. *Ibid.*

95. Si quid in Ecclesia frugis bonæ est, nugis exploditur. *Ibid.*

96. Nihil aliud est Ecclesia, quam ex animabus christianis constructa domus. Serm. 10, super *Epist. ad Ephes.*

97. In aulam regiam intraturus, et habitu et oculis et incessu, et in cunctis aliis componis et ornas temetipsum : huc autem ingressurus, ubi vere est aula regia, et talis qualis cœlestis est, non contremiscis? colligis temetipsum, sed rides. *Prosec.*

98. Stat sacerdos Dei orationem offerens cunctorum, tu autem rides nihil timens; et ille tremens orationem pro te offert, tu autem ridendo contemnis?

99. Tu velas et obnubis caput tuum, et rides, o mulier, in ecclesia sedens?

100. Ingressa es confiteri peccata, procidere Deo, postulare et deprecari pro delictis tuis, et cum risu hoc facis? Homil. 15, super *Epist. ad Hebr.* in *Moral.*

101. Christi Ecclesia nihil fortius; si quis impugnare proponit, vires atterat necesse est. *Prosec.*

102. Homini si bellum inferas, fortasse vinces, aut forte vinceris : Ecclesiam vincere nulla vis poterit. Homil. *de Expulsione ipsius.*

**S. JOANNES DAMASCEN.** 103. Ab Ecclesia ne abscedas : nihil Ecclesia valentius; rupe fortior est, cœlo latior. *Prosec.*

104. Nunquam senex est Ecclesia, sed semper viget : everti non potest, labefactari et corrumpi nequit. Lib. 2, *Parallel.*, cap. 14.

**JOAN. GERS.** 105. Nunquam Ecclesia fuit melior, quam dum vixit in paupertate. Lect. 2, super *Marc.*, part. 1.

**S. IRENÆUS.** 106. Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab apostolis, et a discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum patrem omnipotentem, et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro salute nostra, et in Spiritum sanctum. Lib. 1, *advers. Hæres.*, cap. 2.

107. Ubi Ecclesia, ibi spiritus : et ubi spiritus Dei, illic Ecclesia. *Ibid.*, lib. 3, cap. 40.

108. Ubique Ecclesia prædicat veritatem, et hæc est lucerna Christi bajulans lumen. *Ibid.*, lib. 5, cap. *Omnes.*

**S. ISIDORUS HISPAL.** 109. Gemina est Ecclesiæ pulchritudo : una quam hic bene vivendo consequitur, altera per quam illic ex retributione glorificabitur. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 16, sent. 1.

110. Sancta Ecclesia catholica sicut male viventes in se patienter tolerat, ita male credentes a se repellit. *Ibid.*, sent. 3.

111. Sancta Ecclesia ideo dicitur catholica, pro eo quod universaliter per omnem sit mundum diffusa. *Ibid.*, sent. 6.

112. Ecclesia vocatur proprie, propter quod omnes ad se vocet, et in unum congreget. Lib. 1, *de Officiis. Eccles.*, cap. 1.

**LACT. FIRM.** 113. Quia singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, et suam esse catholicam Ecclesiam putant : sciendum est illam esse veram, in qua est religio, confessio, et pœnitentia quæ peccata et vulnera, quibus est subjecta imbecillitas carnis, salubriter curat. Lib. 4, *de Divin. Inst.*, cap. 30.

114. Sola catholica Ecclesia, vera religio est : hic est fons veritatis, hoc est domicilium Dei, hoc templum Dei ; quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exiverit, a spe vitæ ac salutis æternæ alienus est. *Ibid.*

S. LEO I. 115. Ecclesia catholicæ fidei erutos mundo, inserit cœlo. Serm. 2, *de Anniversar. diei assumpt. ejus ad Pontif.*

116. Soliditas fidei Ecclesiæ, quæ in apostolorum principe est laudata, perpetua est : et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit. *Ibid.*

117. Ecclesia Dei per furorem crudelitatis tyrannorum non minuitur, sed augetur. Serm. 6, *Epiphan.*

S. LUCIUS PAPA MART. 118. Hæc sancta et apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, nec hæreticis novitatibus depravanda succubuit : sed ut in exordio normam fidei christianæ percepit ab auctoribus suis apostolorum Christi principibus, illi beata fidetenus manet. Epist. *ad omnes Episcop.* Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 24, quæst. 1, can. *A recta.*

S. NILUS. 119. Ecclesiam non secus ac cœlum frequenta : nihilque in ipsa seu loquere, seu cogita terrenum. *Parænes.* 57.

PETRUS BLESENS. 120. Proprium est Ecclesiæ, ut tunc vincat, cum læditur ; tunc intelligat, cum arguitur ; tunc secura sit, cum deseritur ; tunc obtineat, cum superata videtur. Epist. 125.

S. PETRUS DAMIANUS. 121. Sceptrum Filii Dei est Ecclesia catholica : hæc regnum, hæc est et nostri Redemptoris imperium. Lib. 1, epist. 20, *ad Cadaloum antipap.*

122. Post crucem, post Virginem, post angelos, quid est majus in terris, quid in cœlis sublimius sancta Ecclesia Christi sponsa ? Serm. 69, *de Dedic. Eccles.*

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 123. Recordamini Ecclesiam semper laboribus crevisse, passionibus multiplicatam esse, tolerantia cuncta resistentia evicisse. Lib. 1, epist. 1, *ad Innocent. Pap.*

S. PROSPER. 124. Sicut ex latere Adæ dormientis formata est Eva : ita ex latere Christi in cruce pendentis formata est Ecclesia, quæ vere est mater omnium vivorum. *De Promiss.*, part. 1, cap. 1.

125. Nihil aliud sunt res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonium pauperum. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 9.

S. THEODOR. 126. Salus per Ecclesiam provenit ; qui vero sunt extra illam, non fruuntur æterna vita. Quæst. 1, super *Jesum Filium Nave.*

THEOPHYL. ANTIOC. 127. Hortus Domini est Ecclesia catholica, in qua sunt rosæ martyrum, lilia virginum, violæ viduarum, hedera conjugum. Lib. 4, in *Evangelia.*

Vide etiam tit. *Aspectus*, sent. 49 ; *Baptismus*, sent. 35 ; *Bonum*, sent. 45 ; *Definitio*, sent. 12 ; *Episcopus*, sent. 13 ; *Mysterium*, sent. 33 ; *Persecutio*, sent. 74, 119 ; *Rapina*, sent. 43 ; *Schisma*, sent. 20 ; *Status*, sent. 15 ; *Veritas*, sent. 86 ; *Virtutes Theolog.*, sent. 75 ; *Unitas*, sent. 51.

## ECCLESIASTICUS.

*Vide* Clericus.

## ECSTASIS.

S. THOMAS AQUINAS. *Etymologia.* Ecstasis græce, latine dicitur excessus mentis : qui fit duobus modis, vel pavore terrenorum, vel mente rapta ad superna, et inferiorum oblita. 2, 2, quæst. 175, art. 2.

S. AUGUST. *Definitio.* Quando penitus avertitur atque abripitur animi intentio a sensibus corporis, tunc ecstasis dici solet. Lib. 12, *de Genesi ad litt.*, cap. 12.

Dicitur ecstasis, cum mens non pavore alienatur, sed aliqua inspiratione revelationis assumitur. Super *Psalm.* CXV, exposit. vers. 2, *Ego dixi in excessu meo.*

JOAN. GERS. Ecstasis est raptus mentis, cum cessatione omnium operationum in inferioribus potentiis. *De Mystica Theologia*, Part. 7, consid. 36.

S. THOMAS AQUINAS. Ecstasis est excessus a seipso, secundum quem aliquis extra suam ordinationem ponitur. 2, 2, quæst. 175, art. 2, ad primum.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Divinus amor ecstasim facit. Part. 3, tit. 31, cap. 3, § 2.

S. AUGUST. 2. Amore Dei anima secedit, et excedit a corporeis sensibus, ut sese non sentiat, quæ Deum sentit. In *Manuali*, cap. 20.

3. Mens ineffabili Dei illecta dulcedine, quodam modo sese sibi furatur, imo rapitur, atque labitur a seipsa, ut Deo fruatur ad jucunditatem. *Ibid.*

4. Nihil ad beatam vitam præstantius videtur, quam velut clausis sensibus extra carnem mundique affectum quempiam intra semetipsum converti, alienumque effectum a mortalium cupiditatibus, sibi soli et Deo loqui. *De Spiritu et anima*, cap. 14.

S. BERNARD. 5. Dormiens in contemplatione, Deum somniet. Serm. 18, super *Cantica.*

6. Revera enim dormitio est ; quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat. *Ibid.*, serm. 52.

7. Mens ineffabili Verbi illecta dulcedine, quodammodo se sibi furatur, imo rapitur atque elabitur a seipsa, ut Verbo fruatur. *Ibid.*, serm. 85.

S. BONAV. 8. Mentis excessus fit tribus modis : mentis dilatione, mentis sublevatione, mentis alienatione. Super *Psalm.* CXV.



9. Primo anima ignitur, ignita ungitur, uncta rapitur, rapta speculatur, vel contemplatur, contemplans gustat, gustans quiescit. *De Septem grad. contemplat.*

10. O passio mirabilis, quæ suum meditatorem alienat, et non solum reddit angelicum, sed et divinum. In *Stimulo amoris*, part. 1, cap. 1.

11. Quanto amor Dei vehementior et intelligentior et lucidior, tanto validius mentem in se rapit. Lib. 2, *de Profectu relig.*, cap. 72.

S. DIONYS. AREOPAG. 12. Est mentis secessum ecstasimque faciens divinus amor : amatores sui juris esse non sinens sed in ea quæ amant penitus transferens. *De divin. Nomin.*, cap. 4, part. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 13. Quotiescunque sanctum contemplationis ardor in altum rapit, se procul dubio toties sub se relinquit. Lib. 2, *Dialogi.*, cap. 3.

14. Animus in visione Dei raptus videre sine difficultate potest omne quod infra Deum est. *Ibid.*, cap. 35.

15. Cum animus in Dei lumine rapitur, super se in interioribus ampliatur, et dum sub se conspicit exaltata, comprehendit quam breve sit quod comprehendere humiliata non poterat. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 16. Rerum est quoddam genus, eorum, qui se a corpore avocent, et ad divinarum rerum cognitionem cura omni, studioque rapiuntur. Lib 1, *de Divin.*, num. 3.

SENECA. 17. Subsilire in cœlum, ex angulo licet. Epist. 31.

## EGESTAS.

S. HIERON. *Definitio.* Egenus est, qui aliquid habet, et aliquo indiget. Super *Psalm.* XXXIX, vers. penultimo : *Ego vere egenus.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ille egentissimus est, cui aurum suum vile, alienus vero palmes pretiosissimus existimatur. Lib. 3, epist. 10, *ad Simplicianum.*

2. Affectus dives egere non novit. *De Nabuthe*, cap. 2.

S. AUGUST. 3. Major et miserabilior egestas nulla est, quam egere sapientia, et qui sapientia non eget, nulla re omnino egere potest. *De Beata vita*, disput. 3 diei.

4. Omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est. Lib. 13 *Confess.*, cap. 8.

5. Nullus perfectus aliquo eget, et quod videtur corpori necessarium, sumet si affuerit : si non affuerit, non eum istarum rerum franget inopia. *De Beata vita*, in disput. 3 diei.

6. Ab abundantia egestas aliena non est. *Ibid.*

7. Quidquid vel parum, vel nimium est, quia modo eget, obnexium est egestati. *Ibid.*

8. Modus animi sapientia est, egestas autem stultitia. *Ibid.*

9. Melius est minus egere, quam plus habere. In Regula 3, *ad Clericos.*

10. In egestate conservare justitiam, magnifica res est. *De Quæst. vet. et novi Testam.*, quæst. 124.

11. Pauperem egestas revocare debet a cupiditate luxuriæ. *Ibid.*

12. Penuriam pati, quorumcumque hominum est : sed scire penuriam pati, magnorum est. *De Bono conjugali*, cap. 21.

13. Nobilis inopia est mentis humilitas, et ineptæ divitiæ sunt animorum enormitas. *De Duodecim abusion.*, cap. 18.

V. BEDA. 14. Egenus æque est is, qui non satis habet, et is cui copia nulla sufficit. In suis *Proverb.*, verbo *Egenus.*

S. BERNARD. 15. Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

16. Perfectus carere et necessariis paratus est. In præfat. *Vitæ S. Malachiæ.*

S. BONAV. 17. Afflictorum indigentia, dum pietas mentes ad subveniendum provocat ; etiamsi lingua sileat, vita clamat. Super *Lament. Hierem.*, cap. II.

18. Sicut divitiæ non sunt in culpa, sed cupiditas divitiarum : sic egestas in culpa non est, sed impatientia egestatis. *De Paupert. Christi contra Magistr. Guillelm.*, quæst. 1, art. 2, ad octav. argum. respons. partis negat.

CASSIODOR. 19. Possunt aliquid egere quibus divitiæ, quibus salus corporis, quibus regna tribuuntur : solus ipse nihil indiget, qui Domini timore ditatus est. Super *Psalm.* XXXIII, vers. 9 : *Nihil deest timentibus eum.*

CLEMENS ALEX. 20. Vir bonus nunquam laborat inopia, quamdiu habuerit salvam in Deum confessionem. Lib. 3 *Pædag.*, cap. 7.

S. CYPRIAN. 21. Egestas esse nulla jam poterit, cum semel pectus cœlestis sagina saturaverit. Epist. 2 *ad Donat.*, cap. 10.

S. EPHRÆM. 22. Si abundantia delectamur, in egestate facile capiemur. *De Perfect. monachi.*

EVAGRIUS. 23. Vir probus paucis rebus eget ; ut qui in immortalis, et mortalis vitæ, tanquam confinio sit. *Prosec.*

24. Nam quod eget, id ei propter mortale corpus accidit : quod autem non multis rebus eget, id ei propter animam immortalitatis cupiditate flagrantem contingit. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 26.

FRANCISCUS TITELM. 25. Nescit sufficientiæ rerum temporalium externam commoditatem, qui non aliquando pas-

sus est earum magnam indigentiam. In *Annot.* super *Psalm.* LXX.

GLOSS. INT. — 26. Abundantia frequenter extollit, et penuria tolerata divitias cœlestes acquirit. Super *Epist. ad Philipp.*, cap. IV.

S. GREGOR. MAGNUS. — 27. Discamus penuriam pati, ne ea quæ non habemus, habere etiam cum culpa requiramus : ne felices putemus, quos rebus onustos cernimus. Homil. 19, super *Ezech.*

S. HIERON. — 28. Pigritia nutrix est egestatis et penuriæ. Lib. 1, super *Prov.*, cap. VI, super illud : *Et veniet quasi viator egestas.*

29. Nemo plus habet, quam qui nullius indiget : ille vero nihil eget, qui præter necessaria nihil requirit. Super II, *ad Cor.*, cap. VI, illud : *Tanquam nihil habentes.*

HUGO A S. VICTORE. — 30. Egestas, quæ propter Dominum est, generat humilitatem. Super *Regul. D. August.*, cap. 5 in illud : *Melius est minus egere.*

31. Melius est egestatem quantumcunque minimam pati, quam superabundantia frui. *Ibid.*

32. Se debet quisque probare et sollicite pensare, quantum illi intus desit. Super *Regul. D. Aug.*, cap. 8.

33. Sunt quidam, qui rebus temporalibus egent, sed inviti, et vocari solet egestas; egent enim rebus, et egent bona voluntate, qua ditius nihil esse potest. Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST. — 34. Egestas propter Christum bene tolerata, facit martyrium. Homil. *de Divite.*

35. Qui multis indiget, multorum servus est, etsi ea possidere videatur. *Prosec.*

36. Dominus qui multis indiget, servorum servus est, et magis quam illi servitium subit : vera namque libertas, nulla re indigere. Homil. 79, super *Joan.*

37. Egestas sanitatis est mater, non tantum corporis, verum et animæ. Homil. 54, *ad Popul. Antioch.*

S. ISIDORUS HISPAL. — 38. Egestas est electorum, quod peregrinantur a bonis sempiternis, et in hoc exilio diutius remorantur. *Prosec.*

39. Egestas est reproborum, quod abundant vitiis, et virtutibus vacuantur, seque esse inopes nesciunt. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 58, sent. 6.

S. JUSTIN. MART. — 40. Si aliquando egestate opprimamur, illam approbemus, hilarique vultu excipiamus. Epist. *ad Zenam.*

LACT. FIRM. — 41. Nemo dubitat, quin timidi et imbecilli sit animi, aut dolorem aut egestatem metuere; quæ quisquis non exhorruerit, fortissimus judicabitur. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 17.

42. Nemo justus potest esse, qui egestatem timet. *Ibid.*

43. Virtus pro fide, pro justitia nec egestatem timet. In *Epitome*, cap. *Dicam.*

S. LEO I. — 44. Divites avari, egentiores sunt omnibus egenis. Serm. 5, *de Collectis.*

PETR. BLES. — 45. Judicium Dei est, ut semper indigeat, qui semper indigentiam timet. Epist. 17, *ad Quemdam Cleric.*

SALVIANUS. — 46. Quid ais, o homo, qui christianum te dicis, cum Christum egere videas, ut facultates in quibuscunque non indigentibus derelinquas? *Prosec.*

47. Christus eget, et pauper est : et tu opes divitum cumulas; Christus rerum omnium egestate conficitur, et a te luxuriosis copiæ congregantur. Lib. 4, *ad Eccles. catholic.*

S. THEOPH. ALEX. — 48. Eget semper, qui avarus est. *Epist. Paschal.* 3.

THOMAS A KEMPIS. — 49. Inopia rerum, paupertatem docet amare. *De Discipl. claustr.*, cap. 12.

50. Corporalis egestas, medicina est animæ fidelis. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO PORT. — 51. Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas. Lib. 1 *Disticor.*, metr. 76.

CICERO. — 52. Egens æque est is cui nihil satis habet, et is cui nihil satis esse potest. Lib. 4, *de Arte rhetor.*

53. Nemo justus esse potest, qui egestatem timet. Lib. 2, *de Offic.*

SIXTUS PHILOSOPH. — 54. Deus quidem nullius eget, fidelis autem Dei solius; æmulatur ergo illum, qui nullius eget, is qui paucis in rebus necessariis indiget. *Sent.* 43.

## EGREDI FORAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. — 1. Sicut columbarum pulli non volant discurrendo, sed clausi manent in nidis suis : sic et religiosi non debent discurrere vagi per civitates et villas sine necessitate. Part. 4, tit. 15, cap. 35, § 9.

S. BERNARD. — 2. Indecens est, et nihil turpius, quam monachus per urbes et castella discurrens, nisi eum cogit charitas, quæ operit multitudinem peccatorum. Serm. 63, *de Parvis sermonibus.*

3. Quid facis in urbe, qui claustrum elegisti? quid tibi cum sæculo, qui sæculum sprevisti? Epist. *ad Fulconem.*

4. Melius tibi in claustro sedere, quam plateas civitatis circuire. Serm. 66, *ad Sororem.*

5. Quid foris vagaris? quid foris quæris? quid his carnalibus studes? quid in sæcularibus te implicas? Serm. 2, *de Miseria humana.*



6. Quanto magis ad mundum accedis, tanto longius a Deo recedis. *Ibid.*

7. Quanto magis foris es sapiens, tanto magis intus stultus efficeris. *Ibid.*

8. Quanto magis extra lucraris, tanto magis intus perdis. *Ibid.*

9. Quanto magis in his quæ foris sunt vagaris, tanto magis intus evacuaris. *Ibid.*

S. BONAV. — 10. Multum monachi proficiunt, qui claustra custodiunt : sed cito deficiunt, qui sæpius foras vadunt. Serm. 5, *de Una Virg.*

11. Sicut piscis non diu vivit extra aquam : sic religiosus vagabundus cito moritur per culpam. Tit. 4 *Diætæ*, cap. 1.

12. Evagatio nimia plurimorum, non exempla post se relinquit vitæ, sed scandala potius animarum. Epist. *ad Ministr. provinc. et custodes.*

13. In domo consistere, et turbæ et hominibus absconditum latere, semper religioso utile est, qui sibi desiderat et Deo vacare. *Prosec.*

14. Quidquid devotionis in domo colligis, hæc foris egrediens spargis potius quam augeas et conserves. In *Instit. novit.*, part. 1, cap. 34.

15. Non debet tibi esse consolatio extra domum evagari. *Ibid.*

16. Quando extra domum egredieris, non multum circumspicias in plateis, ne forte videas unde tenteris. *Ibid.*, cap. 35.

S. CÆSARIUS ARELAT. — 17. Qui in religione immaculatum et purum cor servare desiderat, aut nunquam in publicum, aut certe non nisi grandi et inevitabili necessitate procedat. Epist. 1, *ad Quamdam.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. — 18. Monacho nihil tam nocuum, detestabile et mortale, quam vicos et civitates, et gentium multitudinem circumire. Epist. *ad Augustin. D. miraculis D. Hieronymi.*

19. Quod aqua piscibus, hoc idem monachis monasterium operatur. *Ibid.*

DIONYSIUS CARTHUS. — 20. Quantum religiosis noceat claustrum exire, cum sæcularibus conversari, non est opus describere, cum experientia id, proh dolor! satis docuerit atque quotidie doceat. *Prosec.*

21. Quemadmodum filiis Israel maxime nocuit egredi, et conversari cum Chananæis : sic religiosis potissime nocet egredi et conversari cum mundanis.

22. Sicut pisces si extra aquam perseverent, protinus moriuntur : sic religiosi si extra clausum perdurent, perimuntur. De *Mortificat. vivifica*, art. 5.

S. DOROTH. — 23. Sterquilinium cum sis et cinis, non homo, cur ad homines ingrederis? *Doctrina* 14.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. — 24. Quid prodest quod discedis, qui quocunque loco vadas, te tecum portas? merito discederes, si quoquam te fugere posses. *Prosec.*

25. Digne aliquis discedit, si illuc ire possit, ubi eum diabolus invenire non possit.

26. Non te fallas, non fugis discedendo adversarium de loco ad locum; sed de vitio ad virtutem, de passione ad emendationem : nam si eum aliter fugias, sequetur te : emenda te, et fugiet a te.

27. Quocumque discedis, vincula quibus adstrictus es, passionum, hinc atque inde circumvallant intima tua. Homil. 3, *ad Monach.*

28. Nescio ad quæ lucra velimus in sæculo conversari : nam cum hic in religione grande putetur damnum, non quotidie acquirere aliquid, illic grandis quæstus esse putandus est, vel acquisita non perdere : hic grande detrimentum creditur, non quotidie proficere, ibi vero summa virtus est, non perire. *Ibid.*, homil. 5.

GILLEBERT. ANGLUS. — 29. Noli fortis esse, ne tibi foris esse contingat. Serm. 16, super *Cant.*

GLOSS. ORD — 30. Si discipulus Deum secuturus arguitur, quod renuntiare domui velit : quid fiet illis, qui nulla utilitate sæpe visitant domos suorum, quas dereliquerunt? Super *Luc.*, cap. IX.

S. GREGOR. MAGNUS. — 31. Religiosus instruitur, ut raro sit in publico, frequens in secreto; ut qui tardius aspicitur, devotius veneretur. Lib. 5, super I *Reg.*, cap. IV, super illud : *Festina nunc, hodie.*

32. Non frequenter foras egrediaris, sed tu ad lectionem atque orationem vaca. Lib. 2, in *Registro*, indict. 11, cap. 42, epist. 3, *ad Joan. Abbat.*

S. HIERON. — 33. Interpretare vocabulum monachi, hoc est nomen tuum, quid facis in turba solus? Epist. 1, *ad Heliodor.*

34. Quid agis, frater, in sæculo, qui major es mundo? *Ibid.*

35. Viderint quid alii sentiant : unusquisque enim suo sensu ducitur; mihi oppidum carcer, et solitudo paradisus. *Prosec.*

36. Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur? *Ibid.*, epist. 4, *ad Rustic.*

37. Crebrius in urbibus, quam in cellula est : et inter fratres simulat verecundiam, qui platearum turpis gaudet collidi. *Ibid.*

38. Morbidæ oves, quæ suum relinquunt gregem, luporum faucibus devorantur. *Ibid.*, epist. 8, *ad Demetriad.*

39. Virgines veræ diebus festis propter frequentiam populorum pedem domi cohibent, nec tunc egrediuntur, quando major est adhibenda custodia, et publicum penitus devitandum. *Ibid.*

40. Summæ stultitiæ est, renuntiare sæculo, dimittere patriam, urbes deserere, monachum profiteri, et inter majores populos peregre vivere, quam eras victurus in patria. *Prosec.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

41. Si cupis esse quod diceris, monachus, id est solus, quid facis in urbibus, quæ utrique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Epist. 14, *ad Paulin.*

42. Sæcularium, et maxime potentium consortium devita. Quid tibi necesse est ea videre crebrius, quorum contemptu monachus esse cœpisti. *Ibid.*

43. Raro sit egressus in publicum : nunquam causa deerit procedendi, si semper quando necesse est processura sis. Epist. 22, *ad Eustoch.*

44. Tu filia, ejus domum angustam judicas, cujus non tibi fuit venter angustus? *Prosec.*

45. Decem mensibus utero clausa vixisti, et uno die in cubiculo cum matre non duras?

46. An oculos, ejus ferre non potes? et quia omnes motus tuos, utpote illa quæ genuit, quæ aluit, et ad hanc adduxit ætatem, facilius intelligit; testem domesticam fugis?

47. Si virgo es, quid times diligentem custodiam? si corrupta, cur non palam nubis? secunda post naufragium tabula est : quod male cœperis, saltem hoc remedio temperare.

48. Si ad matrem migraveris post ruinam, facilius poteris cum ea plangere, quod per illius absentiam perdidisti. Quod si adhuc integra es, et non perdidisti, serva ne perdas. Epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio.*

49. Ovis quæ de ovili egreditur, lupi statim morsibus patet. Epist. 52, *de Vita Malchi.*

50. Rarus tibi sit egressus in publicum : nunquam tibi causa deerit procedendi, si semper necessarie processurus sis. In *Regula Monachorum*, cap. 3.

51. Egredientes hospitium armet oratio, et egredientibus occurrat oratio antequam sessio : nec prius corpusculum requiescat, quam animam pascat. *Ibid.*, cap. 14, *de Contemplat.*

52. Monachum solitudo facit, non publicum. Epist. 54, *ad Ocean. de vita clericor.*

HUGO A S. VICTORE. 53. Quasi compedes claustralibus adduntur catenis obedientiæ, dum vagari, vel egredi foras non permittuntur. Lib. 2, *de Claustro anim.*, cap. 15.

54. Sunt quidam, qui cum exeunt foras, non tantum intus sunt dissoluti, sed etiam foras curiosi. *Ibid.*, cap. 22.

55. Frequentem exitum caveamus, ne egrediamur temere : nemo de conscientia sua confidat : Dina intus virgo, intus casta, intus columba fuit; egressa foras colorem pariter cum nomine mutavit. Lib. 2, *de Arca Noe, Morali*, cap. 5.

56. Gloriatio monachi est, quando in loco suo permanet, et huc illucque non vagatur. Lib. *de Miscellan.* 1, tit. 199.

HUGO CARD. 57. Bonus claustralis mente et corpore exivit de mundo : sed sunt quidam, qui etsi corpore, nondum tamen mente egressi sunt. *Prosec.*

58. Qui egreditur ex toto debet egredi, ut vere dicat cum philosopho, omnia mecum porto. Super *Gen.*, cap. 12 *Moral.*

59. Maxime Novitiis periculosus est omnis egressus, quia cito læduntur. *Ibid.*, cap. 34, *Moral.*

60. Diabolus semper monet egredi : malum autem est egredi, quia vix regreditur homo. Super *Isai.*, cap. XXXVI.

61. Quandiu claustrales stant clausi in claustris suis, vacantes contemplationi et orationi, habent gratiam coram Deo et coram hominibus : exeuntes autem ad publicum, et frequentes curias, amittunt utrumque. Super *Marc.*, cap. XIV, *Mystice.*

62. Si tam dure arguitur, qui nondum fuerat Dominum secutus, quid erit de regularibus illis, qui quotidie, quibusdam modicis occasionibus visitant domos parentum? Super *Lucam*, cap. IX.

S. JOANNES CHRYSOST. 63. Nemo religiosorum, qui egredi cupit, dicat : Habeo patrem, habeo matrem : Respondebo tibi, habes Jesum, quid quæris ista, quæ mortua sunt? Qui habet Jesum, habet patrem, habet matrem, habet filios, habet omnem propinquitatem. *Prosec.*

64. Mortuus pater non exigit pietatem filii, quid ergo quæris patrem? quid quæris matrem? Aut christiana est mater, aut non est christiana, aut sancta est, aut peccatrix. Si sancta est, gaudet quia servis Domino : si peccatrix, dimitte illam, mortua est. Homil. 17, *ex divers. in Matth.*

S. JOAN. CLIM. 65. Labore ingenti et fatigatione mores graves et optimos acquirimus ; et quod multo temporis labore quæsiverimus, fieri potest ut egrediendo ad sæcularia, uno momento temporis amittamus. *Prosec.*

66. Qui post abrenuntiationem, cum sæcularibus versatur, in eosdem laqueos, in quibus sæculares incidunt, incidet. Gradu 3.

67. Melior est subditus pauper, quam solitarius, qui hinc inde distrahitur. *Ibid.*, gradu 27.

JOAN. SAR. 68. Expertus sum in multis negotiis, quod cum in turba sæculari solum monachum versari periculosum est, in gente nostra periculosissimum est. Epist. 76.

JOAN. TRITH. 69. Monachus in turba, est piscis sine aqua. Lib. 3, *de Vir. illustr. Ord. S. Bened.*, cap. 338.

70. Nihil est quod monachi propositum ita dissolvat, quomodo evagatio frequens. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Gyrovagus.*

71. Amator Christi etiam in medio multitudinis Jesum cogitat. Homil. 12, *ad Monachos.*



72. Corporis motu spiritus non polluitur, quando mentis solitudo custoditur. *Ibid.*

73. Sicut arbusta de loco in locum pluries transplantata, fructum raro afferre consueverunt ; ita monachus qui de uno monasterio in aliud leviter volat, rarissime fit sanctus, seu stabilis. Lib. 1, *de Tentat. religios.*, cap. 9.

74. Rarus egressus in publicum, magnam tibi in plebe reverentiam maturitatis exhibet. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 6.

75. Nihil plus nocet infirmis claustralibus quam frequens visitatio amicorum. Orat. 5, *in Conventu Abbat.*

76. Rarus egressus magnam tibi apud homines maturitatis reverentiam præbebit. Epist. 4, *ad Nicol. Presbyt. Mernicens.*

S. ISIDORUS HISPAL. 77. Onager, ut ait Job, contemnit civitatem, et verus monachus communem sæcularium civium conversationem. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 17, sent. 5.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 78. Nec naturæ pudorem, nec ipsam disciplinam monasticam curatis nec mollitiem eam, quam civitates et oculis et auribus afferunt, metuitis, nec futuram comminationem huic rei denuntiatam perhorrescitis, ad urbem crebro commeantes. *Prosec.* Si suppliciorum periculum facere minime vultis, tumultuum bellum fugite, quod religiosæ ac Deo consecratæ vitæ exercitationem gravibus ac periculosis sagittis insectatur. Lib. 1, epist. 37, *ad Moniales.*

S. NILUS. 79. Verendum est, ne redeat ægritudo, quod ex turbæ commixtione fieri consuevit. In lib. *Ascetico.*

80. Facile in laqueos, ex quibus se extricasse arbitrabantur, rursus incidunt, qui sine timore cum mundi turbis versari student. *Ibid.*

PETR. BLES. 81. Quid est claustralem redire ad sæculum, nisi cœli habitatorem cadere in infernum? Epist. 13, *ad Monach. novit.*

83. Periculosum est neophytis, et nondum in sancta religione firmatis exire in publicum. *Ibid.*

83. Si vis exire de claustro, ut obtineas libertatem, devias et aberras : recedens enim a claustro, elongaris a Deo. *Ibid.*

84. Non decet ad sæculum tam frequenter redire monastici ordinis pofessorem. *Ibid.*

85. Ama, queso, claustrum, et abscinde ab animo tuo desiderium exeundi. *Prosec.*

86. Nam si paradisus in hac vita præsenti est, in claustro est : quidquid enim extra est, plenum est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, sollicitudine, et dolore.

87. Fallax et seductoria illa evagandi voluptas, consumit claustralis innocentiæ fructus. *Ibid.*

PETR. CELL. 88. Monachi est, non egredi : pium est quidem ire, pium non ire. Lib. 7, epist. 20.

S. PETRUS DAMIANUS. 89. Lectioni vel orationi minime vacat, quem extra egredi, et terrena quæque tractare imminens potius necessitas dictat. *Prosec.*

90. Charitas in eo minuitur, quia mens, quæ tot actionum sæcularium ventos recipit, ab amoris intimi fervore tepescit.

91. Suum quoque castitas mentis dispendium patitur, quia nonnunquam mens concupiscentiæ, telo configitur per carnis speciem, quam exterius contemplatur. Opusc. 12, cap. 11.

92. Monachus discurrens lacrymarum compunctionem, quibus peccata defleat, non habet quia mens arida, quæ per æstum terrenæ conversationis incedit, dum perfundi rore sancti Spiritus non meretur, arescit. *Ibid.*

93. Monachus si iter mundi sæpe terit, procuratos insidiarum laqueos non evadit : cum vero ad propriæ habitationis claustra revertitur, cominus illum quasi quædam conglobata turba omnium quæ viderat, vel audierat, comitatur. *Prosec.*

94. Si orationi vacare enixius cœperit, ecce phantasmata cogitationum; ecce imagines, quas viderat, rerum : ita ut in quolibet angulo constitutus, videatur sibi istis interesse, et inter ipsas adhuc residere, etc. (Vide ibi plura.) *Ibid.*, cap. 12.

95. Monacho ab egressione ad publicum, nisi causa conversionis exegerit, studendum est declinare. *Ibid.*, cap. 13.

96. Noverit monachus vitio vagationis addictus, quia nisi a sæculo pedem retrahat, nec perfectionis culmen attingere, nec ordinis sui digne poterit munia custodire. *Ibid.*, cap. 20.

97. Qui discurrendo per sæculum propriæ libidini satisfacit, et tamen obedire se majorum jussionibus asserit, noverit Deum non tam coloratis verbositatibus credere, quam de occultis hominum juxta conscientiam judicare. *Ibid.*, cap. 21.

98. Quisquis se per negotiorum sæcularium exercitia delectabiliter fundit, holocausti sui medullas cum visceribus subtrahit, et solam victimæ pellem, quæ offerri prohibetur, adolere contendit. *Ibid.*, cap. 22.

99. Monachus non aliquando progredi, nisi violenta poposcerit necessitas, acquiescat : sed id tanto parcius, tantoque agat, quanto scit, quod vagando per sæculum, neque spiritualiter vivere, neque ad perfectionis culmen valeat, etiamsi diligenter invigilet, pervenire. *Ibid.*, cap. 23.

100. Quisquis monachus perfectionis culmen festinat attingere, intra remotionis suæ claustra se

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cohibeat : discurrere vero per sæculum, velut mergere se in lacum sanguinis perhorrescat. *Ibid.*, cap. 32.

101. Melius est in religione vel segniter vivere, quam funditus in mundana conversatione perire. Opusc. 13, cap. 7.

102. Raro progressurus egredere, ut semen verbi, quod sparseras, jugiter valeas excolendo rigare. *Ibid.*, cap. 15.

103. Monachi discurrentes, non Monachi dicendi sunt, sed gyrovagi. Opusc. 27, cap. 3.

S. PETRUS MAUR. ABB. CLUNIAC.

104. Nihil simplicitati nostræ cum astutia sæculari, nec decet ut qui in sæculo eremum elegimus, nunc de eremo ad sæculum redeamus. Lib. 6, epist. 12, *ad Eugen. Pap.*

THOMAS A KEMPIS.

105. Si vis in bono statu perseverare, noli extra domum tam sæpe vagari. Serm. 2, *ad Novit.*

106. Quanto quis latius foris extenditur, tanto intus minoratur. *Ibid.*, serm. 3, divis. 1.

107. Cor religiosi debet esse in cœlo, non vagari in sæculo *Ibid.*, serm. 13, divis. 2.

108. O quam rarum et alienum est in multis religiosis sæpius non egredi, qui pro pœna carceris reputarent, si infra annum extra septa monasterii, vel extra portam spatiandi causa exire non deberent! *Ibid.*, serm. 13, divis. 10.

109. Nullos ædificat evagandi libertas, nam veræ devotionis nutritius, est solitarius et religiosus inclusus. *Ibid.*, serm. 14, divis. 5.

110. Cum aliquis uno pede claudus, aut monoculus egreditur, raro utroque sanus revertitur. *Ibid.*, serm. 14, divis. 6.

111. Vulpes exiens foveam, nescit diu per rectam incedere viam : sic homo vagus, diu nequit se fingere, sed seipsum prodit etiam invitus coram multis ignotis, aut verbis, aut factis apertis. *Ibid.*

112. Laudabile est homini religioso, raro foras ire, fugere videri, nolle etiam homines videre. Lib. 1, *de Imit. Christi*, cap. 20, sect. 6.

113. Lætus exitus, tristem sæpe reditum parit. *Ibid.*, cap. 20, sect. 7.

114. Necessaria et utilis est vago clausura. In *Hortulo Rosar.*, cap. 8, sect. 2.

115. Qui sæpius foris evagatur, raro inde melioratur. *Ibid.*, cap. 10, sect. 2.

116. Vagus horret disciplinam et cellam, sicut avis capturam. *Ibid.*, cap. 11, sect. 2.

117. Foris vagantibus Deus denegat experimentum internæ suavitatis. *Ibid.*, cap. 12, sect. 3.

118. Væ tibi, qui sæpe foris evagaris, et tempus infructuose expendis. In *Valle lilior.*, cap. 15.

119. Vagus et instabilis vilescit, sæpe foris visus : fugiens autem turbas et manens intus, reputatur sanctus. *Ibid.*, cap. 18, sect. 2.

120. Qui libenter foris ambulat, et hinc inde fabulari desiderat, raro est, quin cor suum maculet, et indevotior ad cellam pacis amicam redeat. *Ibid.*, cap. 23.

121. Qui foris vagatur, innumeris periculis patet. *De Discipl. claustr.*, cap. 7, sect. 3.

122. Quod si omne rarum, charum censetur : tanto erit quis Deo charior, et hominibus reverentior, quanto rarius foris videtur. *Prosec.*

123. Lumen in lucerna clausum, fulgorem suum retinet et ardorem : extra vero positum et ejectum, levi flatu extinguitur et tenebrescit. In *Dialogo novit.*, cap. 4, sect. 4.

124. Cave a frequenti exitu, et ubi opus non habes, ne accedas. *De Exercit. spirit.*, cap. 4, sect. 2.

125. Si obedientia jubet, vel utilitas egredi requirit, vade cum decenti disciplina, et cito ad tua revertere secreta. *Ibid.*

126. Foris sæpe hauritur, unde interior homo inquinatur. *Ibid.*

127. Ad cavendum laqueos apertos vel occultos, libentius sis intus, quam foris. *Ibid.*

128. Vidi frequenter evagantes, et nullum fructum inde ferentes : heu! raro exitur sine periculo, rarius sine culpa reditur. *Ibid.*, cap. 4, sect. 4.

IN VITIS PATR.

129. Sicut arbor fructificare non potest, si sæpius transferatur : sic monachus, frequenter migrans nec potest fructificare. Lib. 5, libell. 7, *de Fortitud.*, num. 36.

130. Patres nostri deserta sequebantur, nos autem civitates sequimur. Lib. 10, cap. 168.

131. Cum in cella sum, in pace est anima mea : cum autem foris egredior, conturbor. In *Sent.* in fine positis, sent. 25.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CLEOB. LIN

132. Egressurus domo, tecum expendito, quid foris agere velis : domum ubi redieris, quid egeris reputato. In *Sentent.*, sent. 2.

EPICTETUS

133. Si aliquando acciderit, ut foras promineas, et alicui placere cupias, te de statione tua dejectum esse scito. In suo *Enchirid.*, cap. 30.

SENECA.

134. Non est accedendum eo, unde liber regressus non sit. *De Tranquillitate animi*, cap. 5.

135. Circumcidenda est concursatio. *Ibid.*, cap. 12.

136. Isti qui per officia discursant, se aliosque inquietant. *De Brevit. vitæ*, cap. 14.

137. Primum argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere, et secum morari : nusquam est, qui ubique est, non coalescit planta, quæ sæpe transfertur. Epist. 2.

138. Quid tibi vitandum præcipue existimem, quæris? turbam : non dum illi te tuto commiseris. Epist. 7.



139. Avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imo vero crudelior, et inhumanior, quia inter homines fui. *Ibid.*

140. Non vagatur quod est fixum et fundatum. Epist. 35.

141. Tam frequens migratio, instabilis animi est : coalescere otio non potes, nisi desinas circumcursare et errare. *Prosec.*

142. Ut animum possis continere, prius corporis tui fugam siste : interrumpenda non est quies, et vitæ prioris oblivio. Quoties processeris, in ipso transitu aliqua quæ renovent cupiditates tuas, tibi occurrent. Epist. 69.

Vide etiam tit. *Cella*, sent. 53, 82, 83; *Monachus*, sent. 8, 10, 11, 90; *Multitudo*, sent. 40, 41; *Ornatus*, sent. 87; *Religiosus*, sent. 134.

## ELECTIO.

CASSIODOR. *Etymologia.* Eligere non est nisi de multis unum legere. Super *Psalm.* CXVIII, versu *Viam veritatis elegi.*

HUGO CARD. Eligere est extra alios aliquem legere. Super *Luc.*, cap. VI.

S. ANTONIN. *Definitio.* Eligere est appetere aliquid propter aliquid consequendum. Part. 1, tit. 4, *de Voluntate*, cap. 2, § 1.

S. AMBROS. Eligere est alterum alteri præoptare. Super 1 *sent.*, dist. 40, art. 3, quæst. 1, argument. 2.

S. JOANNES DAMASC. Nihil aliud est electio, quam e duabus rebus propositis alterius præ altera susceptio. Lib. 2, *de Fide orthod.*, cap. 22.

IN VIT. PATR. Electio est appetitio cum deliberatione conjuncta earum rerum, quæ in nostra potestate sitæ sunt. Lib. 1, in *Vita SS. Barlaam et Josaphat.*, cap. 15.

PLATO. Electio est probatio recta cujuslibet rei. Syzygia 6, *de Definit.*

S. AUGUST. *Divisio.* Sunt tres modi eligendi : electio, subelectio, et præelectio. *Prosec.*

Electio est quando de multitudine bonorum et malorum, eligitur bonum.

Subelectio est quando de bonis electis, eliguntur meliores : postea quam de melioribus optimi eliguntur, præelectio est. Serm. 39, *ad Fratr. in eremo.*

S. BONAV. Quadruplex est electio : divina, humana, angelica, diabolica. Serm. 4, *Dom.* 19, *post Pent.* in illud : *Pauci vero electi.*

Eliguntur enim homines a Deo, ab hominibus, ab angelo, a diabolo : sed heu! licet pauci sunt electi Dei, tamen electi diaboli multi sunt.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS.

1. Dignus plane debet esse vir, qui sequendus proponitur omnibus. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Ecclesiam.*

2. Si terrestrium rerum dispensatores idonei quærendi sunt, quanto magis cœlestium? *Prosec.*

3. Magna ergo cura eligendus est, qui domum Dei regendam accipiat. Super 1 *Timot.* III, in illud : *Ne in opprobrium incidat.*

S. ANTONIN.

4. Ubi est æstimatio vel discretio, ibi est et electio. Part. 1, tit. 4, cap. 5, § 1.

5. Nobilitas excusare non potest, ut promoveatur malus : quia quanto nobilior, tanto nocivior. Part. 2, tit. 1, cap. 20, § 1.

6. Necessarium est concilium ante judicium de eligendis haberi. Part. 2, tit. 2, *de Prudentia*, cap. 1, § 4.

S. ATHAN. MAGNUS.

7. Quisquis ad majora idoneus est, multo magis ad minora idoneus erit. *De Passione et cruce Domini.*

S. AUGUST.

8. Quis ferat eligi divitem ad sedem honoris, contempto paupere instructiore atque sanctiore? Epist. 29.

9. Nullo pacto potes recte eligere, quando quod eligas non est. Lib. 3, *de Lib. arbitrio*, cap. 8.

10. Illum cognosce missum a Deo, quem non hominum laudatio, vel potius adulatio eligit, sed illum, quem et vita et mores optimi commendant. In *Dialogo.* LXV, *quæst.* ultima.

11. Circa illum, quem eligis, probanda est discretio. *De Amicitia*, cap. 21.

12. Plerumque homines selecti sunt nobilitate criminum, non dignitate virtutum. Lib. 7, *de Civit. Dei*, cap. 33.

13. Ubi merita considerantur, electio est, non sors. Super *Psalm.* XXX, conc. 2, vers. 18.

14. Eliguntur qui non sunt, nec errat qui eligit, nec vane eligit; eligit tamen, et habet electos, quos creaturus est eligendos. *De Verbis Apostoli*, serm. 11.

15. Tene certum, dimitte incertum. Homil. 41, e[illegible] *Homil.*

16. Magnum est quod elegit, qui non fallitur dum elegit, majus est quod Dei est opus ad quod elegit, sed maximum quod inter electos prælegit. Serm. 39, *ad Fratr. in Eremo.*

DIONYSIUS CARTHUS.

17. Electio primo fieri debet cum discretione atque concordia; secundo, ex charitate; tertio de gremio Ecclesiæ; quarto qui eligitur debet esse bonæ famæ; quinto virtuosæ conversationis; sexto, ut majus cupiat prodesse quam præesse. Super *Acta Apostol.*, cap. 6.

S. EUGENIUS PAPA.

18. Ministri eligantur, quorum vita atque doctrina illos magis exornet, quam dehonestet. *Hab.* in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 12, quæst. 1, can. *Necessaria.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS.

19. Ubi se virtutum non potest ingerere comparatio, studiorum non laborat electio. Serm. *de Ordinat.* [illegible]cerdot.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cohibeat : discurrere vero per sæculum, velut mergere se in lacum sanguinis perhorrescat. *Ibid.*, cap. 32.

101. Melius est in religione vel segniter vivere, quam funditus in mundana conversatione perire. Opusc. 13, cap. 7.

102. Raro progressurus egredere, ut semen verbi, quod sparseras, jugiter valeas excolendo rigare. *Ibid.*, cap. 15.

103. Monachi discurrentes, non Monachi dicendi sunt, sed gyrovagi. Opusc. 27, cap. 3.

S. PETRUS MAUR. ABB. CLUNIAC. — 104. Nihil simplicitati nostræ cum astutia sæculari, nec decet ut qui in sæculo eremum elegimus, nunc de eremo ad sæculum redeamus. Lib. 6, epist. 12, *ad Eugen. Pap.*

THOMAS A KEMPIS. — 105. Si vis in bono statu perseverare, noli extra domum tam sæpe vagari. Serm. 2, *ad Novit.*

106. Quanto quis latius foris extenditur, tanto intus minoratur. *Ibid.*, serm. 3, divis. 1.

107. Cor religiosi debet esse in cœlo, non vagari in sæculo *Ibid.*, serm. 13, divis. 2.

108. O quam rarum et alienum est in multis religiosis sæpius non egredi, qui pro pœna carceris reputarent, si infra annum extra septa monasterii, vel extra portam spatiandi causa exire non deberent! *Ibid.*, serm. 13, divis. 10.

109. Nullos ædificat evagandi libertas, nam veræ devotionis nutritius, est solitarius et religiosus inclusus. *Ibid.*, serm. 14, divis. 5.

110. Cum aliquis uno pede claudus, aut monoculus egreditur, raro utroque sanus revertitur. *Ibid.*, serm. 14, divis. 6.

111. Vulpes exiens foveam, nescit diu per rectam incedere viam : sic homo vagus, diu nequit se fingere, sed seipsum prodit etiam invitus coram multis ignotis, aut verbis, aut factis apertis. *Ibid.*

112. Laudabile est homini religioso, raro foras ire, fugere videri, nolle etiam homines videre. Lib. 1, *de Imit. Christi*, cap. 20, sect. 6.

113. Lætus exitus, tristem sæpe reditum parit. *Ibid.*, cap. 20, sect. 7.

114. Necessaria et utilis est vago clausura. In *Hortulo Rosar.*, cap. 8, sect. 2.

115. Qui sæpius foris evagatur, raro inde melioratur. *Ibid.*, cap. 10, sect. 2.

116. Vagus horret disciplinam et cellam, sicut avis capturam. *Ibid.*, cap. 11, sect. 2.

117. Foris vagantibus Deus denegat experimentum internæ suavitatis. *Ibid.*, cap. 12, sect. 3.

118. Væ tibi, qui sæpe foris evagaris, et tempus infructuose expendis. In *Valle lilior.*, cap. 15.

119. Vagus et instabilis vilescit, sæpe foris visus : fugiens autem turbas et manens intus, reputatur sanctus. *Ibid.*, cap. 18, sect. 2.

120. Qui libenter foris ambulat, et hinc inde fabulari desiderat, raro est, quin cor suum maculet, et indevotior ad cellam pacis amicam redeat. *Ibid.*, cap. 23.

121. Qui foris vagatur, innumeris periculis patet. *De Discipl. claustr.*, cap. 7, sect. 3.

122. Quod si omne rarum, charum censetur : tanto erit quis Deo charior, et hominibus reverentior, quanto rarius foris videtur. *Prosec.*

123. Lumen in lucerna clausum, fulgorem suum retinet et ardorem : extra vero positum et ejectum, levi flatu extinguitur et tenebrescit. In *Dialogo novit.*, cap. 4, sect. 4.

124. Cave a frequenti exitu, et ubi opus non habes, ne accedas. *De Exercit. spirit.*, cap. 4, sect. 2.

125. Si obedientia jubet, vel utilitas egredi requirit, vade cum decenti disciplina, et cito ad tua revertere secreta. *Ibid.*

126. Foris sæpe hauritur, unde interior homo inquinatur. *Ibid.*

127. Ad cavendum laqueos apertos vel occultos, libentius sis intus, quam foris. *Ibid.*

128. Vidi frequenter evagantes, et nullum fructum inde ferentes : heu! raro exitur sine periculo, rarius sine culpa reditur. *Ibid.*, cap. 4, sect. 4.

IN VITIS PATR. — 129. Sicut arbor fructificare non potest, si sæpius transferatur : sic monachus, frequenter migrans nec potest fructificare. Lib. 5, libell. 7, *de Fortitud.*, num. 36.

130. Patres nostri deserta sequebantur, nos autem civitates sequimur. Lib. 10, cap. 168.

131. Cum in cella sum, in pace est anima mea : cum autem foris egredior, conturbor. In *Sent.* in fine positis, sent. 25.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CLEOB. LIN — 132. Egressurus domo, tecum expendito, quid foris agere velis : domum ubi redieris, quid egeris reputato. In *Sentent.*, sent. 2.

EPICTETUS — 133. Si aliquando acciderit, ut foras promineas, et alicui placere cupias, te de statione tua dejectum esse scito. In suo *Enchirid.*, cap. 30.

SENECA. — 134. Non est accedendum eo, unde liber regressus non sit. *De Tranquillitate animi*, cap. 5.

135. Circumcidenda est concursatio. *Ibid.*, cap. 12.

136. Isti qui per officia discursant, se aliosque inquietant. *De Brevit. vitæ*, cap. 14.

137. Primum argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere, et secum morari : nusquam est, qui ubique est, non coalescit planta, quæ sæpe transfertur. Epist. 2.

138. Quid tibi vitandum præcipue existimem, quæris? turbam : non dum illi te tuto commiseris. Epist. 7.



139. Avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imo vero crudelior, et inhumanior, quia inter homines fui. *Ibid.*

140. Non vagatur quod est fixum et fundatum. Epist. 35.

141. Tam frequens migratio, instabilis animi est : coalescere otio non potes, nisi desinas circumcursare et errare. *Prosec.*

142. Ut animum possis continere, prius corporis tui fugam siste : interrumpenda non est quies, et vitæ prioris oblivio. Quoties processeris, in ipso transitu aliqua quæ renovent cupiditates tuas, tibi occurrent. Epist. 69.

Vide etiam tit. *Cella*, sent. 53, 82, 83; *Monachus*, sent. 8, 10, 11, 90; *Multitudo*, sent. 40, 41; *Ornatus*, sent. 87; *Religiosus*, sent. 134.

## ELECTIO.

CASSIODOR. *Etymologia.* Eligere non est nisi de multis unum legere. Super *Psalm.* CXVIII, versu *Viam veritatis elegi.*

HUGO CARD. Eligere est extra alios aliquem legere. Super *Luc.*, cap. VI.

S. ANTONIN. *Definitio.* Eligere est appetere aliquid propter aliquid consequendum. Part. 1, tit. 4, *de Voluntate*, cap. 2, § 1.

S. AMBROS. Eligere est alterum alteri præoptare. Super 1 *sent.*, dist. 40, art. 3, quæst. 1, argument. 2.

S. JOANNES DAMASC. Nihil aliud est electio, quam e duabus rebus propositis alterius præ altera susceptio. Lib. 2, *de Fide orthod.*, cap. 22.

IN VIT. PATR. Electio est appetitio cum deliberatione conjuncta earum rerum, quæ in nostra potestate sitæ sunt. Lib. 1, in *Vita SS. Barlaam et Josaphat.*, cap. 15.

PLATO. Electio est probatio recta cujuslibet rei. Syzygia 6, *de Definit.*

S. AUGUST. *Divisio.* Sunt tres modi eligendi : electio, subelectio, et præelectio. *Prosec.*

Electio est quando de multitudine bonorum et malorum, eligitur bonum.

Subelectio est quando de bonis electis, eliguntur meliores : postesquam de melioribus optimi eliguntur, præelectio est. Serm. 39, *ad Fratr. in eremo.*

S. BONAV. Quadruplex est electio : divina, humana, angelica, diabolica. Serm. 4, *Dom.* 19, *post Pent.* in illud : *Pauci vero electi.*

Eliguntur enim homines a Deo, ab hominibus, ab angelo, a diabolo : sed heu! licet pauci sunt electi Dei, tamen electi diaboli multi sunt.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. — 1. Dignus plane debet esse vir, qui sequendus proponitur omnibus. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Ecclesiam.*

2. Si terrestrium rerum dispensatores idonei quærendi sunt, quanto magis cœlestium? *Prosec.*

3. Magna ergo cura eligendus est, qui domum Dei regendam accipiat. Super 1 *Timot.* III, in illud : *Ne in opprobrium incidat.*

4. Ubi est æstimatio vel discretio, ibi est et electio. Part. 1, tit. 4, cap. 5, § 1. — S. ANTONIN.

5. Nobilitas excusare non potest, ut promoveatur malus : quia quanto nobilior, tanto nocivior. Part. 2, tit. 1, cap. 20, § 1.

6. Necessarium est concilium ante judicium de eligendis haberi. Part. 2, tit. 2, *de Prudentia*, cap. 1, § 4.

7. Quisquis ad majora idoneus est, multo magis ad minora idoneus erit. *De Passione et cruce Domini.* — S. ATHAN. MAGNUS.

8. Quis ferat eligi divitem ad sedem honoris, contempto paupere instructiore atque sanctiore? Epist. 29. — S. AUGUST.

9. Nullo pacto potes recte eligere, quando quod eligas non est. Lib. 3, *de Lib. arbitrio*, cap. 8.

10. Illum cognosce missum a Deo, quem non hominum laudatio, vel potius adulatio eligit, sed illum, quem et vita et mores optimi commendant. In *Dialogo.* LXV, *quæst.* ultima.

11. Circa illum, quem eligis, probanda est discretio. *De Amicitia*, cap. 21.

12. Plerumque homines selecti sunt nobilitate criminum, non dignitate virtutum. Lib. 7, *de Civit. Dei*, cap. 33.

13. Ubi merita considerantur, electio est, non sors. Super *Psalm.* XXX, conc. 2, vers. 18,

14. Eliguntur qui non sunt, nec errat qui eligit, nec vane eligit; eligit tamen, et habet electos, quos creaturus est eligendos. *De Verbis Apostoli*, serm. 11.

15. Tene certum, dimitte incertum. Homil. 41, ex 50 *Homil.*

16. Magnum est quod elegit, qui non fallitur dum elegit, majus est quod Dei est opus ad quod elegit, sed maximum quod inter electos prælegit. Serm. 39, *ad Fratr. in Eremo.*

17. Electio primo fieri debet cum discretione atque concordia; secundo, ex charitate; tertio de gremio Ecclesiæ; quarto qui eligitur debet esse bonæ famæ; quinto virtuosæ conversationis; sexto, ut majus cupiat prodesse quam præesse. Super *Acta Apostol.*, cap. 6. — DIONYSIUS CARTHUS.

18. Ministri eligantur, quorum vita atque doctrina illos magis exornet, quam dehonestet. *Hab.* in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 12, quæst. 1, can. *Necessaria.* — S. EUGENIUS PAPA.

19. Ubi se virtutum non potest ingerere comparatio, studiorum non laborat electio. Serm. *de Ordinat. sacerdot.* — S. EUSEBIUS EMISSENUS.

GILLEBERT. ANGLUS. 20. In eligendo semper est libertas, sed non est semper libertas ad eligendum. Serm. 39, super *Cant.* apud S. Bernard., num. 3.

21. Eligere nisi libere non potest, sed et aliquid quod non eligere per se potest. *Ibid.*

GLOSS. DEC. 22. Eligendus est potius, qui peccavit et pœnituit, quam qui semper fuit bonus : quia magis scit compati peccatoribus. In *Decret. Gratiani.*

GLOSS. ORD. 23. Habet Christus conscium munditiæ testem, cum suum non dubitet eligere proditorem. Super *Matth.*, cap. x.

GLOSS. INT. 24. Quicunque divitem propter divitias eligit, et pauperem propter paupertatem abjicit, utrobique peccat. Super *Epist. Jacobi*, cap. II, in illud : *Nolite in personarum acceptione habere fidem.*

S. GREGOR. MAGNUS. 25. Unum signum electionis, est soliditas charitatis. Homil. 17, super *Ezech.*

26. Manifestum bonitatis esse liquet indicium, in unius electione cunctorum convenire consensum. Lib. 4, in *Registro*, indict. 13, cap. 59, epist. 15, *ad Joan. Episc. Ravennæ.*

27. Nulla sit in electione venalitas, ne dum electores præmia appetunt, discretionem electionis amittant, et illum dignum ad hoc esse arbitrentur officium, qui non datione, sed meritis placuerit. *Ibid.*, cap. 67, epist. 23, *ad Castorium notarium.*

28. Non largus præmiis, sed dignus meritis in officio eligatur. *Ibid.*

29. Ille ad quodlibet officium perducatur, quem morum gravitas commendat et actio. *Ibid.*, lib. 5, indict. 14, cap. 107, epist. 7, *ad Theodorum, episc.*

30. Ille ad officium eligatur, quem dignum vita et mores ostenderint : et nullus ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum, seu proximitatis accedere patiatur. *Ibid.*, lib. 7, indict. 1, cap. 5, epist. 5, *ad Brunichildam reginam Francorum.*

31. In sacerdotibus fides est eligenda cum vita : si enim vita deest, fides meritum non habet. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 114, epist. 114, *ad Theodoric. et Theodebert. reges Francor.*

32. Ad electionem officiorum sacerdotum viri sancti non solum recipiendi sunt, sed etiam invitandi. Lib. 3, in I *Reg.*, cap. IV.

33. Digne indigniorem recipiunt, qui indignum indigne ejicere præsumunt. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4.

34. Omnis qui eligitur, ut fidelibus subditis dignitate præemineat, prælatione sua non suum, sed Domini lucrum quærat, *Ibid.*, cap. 5, super illud : *Unxit te Deus in principem.*

35. Illud præ omnibus tibi curæ sit, ut in electionibus nec datio quibuscunque modis interveniat præmiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia convalescant. Lib. 2, in *Registro*, indict. 11, cap. 64, epist. 22 *ad Antonium subdiacon.*

36. Si quorumdam patrocinio fuerit quisquam electus, ordo ecclesiasticus non servatur. *Ibid.*

37. Talem personam electores debent sibi eligere, quæ nullius incongruæ voluntati deserviat : sed vita ac moribus decorata, digna valeat inveniri. *Ibid.*

38. Talem eligite, quasi cui semper debeatis obedire. *Ibid.*, cap. 48, epist. 29.

39. Judicari semel in electione debet prælatus, non ultra : sed tanto nunc subtiliter judicandus est, quanto postmodum judicandus non est. *Ibid.*

40. Fit plerumque ut ad electionem dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur. *Ibid.*, lib. 4, indict. 13, cap. 88, epist. 44.

41. Qui carnalem præpositum constituit, tot incurrit pœnarum merita, quot ille subditis præbet pravitatis exempla. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. II.

S. HIERON. 42. Quanto magis quis repugnat, tanto magis in studia omnium concitat, et meretur negando, quod esse non vult : eoque dignior est, quo se clamat indignum. Epist. 3, *ad Heliodor.*

43. Magister probæ ætatis, et vitæ, atque eruditionis est eligendus. *Ibid.*, epist. *ad Lætam.*

44. Mores magis eligantur, quam vultuum elegantia. *Ibid.*, epist. 8, ad Demetriad.

45. Electio de iis fieri debet, quæ expediunt, non quæ licent. Lib. 18, super *Isaiam*, cap. 65, super illud I *Cor.* VI : *Omnia mihi licent.*

46. Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus est, potuit utique successores principatus filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem sed extraneus de alia tribu eligitur Jesu ; ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. *Prosec.*

47. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos, qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, et in Ecclesia erigere columnas : sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quisquam rogaverit. Super epist. *ad Tit.*, cap. 1, in illud : *Et constituas presbyteros.*

48. Nemo eligitur, nisi de pluribus ; et ubi sunt aliqui viliores, ibi electio perpetratur. Lib. 1, super *Epist. ad Ephes.*, cap. I, in illud : *Sicut elegit nos.*

49. Qui præstantior est, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 8, quæst. 1, can. *Licet.*



HUGO CARD. 50. Virtutum deserit consortium, qui speciem eligit non veritatem. Super *Genes.*, cap. XIII.

51. Non prodesset electio, nisi sequeretur assumptio : Judas enim fuit electus, sed non fuit assumptus. Super *Psalm.* LXIV.

52. Raro aliquis canonice eligitur, sed frustatim de ventre matris extrahitur violenter a paucis electoribus. Super *Ecclesiasten*, cap. 3, *Moraliter.*

53. Nullus debet eligi in prælatum, nisi qui mortuus sit peccato, et parentibus; et mundo, et sibi. Super *Ecclesiastic.*, cap. 10.

54. Raro quis eligitur in prælatum, nisi ratione sanguinis, aut nobilitatis, aut divitiarum : ut possit Ecclesiam ab hostibus corporalibus liberare, et de animabus quæ sunt in Ecclesia cura nulla est. Super *Isai.*, cap. 3, *Mystice.*

55. Multi hodie libenter eligunt prælatos, qui bene eos pascant et vestiant. *Ibid.*, cap. XLI.

56. Multos hodie eligit carnalis amicitia, sed fere omnes eligit hodie simulata justitia : qui quidem prælatione accepta non fiunt quod non erant prius, sed quod erant ostendunt. *Ibid.*

57. Hodie frequenter non de bonis melior, sed de malis pejor eligitur : in quo eligentes similes sunt dæmonibus, qui pejorem diabolum sibi caput constituerunt . Super *Lucam*, cap. VI.

58. Electio debet esse circumspecta, ut melior et utilior Ecclesiæ eligatur ; debet esse libera, non coacta, vel conducta prece, vel minis, vel pretio, vel timore. *Ibid.*

59. Non quemlibet eligit Deus, sed eum in quo mortuus est mundus, vel diabolus. *Ibid.*, cap. 9.

60. Non debet eligi in dignitatem ecclesiasticam, vel sæcularem, vel canonicum, vel plebanum, nisi qui mandata custodierit. Super *Apocal.*, cap. II.

61. In omni electione melior debet præponi et eligi: et qui aliter facit, peccat. *Prosec.*

62. Sed contra dicit dominus Papa, quod sufficit ad bonam electionem, si bonus est qui eligitur ; semper tamen præponendus est melior, si potest fieri cum pace Ecclesiæ : sin autem, sufficit si bonus est ; malus autem nunquam debet eligi. Super I *ad Cor.* XIV.

S. INNOC. III. 63. Eligentes scienter indignum, privati sunt potestate eligendi in electione, quæ primo occurrit facienda. Lib. 1, *Decret. const.*, constit. 42.

64. Electio per minorem partem capituli facta non tenet, nec per subsequentem consensum ratificari potest. *Ibid.*, const. 46.

65. Compromittentes tenentur recipere electum a compromissariis, si sit dignus, nisi contra formam compromissi, cum appareat electum. *Ibid.*, const. 49.

66. Si ex septem compromissariis tres eligunt quartum, et ille consentit ; si est idoneus, confirmabitur electio. *Ibid.*, const. 50.

S. JOANNES CHRYSOST. 67. Non apparentia præ apparentibus, et futura præ iis quæ in manibus sunt, præeligenda sunt. Homil. 31, super *Gen.*

68. Non quæ voluptuosa sunt, sed quæ prosunt, eligamus. Homil. 16, super *Epist. ad Hebr.*, in *Morali.*

JOAN. SAR. 69. Tanto dignior judicaris, quanto a crimine ambitionis videris esse remotior. Lib. 3, *de Nugis curial.*, cap. 1.

JOAN. TRITH. 70. Dignum videtur, ut is cæteris præferatur, quem vitæ meritum et sapientiæ doctrina adornant. In cap. 2, *Regul. S. Bened.*, verbo *Ingenuus.*

71. Eliguntur ut plurimum non doctiores, sed ad congregandas divitias perituras avidiores. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 4.

LACT. FIRM. 72. Non potest quisquam eligere meliora et scire quid bonum sit : nisi sciat simul rejicere ac vitare quæ mala sunt. *De ira Dei*, cap. 13.

S. LEO I. 73. Boni operis sibi comparat fructum, qui rectum servat in eligendo judicium. *Prosec.*

74. Gravi semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum. Epist. 87, *ad Episc. African.*, cap. 1.

75. Valde laborandum est, ut in electione non erretur : nam totius familiæ domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. *Ibid.*

76. Valde iniquum est et absurdum, ut imperiti magistris, novi antiquis, et indigni præferantur emeritis. *Ibid.*

ORIGENES. 77. Qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur. Homil. 6, in cap. VIII, *Levitici*, super illud : *Convocavit Moyses Synagogam.*

78. Discant Ecclesiarum principes, successores sibi non eos, qui consanguinitate generis juncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, in Ecclesia principatum eligere, sed Dei judicio totum de successoris electione remittere. Homil. 22, in cap. XXVII, *Numer.*, super illud : *Et apponeris ad populum.*

79. Nulla hic populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habeatur contemplatio : gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit ; homini scilicet tali, qui habeat spiritum Dei, in quo sit claritas legis et scientia. *Ibid.*, super illud : *Assume ad teipsum Jesum filium Nave.*

S. PACIANUS EP. BARCIN. 80. Nihil electum, nisi melius, et majus, ex alio. Epist. 3, *ad Sympronian.*

PETR. BLES. 81. Electio clandestina et furtiva, consuetudini



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contraria est, inimica legibus, damnata decretis, et moribus reprobata. Epist. 27, *ad Canonicos*.

82. Elegerunt te fratres tui, esto in illis quasi unus ex illis. Ædifica eos verbo, actu, vultu, habitu, et incessu : sic te amabilem exhibeas et imitabilem, ut tota conversatio tua ædificet alios ad salutem. *Ibid.*, epist. 134, *ad Vilhelm. electum.*

S. PETRUS DAMIANUS. 83. Qui per Dei misericordiam inter vos prudentes habetis, unus ex eis eligatur, qui ad exequendum hoc negotium utilior invenitur. Lib. 5, epist. 10, *ad Clerum Faventin.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 84. Seligendus vobis aliquis est, qui sit omnium utilissimus. Epist. 57, *advers. Andronic.*

IN VITIS PATR. 85. Quotiescumque christianis aliquid eligendum est, Christus est ante omnia auscultandus. Lib. 1, In *Vita S. Eugeniæ*, cap. 10.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 86. Electio virtuti esse familiarissima, et magis quam ipsi actus, dijudicat mores, atque expendit. Lib. 3 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 2.

87. Electio non est eorum, quæ fieri nequeunt : quod si quis eligere dixerit ea, amens esse videtur. *Ibid.*

88. Constat sine prudentia, sineque virtute, electionem rectam non fore. *Ibid.*, lib. 6, cap. 13.

89. Deligenti ducem exercitus, deligendus est rei militaris peritissimus homo. *Ibid.*, lib. 9, cap. 2.

PLATO. 90. Ut bene eligamus quales res sint bonæ, quænam malæ, arte et industria opus est. Syzygia 3 *de Rhetorica.*

91. Quod optima sunt, eo ipso sunt eligenda. Syzygia 4, lib. 4, *de Legibus.*

PLINIUS II. 92. Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus. In *Panegyrico de Trajano Augusto.*

SENECA. 93. Hoc mihi videtur miserrimum, quoniam mala pro bonis legere, dementia est. *De Beata vita*, cap. 6.

Vide etiam tit. *Dignitas*, sent. 37 ; *Episcopus*, sent. 69, 75. 77, 119 ; *Honestas*, sent. 26 ; *Pastor*, sent. 76, 95; *Personarum acceptio*, sent. 5 ; *Prædestinatio*, sent. 47 ; *Proximus*, sent. 15; *Regimen*, sent. 59 ; *Resurrectio a peccato*, sent. 95.

## ELEEMOSYNA.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia.* Eleemosyna dicitur ab Eli, quod est Deus; et Moys, quod est aqua. Inde eleemosyna, quasi Dei aqua. Serm. *Dom.* 10, *post Trinit.*

S. BERNARDIN. *Definitio.* Eleemosyna est subventio miserationis corporalis ad alterius miseriam revelandam. Serm. 9, *Dom.* 1, *Quadrag.*, art. 3, cap. 2.

S. THOMAS AQUINAS. Eleemosyna est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum. 2, 2 quæst. 32, art. 1.

S. BONAV. *Divisio.* Quatuor genera sunt eleemosynæ : proximi correctio, injuriarum remissio, sui miseratio, proprii beneficii collatio. Super *Psalm.* XXXVI.

HUGO CARD. Septem sunt eleemosynæ : tres gloriosæ : Doctrina, consilium, liberalitas ; quatuor gloriosiores : oratio, compassio, injuriarium remissio, amoris conjunctio. Super *Prov.*, cap. XIX.

S. ISIDORUS HISPALENS. Duæ sunt eleemosynæ una corporalis, scilicet, egenti dare quidquid potueris : altera spiritalis, scilicet dimittere a quo læsus extiteris. *Prosec.* Harum prima adhibenda est miseris, secunda malis. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 60, sent. 14.

S. BONAV. *Comparatio.* Homo eleemosynarius est sicut nutrix, quæ lactat puerum. Tit. 2 *Diætæ*, cap. 7.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat. Lib. 1, *Offic.*, cap. 30.

2. Affectus divitem eleemosynæ collatorem, aut pauperem facit, pretiumque rebus imponit. *Ibid.*

3. Pauper quod habes poscit, quod non habes non requirit : fructus laboris tui, thesaurus est inopi, et duo æra, si sola sint, census est largientis. Lib. 1, *de Virginibus.*

4. Nullum tam grave delictum, quod non purgetur, extinguatur eleemosynis. *Prosec.*

5. Magna enim est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat, et quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum.

6. Ut quamvis offensus Deus quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. Serm. 15.

7. Eleemosyna quodammodo animarum aliud est lavacrum, ut si quis forte post baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei, ut iterum eleemosynis emundetur. Serm. 31.

8. Non minus est criminis habenti tollere, quam cum possis et abundes, indigentibus denegare. *Prosecutio.*

9. Esurientum panis est, quem tu destines : nudorum indumentum est, quod tu recludis, miserorum redemptio est pecunia, quam tu in terram defodis.

10. Tot te ergo scias invadere bona, quot possis præstare quod velis. Serm. 81.

11. Da pecuniam si habes, prosit alii quæ tibi otiosa est : da quasi non recepturus, ut lucro cedat si reddita fuerit. *Prosec.*

12. Qui non reddit pecuniam, reddet gratiam : si fraudaris pecunia, acquires justitiam : si amittitur pecunia comparatur misericordia. *De Tobia*, cap. 2.



S. ANTONIN. 13. Sæculares de bonis propriis nondantes eleemosynam indigentibus, quos sciunt, cum decenter possunt, furtum faciunt. Part. 1, tit. 15, cap. 4, § 11.

14. Inhumanus cum non det eleemosynas ex avaritia, Deum placare non potest : et per consequens remanet inimicus, et nil quod facit boni potest Deo esse gratum. Part. 2, tit. 1, cap. 24, § 2

S. AUGUST. 15. Qui vult eleemosynam ordinate dare, a seipso debet incipere, et eam sibi primum dare : est enim eleemosyna opus misericordiæ verissime dictum. In *Enchirid.*, cap. 76.

16. Ea eleemosyna nihil est majus, qua ex corde dimittimus quod in nos quisque peccavit. *Ibid.*, cap. 73.

17. Per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus; non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere. *Ibid.*, cap. 70.

18. Non solum qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium et quod cuique necessarium est indigenti : verum etiam et qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat. *Ibid.*, cap. 72.

19. Eleemosyna datur ad supplendam necessitatem, non ad pascendam pigritiam. *De Opere Monachor.*, cap. 16.

20. In judicio cordis consideranda est eleemosyna tribuentis : nec considerandum est quantum sed qua mente, qua affectione dat quod potest. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 15.

21. Sis caute prævidens discretionem eleemosynæ, ita ut utrisque, danti scilicet et accipienti, sit solatium. *De Salut. docum.*, cap. 5.

22. Multi multa pauperibus, non misericordia, sed ambitione largiuntur. *Serm. Dom. in monte*, lib. 2.

23. Qui porrigit eleemosynam christiano, non christiano porrigit, qui non in eo diligit Christum. *Prosec.*

24. Deus, non cui detur, sed quo animo detur, attendit. Lib. 21, *de Civit. Dei*, cap. 27.

25. Si fregeris esurienti panem, ut careas tædio interpellantis, non ut reficias viscera indigentis, panem et meritum perdidisti. Super *Psalm.* XLII.

26. Supplicem nullum spernas ; et cui dare non potest quod petierit, non eum spernas. Si potes dare, da : si non potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intus bonitatem, ubi non invenit facultatem : nemo dicat, non habeo, charitas non de sacculo erogatur. Super *Psalm.* CIII, conc. 1.

27. Habet semper unde det, cui plenum pectus est charitatis. *Prosec.*

28. Plus a te Deus non exigit, quam quod tibi intus dedit : vacare enim non potest non voluntas bono. Super *Psalm* XXXVI, con. 2.

29. Transit somnus iste, transit vita ista, et nihil invenerunt in manibus suis, qui nihil posuerunt in manibus Christi. Super *Psalm.* LXXV.

30. Omni petenti te da. Etsi peccator est qui te petit, da non tanquam peccatori . Quando das tanquam peccatori ? quando in quo peccator est, hoc tibi placet ut des : Deum offendis. *Prosec.*

31. Cum ergo esurierit nescio quis, si habes unde des, da : si vides dandum esse, ad subveniendum da.

32. Occurrit tibi homo peccator : duo nomina dixi : hæc duo nomina non superflua sunt : aliud quod homo, aliud quod peccator : quod homo, opus est Dei : quod peccator, opus hominis est. Da operi Dei, noli operi hominis. Super *Psalm.* CII : *Faciens misericordias Dominus.*

33. Non tibi Deus dicit, perde quidquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore sollicitus : sed da pauperi unde habes, ut vivas semper sine labore securus. Tract. 49, cap. 2.

34. Quam multi sunt, qui jactantiæ causa multa tribuunt, multa donant, et non ibi quærunt, nisi laudem humanam, et gloriam popularem plenam ventis, nulla stabilitate solidatam ! Tract. 6, super *Epist. Joan.*, cap. III.

35. Accipitur magis plaga charitatis, quam eleemosyna superbiæ. *Ibid.*, tract. 8, cap. 4.

36. Hoc est bonum unde sis justitia bonus, si habes bonum unde sis bonus, fac bonum de bono unde non es bonus. *Prosec.*

37. Habes pecuniam, eroga : erogando pecuniam, auges justitiam, minuitur pecunia, augetur justitia : illud minuitur quod eras dimissurus, illud minuitur quod eras relicturus, illud augetur quod in æternum es possessurus.

38. Consilium do lucrorum, disce mercari : laudas mercatorem, qui vendit plumbum, et acquirit aurum, et non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam et acquirit justitiam. Serm. 5, *de Verbis Dom.*

39. Da petenti, ut possis ipse accipere : tribue pauperi, si non vis flammis exuri. Da in terra Christo, quod tibi reddat in cœlo. *Ibid.*, serm. 25.

40. Si ante nos aliquid mitteremus, non ad inmane hospitium veniremus : quod enim pauperi damus, ante nos præmittimus, quod autem rapimus, hic totum dimittimus. *Ibid.*

41. De justis laboribus facite eleemosynas, ex eo quod recte habetis date : non enim corrupturi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

estis judicem Christum, ut non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis. *Ibid.*, serm. 35.

42. Nolli velle eleemosynas facere de fœnore et usuris. *Ibid.*

43. Duæ sunt eleemosynæ : una cordis, alia pecuniæ. Eleemosyna cordis est dimittere ei a quo læsus es : nam dare aliquid indigenti aliquando quæris, et non habes ; indulgere peccanti quantum volueris, redundabit tibi. *Prosec.*

44. Si in cellario vel in horreo, non habes quod dare possis, de thesauro cordis tui potes proferre quod tribuas.

45. Eleemosyna cordis multo major est, quam eleemosyna corporis.

46. Eleemosyna charitatis sine terrena substantia sufficit sibi, illa vero quæ corporaliter datur, si non benigno corde tribuitur, omnino non sufficit. Homil. 6, *ex* LIII *Homil.*

47. Prior de communi tolle quod sufficit necessitatibus domus tuæ, quod reliquum est da Christo. *Ibid.*, homil. 8.

48. Intellige, stulte, qui vis eleemosynam facere de rapina : quoniam si quando pascis christianum, pascis Christum ; quando spolias christianum, spolias Christum. *De Verb. Apostoli*, serm. 19.

49. Eleemosynæ illis prosunt, qui vitam mutaverunt : das enim Christo egenti, ut peccata tua redimas præterita. *Prosec.*

50. Nam si ideo illis das, ut liceat tibi semper impune peccare non Christum pascis, sed judicem incorruptibilem corrumpere conaris. Homil. 13, *ex* LIII *Homil.*

51. Funde quod habes, ut capias quod non habes. *Ibid.*, homil. 37.

52. Nemo dat eleemosynam quamlibet, nisi unde det, ab illo accipiat qui non eget. In *Enchir.*, cap. 77.

53. Qui manus ad eleemosynas expandit, dextralia a Christo percipiet. Homil. 26, *ex* LIII *Homil.*

54. Sacrificium Christiani est, eleemosyna in pauperem. *Ibid.*, homil. 29, cap. 1.

55. Cultor eleemosynarum felix vivit, et securus moritur. *Ibid.*, homil. 39.

56. Magnum opus est eleemosyna, ut faciat homo quod fecit Deus. *Ibid.*, homil. 48, cap. 2.

57. Tribuendæ sunt eleemosynæ pro modo et quantitate. *Ibid.*, homil 48, cap. 2.

58. Det si potest suas eleemosynas omnis cum hilaritate. *Ibid.*, homil. 50, cap. 3.

59. Perparvum est quod in eleemosynis datur, sed cum pie datur, æternum inde meritum comparatur : et ideo potius quia parvum est quod datur, magna impietate non datur. Lib. 1, *contra Advers. legis*, cap. 16.

S. BASILIUS MAGNUS. 60. Esurientis est panis, quem tu destines : nudi est pallium, quod tu in vestiario conservas ; discalceati est calceus, qui apud te computrescit : indigentis est argentum, quod defossum habes. *Prosec.*

61. Quare tot hominibus injuriam facis, quot dare potes. Conc. 7, *de Avaritia.*

V. BEDA. 62. Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. In suis *Proverb.*, verbo *Inopi.*

S. BERNARD. 63. Deus non recipit eleemosynam de manu raptoris, seu fœneratoris, nec de hypocritæ quidem, qui cum facit eleemosynam, facit cani ante se, ut glorificetur ab hominibus. Serm. 71, super *Cant.*

S. BONAV. 64. Pauper qui nihil habet, vellet dare pauperi, et nihil habet quod det ; voluntas pro facto reputatur. Serm. in *Hexam.*

65. Per pœnitentiam purgatur culpa, sed per pietatem misericordiæ in subventione pauperum per eleemosynas dimittitur pœna. Serm. 1, *Dom.* 1, *post Pent.*

66. Eleemosynas dare est commodare, non perdere : sicut seminare, est utiliter semina abjicere. Serm. 1 *de SS. Evangel.*

67. Mentem Deus misericordem requirit, non pecuniæ quantitatem. Lib. 2 *Pharetræ*, cap. 49.

68. Da indigenti, et non da saltanti, ut non cum tuis pecuniis, et tuam et illius perdas animam. *Ibid.*

69. Eleemosynarum largitio alligat contrita, fracta consolidat, et omnia sanat. *De Sex alis Cherubim.*, ala 2, penna 4.

70. Dare superfluum, necessitatis est necessitate extrema : sed dare quibus egemus, consilii est. Lib. 5 *Compend. Theolog. verit.*, cap. 70.

S. CÆSAR. ARELAT. 71. Manus pauperis gazophylacium Christi est : quidquid accipit, ne in terra pereat, in cœlo reponit. Homil. 2.

72. Divites dum superflua misericorditer erogant, et a peccatis se redimunt, et ad præmia æterna perveniunt. *Prosec.*

73. Potes forsitan dicere, quod carnem tuam jejuniis ac vigiliis non possis affligere ; numquid potes dicere quod ea quæ tibi amplius quam opus erat, Deus dedit, non possis pro peccatis tuis pauperibus erogare? *Ibid.*, homil. 9.

74. Quidquid amplius, quam nobis opus est, à Deo accipimus, pauperibus erogare debemus. *Prosec.*

75. Si quod eis deputatum est, nostris cupiditatibus vel vanitatibus reservamus, quanti pauperes in locis ubi nos sumus, fame vel nuditate mortui fuerint, noverimus nos rationem de animabus illorum in die judicii reddituros. *Ibid.*

76. Per eleemosynam thesaurizemus cœlo, ut



ibi sequatur cor nostrum, quo præmittimus thesaurum nostrum. *Ibid.*, homil. 16.

77. Nunquam tibi deficit, quidquid alteri de te proficit. *Ibid.*, homil. 28.

CASSIODOR. 78. Primus virtutis gradus est, aliena non quærere ; sed egentibus propria non negare. Super *Psalm.* XXXIII, vers. 14.

79. Ipsa est perfecta eleemosyna, quæ prius a se inchoat, et sic ad alterius juvamina venire festinat. Super *Psalm.* XXXVI, vers. 27.

S. CYPRIAN. 80. Eleemosyna præclara et divina res est, salutaris operatio, solatium grande, securitatis salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati. *De Opere et eleemos.*, cap. 10.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 81. Vis frui gratia Spiritus sancti, et cibis sensibilibus pauperes non reficis : magna quæris, et parva non expendis. *Cateches.* 3.

DIONYSIUS CARTHUS. 82. Eleemosyna est Deo odor suavissimus, et hostia gratissima. Super *Epist. ad Philipp.*, cap. IV, art. 4.

S. ELIGIUS. 83. Quamlibet largas eleemosynas aliquis tribuat, si capitalia crimina non declinat, pecuniam perdit, et peccatum non redimit. Homil. 8.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 84. Non licet alienum auferre, et pauperibus erogare : peccati pœna, non meriti gloria est, aliena donare. In suis *opusc.*, oraculo 10.

85. Pauper magis potest esse largus, quam dives : quia dives si dat quidquid habet, deficiet et confusus est. *Prosec.*

86. Si vero non dat, cum habeat, licet vellet dare non deficeret, voluntas quidem bona est, sed non reputatur pro facto sibi, quia adhuc habet substantiam.

87. Sed pauper (qui nihil habet) qui vellet dare pauperi, et nihil habet quod det, in hoc voluntas pro facto reputatur. *Ibid.*, oraculo 29.

88. O homo, eleemosynam pauperi elargire, per quem illam tribuis Creatori. *Ibid.*, serm. 3.

89. Non solum multum, qui multum habet, tribuit dives : sed et plurimum largitur, qui, quæ habet, pauper impendit. *Ibid.*

90. Hæreditas pauperum est eleemosyna. *Ibid.*

91. Quidquid post se homines in terra relinquunt, emarcescit : solum quam in vita fecerunt eleemosyna semper virescit. *Ibid.*

92. Pro furto mihi reputo a magno eleemosynario reputandum, si hoc quod fero, non dedero magis egenti. *Ibid.*, apophthegm. 40.

S. FULGENT. 93. Dare eleemosynam, omnibus est possibile, si adsit bona voluntas : omnibus facile, si non adsit dira cupiditas : omnibus salubre, si ferveat charitas : cunctis debet esse commune, ut omnibus donetur æterna felicitas. Serm. 1 *de Confessor.*

94. Qui tantæ virtutis nondum est, ut quæ habet, vendat : de his saltem quæ habet, in quantum habet, eleemosynam faciat : tantum operetur bona voluntas, quantum suppetit facultas. *Ibid.*

S. GAUDENT. 95. Is qui eleemosynis remedium peccatorum pœnitens quærit, debet jam non agere pœnitenda ne quod uno latere extinguitur, alio succendatur. Tract. 13.

96. Rarus est, qui rorem spargat eleemosynæ suo refrigerio profuturum. *Ibid.*

GLOSS. DEC. 97. Eleemosyna in peccato facta, non proprie dicitur eleemosyna ; quia inordinate fit, dum a se non incipit ; et dum sibi crudelis existit, non placet Deo. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. INT. 98. Eleemosyna post culpam est pretium, quo redimatur : sed non valet ei, qui in malo permanet. Super *Job*, cap. XV.

GLOSS. ORD. 99. Qui dat ut careat tædio interpellantis, non ut reficiat viscera indigentis, et meritum et rem perdit. Super II *ad Cor.*, cap. IX, in illud : *Hilarem datorem diligit Deus.*

100. Licet exiguum sit, quod parum habens tribuit, abundat tamen : quia recto judicio fit, quod non quæritur de quanto, sed quo animo detur. *Ibid.*, cap. IX, in illud : *Abundetis in omne opus bonum.*

101. Qui invitus dat propter præsentem pudorem, non habet mercedem. Super illud II *Cor.* IX : *Non ex tristitia.*

GRATIANUS. 102. Qui invitus dat propter præsentem pudorem, et rem, et meritum perdit. In *Decret.*, part. 2, causa 23, can. *Jam*, § *Ex his.*

S. GREGOR. MAGNUS. 103. Rem quamlibet plerumque dat, etiam qui non compatitur : nunquam autem qui vere compatitur, quod necessarium proximo conspicit, negat. Lib. 20 *Moral.*, cap. 26.

104. Patrimonium nostrum retentum perditur, manet erogatum. *Ibid.*, lib. 18, cap. 9, *Job* XXVII : *Dives cum dormierit.*

105. Eleemosyna superbi cum redimere non valet, quam perpetrata simul rapina pauperis ante Dei oculos ascendere non permittit. *Ibid.*, lib. 12, cap. 23.

106. Sæpe superbi divites cum eleemosynam tribuunt, non hanc pro æternæ vitæ desiderio ; sed pro extendenda vita temporali largiuntur, mortem se posse differre donationibus credunt. *Ibid.*

107. Ille perfecte tribuit, qui cum eo quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit. *Ibid.*, lib. 21, cap. 26.

108. Tolerabilius est minus tribuere, quam post largitatem suam ex inopiæ angustia murmurare. *Ibid.*, num. 703.

109. Quisquis super eum, cui aliquid tribuit, fastu se elationis extollit, majorem culpam intrin-

secus superbiendo peragit, extrinsecus largiendo mercedem. *Ibid.*, lib. 21, cap. 14, num. 14.

110. Sunt nonnulli, qui pietatis suæ viscera tendere usque ad incognitos nesciunt : sed solis quos per assiduitatem notitiæ dilicerint, miserentur : apud quos plus familiaritas valet, quam natura. *Prosec.*

111. Apud aliquos plus familiaritas, quam natura valet, dum quibusdam necessaria, non quia homines, sed quia noti sunt, largiuntur.

112. Apud piam autem mentem plus natura valet, quam notitia : nam unusquisque qui indiget eo ipso quo homo est, ei jam incognitus non est. *Ibid.*, num. 14.

113. Mundari prius debet animus, qui eleemosynam præbet : quia omne quod datur, dantis mente pensatur. *Ibid.*, lib. 22, cap. 8.

114. Qui escam aut vestimentum pauperibus largitur, sed tamen animæ vel corporis iniquitate polluitur, quod minus est justitiæ obtulit, et quod majus est culpæ committit : sua enim Deo dedit, et se diabolo. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 21.

115. Tot pene quotidie divites perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt : nam cum quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur. *Ibid.*, admonit. 22.

116. Aliud est eleemosynam ex præcepto facere, aliud ex charitate : ex præcepto enim facere, bonum inchoantium est : ex charitate autem, bonum perfectorum, qui non solum quia jubetur faciunt, sed etiam diligunt faciendo quod jubetur. Homil. 10, super *Ezec.*, super illud XXIX : *Pater eram pauperum.*

117. Eleemosynæ tergunt maculas peccatorum. Homil. 37, super *Evang.*

118. Egentibus oportet in quantum ratio patitur, benigna mente præbere subsidium. Lib. 1, in *Registro*, indict. 9, cap. 69, epist. 69, *ad Petr. subdiacon.*

119. Respondet dives pauperibus, non habeo quod vobis dare possim : et miror si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare non habet. *Ibid.*, lib. 5, indict. 14, cap. 129, epist. 29, *ad Secundinum.*

120. Eleemosyna non est reputanda, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur : quia qui hæc intentione male accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius, quam juvatur. *Ibid.*, lib. 5, indict. 2, cap. 110, epist. 110, *ad Syagrium episc.*

121. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus et iniquitate congeritur; sed quæ de rebus concessis et acquisitis impenditur. *Ibid.*

122. Quidquid tribuitur pauperi non est donum, sed mutuum : quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur. *Ibid.*, lib. 8, indict. 3, cap. 50, epist. 28, *ad Joannem proconsul.*

123. Qui indigenti etiam peccatori panem suum non quia peccator, sed quia homo est, tribuit : nimirum non peccatorem, sed pauperem justum nutrit. Part. 3 *Pastoralis*, cap. 1, admonit. 21.

124. Ad tribuendum pigri cur estis, quando hoc quod jacenti in terra porrigitis, sedenti in cœlo datis? Homil. 40, super *Evang.*

125. Ne fratrem despice, ne pauperem prætergredere, ne averseris tanquam piaculum, tanquam aliud quid fugiendum, et exhorrendum ; tuum est membrum, licet sub calamitate abscondatur. Orat. 17, *de Paupert.* S. GREGOR. NAZ.

126. Quandiu vento navigas secundo, manum naufrago præbe : quandiu recte vales et dives es, afflicto succurre. *Ibid.*

127. Da parum quid indigenti : non enim parum est ei, qui omnium est egenus, imo nec Deo, si pro viribus dederis. *Prosec.*

128. Da pro magno promptitudinem ; si nihil habes, des vel lacrymulam : magnum remedium est afflicto, misericordia quæ ex animo procedit. *Ibid.*

129. Pulchra est hæc herba eleemosynæ, qua animæ abstergimus sordes, et inquinamenta, dealbamurque. *Ibid.*

130. Sunt qui pauperibus paulum tribuunt, ut amplius accipiant : et sub prætextu eleemosynæ quærunt divitias, quæ magis venatio appellanda est, quam eleemosynæ genus. Epist. 2, *ad Nepotian.* S. HIERON.

131. Melius est Christum vestire in pauperibus, quam Ecclesias ædificare, et ebore argentoque valvas, et gemmis aurata distinguere altaria, et parietes marmorum crustis vestire. *Ibid.*, epist. 8 *ad Demetriad.*

132. Quamvis omnem censum tuum in pauperes distribuas, nihil apud Christum erit pretiosius, nisi quod manibus tuis ipsa confeceris. *Ibid.*

133. Quotiescunque manum extendis, Christum cogita. Epist. 10, *ad Furiam.*

134. Eleemosyna seminarium est messis dominicæ. *Ibid.*

135. Sub prætextu eleemosynæ, pristinis opibus incubantes, quomodo possumus aliena fideliter distribuere, qui nostra timide reservamus! Epist. 13, *ad Paulin.*

136. Nemo plus dedit pauperibus, quam qui sibi nihil reservavit. Epist. 27, *ad Eustoch.*



137. Quidquid ad breve dederis, hoc recipies in perpetuum. Lib. 1, *Dialog. advers. Pelagium.*

138. Quidquid in sumptus de tuo tuleris, pro lucro computa. Epist. 1, *ad Paulin.*

139. Quid tibi prodest, si sis largus in eleemosyna, et invidiosus sis? Super *Psalm.* XCVII, vers. 7 : *Psallite Domino in cithara.*

140. Eleemosynas non facere, crimen habentis est : cæterum qui non habet unde faciat eleemosynam, liber est. Super *Psalm.* CXI, vers. 5 : *Jucundus homo qui miseretur.*

141. Magis tu agito gratias Christo, quando eleemosynam dederis ; quam pauper, qui a te acceperit, tibi agat gratias : grande enim beneficium præstant pauperes. Super *Psalm.* CXXXIII, vers. 3 : *Et benedicite Domino.*

142. Multum quidem in terrena facultate sunt pauperes, sed in magna simplicitate sunt divites, plus cupientes dare, quam habent : ac propterea Deus animum magis probat, quam quod dextera porrigit. Qui enim quantum potest facit, totum fecit ; similiter dives et pauper, quamvis dives amplius dare videatur. Super II *ad Cor.*, cap. 8.

143. Avarus hilariter dare non novit. *Ibid.*, cap. IX, in illud : *Hilarem datorem.*

144. Sine discretione omnibus simpliciter indigentibus tribuite, non quærentes cui, sed quare detis. *Ibid.*, cap. IX, super illud : *Ut in omnibus locupletati.*

HUGO CARD. 145. Illa sola eleemosyna remunerabitur a Deo quæ Christo datur : id est, propter Christum. Super *Ecclesiastic.*, cap. XII.

146. Nihil dat, qui pro terreno commodo pauperibus erogat, vel qui pro favore humano sua dat, ille gratis dat, id est, pro nihilo. *Ibid.*, cap. 33.

147. Quidam quanta largiuntur respiciunt : sed quanta rapiunt, non attendunt ; et ideo quæ largiuntur, in sacco pertuso reponunt. *Ibid.*, cap. 34.

148. Eleemosyna sine compassione est cibus sine sapore. Super *Isai.*, cap. LVIII.

149. Octo eleemosynam ornant : compassio cordis, dulcedo sermonis, facultatis quantitas, hilaritas dantis, humilitas dantis, discretio, velocitas, intentio recta. Super *Matth.*, cap. VI.

150. Eleemosynis factis ex fervore charitatis, succenditur munitio diaboli. Super II *ad Cor.*, cap. IX.

S. INNOC. III. 151. Eleemosyna tripliciter erogatur : ex corde, per compassionem ; ex ore, per correctionem ; ex opere, per largitionem. Serm. 1, *in die Cinerum.*

152. Eleemosyna danda est ordinate : primo nobis, secundo proximis. Crudelis enim et fatuus est, qui alii compatitur, et sibi non miseretur : qui alii subvenit, et se decipit. *Ibid.*

153. Effectus eleemosynæ : eleemosyna mundat ; eleemosyna liberat, eleemosyna redimit ; eleemosyna protegit ; eleemosyna postulat ; eleemosyna impetrat ; eleemosyna perficit ; eleemosyna benedicit ; eleemosyna justificat ; eleemosyna resuscitat : eleemosyna salvat. *De Eleemosynis*, cap. 1.

154. Nisi ramus eleemosynæ de charitatis radice procedat, non habet pinguedinem vel humorem, ut suavem vel maturum fructum producat : nam vera eleemosyna, fructus est charitatis. *Ibid.*, cap. 3.

155. Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras. *Prosec.*

156. Non se paupertas excuset, quia sufficit ut voluntas sit dives, ubi facultas est pauper. *Ibid.*, cap. 4.

157. Solerter attende, quod nisi dederis eleemosynam cordis, Deus non acceptat eleemosynam operis. *Ibid.*

158. Circa eleemosynam quatuor diligenter attendas : videlicet causam, finem, modum, ordinem : causam, ut fiat ex charitate ; finem, ut fiat propter beatitudinem ; modum, ut fiat ex hilaritate ; ordinem, ut fiat secundum regulam. *Ibid.*

159. Eleemosyna maxime valet ad abolenda peccata, et extinguendum gehennæ ignem, modo liberaliter et non ad ostensionem hominum illa fiat. Homil. 8, super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

160. Si cupis vestimenta parare et ornare animam, eleemosyna et largitas præcipua sunt animæ vestimenta, atque nitidissima indumenta. Homil. 21, super *Gen.*

161. Nihil prorsus ita nos eximere potest a gehenna ignis, sicut largitas eleemosynarum. *Ibid.*, homil. 31.

162. Magna in dandis eleemosynis largitate utendum est, quo datis parvis, adipiscantur magna. *Ibid.*, homil. 34.

163. Magnitudo eleemosynæ non in multitudine pecuniarum, vel opum sita est, sed ex alacritate dantium judicatur. *Ibid.*, homil. 55.

164. Da ei, qui idcirco pauper effectus est, ut te divitem faceret : fœnerare, unde possis non mortem fructificare, sed vitam. Homil. 5, super *Matth. Oper. perf.*

165. Dedecus divitum, est clamor pauperum : processit eleemosyna, et extinxit dedecus. Homil. super *Psalm.* XCV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

166. Da eleemosynam, et tunc pecunia tuta servabitur : et quod amplius, non modo non consumetur ipsa, verum etiam majora incrementa suscipiet. Homil. 21, super *Matth. oper. imperf.*

167. Eleemosyna ars est, non certe contemnenda, qua discunt opulenti conferendum indigentibus esse : præcipua enim est, et aliis artibus multo præstantior. *Prosec.*

168. Hujus artis officina in cœlo est, hujus non a ferro, neque ab ære instrumenta sunt, sed voluntate sola ac benignitate mentis constructa; hujus magister Christus est, finis ejus cœlum est. *Ibid.*, homil. 50.

169. Non est impossibile salvari, præsertim si eleemosynæ remedia mutuemur, quibus vulnera nostra diligenter curemus. *Ibid.*, homil. 65.

170. Lubricum eleemosynæ oleum corpus hominis ita constituit, ut manus diaboli facile propter lubricitatem effugiat. *Ibid.*

171. Anima non simpliciter est meretrix, sed furiosa meretrix efficitur, cum facit eleemosynam cumulate ad ostentationem : sic a thalamo paterno eam educit, cumque pater jubeat ne sinistræ quidem eam apparere, ipsa servis, notis atque ignotis ipsam ostentat. *Ibid.*, homil. 72.

172. Eleemosynæ mysterium est : claudendæ igitur sunt januæ, ne quis aspiciat, quæ videre nefas est. *Ibid.*

173. Tu cum eleemosyna uteris, januas claude ipse qui recipit solus conscius sit : imo si possibile est, nec ipse quidem percipiat, unde erogatum sibi beneficium sit. *Ibid.*

174. Perire necesse est eum, qui eleemosyna caret. *Ibid.*, homil. 78.

175. Melius est ut nemini noceas, etsi nemini prodes, quam ut alios vestias, alios spolies : sine causa enim eleemosynas facis de rebus, quibus alios expoliasti. Homil. 11, super *Matth. Oper. imperf.*

176. In eleemosyna facienda non tantum locus, nec actus secretus servandus est sed magis voluntas secreto. *Ibid.*, homil. 13.

177. Eleemosyna ingrata non est ante Deum, quæ hominibus visa fuerit; sed quæ ideo facta, ut ab hominibus videatur. *Ibid.*

178. Eleemosyna quod per te pauperi præstat, temporale est et terrenum, quod autem tibi per illam, perpetuum et cœleste. *Ibid.*, homil. 46.

179. Quam odiosum, quam perversum est, quam fœdum, quam inordinatum opus, eleemosynam facere cum delectatione laudis humanæ. Homil. 10, ex divers. in *Matth.*

180. Vis frui gloria? facias eleemosynam, tunc te angeli laudabunt, et Deus accipiet. Homil. 68.

181. Certus thesaurus est, pauperum manus. *Ibid.*

182. Eleemosynis et fide purgantur peccata : eleemosynis, inquam, non ex injuste quæsitis : hæc enim non eleemosyna, sed crudelitas est et inhumanitas. *Ibid.*, homil. 72.

183. Eleemosyna est, quæ omni caret iniquitate, omnia munda facit, jejunium superat, illuminat animam, saginat, pulchram decoramque facit. *Ibid.*, homil. 80.

184. Si eleemosynam demus, etsi ille cui datur indignus sit, nobis Deus placatior erit. Homil. 12, super *Acta Apostolorum* in *Morali.*

185. Eleemosyna non solis fit pecuniis, sed etiam in operibus. *Ibid.*, homil. 25, in *Moral.*

186. Non pauperem respicias accipientem, sed Deum redditurum : non eum qui stipem accipit, sed eum qui se tibi debitorem obligat. Serm. 1, *de Verb. Apost. Habentes eumdem Spirit.*

187. Majora accipis, quam das : das sensibilia, accipis intelligibilia et spiritualia : das pecuniam, accipis remissionem peccatorum : liberas pauperem a fame, ille te liberat ab ira divina. *Ibid.*

188. Medici animarum sunt pauperes, benefactores et protectores : neque enim tantum das, quantum accipis : das pecuniam, et accipis regnum cœlorum : sublevas egestatem, et reconcilias tibi Dominum. *Ibid.*, serm. 2.

189. Non tam apta est aqua ad abluendas corporis maculas, quam eleemosyna ad abolendas sordes animæ. *Ibid.*

190. Quando ex necessitate quis et coacte, quando ex injustitia, quando ex vanæ gloriæ studio, eleemosynam tribuit, perit omnis fructus. Serm. 30, super *Epist. ad Rom.*

191. Qui eleemosynam dat invitus, avare dat : avaritia enim involuntariorum est. Homil. 19, super II *Cor.*

192. Quemadmodum triticum quod seminatur, prægnantes aristas ostendit, ita eleemosyna, multos manipulos justitiæ efficit, et ineffabiles fructus profert. *Ibid.*, homil. 20.

193. Quemadmodum oleum lucem suam conservat, ita eleemosyna magnam et admirabilem in futuro lucem largitur. Serm. 4, super *Epist. ad Phil.* in *Moral.*

194. Pauperes medici sunt vulnerum tuorum, manus eorum tibi medicamenta præstant. *Prosec.*

195. Non ita medicus ut medicamenta imponat, extendens manum, curationem exhibet; sicut pauper abs te, ut accipiat, porrigens manum : dedisti pecuniam, et peccata simul exuisti.

196. Majora recipis, quam largiris, beneficiumque potius accipere quam ferre probaros. Deoque non hominibus fœneraris divitiasque non minuis, sed auges : minuis autem illas, nisi erogas, nisi indigentibus des. Homil. 14, super I *Tim.*



197. Fac tibi debitorem Deum, et ita demum illum exige ; fœnerare primo, tunc repete, ut cum usura recipias. Homil. 1, super II *Tim.* in *Morali.*

198. Virginitate præstantior est eleemosyna. Homil. 6, super *Epist. ad Tit.* in *Morali.*

199. Eleemosyna charitatis est mater. *Ibid.*

200. Eleemosyna scelerum est medicina, hæc animæ sordes emundat, hæc est scala, quæ in cœlum usque porrigitur. *Ibid.*

201. Eleemosyna artifex magna consistit, et auxiliatrix eorum, qui ipsam faciunt, amica Dei est, et semper ei propinqua. Homil. 32, super *Epist. ad Hebr.* in *Morali.*

202. Est ars omnium artium quæstuosissima eleemosyna : si enim artis est proprium ad aliquam utilitatem pervenire, eleemosyna vere nihil est utilius. Homil. 33, *ad Populum Antioch.*

203. Eleemosynæ magnitudo, non in pecuniarum multitudine judicatur, sed in dantium promptitudine. *Ibid.*, homil. 34.

204. Magnum et pulchrum et pretiosum donum eleemosyna. *Ibid.*, homil. 36.

205. Multo gratior eleemosyna est, quam aurea vasa : quænam utilitas est, cum mensa sit aureis calicibus plena, ipse vero pauper fame dispereat? *Prosec.*

206. Aureum facis calicem, nec frigidæ aquæ calicem porrigis. *Ibid.*, homil. 60.

207. Extende manus tuas non in cœlum, sed ad pauperum manus : si ad pauperum manus extenderis manum, ipsum cœli verticem tetigeris. Qui enim illic sedet, eleemosynam suscipit : si vero porrexeris vacuas, nihil profeceris. *Ibid.*, homil. 67.

208. Eleemosyna vincula disrumpit, tenebras solvit, extinguit ignem, stridorem effugat dentium ; huic cœlorum aperiuntur portæ. Homil. 7, *de Pænit.*

209. Nihil christiani tam præfert characterem, quantum eleemosyna : hanc et infideles quique mirantur. *Ibid.*

210. Magna res est eleemosyna, præcidit aerem, transit lunam, solis radios cedit, ad ipsum venit cœlorum culmen, ipsos pertransiens cœlos, et Angelos decurrens, archangelorumque choros, et omnes superiores potestates, ipsi adsistit regali throno. *Ibid.*

211. Qui peccat et eleemosynam facit, perdit quod facit. Super *Matth. Oper. imperf.*

212. Eleemosyna non est, opes dare; sed cum misericordia illas dare, eleemosyna est. Homil. 13, super II *Cor.* in *Morali.*

213. Ista major est gratia, scilicet eleemosynam facere, quam mortuos excitare : nam hic ipse debitor efficeris Deo, in eleemosyna vero Deum debitorem constituis. *Ibid.*, homil. 16, in *Morali.*

214. Eleemosyna est quando cum alacritate fit, quando cum liberalitate, quando cum non putas dare, sed accipere. *Ibid.*

215. Floretis vos opibus, florent pauperes vita et fiducia in Deum. Detis igitur illis de opibus, quibus abundatis, ut accipiatis a fiducia ; secundum quam illi divites sunt, vos autem penuriam patimini. *Ibid.*, homil. 17.

216. Non quantitate datorum, sed facultate et voluntate dantium, eleemosynæ magnitudo ponderatur. Homil 1, super *Epist. ad Hebr.* in *Morali.*

217. Eleemosyna medicamentum est validum, quod maxime ad pœnitentiam operatur. *Ibid.*, homil. 9, in *Morali.*

218. Eleemosyna illa vera est, qualis fuit illius viduæ, quæ totam vitam suam evacuavit. *Prosec.*

219. Si autem non potueris tantum dare, quantum illa vidua dedit, saltem quod tibi superabundat, non dubites impertire. *Ibid.*, homil. 28, in *Moral.*

220. Clamant ad januam pauperes, et nul- JOAN.
lus dignatur subvenire. *De Ruina monast. ordin.*, TRITH.
cap. 6.

221. Qui eleemosynam vanæ gloriæ causa im- S. ISIDORUS
partit, ex virtute vitium facit. Lib. 2, *de Summo* HISPALENS.
*bono*, cap. 34, sent. 6.

222. Terrena omnia servando amittimus, largiendo servamus : patrimonium enim retentum perit, manet autem erogatum. *Ibid.*, lib. 3, cap. 60, sent. 3,

223. Nulla scelera eleemosynis possunt redimi, si in peccatis quisque permanserit. *Prosec.*

224. Tunc autem fructu eleemosynarum indulgentia consequitur, quando a scelerum opere desinitur. *Ibid.*, sent. 6.

225. Non est eleemosyna, quæ gloriæ magis causa, quam misericordiæ impertitur intuitu : quali enim intentione ab unoquoque largitur, taliter et apud Deum recipitur. *Ibid.*, sent. 7.

226. Non est eleemosyna cum murmuratione præbenda, ne comitante tristitia, merces pereat dispensata : tunc autem bene tribuitur, quando cum mentis hilaritate præbetur. *Ibid.*, sent. 15.

227. De rapinis eleemosynam facere, non est officium miserationis, sed emolumentum magnum sceleris. *Prosec.*

228. Qui enim injuste tollit, juste nunquam distribuit : nec bene alteri præbet, quod ab alio male extorquet. *Ibid.*, sent. 16.

229. Hic divitiarum maximus et verissimus LACT. FIRM.
fructus est, non uti opibus ad propriam unius vo-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

luptatem, sed multorum salutem; non ad præsentem suum fructum, sed ad justitiam, quæ sola non interit. *Prosec.*

230. Tenendum est igitur omnino, ut ab officio misericordiæ spes recipiendi absit omnino : hujus enim operis et officii merces a Deo expetenda est solo. Nam si ab homine expetes, jam non humanitas erit illa, sed beneficii foeneratio.

231. Nec potest videri bene meruisse, qui quod fecit, non alteri, sed sibi præstat, et tamen eo redit, ut quod alteri quisque præstiterit, nihil ab eo commodi sperans, vere sibi præstet, quia mercedem capiet a Deo. Lib. 6, *de Divin. Inst.*, cap. 12.

232. Quæ in supervacua impensurus es, ad meliora convertas : unde bestias emis, hinc captivos redime : unde feras pascis, hinc pauperes ale : transfer ad magnum sacrificium male peritura, ut pro his veris muneribus habeas a Deo munus æternum. *Ibid.*

233. Quoties rogaris pro eleemosyna, tentari te a Deo crede, an sis dignus exaudiri. *Ibid.*, cap. 13.

**S. LEO I.** 234. Cibus egeni, regni cœlestis est pretium : largitor temporalium, hæres efficitur æternorum. Serm. 4, *de Collectis.*

235. De sui corporis qualitate securus non est, qui nulla eleemosynarum purificatione mundatur. *Ibid.*, serm. 5.

236. Eleemosynæ peccata delent, mortem perimunt, et pœnam perpetui ignis extinguunt. *Ibid.*

237. Semper illi quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit. Serm. 1, *de Jejun. decimi mensis.*

238. Nunquam merito caret etiam in tenui facultate, bonæ voluntatis opulentia. *Prosec.*

239. Majora quidem impendia sunt divitum, et minora mediocrium; sed non discrepat fructus operum, ubi idem est affectus operantium. Serm. 2, *Quadrag.*

240. Quidquid in cibos pauperum impenditur, non minuitur, sed augetur. Serm. 1, *de Jejun. Pentecostes.*

241. Modicum est, quod pauperi satis est; nec victus illius, nec vestitus onerosus est. *Prosec.*

242. Vile enim est quod esurit, vile est quod sitit; et nuditas, quæ indiget operiri non poscit ornari. Serm. 3, *de Jejun. decimi mensis.*

243. Da quod accipias, sere quod metas, sparge quod colligas, quamvis non habeas, nisi quod acceperis, non potes tamen non habere quod dederis. *Ibid.*, serm. 6.

244. Substantia tua cum bene erogatur, augetur : infidelis et iniquus etiam sibi, qui quod æstimat diligendum, non vult habere perpetuum. *Ibid.*

245. Parum est non auferre aliena, nisi largiaris et propria. Serm. 1. *de Jejun. septimi mensis.*

**S. MAXIMUS EP. TAURIN.** 246. Eleemosyna secundum est animarum lavacrum : ut si quis forte post baptismum fragilitate deliquerit, supersit ei, ut iterum eleemosynis emundetur. Homil. 2, *de Elemosyn.*

**S. NILUS.** 247. Si seminaveris pauperibus, quæ tua sunt serito : aliena enim zizaniis amariora. *Parænes.* 178.

248. Ne velis artibus ditescere, ut pauperum sis sublevator : de juste partis enim jubet Deus misereri justum. *Ibid.*, parænes. 184.

249. Planam et facilem viam eleemosyna munit. Habes apud *D. Joan. Dam.*, libr. 2 *Parall.* 16.

**PETR. BLES.** 250. Regnum Dei tanti est, quantum ex affectu compassionis pauperibus ejus exhibes. *Prosec.*

251. Pauper, Christi vicarius est : et sicut se in eo contemni erubescit, ita se in eo recipi delectatur. Epist. 94, *ad Radulph. Lexoviens. episc.*

**S. PETRUS CHRYSOL.** 252. Manus pauperis Abrahæ sinus est : ubi quidquid pauper acceperit, mox reponit. *Prosec.*

253. Thesaurus cœli, est manus pauperis : quod suscipit ne in terra pereat, reponit in cœlum. Serm. 8.

254. Manus pauperis est gazophylacium Christi : quia quid pauper accipit, Christus acceptat. *Prosec.*

255. Da ergo, homo, pauperi terram, ut accipias cœlum : da nummum, ut accipias regnum.

256. Da micam, ut accipias totum : da pauperi, ut des tibi. Quia quidquid pauperi dederis, tu habebis : quod pauperi non dederis, non habebit alter. *Ibid.*

257. Judicat Deus, non ubi eleemosynam facias, quando facias, sed qualiter facias : quia Deus de cordibus, non de manibus facta metitur; et de sensu, non de luce operum colligit qualitatem. *Ibid.*

258. *Esurivi, et dedistis mihi manducare.* Vult in paupere sibi dari : et qui vult sibi dari, vult quod datum est se debere : et qui vult se debere quod datum est, vult largientibus nil perire. *Prosec.*

259. Homo, daturus Deo, da secreto, ut quod dederis non sit oneris, sed honoris. *Ibid.*

260. Bene tuba, quia talis eleemosyna hostilis est, non civilis, non misericordiæ dedita, sed clamori, seditionis vernula, non alumna pietatis : ostentationis nundinatio, non commercium charitatis. *Ibid.*, serm. 9.



261. Eleemosynam quisquis ostentat, insultat. *Ibid.*

262. *Esurivi, et dedistis mihi manducare.* Non dixit, Esurivit pauper, et dedistis illi manducare : sed, Esurivi, et dedistis manducare mihi. Sibi datum clamat, quod pauper acceperit : se manducare dicit, quod comederit pauper; quod bibit pauper, sibi testatur infusum. *Ibid.*, serm. 14.

263. Nimis est quod sapit Deo pauperis cibus, qui totius creaturæ bona non esurit, saginatum se in esca pauperis prophetizat in regno cœli coram omnibus angelis, in conventu resurgentium. *Prosec.*

264. Quod Abel passus sit, quod servavit mundum Noe, quod Abraham fidem suscepit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, et hoc clamat solum quod comedit pauper. *Ibid.*

265. *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam.* Homo tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare : manere tibi tua voluit, non perire : perpetuari, non vacuari sacculos imperavit : jussit te transferre, non perdere. *Ibid.*, serm. 22.

266. Quidquid pauper acceperit, Pater cœlestis suscipit, et ubi recondit? in cœlo. *Ibid.*, serm. 25.

267. Sanari nescit qui nescit pauperi fœnerari. *Ibid.*, serm. 39.

268. Manducat Deus in cœlo panem, quem perceperit pauper in terra. *Ibid.*, serm. 42.

269. Homo, si non habes nummum, da pauperi manum. *Ibid.*, serm. 22.

270. Thesaurus cor hominis aut per eleemosynam levat ad cœlum, aut per avaritiam demergit in terram. *Prosec.*

271. Homo, mitte et præmitte thesaurum tuum in cœlos, ne cœlestem animam demergas in terram. Aurum de profundo terræ anima ab excelsis cœli.

272. Melius proinde est ad sedem animæ deferri aurum, quam in sepulcro auri anima demergatur. *Ibid.*, serm. 22.

**S. PETRUS DAMIANUS.** 273. Dignum est ut pauperes Christi refrigerium sentiant de stipe potissimum illius Ecclesiæ quam frequentant. Lib. 4, epist. 1, *ad Albert. episc.*

274. Marsupium ubi divitiæ tutissime reponuntur, sinus est pauperum. Lib. 8, epist. 11, *ad Sorores.*

275. Suscipit Deus per manus pauperis eleemosynam, eamque sibi reconditam in illa cœlestis promptuarii securitate conservat. Opusc. 9, cap. 1.

276. Qui stipem pauperibus erogant, aliena reddunt, non sua distribuunt. *Ibid.*

277. Qui nunc pauperibus subvenire contemnunt, in tremendæ discussionis examine non tam accusantur avaritiæ quam rapinæ : nec suorum tenaces, sed alienorum potius convincentur fuisse raptores. *Ibid.*

278. Tremit manus avari, cum tribuit : et sicut æger exhorrens amarescentis antidoti, differt poculum; sic iste daturus aliquid, differt in posterum. *Ibid.*

279. Nunquam Deo charus erit, qui vel effectum, vel affectum eleemosynæ non habuerit. *Ibid.* cap. 4.

280. Quod in terra Deo datur, in cœlo recipitur : et inde sperandum est præmium, quo præcessit munus oblatum. *Ibid.*, cap. 6.

281. O virtus eleemosynæ, quæ velut fluentum fontis irrigui, et peccatorum inquinamenta detergis, et æstuantium vitiorum flammas extinguis! *Prosec.*

282. O felix eleemosyna, quæ de gehennæ barathro tenebrarum filios extrahis, et adoptatos luci perpetuæ regnis cœlestibus introducis.

283. Tu de manibus pauperum volas in cœlum, et illic tuis amatoribus paras hospitium.

284. Si vinum es, non coacescis; si panis, non emittis mucorem : si caro vel piscis, non verteris in putredinem : si vestis, nullam contrahis vetustatem.

285. Tu negotiatrix omni mangone prudentior, quæ terrenis mercibus cœlestia comparas, et transitoriis æterna permutas.

286. Felices nundinæ tuæ, in quibus datur hospitium, suscipitur habitaculum; præbetur panis exiguus, recipitur regnum; porrigitur nummus, comparatur aula cœlorum. *Ibid.*, cap. 8.

287. Multorum testimonio definitum est, quod utilior est, et fructuosior eleemosyna pauperum, quam qualibet oblatio tradita manibus carnaliter viventium sacerdotum. *Prosec.*

288. Eleemosyna animas hominum in tenebras ire non patitur, terrenisque munusculis siderea regna mercatur. Opusc. 33, cap. 7.

289. Eleemosynæ largitio minus accepta est, si tarde vel avare aliquis tribuat : maculata vero, si cum superbia, vel cum convicio fiat. Part. 2, super *Cant.*, cap. IX. **RICHARD. A S. VICTORE.**

290. Eleemosyna quidem semper fructuosa est, si propter Deum fiat : sed tamen non parum interest in bonum ne, an in malum hominem conferatur. Conc. 1, *de Morte*, part. 2. **ROBERTUS BELLARM.**

291. Cum multi maximas opes hæredibus, interdum etiam extraneis derelinquant : hoc solum se putant perdere, quod pro sua dederint salute. *Epist. ad Salonium episc.* **SALVIANUS.**

292. Quam pius, quam indulgens Dominus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Deus noster, invitans nos ad erogandum terrenæ substantiæ facultatem : cum totum suum sit, quod ab eo accepimus, nostrum esse dicit, ut demus. *Ibid.*, lib. 1, *ad Eccles. catholic.* super illud *Prov.* III : *Honora Dominum de tua substantia.*

293. Parum detur, si parum dedisse sufficit : sed ego sufficere parum nescio, imo parum non sufficere certe scio. *Ibid.*, lib. 2.

294. Si opes non damus ob peccatorum redemptionem, demus saltem ad emendam beatitudinem: si non damus ne damnemur, demus saltem ut muneremur. *Prosec.*

295. Quia etiamsi præterita mala non sint, quæ oporteat sanctos redimere; sunt tamen perennia bona, quæ magno debeant comparari. Etiamsi pœna non sit, quæ timeatur : est tamen regnum, quod ambiatur : ac per hoc etiamsi non habeant Sancti, quæ redimant; habent tamen quæ emant. *Ibid.*

296. Humanum est, quod ab omnibus vobis, o divites, petitur, ac deliciosum : si impetrari ab unoquoque vestrum non potest, ut esse in hoc sæculo pauper velit, præstet sibi saltem, ne in æternitate mendicet . *Prosec.*

297. Qui præsentem inopiam tantum fugitis, cur in perpetuum non reformidatis?

298. Si tenuitatem temporariam gravem ducitis, qualis, quæso, erit illa quæ nunquam desinet?

299. Si usu vestrarum rerum penitus carere non vultis, id agite ne aliquando careatis.

300. Deliciosam a vobis rem, et voluptuariam poscimus : qui sine divitiis omnibus esse non acquiescitis, id agite ut divites semper esse possitis. *Ibid.*

301. Numularii Salvatoris, pauperes et egeni sunt : quia pecunia, quæ talibus dispensatur, augetur. *Prosec.*

302. Cum usuris absque dubio a Deo redditur, quidquid egentibus erogatur. *Ibid.*, lib. 3.

303. Si vis tibi esse consultum, si vis æternam habere vitam, relinque substantiam tuam indigentibus, relinque claudis, relinque cæcis, relinque languentibus. *Prosec.*

304. Sint facultates tuæ alimenta miserorum, sit opulentia tua pauperum vita, ut illorum refrigeria præmia tua sint, ut illorum refectio te reficiat.

305. Si illi de tuo edent, tu saturaberis ; si illi de tuo biberint, tu sitis tuæ æstum ardoremque restringes : te illorum vestitus vestiet, te illorum apricitas delectabit. *Ibid.*, lib. 4.

306. Das res tuas divitibus, et egenis negas : das luxuriosis, et negas sanctis : das cuicunque fortasse perdito, et negas Christo. *Ibid.*

307. Vile est quod datur, ubi tam grande est quod accipitur. *Ibid.*

308. Nihil magnum in terris ab homine Deo solvitur, ubi quod est in cœlo maximum comparatur. *Ibid.*

309. Durum est avaris, ut largiantur sua. *Ibid.*

THEOPHYL. 310. Eleemosyna prima est filia deificantis charitatis. Super *Luc.*, cap. XI, in illud : *Date eleemosynam.*

S. THOMAS AQUINAS. 311. Summa christianæ religionis in pietate consistit, quæ maxime per eleemosynarum largitionem commendatur. 2, 2, quæst. 32, art. 8.

THOMAS A KEMPIS. 312. Qui fratri indigenti subvenit, Jesum per manum retinet. In *Hortulo rosarum*, cap. 17.

313. In faciendis eleemosynis non cujusquam excipienda persona, nec habendum electionis judicium : quia res, quæ necessitati servit, erogationis ordinem non requirit. *Prosec.*

S. VALER. 314. Quid tibi est opus quærere, utrum christianus an judæus, utrum hæreticus an gentilis, utrum romanus an barbarus, utrum liber an servus sit ille qui postulat?

315. Ubi incumbit necessitas, non opus est ut personam discutias, ne cum indignos misericordia segregas, Dei Filium pariter amittas. Homil. 7, *de Misericord.*

316. Satius plane est eleemosynam statim negare, quam esurientem spe promissa decipere. Homil. 9.

317. Tanta est apud Dominum cura miserorum, ut sibi præstitum putet quidquid egentibus erogatio miseranda contulerit. *Ibid.*

318. Nihil est tutius, quam in ore pauperum partem recondere facultatum : tibi fraudas, quidquid reservas. *Ibid.*, homil. 13.

S. VINCENT. FERRAR. 319. Bonus modus dandi eleemosynam est, quando eleemosyna, quæ est opus pietatis, datur cum pietate, benignitate, et ex pura charitate. Serm. 1, *Fer.* 6, *post diem Cinerum.*

IN VIT. PATR. 320. Divitiæ ad sempiternam regionem per pauperum manus præmittuntur. Lib. 1, in *Vita SS. Barlaam et Josaphat.*, cap. 15.

S. ZENO EP. ET MART. 321. Fœnerando pauperibus omnes copias avaritiæ subactas, vestrum sine invidia transferetis in censum : quid enim esse potest ditius homines cujus profitetur Deus se esse debitorem? Serm. 2, *de Avaritia.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 322. Nonnunquam est largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum. *Prosec.*

323. Nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit : nec ita reseranda, ut omnibus pateat, modus adhibeatur. Lib. 2, *de Offic.*



MIMUS PUB. 324. Inopi beneficium bis dat qui dat celeriter. In suis *Sent.*, sent. 183.

PLINIUS II. 325. Nullum magno principe impendii genus dignius, quam quod erogatur in pauperes. In *Panegyrico Trajano Augusto.*

SENECA. 326. Primum est antecedere desiderium cujusque, proximum sequi, illud melius, occupare antequam rogemur. Lib. 2, *de Benefic.*, cap. 1.

327. Non tulit gratis, qui cum rogasset accepit. *Ibid.*

328. Ipse qui juvatur fallendus est, ut habeat: nec a quo acceperit, sciat : ille nesciet a quo acceperit, sciet accepisse se, et ego sciam me dedisse. *Ibid.*

329. Quod præstamus, offendit, nisi absconditur. *Ibid.*

330. Dabo egenti, sed ut ipse non egeam : succurram perituro, sed ut ipse non peream. *Ibid.*, cap. 15.

331. Respiciendæ sunt cuique facultates suæ, viresque, ne aut plus præstemus, quam possumus, aut minus. *Ibid.*

332. Eleemosyna non tam accipientibus, quam dantibus prodest. *De Moribus.*

SIXT. PHIL. 333. Si benignus sis erga indigentes, magnus eris apud Deum. *Sent.* 45.

334. Omni homini impartito. *Ibid.*, sent. 258.

335. Optime facultatibus utitur is, qui indigentibus libenter tribuit. *Ibid.*, sent. 529.

336. Si quid dederis, ut hominibus innotescas; non homini, sed propriæ libidini præstitisti. *Ibid.* sent. 332.

337. Pro reficiendo paupere, etiam jejunare bonum est. *Ibid.*, sent. 259.

338. Si non das egenti, cum poscit, non accipies a Deo cum poposceris. *Ibid.*, sent. 365.

339. Qui ex animo dat cibum indigenti, parum quidem est quod dat : sed magna fiet ei bonæ voluntatis retributio. *Ibid.*, sentent. 366.

340. Deus quidem nequaquam eget : lætatur tamen super his, qui indigentibus tribuunt. *Ibid.*, sent. 369.

VALERIUS MAXIMUS. 341. Multum occupasse, habere invidiam potest : totum tribuisse, gloria carere non potest. Lib. 4, *Dictor. memorabil.*, cap. 8.

Vide etiam tit. *Avaritia*, sent. 55 ; *Devotio*, sent. 49 ; *Divitiæ*, sent. 32, 38, 65, 99, 209; *Donum*, sent. 14, 33, 35, 37, 52, 53, 57, 63, 64, 65, 71; *Gratiarum actio*, sent. 57 ; *Honor*, sent. 72 ; *Necessitas*, sent. 17 ; *Panis*, sent. 26; *Paupertas* in genere, sent. 9, 10, 11, 12 ; *Pecunia*, sent. 3, 4; *Proximus*, sent. 12 ; *Redemptio captivor.*, sent. 3; *Substantia*, sent. 19, 24, 25; *Superfluitas*, sent. 5, 22, 23; *Venia*, sent. 48.

## ELOQUENTIA.

*Definitio.* Eloquentia est quædam doctrina salutaris movendo, affectui discentium accommodata, a visibilibus ad invisibilia, a corporalibus ad spiritalia, a temporalibus ad æterna. Epist. 119, *ad Januarium*, cap. 7. S. AUGUST.

Eloquentia facultas est dicendi, congruenter explicans quæ sentimus, qua tunc utendum est, cum recta sentimus. Lib. 1, *contra Cresconium*, cap. 1.

Nihil est aliud eloquentia, nisi copiose loquens sapientia. 79, *Oratoriarum Partitionum.* CICERO.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. In factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus quodammodo luculentior est divina eloquentia. Epist. 49, *ad Deo grat.*, quæst. 64. S. AUGUST.

2. O eloquentia! tanto terribilior, quanto purior; et quanto solidior, tanto vehementior : o vere securis concidens petras. Lib, 4. *de Doctr. christ.*, cap. 14.

3. Est quædam eloquentia, quæ magis ætatem juvenilem decet, est quæ senilem : sed nec dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentis. *Ibid.*, cap. 6.

4. Est et quædam eloquentia, quæ viros summa auctoritate dignissimos planeque divinos decet. *Ibid.*

5. Qui eloquenter dicunt, suaviter : qui sapienter, salubriter audiuntur. *Ibid.*, cap. 5.

6. Quod minus habet peritia, suppleat diligentia : et quod eruditas loquacitatis eructat, ætatis maturitas decoquat. *Prosec.*

7. Illud est molestum et periculosum, si cum laudatur eloquentia, persuadetur insipientia, et in pretioso poculo bibatur pestifera potio. Lib. 1, *de Anima et ejus origine*, cap. 3.

8. Valde sunt noxia prava diserta; quia hominibus minus eruditis, eo quod diserta sint, videntur et vera. Lib. 2, *de Anima et ejus orig.*, cap. 1.

9. Ingenium tuum, prudentia, eloquentia, et cætera quibus ornantur mores tui, dona sunt Dei. Epist. 328.

10. Nisi divinæ gratiæ subveniat adjutorium, nihil prodest copiosum et ornatum cujuslibet exhortantis eloquium. Lib. 2, *contra Julian. Oper. imperf.*, num. 10.

11. Non ornato politoque sermone, sed rebus manifestis convincenda est vanitas hæreticorum. Lib. 1, *de Genesi contra Manichæos*, cap. 1.

12. Ipsa eloquentia, quam tantopere omnes expetunt, aures tantum demulcet. Epist. 42, *ad Maxim. philos.* S. BASILIUS MAGNUS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

S. BERNARD. 13. Monstruosa res, lingua magniloqua, et manus otiosa : sermo multus, et fructus nullus. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

14. Verbosum adolescentem et studentem eloquentiæ, cum sapientiæ sit inanis, non aliud quam justitiæ hostem repules. *Ibid.*, lib. 4.

15. Cum loquitur quis, non studeat eloquentiæ, sed sermo ejus sit potius rusticanus, quam urbanus. In *speculo monachorum.*

DIONYSIUS CARTHUS. 16. Eloquentia animum mollit, et ad consentiendum aures inclinat, nisi sapientia audientibus adsit atque justitia. Super *Acta Apostol.*, cap. 24, art. 24.

S. EUSEBIUS CÆSAR. 17. Plus movet corda hominum vitæ sanctitas, quam ornata eloquentia. *Epist. ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

GILLEBERT. NOLUS. 18. Magna eloquentiæ laus est, causam quam susceperis, apte exequi, et ad ejus commodum cuncta referre. Serm. 27, super *Cant.*, apud S. Bernard., num. 2.

19. Nusquam evidentius eloquentiæ tuæ signum dabis, quam si humilem materiam exequaris ornate, et sermonis temperamento attollas, quæ per se jacere videbantur. *Ibid.*

20. Quanto æs auro vilius, tanto inferior est eloquentia multorum veræ sapientiæ fructu. Super 2 *Paralip.*, cap. XII.

21. Eloquentia hæretici præparata est ad animas decipiendas, et quoscunque associare potest, spirituali morte perimit. Super *Proverb.*, cap. VII.

S. GREGOR. MAGNUS. 22. Plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensuum virtus amittitur. Lib. 1, in *Registro* indict. 9, cap. 28, epist. 28, *ad Aristobulum ex-Præfectum.*

S. HIERON. 23. Nec rusticus et simplex frater, ideo se sanctum putet, si nihil noverit ; nec peritus et eloquens lingua æstimet sanctitatem : multoque melius est e duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere quam eloquentiam peccatricem. Epist. 2, *ad Nepotian.*

24. Veræ eloquentiæ torcularia, non verborum pampinis, sed sensuum, quasi uvarum expressionibus redundant. *Ibid.*, epist. 4, *ad Rustic.*

25. Ejusdem eloquentiæ est, et pauca multis, et multa paucis verbis posse dicere. Epist. 15, *ad Pammach.*

26. Vir nobilis et urbanæ eloquentiæ, non habet quidquam in eloquio rusticitatis admixtum. In præfatione super *Isaiam.*

27. Eloquentiæ, quæ verborum sit fronde composita, facile vulgus cedit ignobile. Super *Ecclesiasten*, cap. X, super illud *Psalm.* XI : *Eloquia Domini.*

HUGO CARD. 28. Quid eloquentiæ in sanctis reperitur, totum in laudem Dei cedit; nihil sanctorum viribus, sed Dei virtuti adscribitur. Super *Genes.*, cap. XXIV.

29. Eloquentia scientiæ sæcularis, quasi meretrix, auditores suos allicit : adeo ut non sit fovea, a qua facilius non explicarent se homines. Super *Prov.*, cap. XXII.

30 Non magis quæras ornatum verborum, quam fructum auditorum. Super *Ecclesiastic.*, cap. IV.

S. JOANNES CHRYSOST. 31. Eloquentes plurimos video, sed probos invenire non possum. Serm. *de Hieremia.*

32. Nihil prodest habere te verba, si scientiam non habueris : nihil prodest habere te verba, habere te scientiam, si non habueris opera. Homil. 11, super *Marc.*

JOAN. GERS. 33. Exigitur eloquentia torrens et vehemens, suadibilis et suavis, copiosaque, ne adhæreat lingua palato, et arescat. Serm. *in concilio Rhemensi*, considerat. 2.

JOANNES SARESB. 34. Nihil utilius, nihil ad gloriam aut res acquirendas commodius juventuti, quam eloquentia, quæ ex eo plurimum comparatur, si rerum in mente, et in ore copia sit verborum. Lib. 7, *de Nugis curial.*, cap. 12.

JOAN. TRITH. 35. Nequaquam in eloquentia, sed in virtute Dei regnum est. Super Prolog. *Regulæ S. Bened.*, cap. 2.

36. Quidquid non ædificat, prorsus abjiciendum est, profunda namque et sensum et devotionem auferunt eloquentiæ verba. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPAL. 37. Sæpe reperitur simplicitas veridica, et composita falsitas quæ hominem suis erroribus allicit, et per linguæ ornamenta laqueos dulces spargit. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 15, sent. 8.

38. Antiqui forensem eloquentiam, caninam facundiam nuncupabant. *Ibid.*, cap. 56, sent. 2.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 39. Eloquentem hunc esse statuerim, qui id quod animo concepit, perspicua oratione demonstrare potest : non qui doctissimis ac sublimibus verbis, ea etiam quæ clara et dilucida sunt, obscurat. Lib. 3, epist. 42, *ad Theodor.*

LACT. FIRM. 40. Veritas licet possit sine eloquentia defendi, ut est a multis sæpe defensa : tamen claritate ac nitore sermonis illustranda, et quodammodo differenda est, ut potentius in animos influat, et vi sua instructa, et luce orationis ornata. Lib. 1, *de Divin. inst.*, cap. 1.

S. LEO I. 41. Ad erudiendum Dei populum, nullorum est utilior forma, quam martyrum eloquentia. Serm. *in Natali S. Laurent.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 42. Memento salutem animæ, non in eloquentia, neque in venustate sermonis sitam esse. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 16.

43. Non improbanda eloquentia est, sed abusus eloquentiæ vituperandus est. *Ibid.*



S. MAXIMUS MART. 44. Eloquentia sæpe nihil quod sit pretiosum, magnive faciendum in profundo habet. *De Ecclesiast. mystagog.*

S. PETRUS CHRYSOL. 45. Seponenda est eloquentiæ voluptas, quando scientiæ deposcitur fortitudo. Serm. 18.

S. SIDONIUS EPISCOPUS. 46. Moris est eloquentibus viris, ingeniorum facultatem negotiorum probare difficultatibus : et illic stylum peritum, quasi quemdam fœcundi pectoris vomerem figere, ubi materiæ sterilis argumentum velut arida cespitis macri gleba jejunat. Lib. 8, epist. 10, *ad Ruricium.*

THOMAS A KEMPIS. 47. Plus est optanda bona et pura conscientia, quam subtilis et verbosa eloquentia. Serm. 12, *ad Novit.*, divis. 5.

48. Multa pulchra verba non implent saccum, nec eloquentia verborum sanctificat otiosum, neque ambitiosum. In *Hortulo rosar.*, cap. 6.

IN VITIS PATR. 49. Eloquentia sine virtutibus moribusque honestis, panis profecto sine sale esse videtur. In Append. *Heraclidis*, cap. 36.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 50. Eloquentia, quæ sapientiæ conjuncta est, humanæ est vitæ gubernatrix. *De Rhetor. ad Alexandr.*

CICERO. 51. In eloquentia multa sunt, quæ teneant, quæ si omnia summa non sunt, cum pleraque magna sint, necesse est ea ipsa quæ sunt, mirabilia videri. Lib. 1, *de Oratore.*

52. Is eloquens est, qui et humilia subtiliter, et magna graviter, et mediocria temperate potest dicere. *Prosec.*

53. Is est eloquens, qui potest parva submisse, modica temperate, magna graviter dicere. *De perfect. Oratore.*

54. Eloquendi vis, quam est præclara, quamque divina! quæ primum efficit, ut ea quæ ignoramus, discere; et ea quæ scimus, alios docere possimus. Lib. 2, *de Nat. Deor.*

55. Quid est tam inhumanum, quam eloquentiam a natura ad salutem hominum, et conservationem datam, ad bonorum pestem perniciemque convertere? Lib. 2 *Offic.*

56. Effectus eloquentiæ est audientium approbatio. Lib. 2 *Tusc. quæst.*

PLINIUS II. 57. Orationi et carmini parva est gratia, nisi eloquentia sit summa. Lib. 5, epist. 8, *ad Capitonem.*

58. Ut quasdam artes, ita eloquentiam, nihil magis quam ancipitia commendant. Lib. 9, epist. 26, *ad Lupercum.*

SENECA. 59. Quo plura exempla inspecta sunt, plus eloquentia proficitur. Lib. 1, *Controvers.*

60. Magna et varia res est eloquentia, nec adhuc ulli sic indulsit, ut tota contingeret : satis felix est, qui in aliquam ejus partem est receptus. Lib. 3, *de Declamat.* in proœmio.

61. Nihil æque eloquentiam, et omne aliud studium auribus deditum vitiavit, quam popularis assensio. Epist. 102.

Vide etiam tit. *Doctrina*, sent. 8, 11 ; *Laus in genere*, sent. 102, 103; *Sapientia*, sent. 105.

## EPISCOPUS.

*Etymologia.* Nihil aliud interpretatur episcopus, nisi superinspector, maxime cum solio in Ecclesia editiore resideat, et ita cunctos respiciat, ut et cunctorum oculi in ipsum respiciant. *De Dignitate sacerdotali*, cap. 6. — S. AMBROS.

Episcopatus græcum nomen est, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit curam eorum scilicet gerens. *Prosec.* — S. AUGUST.

Ἐπὶ quippe super, σκοπὸς vero intentio est : ergo ἐπισκοπεῖν græce, si velimus, latine superintendere possumus dicere. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 19.

Episcopus dicitur superintendens, quia super omnes debet intendere, pro omnibus sollicitus esse, omnes vita et doctrina transcendere. Super 1 *ad Tim.*, cap. III. — HUGO CARD.

*Definitio.* Quid aliud est episcopus, quam is qui omni principatu et potestate superior est, et quoad hominem licet, pro viribus imitator Christi Dei factus? Epist. 5, *ad Trallianos.* — S. IGNATIUS MARTYR.

*Divisio.* Episcoporum ordo in tria dividitur : episcopos, archiepiscopos, patriarchas. Lib. 1, *de Sacrament.*, cap. 40. — HUGO A S. VICTORE.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. In episcopo vita formatur omnium, ut placido et pacifico judicio præferatur, vir omnibus qui eligatur ex omnibus, et qui medeatur omnibus. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Ecclesiam.* — S. AMBROS.

2. Honor et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. *Prosec.*

3. Si regum fulgori compares, et principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum, ad auri fulgorem compares. *De Dignitate sacerdotali*, cap. 2.

4. Sicut nihil est episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de sancta via episcopus periclitetur. *Ibid.*, cap. 3.

5. Honor episcopalis coram hominibus præclarus est, sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. *Prosec.*

6. Nam quanto præ cæteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiam dilabitur, ruina gravior est. *Ibid.*

7. *Si quis episcopatum desiderat*, hoc est, si epis-

S. BERNARD. 13. Monstruosa res, lingua magniloqua, et manus otiosa : sermo multus, et fructus nullus. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

14. Verbosum adolescentem et studentem eloquentiæ, cum sapientiæ sit inanis, non aliud quam justitiæ hostem repules. *Ibid.*, lib. 4.

15. Cum loquitur quis, non studeat eloquentiæ, sed sermo ejus sit potius rusticanus, quam urbanus. In *speculo monachorum.*

DIONYSIUS CARTHUS. 16. Eloquentia animum mollit, et ad consentiendum aures inclinat, nisi sapientia audientibus adsit atque justitia. Super *Acta Apostol.*, cap. 24, art. 24.

S. EUSEBIUS CÆSAR. 17. Plus movet corda hominum vitæ sanctitas, quam ornata eloquentia. *Epist. ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

GILLEBERT. NOLUS. 18. Magna eloquentiæ laus est, causam quam susceperis, apte exequi, et ad ejus commodum cuncta referre. Serm. 27, super *Cant.*, apud S. Bernard., num. 2.

19. Nusquam evidentius eloquentiæ tuæ signum dabis, quam si humilem materiam exequaris ornate, et sermonis temperamento attollas, quæ per se jacere videbantur. *Ibid.*

20. Quanto æs auro vilius, tanto inferior est eloquentia multorum veræ sapientiæ fructu. Super 2 *Paralip.*, cap. XII.

21. Eloquentia hæretici præparata est ad animas decipiendas, et quoscunque associare potest, spirituali morte perimit. Super *Proverb.*, cap. VII.

S. GREGOR. MAGNUS. 22. Plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensuum virtus amittitur. Lib. 1, in *Registro* indict. 9, cap. 28, epist. 28, *ad Aristobulum ex-Præfectum.*

S. HIERON. 23. Nec rusticus et simplex frater, ideo se sanctum putet, si nihil noverit ; nec peritus et eloquens lingua æstimet sanctitatem : multoque melius est e duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere quam eloquentiam peccatricem. Epist. 2, *ad Nepotian.*

24. Veræ eloquentiæ torcularia, non verborum pampinis, sed sensuum, quasi uvarum expressionibus redundant. *Ibid.*, epist. 4, *ad Rustic.*

25. Ejusdem eloquentiæ est, et pauca multis, et multa paucis verbis posse dicere. Epist. 15, *ad Pammach.*

26. Vir nobilis et urbanæ eloquentiæ, non habet quidquam in eloquio rusticitatis admixtum. In præfatione super *Isaiam.*

27. Eloquentiæ, quæ verborum sit fronde composita, facile vulgus cedit ignobile. Super *Ecclesiasten*, cap. X, super illud *Psalm.* XI : *Eloquia Domini.*

HUGO CARD. 28. Quid eloquentiæ in sanctis reperitur, totum in laudem Dei cedit; nihil sanctorum viribus, sed Dei virtuti adscribitur. Super *Genes.*, cap. XXIV.

29. Eloquentia scientiæ sæcularis, quasi meretrix, auditores suos allicit : adeo ut non sit fovea, a qua facilius non explicarent se homines. Super *Prov.*, cap. XXII.

30 Non magis quæras ornatum verborum, quam fructum auditorum. Super *Ecclesiastic.*, cap. IV.

S. JOANNES CHRYSOST. 31. Eloquentes plurimos video, sed probos invenire non possum. Serm. *de Hieremia.*

32. Nihil prodest habere te verba, si scientiam non habueris : nihil prodest habere te verba, habere te scientiam, si non habueris opera. Homil. 11, super *Marc.*

JOAN. GERS. 33. Exigitur eloquentia torrens et vehemens, suadibilis et suavis, copiosaque, ne adhæreat lingua palato, et arescat. Serm. *in concilio Rhemensi*, considerat. 2.

JOANNES SARESB. 34. Nihil utilius, nihil ad gloriam aut res acquirendas commodius juventuti, quam eloquentia, quæ ex eo plurimum comparatur, si rerum in mente, et in ore copia sit verborum. Lib. 7, *de Nugis curial.*, cap. 12.

JOAN. TRITH. 35. Nequaquam in eloquentia, sed in virtute Dei regnum est. Super Prolog. *Regulæ S. Bened.*, cap. 2.

36. Quidquid non ædificat, prorsus abjiciendum est, profunda namque et sensum et devotionem auferunt eloquentiæ verba. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPAL. 37. Sæpe reperitur simplicitas veridica, et composita falsitas quæ hominem suis erroribus allicit, et per linguæ ornamenta laqueos dulces spargit. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 15, sent. 8.

38. Antiqui forensem eloquentiam, caninam facundiam nuncupabant. *Ibid.*, cap. 56, sent. 2.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 39. Eloquentem hunc esse statuerim, qui id quod animo concepit, perspicua oratione demonstrare potest : non qui doctissimis ac sublimibus verbis, ea etiam quæ clara et dilucida sunt, obscurat. Lib. 3, epist. 42, *ad Theodor.*

LACT. FIRM. 40. Veritas licet possit sine eloquentia defendi, ut est a multis sæpe defensa : tamen claritate ac nitore sermonis illustranda, et quodammodo differenda est, ut potentius in animos influat, et vi sua instructa, et luce orationis ornata. Lib. 1, *de Divin. inst.*, cap. 1.

S. LEO I. 41. Ad erudiendum Dei populum, nullorum est utilior forma, quam martyrum eloquentia. Serm. *in Natali S. Laurent.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 42. Memento salutem animæ, non in eloquentia, neque in venustate sermonis sitam esse. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 16.

43. Non improbanda eloquentia est, sed abusus eloquentiæ vituperandus est. *Ibid.*



S. MAXIMUS MART. 44. Eloquentia sæpe nihil quod sit pretiosum, magnive faciendum in profundo habet. *De Ecclesiast. mystagog.*

S. PETRUS CHRYSOL. 45. Seponenda est eloquentiæ voluptas, quando scientiæ deposcitur fortitudo. Serm. 18.

S. SIDONIUS EPISCOPUS. 46. Moris est eloquentibus viris, ingeniorum facultatem negotiorum probare difficultatibus : et illic stylum peritum, quasi quemdam fœcundi pectoris vomerem figere, ubi materiæ sterilis argumentum velut arida cespitis macri gleba jejunat. Lib. 8, epist. 10, *ad Ruricium.*

THOMAS A KEMPIS. 47. Plus est optanda bona et pura conscientia, quam subtilis et verbosa eloquentia. Serm. 12, *ad Novit.*, divis. 5.

48. Multa pulchra verba non implent saccum, nec eloquentia verborum sanctificat otiosum, neque ambitiosum. In *Hortulo rosar.*, cap. 6.

IN VITIS PATR. 49. Eloquentia sine virtutibus moribusque honestis, panis profecto sine sale esse videtur. In Append. *Heraclidis*, cap. 36.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 50. Eloquentia, quæ sapientiæ conjuncta est, humanæ est vitæ gubernatrix. *De Rhetor. ad Alexandr.*

CICERO. 51. In eloquentia multa sunt, quæ teneant, quæ si omnia summa non sunt, cum pleraque magna sint, necesse est ea ipsa quæ sunt, mirabilia videri. Lib. 1, *de Oratore.*

52. Is eloquens est, qui et humilia subtiliter, et magna graviter, et mediocria temperate potest dicere. *Prosec.*

53. Is est eloquens, qui potest parva submisse, modica temperate, magna graviter dicere. *De perfect. Oratore.*

54. Eloquendi vis, quam est præclara, quamque divina! quæ primum efficit, ut ea quæ ignoramus, discere; et ea quæ scimus, alios docere possimus. Lib. 2, *de Nat. Deor.*

55. Quid est tam inhumanum, quam eloquentiam a natura ad salutem hominum, et conservationem datam, ad bonorum pestem perniciemque convertere? Lib. 2 *Offic.*

56. Effectus eloquentiæ est audientium approbatio. Lib. 2 *Tusc. quæst.*

PLINIUS II. 57. Orationi et carmini parva est gratia, nisi eloquentia sit summa. Lib. 5, epist. 8, *ad Capitonem.*

58. Ut quasdam artes, ita eloquentiam, nihil magis quam ancipitia commendant. Lib. 9, epist. 26, *ad Lupercum.*

SENECA. 59. Quo plura exempla inspecta sunt, plus eloquentia proficitur. Lib. 1, *Controvers.*

60. Magna et varia res est eloquentia, nec adhuc ulli sic indulsit, ut tota contingeret : satis felix est, qui in aliquam ejus partem est receptus. Lib. 3, *de Declamat.* in proœmio.

61. Nihil æque eloquentiam, et omne aliud studium auribus deditum vitiavit, quam popularis assensio. Epist. 102.

Vide etiam tit. *Doctrina*, sent. 8, 11 ; *Laus in genere*, sent. 102, 103; *Sapientia*, sent. 105.

## EPISCOPUS.

S. AMBROS. *Etymologia.* Nihil aliud interpretatur episcopus, nisi superinspector, maxime cum solio in Ecclesia editiore resideat, et ita cunctos respiciat, ut et cunctorum oculi in ipsum respiciant. *De Dignitate sacerdotali*, cap. 6.

S. AUGUST. Episcopatus græcum nomen est, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit curam eorum scilicet gerens. *Prosec.*

Ἐπὶ quippe super, σκοπὸς vero intentio est : ergo ἐπισκοπεῖν græce, si velimus, latine superintendere possumus dicere. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 19.

HUGO CARD. Episcopus dicitur superintendens, quia super omnes debet intendere, pro omnibus sollicitus esse, omnes vita et doctrina transcendere. Super 1 *ad Tim.*, cap. III.

S. IGNATIUS MARTYR. *Definitio.* Quid aliud est episcopus, quam is qui omni principatu et potestate superior est, et quoad hominem licet, pro viribus imitator Christi Dei factus? Epist. 5, *ad Trallianos.*

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Episcoporum ordo in tria dividitur : episcopos, archiepiscopos, patriarchas. Lib. 1, *de Sacrament.*, cap. 40.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. In episcopo vita formatur omnium, ut placido et pacifico judicio præferatur, vir omnibus qui eligatur ex omnibus, et qui medeatur omnibus. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Ecclesiam.*

2. Honor et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. *Prosec.*

3. Si regum fulgori compares, et principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum, ad auri fulgorem compares. *De Dignitate sacerdotali*, cap. 2.

4. Sicut nihil est episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de sancta via episcopus periclitetur. *Ibid.*, cap. 3.

5. Honor episcopalis coram hominibus præclarus est, sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. *Prosec.*

6. Nam quanto præ cæteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiam dilabitur, ruina gravior est. *Ibid.*

7. *Si quis episcopatum desiderat*, hoc est, si epis-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

copus esse desideras, magnum est quod esse cupis; sed si et opus bonum simul complectaris : nam si aliter esse cupis, episcopus esse non potes. *Ibid.*, cap. 4.

ANTHERIUS PAPA.

8. Mutationes episcoporum scitote communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non propria cujusquam voluntate, aut dominatione. *Epist. omnibus episcopis.* et habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 7, quæst. 1, canon. *Mutationes.*

S.ANTONIN.

9. Qui nec regiminis in se rationem habuit, nec sua delicta detersit, nec filiorum crimen correxit, canis impudicus dicendus est magis, quam episcopus. Part. 1, tit. 3, cap. 7, § 1.

10. Multis virtutibus debet splendere vita pontificis, ut gradui conferat decorem, quem ab eo non accepit. *Prosec.*

11. Non enim loca, sed vita et mores sanctum faciunt episcopum : unde ex officio suscepto non licentiam peccandi, sed necessitatem bene vivendi se noverit assecutum. *Ibid.*, tit. 15, cap. 5.

12. Episcopatus dicitur status perfectionis activæ, qui alios debet perficere, scilicet subditos. Part. 2, tit. 3, cap. 5, § 3.

S.ATHANAS. MAGNUS.

13. Ecclesia non deserenda est ab episcopo : magni enim sceleris est, episcopum ecclesiam deserere, et negligere gregem Dei. *Prosec.*

14. Pastorum absentia, lupis invadendi gregis occasionem præstat. *Apolog. ad imperator. Constantium.*

S.ATHANAS. PATRIARC.

15. Quantum damni et jacturæ facit, qui dignitatem adeptos, non exercet ministerium recte et assidue. Epist. 3, *ad Episcop. Apameæ.*

16. Ego eum, cui grex Christi commissus est, si dignitatem muneris norit, iniquum esse arbitror, non usque ad sanguinem assidue ei studere, et incumbere. *Ibid.*, epist. 4, *ad Eumdem.*

17. Quid justius, quam si episcopus quisque jubeatur, vel nolit, ad diœcesim suam redire, quod debitum solvere teneatur. *Ibid.*, epist. 8, *ad Imperat.*

S. AUGUST.

18. Nihil est in hac vita difficilius, laboriosius, periculosius episcopi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator jubet. Epist. 148, *ad Valerium.*

19. Sciat se non esse episcopum, qui præesse cupit, non prodesse. In dialogo 65 *Quæst.*, quæst. ultima.

20. *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Exponere voluit Apostolus, quid sit episcopatus, quia nomen est operis, non honoris : ut intelligat non se esse episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 19.

21. Oportet episcopos non tantum docere, sed et discere : quia et ille melius docet, qui quotidie crescit et proficit discendo meliora. Lib. 5, *de Baptismo*, cap. 26.

22. Byrrhum pretiosum forte decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum. Serm. 2, *de Vita clericor.*

23. Non est episcoporum servare aurum, et a se revocare medicantis manum. Habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 12, quæst. 1, can. *Nolo.*

24. Episcopalis dignitas nobis fructuosior erit, si gregem Christi deposita magis collegerit, quam retenta disperserit. *De Gestis cum Emerito.*

25. Sine episcopatu salvi esse possumus, sine christiana vero religione non possumus. Lib. 2, *contra Crescon.*, cap. 11.

26. Secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, episcopus presbytero major est. Epist. 19, cap. 4.

27. Non est episcopatus artificium transigendæ vitæ fallacis. Epist. 216.

28. Longe est gloriosius episcopatus sarcinam propter Ecclesiæ vitanda periculosa deposuisse, quam propter regenda gubernacula suscepisse : ille quippe se honorem, si pacis ratio pateretur, digne accipere potuisse demonstrat, qui acceptum non defendit indigne. Epist. 238.

29. Si Dominum cogitamus, locus iste altior specula vinitoris est, non fastigium superbientis si cum volo retinere episcopatum meum, dispergo gregem Christi, damnum est gregis, non honor pastoris. *De Gestis cum Emerito.*

30. Non episcopi propter nos sumus, sed propter eos quibus verbum et sacramentum Dominicum ministramus. Lib. 2, *contra Crescon.*, cap. 11.

31. Pro pace Christi episcopi debent esse, aut debent non esse. *De Gestis cum Emerito.*

32. Episcopi propter christianos populos ordinantur. Quod ergo christianis populis ad christianam pacem prodest, hoc de nostro episcopatu faciamus. *Ibid.*

33. Es episcopus multis curis occupatus, ut ego : unde nec tibi facile vacat prolixum aliquid legere, nec mihi scribere. Epist. 23.

34. Totius plebis grande scandalum est, cum episcopos suos, quos pro magno habent, sordida avaritia maculatos putant, dum maligna species non vitatur. Epist. 239.

35. Die omni et omni hora, et cura omnino continua cogitare debet episcopus, quantæ dispensationis sarcinam gerat, qualem de illa rationem Domino suo reddat. Homil. 24, *ex* LIII *Homil.*

36. Ecclesia ab apostolorum temporibus, per episcoporum successiones certissimas usque ad



nostra, et deinceps tempora perseverat. Lib. 1, *contra Advers. legis*, cap. 20.

37. Episcopi non sanatis magis, quam sanandis hominibus præsunt. *De Morib. Eccles.*, cap. 32.

S. BERNARD.

38. Quid prodest, si episcopi canonice eligantur, et non canonice vivant! Serm. *ad Clerum Rhemens.*

39. Pro episcopatibus imprudenter hodie decertatur, ut Ecclesiarum redditus in superfluitatis et vanitatis usus dissipentur. Serm. 6, super *Qui habitat.*

40. Revereamur episcopos, sed vereamur labores eorum : si labores pensamus, non affectamus honores. *Prosec.*

41. Inhumane eorum redarguis opera, quorum onera refugis. Serm. 12, super *Cant.*

42. Insolentiæ clericorum mater est negligentia episcoporum. Epist. 152, *ad Innocent. Pap.*

43. Non magnum est te episcopum fieri; sed episcopum pauperem vivere, id plane magnificum. Epist. 24, *ad Magistrum Gilbertum episcop. Londiniensem.*

44. In omnibus actis suis vel dictis, nihil suum quærat episcopus, sed tantum aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut utrumque. Epist. 42, *ad Henric. Senonens. archiep.*

45. Monstruosa res, gradus summus, et animus infimus : sedes prima, et vita ima : ingens auctoritas, et nutans stabilitas. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

46. Satis superque episcopi ad manum habent, quibus animas credant; et cui suas committant facultates, non inveniunt. *Ibid.*, lib. 4.

47. Domum episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas, horum disciplina custos. *Ibid.*

48. Ubi, proh dolor! reperimus episcopos, qui post adeptam dignitatem, in humilitate se contineant? Serm. *ad Clerum in concilio Rhemens.*

S. BONAV.

49. Episcopus debet esse leo fortissimus bestiarum, ut ad nullius paveat occursum. Super *Luc.*, cap. VI.

S. BRUNO.

50. Apostoli fortes fuerunt in bello, non molles in serico. *Ibid.*, cap. 7, in illud : *Quid existis videre?*

51. Quoniam qui desiderat episcopatum, operari bonum desiderat : ergo necesse est volentem episcopari, esse irreprehensibilem, quia si sit reprehensibilis, quandiu in eo est, bonum operari nequit. Super 1 *Timoth.* III.

52. Videte, homines, quantum episcopos vestros diligere debeatis : lumina vestra sunt, oculi vestri, et lucernæ vestræ sunt. Serm. 3, *de Confess.*

S. CLEMENS PAPA.

53. Necesse est episcopum ante oculos habere, exempla præteritorum, iisque utatur ad regendum eos, qui vel asperis vel lenioribus opus habent sermonibus. Lib. 2, *Constit.*, cap. 25.

CONCIL. CARTH. 4.

54. Episcopus vilem suppellectilem et mensam et victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem, fidei et vitæ meritis quærat. Et Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 41, can. *Episcopus.*

CONCIL. TRIDENT.

55. Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem ordinario subjectas tantum : si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi. Session. 6.

S. CYPRIAN.

56. Utile et salutare est, cum se episcopus per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum. Epist. 4.

57. Scire debes episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in episcopo ? et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse. Epist. 69, *ad Florentium*, cap. 4.

58. Oportet episcopum non tantum docere, sed et discere : quia ille melius docet, qui quotidie crescit, et proficit discendo meliora. Epist. 74, *ad Pompeium*, cap. 4.

59. Hæretici nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assumunt. *De Unitat. Eccles.*

60. Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui episcopatus nec unitatem vult tenere nec pacem. Epist. 52, *ad Antonian.*

S. CYRILLUS HIEROSOL.

61. Episcopus aut sanctissimus est, aut diabolus. *Prosec.*

62. Magni certe meriti status episcopalis, sed periculi infiniti : levissimum peccatum aliis imputandum, gravissimum episcopo imputatur.

63. Pontificis vitium in subditos diffunditur per exemplum. Epist. *ad Augustin. de miraculis D. Hieronymi.*

64. Quot ovium Christi, vel negligentia episcopi, vel exemplo in peccata deviant, de tot tenetur Domino reddere rationem. *Ibid.*

65. Securius est episcopalem statum fugere, quam appetere. *Ibid.*

66. Laudo certe episcopatum tanquam vicariatum Domini nostri Jesu Christi; sed illos, qui in eo vitam agunt militum terrenorum, qui mundi gloriam et pompas appetunt, non collaudo, imo eis consulo ut effugiant quantum possunt. *Ibid.*

DIONYSIUS CARTHUS.

67. Quamvis episcopatus sit dignitas magna, habet tamen summum laborem, et maximam sollicitudinem sibi annexam : ita ut potius appelletur opus quam dignitas. Super 1 *ad Timot.*, cap. III, art. 3, super illud : *Si quis episcopatum desiderat.*

S. ELIGIUS.

68. Dum timeo de me, et dum formido de animabus mihi commissis, duplici timore ac dolore consumor. Homil. 12.

S. EVARIST. PAPA.

69. Sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec episcopus Ecclesiam suam. Habet. in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 7, quæst. 1, canon. *Sicut*.

GRATIANUS.

70. Episcopus, qui crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus, quam episcopus. In *Decret.* part. 1, dist. 83, can. *Nemo*.

71. Omnis electio episcopi a principibus facta, irrita maneat. *Ibid.*, dist. 63, can. *Omnis*.

72. Si quis episcopus secularibus potestatibus usus, Ecclesias per ipsos obtinuerit, deponatur, et segregentur ab Ecclesia omnes qui illi communicant. *Ibid.*

73. Dissidentes episcopos, si non timor Dei, synodus reconciliet. *Ibid.*, dist. 90, can. *Dissidentes*.

S. GREGOR. MAGNUS.

74. Tunc laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quemquam dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. Part. 1 *Pastoralis*, cap. 8.

75. Locum episcopi tenere, grandis est honor : sed grave est pondus istius honoris. Homil. 26, super *Evang.*

76. Necessitatem patientibus pontificale convenit adesse subsidium. Lib. 3, in *Registro*, indict. 2, cap. 28, epist. 28, *ad Candidum defensorem*.

77. Ille ad episcopatum eligatur, quem dignum vita et mores ostenderint : et nullus ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum seu proximitatis patiatur accedere. *Ibid.*, lib. 7, indict. 1, cap. 5, epist. 5, *ad Brunichildam reginam Francorum*.

78. Si actus dissentiat a nomine, episcopatus nomen non est in honore, sed onere. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 117, epist. 117, *ad Syagrium episc.*

79. Nec novum, nec reprehensibile est in eligendo episcopo, vel quocunque alio se vota in duas partes dividere : sed grave est, quando in hujusmodi causa, non ex judicio, sed ex solo favore venit electio. *Ibid.*, lib. 8, ind. 8, cap. 40, epist. 40, *de Eligendo episcopo*.

80. Dignitas episcopi non constat in ambitione culminis, sed in sublimitate virtutis. Lib. 5, in 1, *Reg.*, cap. 1, super illud : *Perrexit omnis populus in Galgala*.

81. Episcopo episcopatus nomen non est in honore, sed onere. Lib. 7, in *Registro*, ind. 2, cap. 117, epist. 117, *ad Syagrium episcop. Augustod.*

82. Nihil in Episcopali cervice splendidius fulget, quam humilitas. *Ibid.*, lib. 2, indict. 11, cap. 93, epist. 54, *ad Joan. episcop. Ravennat.*

83. Vere episcopalem vitam sequeris, si per zelum, linguamque tuam hos qui a fidei veritate dissentiunt, in Ecclesiæ unitatem reduxeris. *Ibid.*, cap. 98, epist. 59, *ad Euticium. episc. Tundarinum.*

84. Episcopatum appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Part. 1 *Pastoral.*, cap. 8.

85. Sacrum episcopatus officium, non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis cæterorum subjectione pascitur. *Ibid.*

86. Apostolorum profecto nunc in Ecclesia episcopi locum tenent. Homil. 26, super *Evang.*

87. Episcopus cum loco mutet mentem. Lib. 5, in *Registro*, indict. 14, cap. 129, epist. 29, *ad Secundin.*

88. Episcopus non sibi credat solam lectionem, orationem sufficere, ut remotus ab aliis studeat sedere, et de manu nihil fructificare ; sed longam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat ; quia si hoc non habet, vacuum episcopi nomen tenet. *Ibid.*

89. Quisquis episcopatum non ad elationis pompam, sed ad utilitatem adipisci desiderat : prius vires suas, cum hoc quod est subiturus onere metiatur : ut si impar est, abstineat, et ad id cum metu etiam, qui se sufficere existimat, accedat. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 110, epist. 110, *ad Syagrium episcop.*

90. Episcopi cujusque indumenti honor, humilitas atque justitia est. *Ibid.*, cap. 129, epist. 129, *ad Maxim. episc. Salonitan.*

S. GREGOR. NAZ.

91. Ecclesiæ lychnus, est episcopus. Epist. 18, *ad Cæsariens.*

S. HIERON.

92. Non omnes episcopi, episcopi sunt (qui bene ministrat, bonum gradum acquirit). Attendis Petrum, sed et Judam considera : Stephanum suscipis, sed et Nicolaum respice : probet se unusquisque, et sic accedat. Epist. 1, *ad Heliodor.*

93. Gloria episcopi est, pauperum inopiæ providere. *Ibid.*, epist. 2, *ad Nepotian.*

94. Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos : honorent clericos, quasi clericos ; ut et ipsis a clericis, quasi episcopis, honor deferatur. *Ibid.*

95. Sciat episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi pauperum curæque præficiat : genus arrogantiæ est, clementiorem te velle videri quam pontifex Christi est. *Ibid.*

96. Episcopus cæcorum esse debet baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium, subvenire pauperibus, visitare languentes, provocare hospitio, lenire blanditiis, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. *Ibid.*, epist. 3, *ad Heliodor.*



97. Domus episcopi et conversatio, quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ : quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant. *Ibid.*

98. Episcopus et presbyter, et diaconus, non sunt meritorum nomina, sed officiorum. Lib. 1, *advers. Jovian.*

99. Mundi totius, et propriæ Ecclesiæ condimentum, episcopus est. Epist. 82, *advers. Luciferianos.*

100. Ideo scientiæ suæ Deus igniculum in episcopo succendit, ut non sibi tantum luceat, sed et omnibus prosit. *Ibid.*

101. Hæreticus episcopus, hostis est Christi, infatuatum sal, lucerna sine igniculo, oculus sine pupilla. *Ibid.*

102. Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet. *Ibid.*

103. Amari ut parens episcopus debet, non timeri : antiqua sententia est ; quem metuit quis, odit : quem odit, periisse cupit. Epist. 16, *ad Theophil.*

104. Servetur ab episcopis patienter et leniter charitas animi, collegii honor, vinculum fidei, concordia sacerdotii. Epist. 12, *advers. Luciferianos.*

105. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Opus, non dignitatem : laborem, non delicias. Opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio. Epist. 41, *ad Ocean.*

106. Potentia divitiarum, et paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum non facit. Epist. 45, *ad Evagr.*

107. Tanta debet esse scientia et eruditio pontificis Dei, ut et egressus ejus, et motus, et universa, vocalia sint : veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet et ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, sit doctrina populorum. Epist. 6, *ad Fabiolam, de Vestitu. sacerd.*

108. Omne quod non licet christiano, commune est tam episcopo, quam laico. Epist. 12, *advers. Luciferanos.*

109. Ecclesiæ lumen est episcopus. *Ibid.*

110. Cum ideo episcopus in Ecclesia constituatur, ut populum coerceat ab errore, quantus erit error in populo, cum errat ipse qui doceat. *Ibid.*

111. Vita episcopi, forma debet esse clericorum. Epist. 54, *ad Oceanum, de vita Clericor.*

112. *Qui episcopatum*, inquit Apostolus, *desiderat, bonum opus desiderat.* Videte quid dixerit, bonum opus desiderat, non dignitatem ; si autem despecto opere, solam aspexerit dignitatem, cito corruit. Super *Sophoniam*, cap. III, super illud, 1 *Tim.* III : *Qui Episcopatum desiderat.*

113. Sciat episcopus sibi populum conservum esse, non servum. Super *Epist. ad Tit.*, cap. 1, super illud : *Oportet episcopum.*

114. Episcopus, qui imitator Apostoli esse cupit, habens victum et vestitum, his tantum debet esse contentus. *Ibid.*, super illud : *Non turpis lucri cupidum.*

115. Si quis vult pontifex esse, non tam vocabulo, quam merito imitetur Moysen, imitetur et Aaron. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 36, can. *Si quis.*

HUGO A S. VICTORE.

116. Episcopi domos non impares ecclesiis magnitudine construunt, pictos delectantur habere thalamos : vestiuntur ibi imagines pretiosis colorum indumentis, pauper autem sine vestibus incedit, et vacuo ventre clamat ostium. O mira, sed perversa delectatio! *Prosec.*

117. Trojanos gestat paries pictus, purpura et auro vestitos, et christianis panni negantur veteres.

118. Græcorum exercitui dantur arma. Hectori clypeus datur auro splendens, pauperi vero ad januam clamanti non porrigitur panis : et ut verum fatear, pauperes spoliantur sæpe, ut vestiantur lapides et ligna. Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 1.

119. Ornant prætoria columnis, fores domibus anteponunt, quæ utinam pauperes includerent, non excluderent. *Ibid.*

120. Ecce sacerdos magnus : magnus officio, magnus merito, magnus præmio, magnus suffragio : magnus officio, quia episcopus ; magnus merito, quia dignus cœlo ; magnus præmio, quia beatus ; magnus suffragio, quia noster patronus. Serm. 19, *de Divers.*

121. Sacri canones definiunt nullum in episcoporum dignitatem eligendum, nisi qui prius in sacris ordinibus religiose fuerit conversatus. Lib. 2, *de Sacram.*, part 3, cap. 3.

HUGO CARD.

122. Felix episcopus, qui hoc dicere potest : Quando ego suscepi episcopatum, pauci erant in eo boni, et modo sunt multi. Super *Genes.*, cap. XXX.

123. Nunc in Ecclesia Dei nullus ad Pontificatum dignus est, nisi prius noverit, qualiter perfectus vitam suam informare, et secularem adhuc agentibus vitam, qualiter religionis rigorem debeat temperare. Super *Levit.*, cap. VIII.

124. Episcopus in mitra habet duo cornua : quia vita simul et doctrina in ipso requiritur. Super *Isai.*, cap. III, *Mystice.*

125. Debent episcopi esse reges, se primo et postea alios regendo : ad hoc enim eliguntur. Sed multi dimisso proprio officio, se animas regendi, alienum officium usurpant : magis enim videntur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

comites vel duces, quam episcopi. Super *Hierem.*, cap. XXII.

126. Uno episcopato, tota episcopata est ejus progenies. Super *Ezech.*, cap. XXXI.

127. Nunc si unus fiat episcopus, toti progeniei mutatur nomen suum; quia ipso episcopante, tota sua progenies episcopatur cum illo. Super *Luc.*, cap. XIV.

128. Qui recte vult appetere episcopatum, appetat vero opus, non dignitatem; laborem, non delicias; non crescere fastigio, sed humilitate decrescere. Super I *ad Tim.* III.

129. Multi male intrant in episcopatum : non prodesse appetunt, sed præesse; honorem quærunt, non onus: quietem, non opus; commodum proprium, non salutem animarum : quos introduxit, non Christi charitas, sed propria cupiditas. *Ibid.*

S. IGNATIUS MART. 130. Principes et Cæsares ipsi episcopo pareant, episcopus Christo. Epist. 9, *ad Philadelph.*

131. Qui honorat episcopum, a Deo honorabitur : sicut qui illum ignominia afficit, a Deo punietur. *Ibid.*, epist. 10, *ad Smyrnens.*

132. Quanto taciturniorem videritis episcopum, tanto magis eum reverimini. *Ibid.*, epist. 14, *ad Ephes.*

S. INNOC. III. 133. Nomen episcopi plus sonat oneris, quam honoris : quoniam episcopus non tam ut præsit, quam ut prosit eligitur. Lib. 1, *Myster. Missæ.*, cap. 6.

134. Provideat diligenter episcopus, et attendat studiose, ut signum sine significato non ferat; ut vestem sine virtute non portet : ne forte similis sit sepulcro de foris dealbato, intus autem omni pleno spurcitia. *Prosec.*

135. Quisquis autem foris indumentis ornatur, et honestis moribus non induitur; quanto venerabilior apparet hominibus, tanto indignior redditur apud Deum.

136. Pontificalem itaque gloriam jam non honor commendat vestium, sed splendor animarum. *Ibid.*, cap. 64.

137. Episcopus non debet subesse principibus, sed præesse. Lib. 1, *Decretal. const.*, constit. 128.

S. JOANNES CHRYSOST. 138. Episcopus debet esse mansuetus, ut magis indulgendo, quam vindicando regat ecclesiam, ut magis ametur, quam timeatur. Homil. 10, super *Matth. Operis imperfect.*

139. Episcopus debet esse esuriens et sitiens justitiam, ut pigros circa opera bona fiducialiter verbo Dei, aut increpationis flagello valeat excitare, magis exemplo suo, quam voce. *Ibid.*

140. Episcopus debet omnium onera portare, quia aliis irascentibus datur venia, ipsi vero nequaquam : quia aliis peccantibus superest excusatio, ipsi vero minime. *Prosec.*

141. Hic enim omnium linguis expositus est, omnium judiciis objectus, et sapientium et insipientium : curis perpetuis obtunditur, tum diurnis, tum nocturnis. Homil. 3, super *Acta Apost.*

142. Episcopus unius civitatis episcopus est : nihilque a navi, quæ fluctibus jactatur, differt. Undique premitur ab amicis et inimicis, a suis et ab alienis. *Ibid.*

143. Episcopus ex eo dicitur, quod omnes inspiciat, cunctaque speculetur. Homil. 10, super I, *Timoth.*

144. Nocet plurimum episcopo præcedens pessima, falsa licet opinio. In fine ante *Morale.*

145. Is cui Ecclesiæ principatus est creditus, quique dignitate episcopatus ornatus est, si non populo quæ agenda sunt dicet, non erit innoxius. Homil. 1, super *Epist. ad Tit.*

146. Episcopum convenit et studio acri, et perpetua vitæ continentia tanquam adamantims armis circumseptum, quoquo versus circumspicere : nec ubi nudo quis, aut neglecto loco deprehenso lethale vulnus adferat. Lib. 3, *de Sacerdot.*

147. Episcoporum animi tales eligantur, qualia olim in Babylonia fornace Sanctorum illorum corpora divinæ gratiæ largitas exhibuit. *Ibid.*

148. Oportet episcopum angelum esse, nullæ humanæ perturbationi vitiove subjectum. Homil. 10, super I *Timot.*

JOAN. TRITH. 149. Episcopum vivere, portabile est : sed mori episcopum, horribile. In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Judicium.*

150. Delectabile quidem est vivere episcopum, sed o quam terribile et horrendum est mori prælatum ! In cap. 7, *Regulæ S. Bened.*, grad. 12.

S. ISIDORUS HISPALENS. 151. Qui non se dignum ad episcopatum existimat, locum ejus qui dignus est, non præoccupet : gravius enim condemnabitur, qui indignus suscipit quod non meretur. Lib. 3, *de Sum bono*, cap. 34, sent. 1.

152. Plerique suæ magis utilitatis causa, quam gregis præesse desiderant : nec ut prosint Præsules fieri cupiunt, sed magis ut divites fiant et honorentur. *Prosec.*

153. Suscipiunt enim sublimitatis culmen, non pro pastorali regimine, sed pro solius honoris ambitione. *Ibid.*, sent. 5.

154. Ignorantia præsulum, vitæ non congruit



subjectorum : desinat præsul locum docendi suscipere, qui nescit docere. *Ibid.*, cap. 35, sent. 1.

155. Duræ sunt quiete vivere volentium sarcinæ curarum episcopalium. *Ibid.*, cap. 39, sent. 1.

156. Agnoscat episcopus se esse conservum plebis, non dominum : verum hoc charitas, non conditio exigit. *Ibid.*, cap. 42, sent 3.

157. Ita præemineas merito, sicut et gradu. *Ibid.*, cap. 45, sent. 1.

158. Notandum est vehementer ab omni pontifice, ut tanto cautius erga commissos agat, quanto durius a Christo judicari formidat. *Ibid.*, cap. 46, sent. 18.

159. Episcopo dum consecratur, datur baculus, ut ejus judicium subditam plebem, vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Lib. 2, *de Offic. Eccles.*, cap. 5.

160. Episcopus nec sancta ingredi, nec nomen antistitis poterit possidere, qui et terrenis desideriis gravatur, et expers est scientiæ veritatis. Super *Levitic.*, cap. XIII.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 161. Episcopus et nomen et res ipsa divinum quiddam est, atque omni alio munere ac dignitate præstantius. Lib. 2, epist. 125, *ad Theodos. presbyt.*

162. Grave est eum, qui inter subditos censetur, peccare : gravius eum qui divino cultui consecratus est : longe vero gravissimum, eum qui pontificis dignitatem nactus sit. Lib. 3, epist. 15, *ad Elisæum Monach.*

163. *Si quis episcopatum desiderat.* Non dixit, Unusquisque episcopatum desideret, non præcepit, non imperavit, non legem sanxit : non dixit, Quilibet desideret, sed bonum opus desiderat, sc. arduum negotium. *Prosec.*

164. Opus est hæc res, non ludus atque animi oblectatio; cura, non luxus : munus referendis rationibus obnoxium, non imperium ab omni censura liberum atque immune : paterna procuratio, non tyrannica licentia : dispensatoria præfectura, non ejusmodi potestas, quæ sub reddendarum rationum necessitatem minime cadat.

165. Ego episcopatus opus mirifice laudo, divinum enim est, ipsius autem amorem minime laudo, periculosus enim est. *Ibid.*, epist. 215, *ad Hieronem.*

S. LAURENT. JUSTIN. 166. Instituti sunt plebibus episcopi, veluti mediatores Dei et populi, quatenus piis suis intercessionibus orationumque suffragiis, divinam justitiam erga delinquentes faciant esse placabilem. *De Regim. prælat.* 10.

167. Humilitas pretiosissima corona est pontificum, sine procul dubio nullus in dignitatis culmine positus valet esse securus. *Ibid.*, cap. 14.

S. LEO I. 168. Non prærogativa terrenæ originis obtinet unctionem, sed dignatio cœlestis gratiæ gignit antistitem. Serm. 2, *in Annivers. die assumpt. ejus, ad Pontific.*

169. Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati. Epist. 92, *ad Rustic. Narbonens. episc.*, cap. 1.

170. Episcopus, qui vult splendere virtutibus, laudabilis erit, et in omni loco plurimum dilectionis acquiret : non ambiendo humana, sed promerendo divina. Epist. 55, *ad Pulcheriam august.*

171. Gravis injuriæ episcopus reus est, qui de fratris ecclesia id quod est utilius, aut pretiosius audet vel allicere, vel tenere. Epist. 84, *ad Anastas. episc. Thessalon.*, cap. 19.

ORIGENES. 172. Requiritur in ordinando sacerdote episcopo præsentia populi, ut sciant omnes et certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur. Homil., 6, in cap. VIII, *Levitici*, super illud : *Convocavit Moyses Synagogam.*

S. PELAGIUS PAPA. 173. Episcopus non mutat sedem, qui non mutat mentem. Epist. *ad Benign. archiep.* Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa. 7, quæst. 1, can. *Scias.*

PETRUS BLESENS. 174. Hæc tuæ administrationis officio exactissime requiruntur : ut per omnia sit in te humilitas non vilescens, dignitas non præsumens. Epist. 15, *ad episc. Carnotens.*

175. In episcopali conditione nihil est medium : vel secularis erit tua conversatio et probrosa, vel sancta, et tam apud Deum quam homines gloriosa. *Prosec.*

176. Nihil est quod adeo vitam hominis cito obtenebret, aut illustret, sicut pontificalis auctoritas : cito enim fit vel bonus odor Deo, vel rumor in populo. *Ibid.*

177. Illorum episcoporum vitam detestabilem reputes, quorum incessus erecta cervice, quorum facies torva, truces oculi, minæ terribiles : non collegæ Petri, sed Simonis; non Christi discipuli, sed Neronis. *Ibid.*

178. Non potest esse præclarior famæ titulus in episcopo, quam si viriliter tueatur statum ecclesiasticæ libertatis. *Ibid.*, epist. 20.

179. Episcopus illitteratus, præco est mutus. *Ibid.*, epist. *ad Octavian. cardinal.*

180. Verba episcoporum vim juratoriam in se habent, ut in eis jusjurandum sit, quod est verbum simplex in aliis; et quod in aliis est simplex perjurium, sacrilegium sit illis. *Ibid.*, epist. 51, *ad Joan. episc. Sarisberiens.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

181. Frequens est inter episcopos aliquem invenire, qui primum suæ promotionis annum dedicet sanctitati : cumque in sua novitate sit factus agnus, sed inveteratus aliquot dierum, sit rapacissimus lupus. *Tract. de Inst. episcopi.*

S. PETRUS DAM. 182. *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Hic evidenter ostenditur, nihil aliud esse Pontificem, quam boni operis sectatorem. *Prosec.*

183. Quid ad episcopatum anhelat possidendum sine bono opere, inane vult nomen induere, sine rei ipsius veritate. Lib. 2, epist. 1, *ad Episc. cardinales.*

S.PET.MAURIT. ABBAS CLUN. 184. Attendens pontificalis ordinis fastigium, attendas et periculum : agnoscens honorem, agnoscas, et laborem : diligens gradum altiorem, formides casum graviorem. *Prosec.*

185. Sicut sanctis episcopis præparatur in altis superior locus ita vita et moribus ex episcopis reservatur in imis inferior infernus. Lib. 2, epist. 50, *ad Atonem Trecens.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 186. Ego cum meipsum considero, omnino inferiorem sentio, quam ut episcopali fastigio respondere possim. Epist. 105, *ad Fratrem.*

187. Episcopum divinum esse hominem oportet, qui quo vitæ suæ propositum teneat, ab innumerabilibus oculis custoditur. *Ibid.*

188. Palam sine ulla cunctatione dico episcopum nulla omnino labe pollui debere, multum ut ei supersit, tanquam qui aliorum piacula ac sordes abstergat. *Ibid.*

189. Si ad episcopale munus vocer, nolo ementiri dogmata. *Ibid.*

THEOPHYLACTUS. 190. Episcopus, qui voluntariis præsidet, non debet arrogans esse, ut suo consilio et voluntate, citra subditorum sententiam omnia agat, quod tyrannicum est. Super *Epist. ad Titum*, cap. 1, in illud : *Non superbum.*

S. THOMAS AQUINAS. 191. Status pontificalis non absque vitio ambitionis desideratur, et quem appetere præsumptuosum est. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 19.

192. Qui pontificatus honorem suscepit, spirituale magisterium assumit : ridiculum est perfectionis magistrum fieri, qui perfectionem per experimentum non novit. *Ibid.*

193. Ordo episcoporum perfectissimus est. *Ibid.*, cap. 17.

194. Episcopatum quamvis expediat subterfugere, tamen pertinaciter recusare non est bonum. Unde obligare se ad non recipiendum, malum est quia quamvis oblatum recipere quis non debeat, tamen debet recipere injunctum. Super III *Sent.*, dist. 39, quæst. 1, art. 2.

S. THOMAS A VILLANOVA. 195. Oporiet te tantum cæteros præcedere virtute, quantum præcedis dignitate. Serm. *Dom.* 3, *Advent.*

Vide etiam tit. *Dux*, sent. 6; *Electio*, sent. 77, 78; *Hospitalitas*, sent. 47; *Papa*, sent. 19; *Pastor*, sent. 56; *Prælatio*, sent. 18; *Privilegium*, sent. 6; *Reddere rationem*, sent. 21, 44; *Simonia*, sent. 40; *Virtutes cardinales*, sent. 28.

## EPISTOLA.

*Etymologia.* Epistola græce, supermissa latine dicitur, ἐπὶ enim græce, latine super : στολὰ vero missa dicitur. *Prosec.* S. ANSELM.

Et hinc epistolæ dicuntur supermissæ, eo quod super id quod fideles accipiunt, sint eis missæ. In princ. prologi, super *Epist. ad Rom.*

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Litteræ, quæ de cœlesti civitate nobis venerunt, ipsæ sunt Scripturæ. Super *Psalm.* xc, conc. 2. S. AUGUST.

2. Tuis epistolis me magis onerare, quam honorare dignatus es. Epist. 131.

3. Ancilla Christi quæ in abscondito litteras recipit, ordinem suum frangit, magnum malum facit, et grande peccatum committit. Serm. 61, *ad Sororem.* S.BERNARD.

4. Sicut mortalem gloriam homines appetentes in suis conscriptionibus, dignitates, quas putantur habere, præponunt : ita sancti viri in epistolis, quas scribunt, se proferunt servos esse Domini nostri Jesu Christi, æstimantes hanc appellationem supra regna totius mundi consistere. Super *Epist. Jacobi*, cap. 1. DIDYM. ALEX.

5. Charitati nihil longe est; quia quos dividunt loca, jungit epistola. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 61, epist. 61, *ad Quirin. episc.* S. GREGOR. MAGNUS.

6. Tuam suscepi epistolam, solius charitatis calamo scriptam. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 125, *ad Leandr. episc. Hispan.*

7. Blandas et dulces litterulas, sanctus amor non habet. Epist. 2, *ad Nepotian.* S. HIERON.

8. Epistola sola res est, quæ homines absentes præsentes facit. Epist. 42, *ad Nitiam.*

9. Quid est, ut ita dicam, tam præsens inter absentes, quam per epistolas et alloqui et audire quos diligas? *Ibid.*

10. Fœderemus amicitias reciprocis epistolis : illæ inter nos currant, illæ sibi obvient, illæ nobiscum loquantur. Epist. 6, *ad Florentium.*

11. Chartæ exiguitas, indicium solitudinis est. Epist. 29, *ad Virgines Hermonenses.*

12. Si amas, scribe obsecranti : si irasceris, iratus licet scribe : magnum et hoc desiderii solamen habebo, si amici litteras vel indignantis accipiam. Epist. 42, *ad Nitiam.*

13. Non debet charta dividere, quos amor mutuus copulavit. Epist. 43, *ad Chromatium.*



14. Nisi forte negligentiæ semper excusatione socia, asseras te non habuisse quod scriberes; cum hoc ipsum debueris scribere, te non habuisse quod scriberes. Epist. 44, *ad Chrysogon.*

15. Acceptis litteris non respondere, superbiæ est. Epist. 75, *ad Riparium advers. Vigilant.*

16. Suspectæ litterulæ non respondere, argumenta sunt diaboli, mortis æternæ indicia, et luxuriæ nuntia. In *Regula monachor.*, cap. 20.

JOAN. CASS. 17. Ite, cogitationes patriæ, pariter cum epistolis concremamini, nec me ulterius ad illa quæ fugi, revocare tentetis. Lib. 5 *Cœnob. inst.*, cap. 32.

JOAN. TRITH. 18. Usus litterarum ad hoc cognoscitur institutus, ut absentiam amicorum faciat esse præsentem. Epist. 18, *ad Domin. Bartholom.*

S. PETRUS DAMIANUS. 19. Jam se reprimens calamus cohibeat stylum, ne regulam brevitatis excedat epistolare compendium. Opusc. 34, cap. 9.

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 20. Brevis est epistola, sed multa respondendi materia. Lib. 6, epist. 3, *ad S. Bernard.*

21. Utinam sicut præsentem epistolam, ita vobis mentem mittere possem. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 22. Nunc expromam absens audacius, epistola enim non erubescit. Lib. 5, epist. 12, *ad Lucceium.*

23. Epistolæ offendunt, non loco redditæ. Lib. 11, *Epist. ad Brutum*, epist. 16.

PLINIUS II. 24. Nullas mihi epistolas mittis: nihil est, inquis, quod scribam. At hoc ipsum scribe, nihil esse quod scribas : vel solum illud, unde incipere priores solebant : si vales, bene est, ego valeo, hoc mihi sufficit, estque mihi maximum. Lib. 1, epist. 11, *ad Fabium Justum.*

SENECA. 25. Errat, si quis sperat responsum sibi, quem dilatione lassavit, expectatione torsit. Lib. *de Benefic.*, cap. 1.

26. Nunquam epistolam tuam accipio, ut non protinus una simus. Epist. 40.

27. Si imagines nobis amicorum absentium jucundæ sunt, quanto jucundiores sunt litteræ, quæ vera amici absentis vestigia, verasque notas afferunt? *Prosec.*

28. Nam quod conspectu dulcissimum est, id amici manus Epistolæ impressa præstat agnoscere. *Ibid.*

## ERROR.

S.ATHANAS. MAGNUS. *Etymologia.* Error dicitur ab eo quod obliquementem trahat. *De Definit.*

S. AUGUST. *Definitio.* Nihil est aliud errare, quam verum putare, quod falsum est, falsumque quod verum est : vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo, sive falsum, sive sit verum. In *Enchirid.*, cap. 17.

Error dicitur, quando aliud debet fieri, et aliud fit. Serm. 65, *ad Sororem.* S.BERNARD.

Quid est error? nescire quod rectum est. Homil. 10, super *Ecclesiasten.* HUGO A VICTORE.

Errare est a recta via deviare, et per devium ambulare. Super *Psalm.* CXVIII. HUGO CARD.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Nullus error, ubi simplex pietatis affectus, atque omnis fidelis est sensus. Super *Psalm.* XXXVII. S. AMBROS.

2. Nullibi periculosius erratur, quam cum de ultimo fine tractatur : parvus enim error in principio, maximus est in fine. Part. 4, tit. 11, cap. 4, § 2. S. ANTONIN.

3. Error est, cum sequimur aliquid, quod non ad id ducit, quo volumus pervenire : et quanto magis in via vitæ quis errat, tanto minus sapit. Lib. 2, *de Libero arbit.*, cap. 9. S. AUGUST.

4. Quædam acutissima et excellentissima ingenia tanto in majores errores ierunt, quanto præfidentius, tanquam suis viribus cucurrerunt. Epist. 52, *ad Macedonium.*

5. Nimis perverse seipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat : quanto enim melius et utilius, ubi ipse erravit, alii non errant, quorum admonitu errore careat, quod si noluerit saltem comites erroris, non habeat? Epist. 7, *ad Marcellin.*

6. Quæ est pejor mors animæ, quam libertas erroris? Epist. 166.

7. Nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum. In *Enchiridio*, cap. 17.

8. In quibus rebus nihil interest ad capessendum Dei regnum, utrum credantur an non, vel utrum vera sive sint, sive putentur falsa; in his errare, id est, aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum : aut si est, minimum esse atque levissimum. *Ibid.*, cap. 21.

9. Errores etiamsi peccata non sunt, tamen in malis hujus vitæ deputandi sunt : quæ ita subjecta est vanitati, ut approbentur hic falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. *Ibid.*

10. Laudator errans confirmat errorem, et adulans allicit in errorem. Lib. 2, *de Trinit.*, proœmio.

11. Errat quisquis putat veritatem posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat. *Prosec.*

12. Sicut in cognitione cavendus est error, sic in actione cavenda est nequitia. *De Agone christiano*, cap. 13.

13. Non est consequens, ut continuo erret quis-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

quis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire quod nescit. In *Enchiridio*, cap. 17.

14. Approbare falsum, erroris est proprium. *Ibid.*

15. Tanta est pernicies animorum, qui cum vincere homines volunt, ab errore convincuntur. *Contra Adimantum*, cap. 28.

16. Ipse erroris accipit crimen, qui errori communicat crimen. Lib. 3, *contra Julian.*, cap. 1.

17. Melius est errore non decipi, quam errantium laudibus honorari. Lib. 3, *de Anima et ejus origine*, cap. 1.

18. Interest quantum et in quibus erretur, et quam facile quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. *De Bono perseverantiæ*, cap. 21.

19. Errorem definire est facilius, quam finire. Lib. 1, *contra Academ.*, cap. 4.

20. Sapiens eris, si malueris errore non decipi, quam errantium laudibus honorari. Lib. 3, *de Anima et ejus orig.*, cap. 1.

21. Lædes me, si mihi tacueris errorem meum, quem forte inveneris in factis vel dictis meis. Epist. 15, cap. 2.

22. Dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore, quod utique potius erubescendum fuit. Epist. 48.

23. Homo non potest mentem vindicare ab erroribus, nisi Deus adsit lux mentium. Epist. 52.

24. Qui desperant se posse in catholica disciplina invenire quod quærunt, afferuntur erroribus. Lib. 1, *de Gen. contra Manich.*, cap. 1.

25. Hoc est erroris proprium, ut quod cuique displicet, etiam Deo displicere arbitretur. *Ibid.*, lib. 2, cap. 16.

26. Non omnis error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo, hæresis esse non possit. *De Hæresibus ad Quod vult deum.*

27. Quantum accedit finis mundi, crescunt errores. Tract. 25, super *Joan.*

28. Noli in homine amare errorem, sed hominem; hominem enim Deus fecit, errorem ipse homo fecit. Tract. 7, super *Epist. Joan.*

29. Jam grandes etiam Deo servientes, tentat error ut decipiat. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 16.

30. Error veritate pellendus est. *Ibid.*, lib. 6, cap. 1.

31. Ab omni errore veritas liberat, atque in omni errore falsitas implicat. *De Mendacio*, cap. 1.

32. A Dei contemplatione decidentes, magnis erroribus implicamur. *De Moribus Eccles.*, cap. 19.

33. Solus liber fit, qui errorem vincit. Lib. 4, *de Musica*, cap. 6.

34. Erroris præoccupatio impedit veritatis intelligentiam. Lib. 2, *de Nuptiis*, cap. 23.

35. Nunquam errari tutius existimo, quam cum in amore veritatis et rejectione nimia falsitatis erratur. *De Mendac.*, cap. 1.

V. BEDA. 36. Errat facillime qui non curat, quo rectius pergat. In suis *Proverb.*, verbo *Errat.*

S. BONAV. 37. Prudentis est discernere, ubi contingit errare. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

38. Errare potero, hæreticus nunquam ero. Super *Sap.*, cap. VII.

39. Quanto nobilior est cognitio, tanto pejor est error. Lib. 2, *Compend Theolog. verit.*, cap. 35.

CASSIODOR. 40. Tribus modis provenire humanos constat errore cogitatione, facto, et dicto. Super *Psalm.* I, vers. 1.

41. Quid potest esse gravius, quam ibi errare, ubi et alterum possis extinguere? Super *Psalm.* V, vers. 9.

S. CYPRIAN. 42. Si non obtemperat error veritati, multo magis veritas non consentit errori. In *Sentent. episcopor. concilii Carthag.*, sent. 23.

DIONYS. C. & S. BONAV. 43. Modicus error in principio, magnus erit in fine. *De Fructuosa temporis deductione*, art. 1.

GRATIANUS. 44. Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? In *Decret.*, part. 1, dist. 83, can. *Quid.*

S. GREGOR. MAGNUS. 45. Error cum virtus creditur, difficilius emendatur. Lib. 32 *Moral.*, cap. 17.

46. Melius est, ne quisquam errore vulneretur, obsistere, quam vulneratus, qualiter sanari possit exquirere. Lib. 3, in *Registro*, indict. 12, cap. 35, epist. 35.

S. HIERON. 47. Erravimus juvenes, emendemus senes. Epist. 19, *ad Pammach. et Ocean.*

48. Errasse, humanum est; confiteri errorem, prudentis. Epist. 59, *ad Pammach.*

HUGO A S. VICTORE. 49. Error quanto manifestius agnoscitur, tanto citius reprobatur: occultus autem, dum foris speciem veritatis erexit, intus venenum falsitatis infundit. Lib. 1, *de Vanit. mundi.*

HUGO CARD. 50. Error nunquam stat, sed serpit. Super II, *Tim.*, cap. III.

S. INNOC. III. 51. Error, cui non resistitur, approbatur: et veritas, cum minime defensatur, opprimitur. Hab. in *Decretis Gratiani*, dist. 3, can. *Error.*

S. JOANNES CHRYSOST. 52. Ipsa res facit errare, quæ facit alterius errorem non cognoscere. Homil. 49, super *Matth. Oper. imperf.*

53. Non error diabolicus fecit homines malos, sed homines mali diabolicum sibi fecerunt errorem. *Ibid.*

54. Non error generat peccata, sed peccata errorem. *Ibid.*

55. Magnum sane et laudabile et misereri pauperibus, sed multo magis errantem ab errore revocare. Homil. 3, super I, *Cor.* in *Morali.*



56. Ea est erroris vis, ut sisti non queat, sed corrupto dogma semper profert. Homil. 8, super II, *Tim.*

57. Conditio erroris etiam nullo sibi obsistente consenescit ac defluit. Homil. 4, *de Laud. D. Pauli.*

JOAN. SAR. 58. Invalescentibus errorem tenebris, veritas evanescit, et virtutum radice succisa, seges germinat vitiorum, lumen rationis extinguitur, et totus homo casu miserabili fertur in præceps. Lib. 1 *de Nugis curial.*, cap. 1.

S. LEO I. 59. Magistri erroris existunt, qui veritatis discipuli non fuere. Epist. 10, *ad Flavian. Constantinopolit.*

60. Splendescit fidei puritas, cum ab ea sordes separantur errorum. Epist. 22, *ad Constantinopolit.*

S. PETRUS DAMIAN. 61. Licet error semper sit et ubique vitandus, tolerabilius tamen est si quis justificet peccatorem, quam si præjudicet innocentem. Opusc. 30, cap. 1.

62. Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? et Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 88, can. *Quid.*

SALVIANUS. 63. Multi in principio ex parvo errore cœpto, in pelagus erroris dilapsi et effusi sunt. *Contra Manich.*

S. VALER. 64. Quem amor tenet servandæ integritatis, ante omnia falsi ad se famam non admittat erroris. Homil. 1, *de Bono discipl.*

65. Superflue te putas ardui itineris, et viæ asperæ semitas tenere, si animæ impediaris errore. *Ibid.*, homil. 2, *de Arcta vita.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

66. Cujusvis hominis est errare; nullius autem, nisi insipientis, in errore perseverare. Orat. 54, *Philipp.* 12.

CICERO. 67. Simul atque editi in lucem sumus, in omni continuo pravitate, et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Lib. 3 *Tusc. quæst.*

68. Nemo sibi tantum errat, cum errat, sed alii erroris causa, et auctor est. *Prosec.*

SENECA. 69. Versat nos et præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. *De Beata vita*, cap. 1.

70. Cæci ducem quærunt, nos sine duce erramus. Epist. 50.

71. Cum singulorum error publicum fecerit, singulorum errorem facit publicus. Epist. 81.

72. Recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. Epist. 123.

Vide etiam tit. *Bonum*, sent. 54; *Desertio Dei*, sent. 1; *Fama*, sent. 17; *Gratia Dei*, sent. 22; *Peccatum in genere*, sent. 189; *Peccatorum defensio*, sent. 62; *Potestas in genere*, sent. 41; *Via*, sent. 56.

## ESSE.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Definitio.* Esse vere proprieque dicuntur, quæ nec intensione crescunt, nec detractione minuuntur, nec variatione permutantur: esse autem non habet contrarium, nisi non esse. Serm. 2, *Dom.* 5, *post. Trinit.*

BOETIUS. Esse est, quod ordinem retinet, servatque naturam: quod vero ab hac deficit, esse etiam quod in sui natura situm est, derelinquit. Lib. 4, *de Consol. philosoph.*, prosa 2.

S. THOMAS AQUINAS. Essentia est illud, cujus actus est esse. Part. 1, *Summæ*, quæst. 39, art. 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANSELM. 1. Essentia divina per se est id quod est, et per quam est quidquid vere aut bonum, aut magnum aliquid est: et quæ est summum magnum, summumque bonum, summumque Ens, sive existens, id est summum omnium quæ sunt. In *Monologio*, cap. 4.

2. Nec ille de quo est aliquis, potest esse ille qui de se est: nec ille qui de aliquo est, valet esse is de quo est. *De process. Spirit. Sancti*, verbo *Credunt.*

S. ANTONIUS DE PADUA. 3. Male esse, non est esse, et qui a vero esse cecidit, nihilum et inane potest reputari. *Prosec.*

4. Esse vere proprieque dicuntur, quæ nec intensione crescunt, nec detractione minuuntur, nec variatione permutantur: esse autem non habet contrarium, nisi non esse. Serm. 2, *Dom.* 5 *post. Trinit.*

S. AUGUST. 5. Verum est id quod est; quia quidquid est, verum est. Lib. 2, *Soliloq.*, cap. 5.

6. Considera quantum potes, quam magnum bonum sit ipsum esse, quod et beati et miseri volunt: nam si hoc bene consideraveris, videbis te in tantum esse miserum, in quantum non propinquas ei, quod summe est. Lib. 3, *de Libero arbitrio*, cap. 7.

7. Est una, atque summa essentia, ex qua est omne quidquid est, in quantum est: quia in quantum est, quidquid est, bonum est. *De vera Relig.*, cap. 11.

8. Non meo vel ingenio, vel merito, sed Dei dono sum, si quid laudabiliter sum. Epist. 62, *ad Macedonium.*

9. Sicut ab eo quod est sapere, dicta est sapientia, et ab eo quod est scire, dicta est scientia: ita ab eo quod est esse, dicta est essentia: et quis est, quam ille qui dixit famulo suo Moysi, *Ego sum, qui sum*? Lib. 15, *de Trinit.*, cap. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

10. Magna hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse : in quo enim est, procul dubio sine illo non est, et tamen si ejus non meminit, eumque non diligit, cum illo non est. *Ibid.*, lib. 14, cap. 12.

11. Esse duobus modis est in aliquo : uno, quo ita est, ut etiam se jungi, atque alibi esse possit ; altero autem, quo ita est aliquid in subjecto, ut ab eo nequeat separari. Lib. 2, *Soliloq.*, cap. 12.

12. Vide quam absurde illud dicatur : Mallem non esse, quam miser esse. Qui dicit, Mallem hoc quam illud, eligit aliquid ; non esse autem non est aliquid, sed nihil, et ideo nullo pacto potes recte eligere, quando quod eligas non est. Lib. 3, *de Lib. arbitr.*, cap. 8.

13. Hoc maxime esse dicendum est, quod semper eodem modo sese habet, quod omnimodo sui simile est, quod nulla ex parte corrumpi ac mutari potest ; id enim est quod esse verissime dicitur. *De Morib. Manich.*, cap. 1.

14. Nihil est esse quam unum esse : itaque in quantum quodque unitatem adipiscitur, in tantum est. *Ibid.*, cap. 6.

15. Ubi non ego, ibi felicius ego. *De Continent.*, cap. 13, super illud *ad Galat.* II : *Vivo autem, jam non ego.*

16. Non est ullus ulli medius locus, ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Lib. 1, *de Peccator. merit. et remiss.*, cap. 28.

17. Hæc est tota scientia magna hominis, scire quia ipse per se nihil est ; quoniam quidquid est, a Deo est, et propter Deum est. Super *Psalm.* LXX, conc. 1.

18. Ut homo sit aliquid, convertat se ad illum a quo creatus est : a quo habet ut sit, apud illum habet ut ei bene sit. Super *Psalm.* LXX, conc. 2.

19. *Ego sum, qui sum* : est enim vere est, et eo ipso quod vere est, sine initio et sine termino est. Super *Psalm.* CXXXIV., enarrat. vers. 3.

20. Homo aliud est quod est, aliud quod potest. Aliquando et est homo, et non potest quod vult : aliquando autem sic est homo, ut possit quod vult. Itaque aliud est esse ipsius, aliud posse ipsius : si enim hoc esset esse ipsius, quod est posse ipsius, cum vellet posset. *Prosec.*

21. Deus cui non est alia substantia ut sit, et alia potestas ut possit, sed consubstantiale illi est quidquid ejus est : et quidquid est, quia Deus est, non alio modo est, et alio modo potest, sed esse et posse simul habet, quia velle et facere simul habet. Tract. 20, super *Evang. Joan.*, cap. V,

22. O Domine Deus, quid est quod aisti : *Ego sum qui sum?* Numquid cœlum non est? numquid terra non est? numquid non sunt ea, quæ in terra et in cœlo sunt? numquid homo ipse, cui loqueris, non est? numquid angelus, quem mittis, non est ? Si omnia sunt hæc, quæ per te facta sunt, quid est quod tibi proprium quiddam tenuisti ipsum esse, quod aliis non dedisti, ut tu solus esses ? non quomodo audio, Ego sum qui sum, quasi alia non sint. *Prosec.*

23. Res ergo quælibet qualicunque excellentia, si mutabilis est, non vere est : non enim est ibi verum esse, ubi est non esse.

24. Quidquid enim mutari potest, mutatum non est quod erat : si non est quod erat, mors quædam ibi facta est ; peremptum est aliquid ibi quod erat, et non est. *Ibid.*, tract. 38, cap. 8.

25. Discute rerum mutationes, invenies, fuit, et erit : cogita Deum, invenies, est, ubi fuit et erit esse non possit. *Ibid.*

26. Tu es summum esse, a quo est omne esse ; quidquid enim est, a te est, quia sine te nihil est. In *Soliloq. animæ*, cap. 31.

27. Melius est carere esse, quam esse et perpetuo cruciari : nam non esse, cui posset obesse ignoro; sed habere esse et perpetuo cruciari, quid aliud est quam mortem sine morte semper habere ? *Prosec.*

28. Melius est non esse, quam cum esse perpetuo affligi; esse Dei gratia habere nos scimus, sed semper bene esse, omnino ignoramus. Serm. 26, *ad Fratr. in eremo.*

29. De gignente non absurde dicitur, hoc eum esse, quod est illud, quod ab eo gignitur. *De Immortal. animæ*, cap. 8.

30. Credimus ex uno Deo omnia esse quæ sunt. Lib. 1, *de Liber. arb.*, cap. 2.

31. Si ingratus es in eo quod esse vis, jure cogeris esse quod non vis. *Ibid.*, lib. 3, cap. 6.

32. Quanto amplius esse amaveris, tanto amplius vitam æternam desiderabis. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

33. Qui plus amat esse, quam odit miser esse, adjiciendo ad id quod amat, quod odit excludat. *Ibid.*

34. Qui eligit non esse, profecto se nihil eligere convincitur. *Ibid.*, cap. 8.

35. Omnes naturæ corruptibiles, omnino naturæ non essent, nisi a Deo essent : nec corruptibiles essent, si de illo essent ; quia hoc quod ipse est, essent. *De Naturæ bono*, cap. 10.

36. Natura nostra ut esset, Deum habet auctorem. Lib. 11, *de Civitate Dei*, cap. 25.

37. Tam porro nemo est qui esse nolit, quam nemo est qui non beatus esse velit : quomodo enim potest beatus esse, si nihil sit? *Ibid.*, cap. 26.

38. Deus rebus quas ex nihilo creavit, esse dedit, sed non summe esse, sicut ipse est : et aliis



dedit esse amplius, aliis minus. *Ibid.*, lib. 12, cap. 2.

39. Credibile est alicubi esse, quod hic non est; et aliquando fuisse, quod nunc non est. *Ibid.*, lib, 5, cap. 9.

40. Non essem, nisi esses in me. Lib. 1 *Conf.*, cap. 2.

41. Ero ipse tecum, quia et ut sim tu dedisti mihi. *Ibid.*, cap. 20.

42. Inspexi quæ infra te sunt, et vidi nec omnino esse, nec omnino non esse. Esse quidem, quoniam abs te sunt : non esse autem, quoniam id quod es, non sunt; id enim vere est, quod incommutabiliter manet. *Ibid.*, lib. 5, cap. 11.

43. Omnia vera sunt, in quantum sunt, nec quidquam est falsitas, nisi cum putatur esse, quod non est. *Ibid.*, cap. 15.

44. Mecum eras, et tecum non eram. *Ibid.*, cap. 27.

45. Omnes naturas quæ non sunt quod tu es, et tamen sunt, tu fecisti : et hoc solum a te non est, quod non est. *Ibid.*, lib. 12, cap. 11.

46. Priusquam essem, tu eras : nec eram cui præstares ut essem, et tamen ecce sum ex bonitate tua præveniente totum hoc quod me fecisti. *Ibid.*, lib. 13, cap. 1.

47. Me fecisti, ut de te mihi bene sit, a quo mihi est, ut sim, cui bene sit. *Ibid.*

48. Hoc maxime esse dicendum est, quod semper eodem modo sese habet. *De Moribus Manich.*, cap. 1.

49. Esse contrarium non habet, nisi non esse. *Ibid.*

50. Nulla essentia in quantum essentia est, aliquid habet contrarium : multo minus habet contrarium prima illa essentia, quæ dicitur veritas, in quantum essentia est. *De Immort. animæ*, cap. 12.

51. Omnis essentia non ob aliud essentia est, nisi quia est. Esse autem non habet contrarium, nisi non esse : unde nihil est essentiæ contrarium. *Ibid.*

52. Deus auctor essentiæ est. *De Morib. Manich.*, cap. 8.

53. Erubesco pingere quod sum, non audeo pingere quod non sum : odi quod sum, et non sum quod amo. Epist. 106.

54. Quis esses jam quidem acceperam, sed qualis erga me esses, nondum tenebam. Epist. 265.

55. Quidquid est, ex Deo ita est, ut ei debeat quod est. Lib. 4, *de Genesi ad litt.*, cap. 12.

56. Nemo a seipso esse potest. In *Enchirid.*, cap. 1.

57. Quia bonus est Deus, sumus : et in quantum sumus, boni sumus. Lib, 1, *de Doctr. christ.*, cap. 32.

58. Deus naturas essentiarum gradibus ordinavit. Sicut enim ab eo quod est sapere, vocatur sapientia : sic ab eo quod est esse, vocatur essentia. Lib. 12, *de Civit. Dei*, cap. 2.

59. Omne quod ad interitum tendit, ad non esse tendit. *Contra Epist. Manichæi*, cap. 40.

60. Quod vere est, incommutabile est. Tract. 2, super *Epist. Joan.*

61. Majoris miraculi est esse qui non erat, quam reviviscere qui erat. Tract. 8, super *Joan.*

62. Cum putamus nos aliquid esse, cum nihil simus, non solum non accipimus quod non sumus, sed amittimus quod sumus. *Ibid.*, tract. 1.

63. Dum sibi parcens, sibi blandiens, sibi per- S. BERNARD.
suadens homo, aliquid se esse existimat, cum nihil sit, jam ipse se seducit. Serm. 11, super *Qui habitat.*

64. Esse in Deo vere est, quod nec a Fuit præciditur, nec ab Erit expungitur, sed solum atque inexpugnabile remanet ei Est, et manet quod Est : nec Fuit sane tollit illi ab esse æterno, nec Erit Esse in æternum, ac per hoc sibi vendicat verum Esse, id est increabile, interminabile, invariabile. Serm. 31, super *Cant.*

65. Qui curat esse, nisi propter te, Domine Jesu, pro nihilo est, et nihil est : et qui esse vult sibi, et non tibi, nihil esse incipit inter omnia. *Ibid.* serm. 20.

66. Esse est nomen Dei; quia esse Dei, S. BONAV.
est omne illud quod in Deo est. Serm. 2, in *Hexam.*

67. Esse est nomen Dei manifestissimum et perfectissimum, et proprie proprium. *Ibid.*, serm. 11.

68. Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset? tunc ubi? nunc in se, quoniam sibi sufficit ipse. Lib. 1, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 17.

69. Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas, et manens causa. *Ibid.*, cap. 18.

70. Aliquid alicujus dicitur esse novem modis : per identitatem, ut essentia patris ; per creationem, ut creatura Dei; per profectionem, ut peccata filiorum dicuntur esse patrum ; per continentiam, ut quæ continet infernus ; per actionem ut occisio Cain ; per mysterium, ut baptismus Joannis ; per cultum, ut Deus Abraham ; per dationem, ut justitia Dei ; per acceptionem, ut justitia hominis. Super *Psalm* L.

71. Qui est principalius est nomen omnibus nominibus Dei, quæ de Deo dicuntur : totum enim in seipso comprehendit, velut quoddam pelagus substantiæ infinitum et interminatum. *De Septem itinerib.*, itin. 5, dist. 4.

S. CYRILLUS ALEX. 72. Proprium est divinæ naturæ, semper esse : quod autem semper est, omni principio et fine caret. Homil. 12, *de Festis Paschal.*

S. FULGENT. 73. Deus quod est, semper est : et sicut est, ita est. Non in se habet non esse posse, quod est; quia nec in se habet esse posse, quod non est. Epist. 6, *ad Theodorum*, cap. 4.

GLOSS. INT. 74. Non natura sumus, sed gratia. Super *Matth.*, cap. v.

S. GREGOR. MAGNUS. 75. Qui per ventura tendit ad esse, semper ex præteritis festinat non esse. Lib. 4 *Moral.*, cap. 2.

76. Res aliquod habet esse, peccatum vero esse nullum habet. Lib. 5, in 1 *Reg.*, cap. iv, super illud : *Ostendemus vobis rem.*

77. Nullus debet despici quod fuit, quia jam incipit esse quod non fuit. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 50, can. *Ferrum.*

S. GREGOR. NYSS. 78. Qui vere est, is vera vita est ; et hic cognitione non comprehenditur . *De Vita Moysis.*

S. HIERON. 79. Non consideremus quid aliquando fuerimus sed qui semper futuri simus. Super *Jonam*, cap. iii, super illud : *Et pervenit verbum ad regem.*

S. HILARIUS. 80. Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas, et manens causa, et naturalis generis proprietas. Lib. 7, *de Trin.*

81. Non ex compositis atque inanimis Deus, qui vita est, subsistit : neque qui virtus est, ex infirmis continetur : neque qui lux est, ex obscuris coaptatur : neque qui spiritus est, ex disparibus formabilis est. Totum in eo quod est, unum est. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 82. Deus essentialiter et proprie, et vere est, et in omni re, sive natura, sive essentia est, sine sui definitione, et in omni loco sine circumscriptione, et in omni tempore sine mutabilitate. Lib. 1, *de Sacram.*, part. 3, cap. 17.

HUGO CARD. 83. Homo ex se nihil est, si autem aliquid est, ex Dei munere est. Super *Sapient.*, cap. xi.

84. Sicut injusti peccant, dicendo se esse quod non sunt : ita aliquando justi, peccarent, si tacerent quod sunt. Super *Job*, cap. xxxii.

S. JOANNES CHRYSOST. 85. Quid vilius, quam hodie aliquid esse, cras vero desinere? Homil. 23, super *Matth. Oper. imperf.*

86. Tales esse, quales apparent, justorum est. Homil. 8, super II *Cor.*

S. JOAN. DAM. 87. Ex omnibus nominibus, quæ Deo tribuuntur, nullum æque proprium videtur, sicut Entis nomen : universum id quod est, tanquam immensum quoddam et infinitum essentiæ suæ pelagus complexu suo continet. Lib. 1, *de Fide orthodoxa*, cap. 14.

88. Excordes ac stolidi homines animo ita comparati sunt, ut ea quæ sunt, perinde ac si non sint aspernentur : ea autem quæ non sunt, perinde ac si sint amplectantur ac mordicus retineant. *Prosec.*

89. Qui eorum, quæ sunt, dulcedinem minime degustavit : is eorum, quæ non sunt, naturam perspectam habere non poterit. *de SS. Barlaam et Josaphat.*, cap. 2.

JOAN. TRITH. 90. Vera essentia non subjacet æstimationi : qui se æstimat esse quod non est, errat : et qui se reputat quod est, virtutem venalem portat. Lib. 2, *de Tent. religios.*, cap. 4.

91. Omnis qui non est quod esse debet, male est. Orat. 7, in *Conventu Abbat. habita.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 92. Etsi aliquid es, nisi tanto te humilies, quanto magnus es, perdes omnino quod es. *De Conflictu vitior. et virt.*

S. ISID. PEL. 93. Esse, quam videri præstantius est. Lib. 3, epist. 374, *ad Archont. Presbyt.*

LACT. FIRM. 94. Est, apparet aliquando cœpisse : nulla res esse in mundo sine exordio potest, et quia cœpit, apparet quandoque desitura. Lib. 2, *de Divin. inst.*, cap. 11.

S. LEO I. 95. Esse Deo quod est, semper æternum., semper est proprium. Epist. 93, *ad Turibium, episc. Asturiens*, cap. 5.

PETR. BLES. 96. Graviter decipiuntur, qui putant se aliquid esse, cum nihil sint. Epist. 107, *ad Amicum suum.*

S. PETRUS DAM. 97. Nunquam Deus mutatur de futuro esse in esse, vel de esse in fuisse ; sed semper idem est, et semper est quod est. Opusc. 36, cap. 15.

S. THOMAS AQUINAS. 98. Esse est ipsa natura Dei, quod nulli alii convenit : nihil de esse sibi deest, habet enim totum esse suum simul, quod de creatura, in quantum mutabilis est, dici non potest. Super I *Sent.*, dist. 8, quæst. 1, art. 1.

99. Aliquid dicitur esse in aliquid dupliciter ; uno modo secundum suam essentiam, alio modo secundum suam similitudinem; utroque autem modo creatura in Deo esse dicitur. *Ibid.*, dist. 36, quæst. 1, art. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 100. Omnes ea quæ sunt, alicubi esse existimant : quia id quod non est, nusquam est. Lib. 4 *Physic.*, text. 1.

101. Melius est esse, quam non esse. Lib. 2, *de Generat. et interitu*, cap. 10, text. 59.

102. Auctor primus est essentis, ex qua emanant reliquæ essentiæ ; et ob id proprie est superessentia. Lib. 12 *Theolog.*, cap. 19.

## ETYMOLOGIA.

S. ATHANAS. *Definitio.* Etymologia est, quæ vim nominis alicujus recte designat, et ex ipso sensu explicat. *De Definit.*



CASSIODOR. Etymologia est oratio brevis per certas assonationes ostendens ex quo nomine id quod quæritur venerit nomen. Super *Psalm.* v, vers. 1.

## EVAGATIO MENTIS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Exiguis momentis mens inclinatur humana, et huc atque illuc pro versutia suadentis frequenter impellitur. Lib. 4, super *Lucam*, cap. iv, in illud : *Jesus ductus est in desertum.*

S. ANTONIUS DE PADUA. 2. Animus distentus per multa, multis laceretur curis necesse est. Serm. 1 *Pentecost.*

S. BASILIUS MAGNUS. 3. Peculiaris hic morbus est desidis et ignavæ animæ, vigilante corpore insomnia videre. Apud *Div. Joan. Damasc.*, lib. 3 *Parall.*, cap. 55.

4. Habent morem hunc dæmones, ut faciendæ orationis tempore per speciosam scilicet aliquam laudabilis causæ alicujus simulationem nobis sedulo auctores sint, ut ab ea nos subducamus, ut quam salutem afferre nobis intelligunt, ab ea nos probabiliter abducant. *De Abdicat. rerum.*

V. BEDA. 5. Quanto mens fit divisa ad multa, fit minor ad singula. In suis *Proverb.*, verbo *Quanto.*

6. Quanto magis exterius mente quique vagando manent, tanto minus quæ sunt interna gustant. In *libro Regum*, quæst. 14.

7. Animus toties a nobis recedit, quoties ad appetenda terrena foris vagatur. Homil. super *Litanias majores.*

S. BERNARD. 8. Sæpe dum oro, non attendo quod dico : oro quidem ore, sed mente foris vagante, orationis fructu privor. *Prosec.*

9. Corpore sum interius, sed corde exterius, et ideo perdo quod dico : parum enim prodest sola voce cantare sine cordis intentione.

10. Propterea magna perversitas, imo magna insania est, quando cum Domino Majestatis loqui in officio præsumimus, et insensati aurem avertimus, et ad nescio quas ineptias convertimus cor.

11. Magna quoque insania et graviter vindicanda, cum vilissimus pulvis loquentem ad se audire dedignatur Creatorem universitatis. In *Medit.*, cap. 8.

12. Nihil in me corde fugacius quod quoties me per evagationes deserit, et per pravas cogitationes diffluit, toties Deum offendit. *Ibid.*, cap. 9.

13. Tanta est levitas mentis : aliud canto, et aliud cogito : in choro sum corpore, in aliquo negotio mente ; nunc intus maneo, nunc foras exeo. *De Inter. domo*, cap. 33.

S. BONAV. 14. Magna abusio est, habere os in choro, et cor in foro. In *Regula novit.*, cap. 1.

CASSIODOR. 15. Vix reperies ut oranti cuiquam non aliquod inane cogitationis incurrat obstaculum, et intentionem qua in Deum mens dirigitur declinet ac frangat. Super *Psalm.* ci, in procemio.

DIONYSII CARTHUS 16. Vile et fatuum est, et coram Deo ridiculosum, mundum et ea quæ mundi sunt corporaliter reliquisse, et tamen per mentis affectum, per cogitationes inanes, per incustodiam miseri cordis, mundum discurrere, et mundum intra se clausum tenere, ac per fœda et vana phantasmata distrahi. *De Profectu spirit.*, art. 14.

17. Evagatio mentis est in cogitatione. *De Perfect. charit.*, art. 14.

S. EPHRÆM. 18. Noli esse amator evagationis. Adhort. 4.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 19. Caveamus ne forte hic in solo corpore consistamus, et corda nostra probentur errare per sæculum. Homil. 4, *Epiphan.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 20. Ubi est quies et meditatio, ibi nec sollicitudo, nec evagatio. In suis *Opusc.* in admonit. ad fratres, cap. 26.

21. Pudere debet quemquam in vagationes nugatorias distrahi, cum tempore orationis magnum regem alloquitur. In suis *Opusc.*, oraculo 11.

GLOSS. INT. 22. Qui sponte negligens vagatur, mox a diabolo corrumpitur. Super *Genes.*, cap. xxxiv, in illud : *Egressa est Dina.*

S. GREGOR. MAGNUS. 23. Intentioni animæ, si exterior evagatio clauditur, interior secessus aperitur. Lib. 30 *Moral.*, cap. 9.

24. Dum mens per multa spargitur, stare in intimis fixa prohibetur. *Ibid.*, lib. 1, cap. 4, num. 4.

25. Mens sparsa in infimis jaces, quæ collecta si vellet, ad summa consurgeret. *Ibid.*, lib. 31, cap. 7, num. 9.

26. Quasi huic adhuc mundo vivimus, cum mente in eum vagamur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 5.

27. Quanto extra se inhians animus funditur, tanto amplius in internis obtutibus reverberatur. Lib. 22 *Moral.*, cap. 2.

28. Grave consilium cordis omnem inconstantiam vagationis expellit. *Ibid.*, lib. 19, super illud *Job* xxviii : *Quando ponebat pluviis legem.*

29. Nihil nobis vicinius corde nostro, et tamen cum per pravas cogitationes spargitur, longius evagatur. *Ibid.*, lib. 26. cap. 23.

S. GREGOR. NYSS. 30. Hominum mens, si passim diffunditur, perpetuo diffluit ac dissipatur : sed si undique sese collegerit, atque in se receperit, nihil impedimento erit, quo minus ad superiora feratur. *De Virginib.*, cap. 7.

HUGO A S. VICTORE. 31. Sunt quidam, qui mente vagi, attoniti oculis, habitu dissoluti, plana parietum prospicientes perlustrant, aliud cantant, et aliud cogitant. *Prosec.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

32. In choro sunt corpore, sed in foro mente : psalmodiæ verba proferunt, sed psalmodiæ sensum non attendunt. Lib. *de Claustro animæ*, cap. 22.

33. Non orat, sed subsannat potius, et ad iracundiam provocat Deum, qui cum ante conspectum ejus, quasi postulaturus, venerit, subito se ad alia, quæ nihil ad rem pertinere videntur, replicanda convertit. *De Modo orandi*, cap. 4.

HUGO CARD. 34. Diabolus statim atque videt animam extra se vagantem, diligit eam, rapit et corrumpit. Super *Gen.*, cap. XIX.

35. Qui in evagatione delectatur, sæpe fugit in mundum, etiam dum cantat in ecclesia. *Ibid.*, cap. 31.

36. Cor evagans ad exteriora, non potest laudare Dominum. Super *Psalm.* CII.

S. JOAN. CLIM. 37. Tria sunt, quæ vagam mentem stabilem faciunt, vigiliæ, meditatio et oratio; quarum assiduitas et jugis intentio, conferunt animæ stabilem firmitatem. Collat. 10, *Abbat. Isaac.*

38. Certa tota animi intentione, mentemque semper inquietam ac vagam infatigabiliter contine teipsum colligens. *Gradu* 4.

39. Si te semper exerceas, ut mens tua nunquam longius evagetur, etiam in ipsa mensæ appositione prope te erit oratio. Si autem effrenis libere vagari patieris, nunquam tecum permanere poterit. *Ibid.*, gradu 28.

LUDOVICUS BLOSIUS. 40. Etiam precatio illa, quæ cum distractione cordis peragitur, fructuosa est, et a Deo suscipitur : si modo is qui orat, patitur invitus hujusmodi distractionem. In *Brevi regula Tyronis*, verbo *Si inter*.

S. PETRUS CHRYSOL. 41. Nihil est præsentia corporalis, ubi fuerit mentis miseranda separatio. Serm. 82.

42. Non stat in consilio, impiis cogitationibus qui vagatur : iste modo fertur ad cœlum, modo fertur ad terras : jactatur per maria, levatur fluctibus, mergitur in profundo, et sua semper mente volutatur ut ebrius. *Ibid.*, serm. 44.

S. PETRUS MAUR. ABB. CLUNIAC. 43. Acediosus cellula clausus inter frequentias populorum discurrit, nundinas et angiportus sollicitus mercator oberrat. *Prosec.*

44. Fit ei requies tormentum, sessio labor, silentium pœna, clausura infernus.

45. Sic cæcatus lumine mentis, claususque tenebroso carcere, rursus ad molam inquietudinis redit. Lib. 1, epist. 20, *ad Gisbert.*

46. Difficile est mentem fusam per diversa, facile se recolligere posse : contractus enim terrenis actibus pulvis, non leviter a mentis oculis abstergitur. *Ibid.*, lib. 2, epist. 17, *ad Jordanum*.

THALASSIUS 47. Sensus naturæ sensibilibus afficitur : sed cum circa ea distrahitur, distrahitur et mens. *Hecatontad.* 2, sent. 42.

48. Coge sensus in mentis obsequium, et non des ipsis occasionem eam distrahendi. *Ibid.*, sent. 43.

S. THOMAS AQUINAS. 49. Si quis ex proposito in oratione, mente evagetur, hoc peccatum est, et impedit orationis fructum. 2, 2, quæst. 83, art. 13.

THOMAS A KEMPIS. 50. Nihil laboriosius, quam cor custodire ab evagatione et vitiosis imaginibus, ex sensibilibus rebus acquisitis. Serm. 13, *ad Novit. Divis.*

51. Vagus vage orat, levis leviter cantat. *Ibid.*, serm. 30, divis. 2.

52. Parvum fructum de multis verbis colligit, qui orando cor a pravis cogitationibus non præmunit. In *Hortulo rosar.*, cap. 12, sect. 5.

53. Non est leve peccatum, in præsentia Dei et Sanctorum, in choro vago corde stare. *De Discipl. claustr.*, cap. 8, sect. 5.

IN VIT. PAT. 54. Initium malorum est, distendere mentem. Lib. 5, libell. 2, *de Quiete*, num. 12.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 55. Animum cogo sibi intentum esse, nec avocari ad externa. Epist. 56.

## EVANGELIUM.

COLLECTOR. *Definitio.* Evangelium est annuntiatio gratiæ Dei peccatoribus resipiscentibus per Christum partæ, et efficaciter credentibus et Deum timentibus oblatæ ad vitam æternam.

Evangelium est Testamentum novum et æternum de gloria Dei, nostraque salute, quod cordibus nostris immediate aut mediate inscribitur a Christo.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Verbum salutis evangelicæ cum patientia defenditur, sine diffidentia prædicatur. Lib. 2, *contra Crescon.*, cap. 1.

2. Quæ unquam litteræ ullum habebunt pondus auctoritatis, si evangelicæ non habebunt? Lib. 33, *contra Faust.*, cap. 6.

3. Primarum vocum evangelizantium, infidelitas hominum causa extitit. Lib. 13, *Conf.*, cap. 21.

4. Fas non est Evangelistarum aliquem mentitum fuisse vel existimare, vel discere. Lib. 2, *de Consens. Evang.*, cap. 12.

5. Omnes Evangelistæ vera dicunt, nec sibi ullo modo contraria, si lector non hæretico animo accedat, sed fideli corde unde ædificetur, inquirat. Lib. 3, *contra Faust.*, cap. 5.

6. Hæretici Evangelium accusare non possunt ut non Christum honorent, sed ut decipiant christianos. *Contra Adimant.*, cap. 13.



7. Non oportet in parte credere Evangelio, et in parte non credere. *De Agone christ.*, cap. 22.

8. Fieri potest ut aliqui verum habeant Evangelium, quod non recte intelligendo falsa credant de Deo. *De Unico baptismo*, cap. 2.

9. Angelus propter Evangelium, quod nuntiavit hominibus, nuntius est. Lib. 18, *de Civ. Dei.*, cap. 35.

10. Inter funera martyrum, prædicatum est toto orbe Evangelium. *Ibid.*, cap. 50.

11. Omnes qui contra Christum portant signum Christi, et contra Evangelium, de ipso Evangelio, quod non intelligunt, gloriantur. Epist. 61.

12. Attendunt homines quanta celeritate Evangelium prædicatur, et non attendunt quanta perversitate contemnitur. Epist. 22.

13. Inter omnes divinas auctoritates, quæ sanctis litteris continentur, Evangelium merito excellit. *Prosec.*

14. Quod enim lex et Prophetæ futurum esse prænuntiaverunt, hoc completum in Evangelio demonstratur. Lib. 1 *de Cons. Evang.*, cap. 1.

15. Evangelium summum culmen auctoritatis obtinuit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 12.

16. In tribus Evangeliis activæ, in Joannis autem Evangelio dona contemplativæ virtutis elucent eis, qui dignoscere sunt idonei. *Ibid.*, lib. 4, cap. 10.

17. Auctoritas Evangelii hominum doctissimorum ingenia subegit. Lib. 3, *contra Faust.*, cap. 2.

18. Evangelium si aliud est præter id, quod sive per se, sive per aliquem Dominus dedit, jam nec Evangelium recte dici potest. In *Expos. Epist. ad Galat.*, cap. 1.

19. Evangelium quod secundum hominem est, mendacium est. *Ibid.*

20. Semper ante te habes quem sequaris, Dominus exemplum in terram posuit, cum Evangelium ibi reliquit, in Evangelio tecum est. Homil., cap. 9.

21. Cum caput tibi dolet, laudamus, si Evangelium ad caput tibi posueris. Tract. 7, super *Joan.*

22. Tota intentio cordis ad Evangelium feratur, nemo aliunde cogitet. *Ibid.*, tract. 12.

23. Christus pervenit ad nos ut loqueretur nobis Evangelium, ut perveniamus ad vitam æternam, ubi non nobis legatur Evangelium; sed ille qui modo nobis Evangelium dispensavit, appareat. *Ibid.*, tract. 22.

24. Nos sic audiamus Evangelium, quasi præsentem Dominum. *Ibid.*, tract. 30.

25. Quod in sancto Evangelio breviter dicitur, non breviter oportet exponi, ut quod auditur intelligatur : verba enim Domini pauca, sed magna sunt, non numero æstimanda, sed pondere. *Ibid.*, tract. 37.

26. Transgrediuntur homines Evangelium : etiam ad tales Dominus excitandos non dedignatur accedere. *Ibid.*, tract. 49.

27. Spiritales materno affectu, imitationem suam persuadentes, pariunt per Evangelium. *Annotat. in Job*, cap. 39.

28. Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas. *Contra Epist. Manich.*, cap. 5.

29. Non desunt adhuc ultimæ gentes, quibus Evangelium nondum fuerit prædicatum. *De Nat et gratia*, cap. 2.

S. BERNARD. 30. Evangelium ad hoc scriptum est ut legatur : nec ob aliud legitur, quam ut rationabilem consolationem, vel desolationem exinde capiamus. Serm. 1, *de Septem panibus*.

31. Evangelium speculum veritatis nemini blanditur, nullum seducit, talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit : ut nec ibi timore trepidet, ubi non est timor, nec lætetur cum male fecerit. *Ibid.*

32. Consecrasti os tuum Evangelio, nugis jam aperire illicitum, assuescere sacrilegum est. Lib. 2, *de Consider. ad Eugenium Pap.*

S. CYPRIAN. 33. Non potest Evangelium in parte consistere, et in parte nutare : aut utrumque oportet ut valeat, aut utrumque vim veritatis amittat. *De Lapsis.*

34. Martyres aut nihil possunt, si Evangelium solvi potest, aut si Evangelium non potest solvi, contra Evangelium facere non possunt, qui de Evangelio Martyres fiunt. *Ibid.*

35. Nunc Ecclesiæ jungitur, qui ab Evangelio separatur. *Ibid.*

DIONYSIUS CARTHUS. 36. Brevis differentia Evangelii et legis, est amor et timor. Super *Epist. Jacobi*, cap. 1, art. 1.

GILLEBERT. ANGLUS. 37. Evangelice ex toto loquere, qui vir evangelicus es. Serm. 16, super *Cant.*, apud S. Bernard., num. 5.

S. GREGOR. MAGNUS. 38. Quantum sanctum Evangelium Testamentum vetus præcellit, tanto et prædicatores ejus in descriptione prophetica præferri debuerunt. Homil. 16, super *Ezech.*, in illud : *Cumque aspicerem animalia.*

S. HIERON. 39. Divinis Evangelium vocibus consonat. Epist. 1, *ad Heliodor.*

40. Nunc etiam sacerdotes Dei omissis Evangeliis et prophetis, videmus comœdias legere, amatoris Bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium : et id quod in pueris necessitas est,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

crimen in se facere voluptatis. Epist. 24, *ad Damas. Pap.*

41. Hæretici evangelicam veritatem corrumpunt prava intelligentia, et sunt caupones pessimi, facientes de vino aquam. Lib. 1, super *Isaiam*, cap. 1, super illud : *Caupones tui miscent vino aquam.*

42. Quatuor sunt qualitates, de quibus sancta Evangelia contexantur : præcepta, mandata, testimonia, exempla : in præceptis justitia ; in mandatis charitas ; in testimoniis fides ; et exemplis perfectio. Super *Marc.*

43. Non putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu : non in superficie, sed in medulla : non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Lib. 1, super *Epist. ad Galat.*, cap. 1, in illud : *Notum vobis facio Evangelium.*

HUGO CARD. 44. Evangelium est ars medendi : pixides ejus sunt septem Ecclesiastica sacramenta : unguenta sunt virtutes, et dona electuaria sunt miracula et exempla. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXVIII.

S. INNOC. III 45. Prædicatio Jesu Christi in quatuor Evangelia derivatur. Serm. *de Evangelist.*

46. Sane sicut caput præeminet corpori, et ei cætera membra subserviunt : sic Evangelium toti Officio præcellit, et ei cæteræ partes intellectuali ratione consentiunt. Lib. 2, *Myster. Missæ*, cap. 47.

S. JOANNES CHRYSOST. 47. Evangelium est nuntium bonum. Homil. 8, super *Matth.*

48. Ubi est virtus Evangelii, in figuris litterarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis : si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa. *Ibid.*, homil. 43, in illud XXIII : *Dilatant phylacteria sua.*

49. Si in quacunque domo Evangelium est, illuc diabolus ingredi non audet. Quanto minus animam ei assiduis lectionibus familiarem, neque dæmon, neque peccatum attinget? *Prosec.*

50. Sanctifica igitur animam, sanctifica corpus : hoc continget, si Evangelium semper et animo habueris et lingua. Homil. 31, super *Joannem.*

51. Mel quamvis amarum sit ægrotantibus, natura tamen dulce est : sic et Evangelium boni odoris est, etiamsi qui pereunt increduli ; nec enim Evangelium facit, ut illi pereant, sed illorum amentia. Homil. 5, super III, *Cor.*

S. PETRUS DAMIANUS. 52. Cuncta sancti Evangelii præcepta crucem spirant, et ut crux post Christum portetur invitant. Opusc. 25, cap. 2.

S. PROSPER. 53. De Evangelio vivunt, qui nihil habere proprium volunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt, non suorum, sed communium possessores. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 14.

## EUCHARISTIA.

COLLECTOR. *Etymologia.* Eucharistia græca dictio est εὐχαριστία enim græce, latine gratiarum actio dicitur.

HUGO A S. VICTORE. Sacramentum corporis et sanguinis Christi dicitur propter sui excellentem virtutem Eucharistia, id est, bona gratia. *De Quæst. circa Epist.* I *ad Cor.*, quæst. 85.

S. REMIGIUS Sacramentum corporis Christi a communi cœna dicitur (cœnon quippe Græci dicunt commune), quia commune debet esse omnibus fidelibus et justis. Super I *ad Cor.*, cap. XI, can. 20.

CATECHISM. ROMANUS. *Definitio.* Eucharistia est sacramentum, quo verum Christi corpus, atque sanguis sub speciebus panis et vini continetur, nobis ut offeratur, adoretur, atque sumatur relictum.

S. JOAN. DAM. Eucharistia est communio, per quam cum Christo commercium habemus, ac carnem ipsius et divinitatem percipimus, atque adeo nos inter nos communicamus atque copulamur. Lib. 4, *de Fide orthodox.*, cap. 14.

S. THOMAS AQUINAS. Eucharistia est sacramentum unitatis ecclesiasticæ, quæ attenditur secundum hoc, quod multi sunt unum in Christo. Part. 3, *Summæ*, quæst. 82.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. 1. Minus digne communicat, qui in peccatis manens, eo fine accepit ut melior fiat. *Prosec.*

2. Nam ex sumptione Eucharistiæ nullus malus fit bonus, sed malus pejor efficitur, et bonus in bono roboratur : sicut febricitantem vinum necat, et sanum lætificat et confortat. Part. 2, *de Paradiso animæ*, cap. 24, *de Vitiis.*

S. AMBROS. 3. Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur : sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare, quod non erant? *De Mysteriis initiandorum*, cap. 9.

4. Vera caro Christi ibi est, quæ crucifixa est, quæ sepulta est, et vere carnis illius sacramentum est. *Ibid.*

5. In isto sacramento Christus est, quia corpus est Christi, non vero corporalis esca, sed spiritalis est : corpus enim Dei, corpus est spiritale ; corpus Christi, corpus est divini spiritus. *Ibid.*

6. Meus panis est usitatus, sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum : ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. *Prosec.*

7. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? consecratione : consecratio quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu.

8. Ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.



9. Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quod jam corpus est Christi. Lib. 4, *de Sacram.*, cap. 4.

10. Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur ; qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. *Ibid.*, cap. 6.

11. Qui vulnus habet medicinam requirit : vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cœleste et venerabile sacramentum. Lib. 5, *de Sacram.*, cap. 4.

12. Ne veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudinem quidem accipis sacramentum ; sed veræ naturæ gratiam, virtutemque consequeris. *Ibid*, lib. 6, cap. 1.

13. Quanta, Domine Jesu Christe, cordis contritione, et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate, et animi puritate, istud divinum et cœleste sacrificium est celebrandum? *Prosec.*

14. Ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summa imis junguntur.

15. Ubi adest præsentia sanctorum angelorum, ubi tu es Sacerdos et sacrificium mirabiliter et ineffabiliter constitutus.

16. Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? *Precat. ante Missam.*

17. Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit : sic vive, ut quotidie merearis accipere : qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Lib. 5, *de Sacram.*, cap. 4.

S. ANTONIN. 18. O pretiosum convivium, magnificum, salutiferum, et omni suavitate repletum ! *Prosec.*

19. Hoc purgantur peccata, virtutes augentur, et omnium charismatum abundantia mens impinguatur. Part. 3, tit. 14, *de Sacramentis*, cap. 1, § 5.

20. Quid melius corpore et sanguine Domini nostri? nihil in sacrificiis majus esse potest, nec ulla oblatio major reperitur. *Ibid.*, cap. 4.

S. AMBROS. 21. Cibus sum grandium, cresce et manducabis me : nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Lib. 7 *Conf.*, cap. 10.

22. Si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici corporis separare : faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. *Prosec.*

23. Ille honorando non audet quotidie sumere, et iste honorando non audet ullo die prætermittere : contemptum non vult cibus ille, sicut manna fastidium. Epist. 118, *ad Januarium*, cap. 3.

24. Solvere inaures timent, et corpus Christi cum signo diaboli accipere non timent. Epist. 73, *ad Possidium.*

25. Manna typus est escæ spiritualis, quæ resurrectionis Domini veritas facta est in Eucharistiæ mysterio. Ex *Quæst. veteris et novi Testamenti*, quæst. 95, part. 2, *de novo Testament.*

26. Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo nec reprehendo : omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit : nam habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 53.

27. Quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, et communicaturus satisfaciat lacrymis et orationibus, et confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus et securus : sed hoc de illo dico, quem capitalia et mortalia peccata non gravant. *Prosec.*

28. Nam quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, et ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium et condemnationem sui Eucharistiam percipere. *Ibid.*

29. Paveat quem vera delectat pœnitentia, ut non prius ad Domini corpus accedat, quam confortet illum conscientia bona. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 15.

30. Corporis et sanguinis Christi sacrificium, successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Lib. *de Civit. Dei*, cap. 20.

31. Sicut Judas, cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo præbuit : sic indigne quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Lib. 5, *de Baptismo*, cap. 8.

32. Vis ut Deus det se tibi? quid si quod vis habere, non vult ipse ut habeas, ut se tibi det? impedimenta removet, ut intret ad te. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 4.

33. Quidquid mihi præter Deum est, dulce non est : quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, et se mihi det. Super *Psalm.* XXVI, enarrat. 2, vers. 14.

34. Nemo Christi carnem manducet, nisi prius adoraverit. Super *Psalm.* XCVIII, vers. 5.

35. Christus est panis vivus, qui de cœlo des-

crimen in se facere voluptatis. Epist. 24, *ad Damas. Pap.*

41. Hæretici evangelicam veritatem corrumpunt prava intelligentia, et sunt caupones pessimi, facientes de vino aquam. Lib. 1, super *Isaiam*, cap. 1, super illud : *Caupones tui miscent vino aquam.*

42. Quatuor sunt qualitates, de quibus sancta Evangelia contexantur : præcepta, mandata, testimonia, exempla : in præceptis justitia ; in mandatis charitas ; in testimoniis fides ; et exemplis perfectio. Super *Marc.*

43. Non putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu : non in superficie, sed in medulla : non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Lib. 1, super *Epist. ad Galat.*, cap. 1, in illud : *Notum vobis facio Evangelium.*

HUGO CARD. 44. Evangelium est ars medendi : pixides ejus sunt septem Ecclesiastica sacramenta : unguenta sunt virtutes, et dona electuaria sunt miracula et exempla. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXVIII.

S. INNOC. III 45. Prædicatio Jesu Christi in quatuor Evangelia derivatur. Serm. *de Evangelist.*

46. Sane sicut caput præeminet corpori, et ei cætera membra subserviunt : sic Evangelium toti Officio præcellit, et ei cæteræ partes intellectuali ratione consentiunt. Lib. 2, *Myster. Missæ*, cap. 47.

S. JOANNES CHRYSOST. 47. Evangelium est nuntium bonum. Homil. 8, super *Matth.*

48. Ubi est virtus Evangelii, in figuris litterarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis : si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa. *Ibid.*, homil. 43, in illud XXIII : *Dilatant phylacteria sua.*

49. Si in quacumque domo Evangelium est, illuc diabolus ingredi non audet. Quanto minus animam ei assiduis lectionibus familiarem, neque dæmon, neque peccatum attinget? *Prosec.*

50. Sanctifica igitur animam, sanctifica corpus : hoc continget, si Evangelium semper et animo habueris et lingua. Homil. 31, super *Joannem.*

51. Mel quamvis amarum sit ægrotantibus, natura tamen dulce est : sic et Evangelium boni odoris est, etiamsi qui pereunt increduli ; nec enim Evangelium facit, ut illi pereant, sed illorum amentia. Homil. 5, super III, *Cor.*

S. PETRUS DAMIANUS. 52. Cuncta sancti Evangelii præcepta crucem spirant, et ut crux post Christum portetur invitant. Opusc. 25, cap. 2.

S. PROSPER. 53. De Evangelio vivunt, qui nihil habere proprium volunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt, non suorum, sed communium possessores. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 14.

## EUCHARISTIA.

COLLECTOR. *Etymologia.* Eucharistia græca dictio est εὐχαριστία enim græce, latine gratiarum actio dicitur.

HUGO A S. VICTORE. Sacramentum corporis et sanguinis Christi dicitur propter sui excellentem virtutem Eucharistia, id est, bona gratia. *De Quæst. circa Epist.* I *ad Cor.*, quæst. 85.

S. REMIGIUS Sacramentum corporis Christi a communi cœna dicitur (cœnon quippe Græci dicunt commune), quia commune debet esse omnibus fidelibus et justis. Super I *ad Cor.*, cap. XI, can. 20.

CATECHISM. ROMANUS. *Definitio.* Eucharistia est sacramentum, quo verum Christi corpus, atque sanguis sub speciebus panis et vini continetur, nobis ut offeratur, adoretur, atque sumatur relictum.

S. JOAN. DAM. Eucharistia est communio, per quam cum Christo commercium habemus, ac carnem ipsius et divinitatem percipimus, atque adeo nos inter nos communicamus atque copulamur. Lib. 4, *de Fide orthodox.*, cap. 14.

S. THOMAS AQUINAS. Eucharistia est sacramentum unitatis ecclesiasticæ, quæ attenditur secundum hoc, quod multi sunt unum in Christo. Part. 3, *Summæ*, quæst. 82.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. 1. Minus digne communicat, qui in peccatis manens, eo fine accepit ut melior fiat. *Prosec.*

2. Nam ex sumptione Eucharistiæ nullus malus fit bonus, sed malus pejor efficitur, et bonus in bono roboratur : sicut febricitantem vinum necat, et sanum lætificat et confortat. Part. 2, *de Paradiso animæ*, cap. 24, *de Vitiis.*

S. AMBROS. 3. Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur : sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare, quod non erant? *De Mysteriis initiandorum*, cap. 9.

4. Vera caro Christi ibi est, quæ crucifixa est, quæ sepulta est, et vere carnis illius sacramentum est. *Ibid.*

5. In isto sacramento Christus est, quia corpus est Christi, non vero corporalis esca, sed spiritalis est : corpus enim Dei, corpus est spiritale ; corpus Christi, corpus est divini spiritus. *Ibid.*

6. Meus panis est usitatus, sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum : ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. *Prosec.*

7. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? consecratione : consecratio quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu.

8. Ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.



9. Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quod jam corpus est Christi. Lib. 4, *de Sacram.*, cap. 4.

10. Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur ; qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. *Ibid.*, cap. 6.

11. Qui vulnus habet medicinam requirit : vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cœleste et venerabile sacramentum. Lib. 5, *de Sacram.*, cap. 4.

12. Ne veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudinem quidem accipis sacramentum ; sed veræ naturæ gratiam, virtutemque consequeris. *Ibid*, lib. 6, cap. 1.

13. Quanta, Domine Jesu Christe, cordis contritione, et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate, et animi puritate, istud divinum et cœleste sacrificium est celebrandum? *Prosec.*

14. Ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summa imis junguntur.

15. Ubi adest præsentia sanctorum angelorum, ubi tu es Sacerdos et sacrificium mirabiliter et ineffabiliter constitutus.

16. Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? *Precat. ante Missam.*

17. Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit : sic vive, ut quotidie merearis accipere : qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Lib. 5, *de Sacram.*, cap. 4.

S. ANTONIN. 18. O pretiosum convivium, magnificum, salutiferum, et omni suavitate repletum ! *Prosec.*

19. Hoc purgantur peccata, virtutes augentur, et omnium charismatum abundantia mens impinguatur. Part. 3, tit. 14, *de Sacramentis*, cap. 1, § 5.

20. Quid melius corpore et sanguine Domini nostri? nihil in sacrificiis majus esse potest, nec ulla oblatio major reperitur. *Ibid.*, cap. 4.

S. AMBROS. 21. Cibus sum grandium, cresce et manducabis me : nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Lib. 7 *Conf.*, cap. 10.

22. Si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici corporis separare : faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. *Prosec.*

23. Ille honorando non audet quotidie sumere, et iste honorando non audet ullo die prætermittere : contemptum non vult cibus ille, sicut manna fastidium. Epist. 118, *ad Januarium*, cap. 3.

24. Solvere inaures timent, et corpus Christi cum signo diaboli accipere non timent. Epist. 73, *ad Possidium.*

25. Manna typus est escæ spiritualis, quæ resurrectionis Domini veritas facta est in Eucharistiæ mysterio. Ex *Quæst. veteris et novi Testamenti*, quæst. 95, part. 2, *de novo Testament.*

26. Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo nec reprehendo : omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit : nam habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 53.

27. Quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, et communicaturus satisfaciat lacrymis et orationibus, et confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus et securus : sed hoc de illo dico, quem capitalia et mortalia peccata non gravant. *Prosec.*

28. Nam quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, et ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium et condemnationem sui Eucharistiam percipere. *Ibid.*

29. Paveat quem vera delectat pœnitentia, ut non prius ad Domini corpus accedat, quam confortet illum conscientia bona. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 15.

30. Corporis et sanguinis Christi sacrificium, successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Lib. *de Civit. Dei*, cap. 20.

31. Sicut Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo præbuit : sic indigne quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Lib. 5, *de Baptismo*, cap. 8.

32. Vis ut Deus det se tibi? quid si quod vis habere, non vult ipse ut habeas, ut se tibi det? impedimenta removet, ut intret ad te. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 4.

33. Quidquid mihi præter Deum est, dulce non est : quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, et se mihi det. Super *Psalm.* XXVI, enarrat. 2, vers. 14.

34. Nemo Christi carnem manducet, nisi prius adoraverit. Super *Psalm.* XCVIII, vers. 5.

35. Christus est panis vivus, qui de cœlo des-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cendit : et qui in via reficit nos, in patria saturabit nos. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 13.

S. AUGUST. 36. In patria cœlesti quomodo Christus saturabit, qui in peregrinatione sic pascit? Super *Psalm.* CXLVII, exposit. vers. 3.

37. O sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum charitatis! qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat : accedat, credat, incorporetur ut vivificetur, hæreat corpori, vivat Deo, de Deo. Tract. 26, super *Evang. Joan.*, cap. 6.

38. In hac peregrinatione pignus nos consoletur, quia qui nos dignatus est oppignerare, multum paratus est dare : si talis est arrha, quid est cujus est arrha? *Ibid.*, tract. 32, cap. 7.

39. Hinc docemur, quam sit cavendum male, accipere bonum : multum quippe interest, non quid accipiat, sed quis accipiat : nec quale sit quod datur, sed qualis sit ipse cui datur. Nam et bona obsunt, et mala prosunt, sicut fuerint quibus dantur. *Prosec.*

40. Per bonum factum est malum, dum male accipitur bonum : et per malum factum est bonum, dum bene accipitur malum.

41. Quid ergo miraris si datus est Judæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo, cum videas e contrario datum Paulo angelum diaboli, per quem perficeretur in Christo? ita et malo bonum obfuit, malum bono profuit. *Ibid.*, tract 62, cap. 13.

42. Mensa omnipotentis quæ sit nostis, ubi est corpus et sanguis Christi : qui accedit ad talem mensam præparet animam suam. *Ibid.*, tract. 47, cap. 10.

43. Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens, credere non potest nisi volens. *Ibid.*, tract. 26, cap. 6.

44. Quam multi Eucharistiam de altari accipiunt et moriuntur, et accipiendo moriuntur! *Prosecutio.*

45. Nonne buccella Dominica venenum fuit Judæ? et tamen accepit, et cum accepit in eum inimicus intravit : non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. *Ibid.*, in illud, I *Cor.* II : *Judicium sibi manducat et bibit.*

46. *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Non ait Apostolus quia illa res mala est; sed quia ille malus male accipiendo, ad judicium accipit bonum quod accipit. *Ibid.*, tract. 6, cap. 1.

47. Cum ad vos accedo, non recedo unde procedo. *Ibid.*, tract. 69, cap. 14.

48. Confirmetur mens mea inter tanta mysteria dulcedine præsentiæ tuæ, sentiat te sibi adesse, et lætetur coram te. *Prosec.*

49. Ignis qui semper luces, amor qui semper ardes, dulcis Christe, bone Jesu, lumen æternum et indeficiens, panis vitæ qui nos reficis, et in te non deficis, quotidie comederis et semper integer manes.

50. Resplende mihi, accende me, illumina et sanctifica vas tuum, de malitia evacua, imple de gratia, et plenum conserva, ut ad salutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ, quatenus te manducando, vivam per te, perveniam ad te, et repausem in te. In *Manuali*, cap. II.

51. Deus cibus est, quem non minuit edacitas. Habet. in *Glossa ordin.* super I *Joan.*, cap. 1, in illud : *Deus lux est.*

52. Vivificum Dominici corporis sacramentum suscipere non renuas, quin potius illud avidissime quæras, fideliter comedas : cibus ille incomparabilis, ineffabilis est. Lib. 2, *De Visitat. infirm.*, cap. 4.

53. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est : tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit. *De Verbis Dom.*, serm. 28.

54. Corporis Christi sacramentum multi accipiunt, sed non omnes qui accipiunt hoc sacramentum, habituri sunt apud Deum etiam locum promissum membris ejus. *Ibid.*, serm. 58.

55. Corpus Christi manducare, refici est : sed sic reficeris, ut non deficiat unde reficeris. *Prosec.*

56. Sanguinem ejus bibere quid est, nisi vivere? manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, et integra est vita; tunc vita erit tibi corpus et sanguis Christi. *De Verb. Apost.*, serm. 2.

57. In Christi corpore vita nostra consistit; mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam : si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam. Serm. 1, *De tempore.*

58. Ut Panem angelorum manducaret homo, Dominus angelorum factus est homo. Serm. 9, *De Nativit.*

59. Unusquisque consideret conscientiam suam, et quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, prius orationibus, jejuniis, vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, et sic Eucharistiam præsumat accipere. Serm. 1, *Dedicat. Eccles.*

60. Si in arca sordibus plena vestis non mittitur pretiosa, qua fronte in anima, quæ peccatorum sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur? *Ibid.*

61. Nolumus omnia quæ dedit, si non dat seipsum qui omnia dedit. Hab. apud *D. Bonavent. Fer.* 4, *de Rogat.*

62. Manducare panem est in novo Testamento sacrificium christianorum. Lib. 17, *de Civ. Dei*, cap. 5.



63. Sacrificium corporis Christi dæmones fugat. *Ibid.*, lib. 22, cap. 8.

64. Secundum quemdam modum, sacramentum corporis Christi, corpus Christi est : sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est. Epist. 23.

65. Noster panis et calix, non quilibet, sed certa consecratione mysticus, fit nobis corpus Christi, non nascitur. Libro 20, *contra Faust.*, cap. 13.

66. Sacrificii caro et sanguis, ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur : in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur : post Ascensionem Christi per sacramentum memoriæ celebratur. *Ibid.*, cap. 21.

67. Scelera et crimina omnes vitare debent, qui accipiunt corpus Christi et sanguinem. Hom. 19, *ex* LIII *Hom.*

68. Lota facie corpore Christi et sanguine communicemus. *Ibid.*, hom. 28, cap. 5.

69. Eucharistia est quotidianus cibus. Norunt enim fideles quid accipiant, et bonum est eis accipere panem quotidianum, huic tempori necessarium. *Ibid.*, hom. 42, cap. 4.

70. Ut quid paras dentes et ventrem? crede, et manducasti. Tract. 25, super *Joan.*

71. Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse : fiant corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi. *Ibid.*, tract. 26.

72. Qui Christum manducant, vivunt in æternum, quia Christus est vita æterna. *Ibid.*

73. De uno pane et Petrus et Judas accepit : Petrus accepit ad vitam, Judas ad mortem. *Ibid.*, tract. 50.

74. Accipere sacramentum corporis et Sanguinis Domini et malus potest. Tract. super *Epist. Joan.*

S. BERNARD. 75. Bonum parat habitaculum Deo, cujus nec ratio decepta, nec voluntas perversa, nec memoria fuerit inquinata. Serm. 2, *Dedicat. Eccles.*

76. Vide ne ad illum immundus accedas. Serm. 2, *Paschæ.*

77. Christus unius horæ momento, ab ortu solis usque ad occasum, ab aquilone usque ad austrum præsto est omnibus in Eucharistia, unus in multis, idem in diversis locis. Serm. 1, *in Cœna Domini.*

78. Panis iste per excellentiam dicitur Eucharistia, id est bona gratia : in hoc enim sacramento non solum quælibet gratia, sed ille a quo omnis gratia, sumitur. *Ibid.*

79. Quid facis, homo indigne? quid facis, homo ingrate? adora devotius, et recole frequentius in sacramento altaris salutem mundi pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam. *Prosec.*

80. Si membrum Christi es, compatere capiti tuo : si frater Christi es, commorere fratri tuo.

81. Plange, dole cum gemitu et lacrymis super mortem pretiosam unigeniti Dei Patris.

82. Alioquin si non doles, si non plangis, si non compateris : deliras, degeneras, belluam sapis, lethargiam pateris, hominem diffiteris. *Ibid.*

83. Gratulare, sponsa, gaude incomparabiliter, præsidentem habes et rectorem sponsum in præsentis exilii militia : pignus habes, arrham tenes, quibus feliciter sponso uniaris in patria. *Prosec.*

84. Gloriosa et amabilis sponsa, in terra sponsum habes in sacramento, in cœlis habitura es sine velamento : et hic et ibi veritas, sed hic palliata, ibi manifesta. *Ibid.*

85. Vitulus saginatus, integre ac perfectus, agnus anniculus, plenus et immaculatus, cum omni suavitate, dulcissimo sapore, gratissima jucunditate percipitur, et sumptus non consumitur : cibus enim vitæ est, qui de cœlo descendit. *Ibid.*

86. Potesne æstimare quale, vel quantum est hoc Sanctum sanctorum, et sacramentum sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? *Prosec.*

87. Hæc sunt vere festa paschalia, hæc sunt gaudia et fercula vitalia justorum, hæc sunt spirituales deliciæ Sanctorum. *Ibid.*

88. Hostia, quam vides, jam non est panis, sed caro mea, quæ pependit in cruce pro mundi vita. *Prosec.*

89. Sane mutatio ista, benedictionis opus est, non originis : virtus hoc facit, non usus : effectus est potentiæ, non usus naturæ : dignatio est, non ratio : misericordia est, non miseria : non commune, sed solum : divinum est, non humanum : pietatis sacramentum, non deitatis detrimentum.

90. Hic perest physicale nutrimentum : cibus iste non est ventris, sed mentis : non enim datus ad ruinas hujus vitæ, sed ad æternam vitam animæ conferendam : iste est panis angelorum, qui nescit putrescere, non vadit in secessum, sed tendit in excelsum. *Ibid.*

91. Mira sunt, fratres, quæ de sacramento isto dicuntur fides est necessaria, scientia rationi supervacua : scientia ratione et intellectu colligitur, fides sola auctoritate inducitur. *Ibid.*

92. Odor, species, sapor, pondus remanent ad mysterii ritum, et ad gustus suffragium, ut horror penitus tollatur, et meritum sortiatur. *Prosec.*

93. Etenim ne humana infirmitas esum carnis, et potum sanguinis in sumptione horreret, Christus velari et palliari illa duo voluit speciebus panis et vini, quæ inter humani generis victualia quodammodo tenent principatum. *Ibid.*

94. Sic corpus et sanguinem suum sumenda

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proposuit, ut sensus in uno foveretur, in altero fides ædificaretur. *Prosec.*

95. Fovetur enim sensus in uno, dum solita tantum et consueta prospicit : ædificatur fides in altero, dum oculo carnis vidente aliud exterius oculus cordis aliud sentit et reveretur interius : aliud enim latet, aliud patet.

96. Tria in sacramento altaris attendere debes: speciem panis, veritatem carnis, virtutem gratiæ spiritualis : usque ad speciem, panis, sensus pertingit exterior; ad veritatem carnis, fides interior; ad virtutem gratiæ spiritualis, charitas superior. *Ibid.*

97. Corpus Domini sine dubio est vita illis, quibus Christus est vita : illis vero mors est, qui per culpam et negligentiam membra sunt diaboli. Serm. 28, *ad Sororem.*

98. Quicunque ad mensam Christi sedere voluerit, non sine lacrymis accedat; et si accesserit, saltem sine gemitu non recedat. In prologo Serm. *de Cœna Dom.*

99. Hoc sacramentum potens est peccata consumere, debellare obvias potestates, inferre cœlis revertentes de terra. In *Vita S. Malachiæ*, verbo *Mortua.*

S. BONAV. 100. Sine Eucharistia, vel manducatione corporis Domini, non est salus. Super *Joannem*, cap. VI, in illud : *Nisi manducaveritis.*

101. Magnificum et mirificum, rarum et mellificum ac salvificum prandium, quod apponit Dominus suis electis, scilicet seipsum verum hominem et Deum. Collat. 89, super cap. XXI, *Joan.* super illud : *Venite, prandete.*

102. Sicut magna est unio escarum ad sumentem, quia carni et sanguini sumentis unitur : sic nos mirabiliter unimur esca corporis Christi. Serm. 4, *in Cœna Domini.*

103. Cibus sum grandium, ait Augustinus, id est grandis gratiæ. *Ibid.*

104. O quantum peccatum reputares, si corpus Christi cani daretur : et certe tu luxuriose, tu invide, tu avare, sordidior es quolibet cane et fœtidior. Serm. 5, *Dom.* 2 *Quadrag.*

105. Illo fervore et devotione corpus Jesu accipere debes de altari, qua illud corpus accepit Joseph de cruce. Serm. 3, *Dom. in oct. Paschæ.*

106. Quotidie corpus suum dat Christus pro te offerendo, quanta putas dabit in cœlo, qui tanta dat in mundo? Serm. 4, *in Rogat.*

107. Mensa divinæ refectionis præparatur, corpus Christi hic vere manducatur, in quo nobis divinitas propinatur. *De Septem donis Spirit. S. in specie.* de dono scientiæ, cap. 3, *Prosec.*

108. Ex cujus manducatione resurrectio nobis promittitur, vita æterna speratur, janua cœlestis aperitur. *Ibid.*

109. Quanto alimenta spiritualia plus sumuntur, tanto plus appetuntur. *Ibid.*

110. Nihil est quod ita gratam mentibus præstet refectionem, sicut panis Eucharistiæ. *Ibid.*

11. O qualis refectio, ubi dapifer Christus, pincerna Spiritus sanctus. *Ibid., de Dono Sapientiæ*, cap. 11.

112. Heu! quot hodie sunt sacerdotes miseri, et suæ salutis improvidi, qui corpus Christi in altari velut carnes pecudum manducant, et involuti atque contaminati abominationibus, de quibus fas non est dicere, sceleratis manibus, et pollutis labiis contingere non verentur, et osculari Filium Dei et Mariæ Virginis unigenitum! Tales non sunt sacerdotes, sed sacrilegi : non Christiani, sed hæretici : profecto si fidem rectam haberent, aut peccare timerent, aut celebrare cessarent. *De præpar. ad Missam*, cap. 4.

113. Cave ne nimis tepidus et inordinatus accedas, et inconsideratus : quia indigne sumis, si non accedis reverenter, circumspecte et considerate. *Ibid.*, cap. 5.

114. Accedere indigne, horrendum est judicium : non accedere ex notabili negligentia, vel contemptu, damnabile est. *Ibid.*

115. Cum sacerdos est absque peccato mortali, et in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, et non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, seipsum medicina et remedio. *Ibid.*

116. Tria requiruntur in eo, qui Eucharistiam suscepturus est : corporalis munditia, puritas conscientiæ, actualis devotio. *In Fasciculario*, cap. 74.

117. Habeas reverentiam et timorem : terribilis enim est hæc mensa, ad quam cum debita reverentia et congrua vigilantia, necesse est accedas. *Ibid.*

118. Cogita quod iste quem tu sumis, erit Judex tuus. *Ibid.*

119. Corpus Christi est ægris medicina, peregrinantibus via; debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem conservat. Lib. 9, *Comp. Theolog. verit.*, cap. 15.

120. Per Eucharistiam sit homo mansuetior ad correctionem, potentior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, promptior ad obedientiam, devotior ad gratiarum actionem. *Ibid.*



121. Indigna communio peccatis hominem illaqueat, damnationem præparat, proximum scandalizat, mentem excæcat, tentationi subjugat, Deum irritat, vitam temporalem breviat, gratuitis spoliat. *Ibid.*

122. Gaude, o felix anima, quod potes esse tanti hospitis hospita. In *Soliloq.*, cap. 1.

S. CÆSARIUS ARELAT. 123. Unica et perfecta hostia fide æstimanda est, non specie : nec exteriori censenda visu, sed interiori aspectu. Homil. 7.

CASSIODOR. 124. Cibus iste non dentibus manditur, sed animæ aviditate devoratur. Super *Psalm* LXIV.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 125. Panis et vinum Eucharistiæ ante sacram invocationem adorandæ Trinitatis, panis erat et vinum merum; peracta vero invocatione, panis quidem fit corpus Christi, vinum autem sanguis Christi. *Cateches. Mystagog.* 1.

126. Ne consideres tanquam panem nudum, et vinum merum; corpus enim est et sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. *Prosec.*

127. quamvis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem judices quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio esse tibi donatum corpus et sanguinem. *Ibid., Cateches. Mystagog.* 4.

DIONYSIUS CARTHUS. 128. In Eucharistia splendet ac innotescit excellentissima Christi dilectio, summa dignatio, pietas maxima, misericordia infinita. Super *hymn. Corporis Christi, ad Laudes.*

S. EPHRÆM. 129. Pretiosus calix tremendi sanguinis Christi lumine ac vita plenus, nobis ecce præsto est, tanto propinquior, quanto qui accesserit fuerit purior. *De Extremo judicio.*

130. Potissimum participatione immaculatorum nos mysteriorum dignos exhibeamus, ut mente nostra sordidis cogitationibus purgata, in nobis inhabitet Dominus. Epist. *ad Joan. monach.*

S. EUSEBIUS CÆSAR. 131. O nobile convivium, in quo sub panis et vini specie, totus Christus Deus et homo sumitur! *Prosec.*

132. O comestio delicatissima, in qua omnis saporis et odoris est suavitas, omne delectamentum, omnis medicina, omnis sustentatio, omnis requies, necnon et omne quod desiderari potest. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

S. EUSEBIUS EMISS. 133. Vere unica et perfecta hostia, fide est æstimanda, non specie : nec exterioris censenda visu, sed interioris affectu. Homil. 5, *de Pascha.*

134. Tu cum ad reverendum altare salutari cibo, potuque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus et sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu suspice, et maxime haustu interiore assume. *Ibid.*

135. Eucharistiæ sacra susceptio, non in quantitate, sed in virtute consistit. *Ibid.*

136. Si quiete corpus cibum suum futurum cum ipso vermium esca accipit, cum quanta pace et tranquillitate anima accipere debet cibum vitæ, qui est Deus? In suis *Opusc.*, oraculo 16. S. FRANC. ASSISIAS.

137. Si hic cibus est animæ, sine quo languet et marcescit, cur non quotidie ad mensam, in qua proponitur cunctis, cuncti sedere et manducare desiderent? *Prosec.*

138. Qui itineris fatigatur molestia, plus cibi indiget refrigerio : cum omnes viatores sumus, et ad patriam pergimus, cur pretioso et sapidissimo cibo confortari non appetamus?

139. Si sæpius hunc panem, ut decet, sumeremus, magis in via virtutis proficeremus, et ad destinatam nobis patriam robustius pergeremus. In suis *Opusc.*, serm. 7.

140. Quantum debet esse sanctus et justus et dignus, qui non moriturum, sed in æternum victurum et glorificatum, in quem desiderant angeli prospicere, contrectat manibus, corde et ore sumit, et aliis ad sumendum præbet! In suis *Opusc.* epist. *ad Sacerdotes.*

141. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat et cœlum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus Filius Dei vivi. *Prosec.*

142. O admiranda altitudo : o stupenda dignatio! o sublimitas humilis! quod Dominus universitatis Deus, et Dei Filius, sic se humiliat, ut pro nostra salute, sub modica panis formula se abscondat. *Ibid.*

143. Ut panem angelorum manducaret homo, S.FULGENT. Creator angelorum factus est homo, utrosque pascens et integer permanens. *Prosec.*

144. Quam bonus panis, qui et angelos pascit per speciem, ut de ipso satientur in patria : et nos pascit per fidem, ne deficiamus in via!

145. Ille panis, qui seipsum dat angelis ad gaudium stabilitatis : seipsum dedit hominibus ad remedium sanitatis : et qui est angelorum esca, nobis factus est medicina. Lib. 2, *de Nativit.*

146. Virtus Eucharistiæ fugitur in vi amoris. GLOSS. ORD. Super *Esther.*, cap. 1.

147. Exemplo Judæ filium hominis tradit, qui illud inviolabile Dominici corporis sacramentum violare præsumit. Super *Luc.*, cap. 22, in illud : *Ecce manus tradentis me.*

148. Eucharistia digne sumentibus est vitæ spiritualis solatium et indigne sumentibus judicium. Super *Joan.*, cap. VI.

149. Quid prodest corpus et sanguinem Christi S. GREGOR. MAGNUS. ore percipere, et ei perversis moribus contraire? Homil. 22, super *Evang.*

150. Etsi iniqui sacramentum Eucharistiæ ore percipiunt, virtute sacramenti nequaquam replen-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tur. Lib. 2, in I, *Reg.*, cap. I *Exposit. Moralis*, super illud : *Repleti prius pro panibus.*

151. Quid est hoc loco se probare, nisi evacuata peccatorum nequitia, se probatum ad Dominicam mensam, et purum exhibere? *Ibid.*, super illud I *Cor.* XI : *Probet seipsum homo.*

152. Cibus electæ animæ, persona est Redemptoris. *Ibid.*, cap. II, super illud : *Sed quicunque.*

153. Salutis fructum non percipiunt in comestione salutaris hostiæ, qui ea quibus se repleverant flagitia, portant in mente. *Ibid.*, cap. I, super illud : *Repleti prius pro panibus.*

154. Quis fidelium habere dubium potest, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoddam ex visibilibus atque invisibilibus fieri? Lib. 4, *Dialogi*, cap. 58.

**S. GREGOR. NYSS.** 155. Propterea nobis seipsum comedendum proponitis, qui vere est : ut cum ipsum in nobisipsis acceperimus, illud fiamus, quod ille est. Homil. super *Ecclesiasten*.

**S. HIERON.** 156. Caro Verbi, et sanguis, qui est in carne, non unam habet gratiam; sed est et suavis iis qui diligunt amabilis. *Ibid.*

157. Nihil quietius, nihil purius, nihil denique pulchrius ea mente esse debet, quæ in Dei habitaculum præparanda est. Epist. 4, *ad Celantiam.*

158. Utinam omni tempore jejunare possimus, ut Eucharistiam absque condemnatione nostri, et pungente conscientia, semper accipere possimus. Epist. 28, *ad Lucinium.*

159. Dominus Jesus, ipse conviva et convivium est : ipse comedens, et qui comeditur. Epist. 28, *ad Hedibiam*, quæst. 2.

160. Nullus unquam divinis expletur epulis nec aliquando patitur de satietate fastidium : tanto unusquisque capacior, tantoque avidior erit, quanto inde plus hauserit. Epist. *ad Demetriad.*

161. Veraciter fame conficitur, quisquis cœlesti pane satiari non meretur. In *Orat. Hierem.*, super illud : *Pellis nostra quasi clibanus.*

162. Nihil ita vescentis animum roborat, quomodo panis vitæ. Lib. 1, super *Ezech.*, cap. 4.

163. Vultis scire quis sit iste fructus? Virgo de Virgine, Dominus de ancilla, Deus ex homine, Filius ex matre, fructus ex terra. *Prosec.*

164. Christus flos Mariæ, fructus factus : ut nos illum comederemus, ut nos manducaremus carnem ejus. Super *Psalm.* LXV, vers. penult. : *Terra dedit fructum suum.*

165. Quidam sane dicunt, quod non indignum, sed indigne accipientem revocet a sancto : si ergo etiam dignus indigne accedens, retrahitur, quanto magis indignus, qui non potest accipere digne? Super I, *ad Cor.*, cap. II, in illud : *Quicunque manducaverit panem hunc.*

**S. HILARIUS.** 166. De veritate carnis et sanguinis non relictus ambigendi locus; nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est. Lib. 8, *de Trin.*

**HUGO A S. VICTORE.** 167. Sicut in pane et vino, plena et principalis refectio corporum est; sic in hoc sacramento, plena et principalis est refectio animarum. *De quæst. circa epist.* I *ad Cor.*, quæst. 88.

168. Per edulium carnis Christi, venitur ad gustum divinitatis. *Ibid.*, quæst. 146.

169. Carnem assumptam Jesus nobis in edulium proposuit, ut per cibum carnis ad gustum invitaret divinitatis. Lib. 2, super cap. I, *Cœlestis Hierarch.*, super illud *Isai.* LIII : *Vere languores nostros.*

170. Accedo ad humilem elatus, iratus ad mitem, crudelis ad misericordem : et tamen patitur humilis elatum, mitis iratum, crudelem misericors. *Prosec.*

171. Accedo servus ad Dominum, non amore, sed timore, non devotione, sed usu.

172. Accedo ad Dominum, cujus percussi servum; ad Patrem accedo, cujus occidi filium. Percussi, occidi exemplo : nec tamen pertimesco Dominum, nec revereor Patrem.

173. Appropinquo ad osculum pacis, qui prius reconciliatus accedere debuissem ad osculum fratris. Lib. 2, *de Claustro anim.*, cap. 23.

174. In ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cœli aperiuntur; in illo Jesu Christi mysterio angelorum chori adsunt, summis ima sociantur, terra cœlestibus jungitur, unum ex visibilibus atque invisibilibus fit. Lib. 3, *de Anima*, cap. 50.

175. Vera caro Christi est, quam forma panis opertam in sacramento sumimus, et verus sanguis Christi, quem sub vini specie, ac sapore potamus. *Ibid.*

176. Christus in sacramento per partes manducatur, et manet integer : totus in cœlo, totus in corde tuo; totus in fracto, totus in integro; tantum est in exiguo, quantum constat esse in toto. *Prosec.*

177. Nihilominus habent singuli, quam universi, totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt, quia non in specie, vel quantitate sacramenti est gratia, sed in veritate Christi. *Ibid.*

178. Communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consentione factorum. Sicut Judas, cui Dominus buccellam tradidit, non malum accipiendo, sed bonum male accipiendo, locum in se præbuit diabolo : sic indigne quisque accipiens, locum in se præbet diabolo. *Ibid.*



179. Venit Christus invisibilis, venit occultus, venit incomprehensibilis; venit ut tangat te, non ut videatur a te : venit ut admoneat te, non ut comprehendatur a te : venit non ut totum infundat se, sed ut gustandum præbeat se : non ut impleat desiderium, sed ut trahat affectum : primitias quasdam porrigit suæ dilectionis, non plenitudinem exhibet perfectæ satietatis. In *Soliloquio, de Arrha animæ.*

180. Magnus est honor, magna securitas, magna gloria, Deum in se habere habitatorem. Serm. 2, *de Dedicat. Eccles.*

181. Si detestandus esset Sacerdos, qui accederet ad altare sine vestibus : quam detestandus, quam horrendus est, qui accedere præsumit cum vitiis et sine virtutibus? Quid prodest ornari vestibus, nisi ornemur et virtutibus. *Prosec.*

182. Sicut igitur non audemus accedere ad altare sine vestibus, sic non præsumamus accedere ad altare sine vestibus, sic non præsumamus accedere sine virtutibus. Serm. 14, de divers.

183. Ipsa Eucharistia, id est bona gratia, hostia sacra et divinissima vocatur, quoniam divinos facit, et participes divinitatis eos, qui se digne participant. Lib. 2, *de Sacram.*, part. 8, cap. 8.

184. Tanta est dignitas in Eucharistia corporis Christi, ut nec corruptione aliqua affici possit, nec sordibus maculari. *Ibid.*, cap. 12.

**S. IGNATIUS MART.** 185. Panis (scilicet Eucharisticus) pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Jesum Christum, medicamentum purgans vitia, et omnia pellens mala. Epist. *ad Ephes.*

**S. JOANNES CHRYSOST.** 186. Sicut corpus indiget sensibili cibo, ita et anima quotidiana spiritualium ciborum refocillatione. Homil. 10, super *Gen.*

187. Quanto plures Eucharistiæ sunt participes tanto plus substantiæ illius accrescit. *Ibid.*, homil. 45.

188. Eucharistiæ sacramentum, pacis sacramentum est. Homil. 51, super *Matth. Oper. perf.*

189. Dæmoniaco multo pejor est, qui peccati sibi conscius ad sacram Eucharistiam accedit. *Prosec.*

190. Qui indigne adeunt, æternis tradentur tormentis. *Ibid.*, homil. 83.

191. Nullus communicet, nisi ex discipulis sit, nullus impuro animo, sicut Judas, panem assumat, ne similia patiatur. *Ibid.*

192. Si quis venerit cum sordibus ignoranter, nulla culpa est. *Ibid.*

193. Quod de manu sacerdotis porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus tribuendum : quia non solum sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, et sanctificat accipientem. Homil. 17, super *Matth. Oper. imperf.*

194. Qui manducat de spirituali convivio, impletur Spiritu sancto, dilatatur sensibus, nutritur in veritate, pinguescit in fide, et acquirit sibi vitam æternam. *Prosec.*

195. Qui ab hoc convivio spirituali longe fuerit factus, evacuatur Spiritu sancto, angustatur sensibus, deficit a veritate, distillat a fide, et novissime cadit in mortem. *Ibid.*, homil. 41.

196. Sacrificium Eucharistiæ, quod est christianorum, tollendum est ab antichristo, confugientibus christianis ante eum per loca deserta, et non erit qui aut in ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. *Ibid.*, homil. 49.

197. Ex latere Christi mysteria ortum habent; ut quoties ad sumendum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas. Homil. 85, super *Joan.*

198. Qui sacratæ hujus cœnæ indigno participatur accubitu, non cum Petro perveniet ad salutis portum, sed sustinebit cum Juda sine reparatione naufragium. Serm. 1, *in Feria* 5 *Passionis.*

199. Habebit debitam cum proditore pœnam, qui ad Eucharistiæ bonum malam attulerit conscientiam. *Ibid.*

200. Ad terribilem mensam cum debita reverentia, et cum congrua vigilantia invitamur. Nullus ibi Judas reperiatur, nullus malignus accedat, nullus veneno pungatur. *Prosec.*

201. Nullus fictus accedat, nullus fucato animo tantis audeat mysteriis proximare, ne condemnetur et sententiam mereatur : et quod Judas sustinuit, patiatur.

202. Nam in illum post communionem mensæ diabolus intravit, non quia contempserat Dominicum corpus, sed quia impudentia ejus et malignitas mentis, ut adversarius in eo habitaret, effecit. Homil. *de Prodit. Judæ.*

203. Nemo sit Judas in mensa, hoc sacrificium cibus spiritualis est. *Prosec.*

204. Nam sicut corporalis cibus, cum ventrem invenerit adversis humoribus occupatum, et amplius lædit, magis nocet, et nullum præstat auxilium : ita et iste spiritualis cibus, si aliquem repererit malignitate pollutum, magis eum perdet, non sua natura, sed accipientis vitio.

205. Pura igitur mens in omnibus, pura cogitatio, quia sacrificium purum est. *Ibid.*

206. Merito nostræ reconciliationis causa hoc sacrificium constitutum est : et si sacrificii præcepta contempseris, sacrificii remedium sentire

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non poteris. Comple illud, cujus causa sacrificium factum est, ut sacrificio perfruaris. *Ibid.*

207. Quemadmodum cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihilque superfluit; sic puta mysteria consumi corporis Christi substantia. Serm. *de Eucharistia.*

208. Quemadmodum corpus Eucharisticum, unitum est Christo : ita et nos per hunc panem unione conjungimur. Homil. 24, super I *Cor.* in illud v : *Et panis quem frangimus.*

209. Quod Christus in cruce passus non est, id in Eucharistia patitur, et propter te frangi sustinet, ut omnes satiet. *Ibid.*

210. Quidnam est panis? corpus Christi : quid autem fiunt qui accipiunt corpus Christi? non multa, sed unum corpus. *Ibid.*, in illud x : *Quoniam unus panis*, et unum corpus.

211. Quemadmodum frigida accessio periculosa est, ita nulla mysticæ illius cœnæ participatio, pestis est et interitus. *Ibid.*, in *Moral.*

212. Hæc mensa, animæ vis est, nervi mentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra. *Ibid.*

213. Absterge ab omni sorde animam tuam, præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. *Ibid.*

214. Si animæ puritatem et vitæ rectitudinem habueris, semper accedere poteris ad sacram synaxim. *Ibid.*, homil. 28.

215. Cum sis religiosus, audes accedere et contrectare corpus Christi, cum animam habeas sordidam? tu sordido vaso nolles uti, anima vero sordida accedis. *Prosec.*

216. Adstat mensa regia, adsunt angeli mensæ hujus ministri, adest rex ipse, et tu oscitabundus ades : si vestibus indutus es mundis, recumbe et communica. Serm. 3, super *Epist. ad Ephes.*, in *Moral.*

217. Non est audaciæ sæpius accedere ad Dominicam mensam : sed indigne accedere : etiam si semel tantum quispiam toto vitæ tempore accedat, magnæ temeritatis est et audaciæ. Homil. 5, super I *Timoth.*, in *Moral.*

218. Tu cum carnalem cibum sumpturus accedis, os et faciem et manus lavas : cum vero ad spiritualem mensam accessurus es, animam lavare dissimulas, atque immunditia plenus accedis. *Ibid.*

219. Considera ne tu sis reus corporis et sanguinis Christi : Judæi sanctissimum corpus jugularunt, tu vero polluta suscipis anima post tot beneficia. Homil. 60, *Ad Populum Antiochenum.*

220. Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. *Ibid.*

221. Quod angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem hoc nos, pascimur, huic nos unimur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. *Ibid.*

222. Dæmonium patiente pejor est, qui postquam peccavit, accedit. *Ibid.*

223. Mensa spirituali frueris, mensa regia; et rursum luto corpus contaminas : ungis unguento, et fœtore rursum imples. *Ibid.*, homil. 61.

224. Magnus est iste panis, qui replet mentem et non ventrem : iste panis et noster est, et angelorum : iste panis manducatur, et integer manet, de ipso comedimus, inde vivimus, inde pascimur, inde nutrimur, inde pervenimus. Homil. *de Grat. Dom.* in illud : *Panem nostrum quotidianum.*

225. Reverenda ac salutaria illa mysteria, quæ in omni Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est gratiarum actio, nuncupantur. Homil. 26, super *Matth.*

226. Si fœteat os, ne cibum quidem una capere sustines : at cum tantus fœtor sit in anima dic mihi, audes communicare mysteriis? Homil. 9, super II *Cor.*, *in Moral.*

227. Non munditia animi, sed intervallo temporis longiore, constare meritum putas, summamque arbitraris reverentiam esse, si non sæpius cœlestem illam adeas mensam. *Prosec.*

228. Ignoras quoniam indigne accedere, etiamsi semel tantum fiat, te supplicio tradit : digne vero etiamsi sæpe accedas, salutem inde conquiris? Homil. 5, super I *Tim.*, in *Moral.*

229. Non est audaciæ, etc. Vide supra, sent. 247.

230. Angeli sunt præsentes cum timore et tremore, ipse autem accedis oscitans et pigrescens. Homil. 27, super *Epist. ad Hebr.*, in *Moral.*

231. Tanquam leones ignem spirantes, ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles. Homil. 61, *ad Popul. Antioch.*

232. Semetipsum nobis commiscet, et non fide tantum, verum et ipsa nos suum efficit corpus. *Ibid.*, homil. 60.

233. Quot nunc dicunt, vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta. Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta videre cupis? ipse vero tibi concedit, non tantum videre, verum et manducare, et tangere, et intra te suscipere. *Prosec.*

234. Ideo accedat nemo cum nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes ferventes et excitati. *Ibid.*

235. Non parva pœna proponitur indigne sumentibus : itaque considera ne tu sis reus corporis et sanguinis Christi. *Ibid.*



236. Oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, et cum terra nihil habere commune. Homil. 24, super I *Cor.*

S. JOANNES DAMASC. 237. Summo cum metu, et pura conscientia, fideque haudquaquam dubia accedamus, diique efficiamur. Lib. 4, *de Fide Orthodoxa*, cap. 14.

JOAN. GERS. 238. Credendum est plane, quod Eucharistiæ sacramentum continet in se plenitudinem omnis gratiæ et meriti spiritualis : nihilominus quoad satisfactionem pro reatibus culparum, constituit hoc sacramentum Deus in numero, pondere et mensura, ita ut sit valoris finiti. De *Orat.*, verbo *Loquimur*, part. 8.

JOAN. TRITH. 239. Sacra communio digne sumpta, omnem dæmonis enervat potestatem. Lib. 1, *de Tent. religios.*, cap. 6.

S. IRENÆUS. 240. Quando et mixtus calix, et factus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostræ substantia. Lib. 5, *advers. Hæres.*, cap. *Traductis.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 241. Qui scelerate vivunt, et communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari; discant nihil ad emundationem sibi proficere, sed ad condemnationem. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 22, sent. 7.

242. Eligendi sunt aliqui dies, quibus prius homo continentius vivat, quo ad tantum sacramentum dignus accedere possit. Lib. 1, *de Offic. Eccles.*, cap. 18.

243. Caro Christi esca sanctorum. Super *Gen.*, cap. 31.

S. LAURENT. JUSTIN. 244. Noli tu Judam imitari; noli Dominum tuum, atque teipsum venumdare in peccatis; noli ita de Dei bonitate præsumere, ut de te præsumendo cadas atque intereas : quod ordinatum est sancte, sanctificatus accipe, ut sanctificeris adhuc. *Prosec.*

245. Eo ad Eucharistiam percipiendam eris dignior, quo corde humilior, mente mundior, dilectione ferventior, virtutibus solidior, vita inventus fueris sanctior. *De Triumphali Christi agone*, cap. 4.

S. LEO I. 246. Multa nobis vigilantia laborandum est, ut cordis nostri receptaculum tanto hospite non sit indignum : itaque jugi oportet sollicitudine præcaveri, ne quid in nostris animis incompositum, ne quid inveniatur immundum. Serm. 4, *Quadrag.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 247. Nulla lingua exprimere, nullum cor comprehendere potest, quam ingentia bona homini proveniant ex pia perceptione sacramenti Eucharistiæ. In *Speculo spirit.*, cap. 12.

248. Quando ad sacram cœlestemque mensam, in qua Christus vere sumitur, es accessurus, religiosa mente recolas charitatem illam stupendam, qua ipse Dominus Deus noster pro nobis pati morique voluit. Lib. 1, *Enchirid. parvulor.*, document. 12.

249. Tota Trinitas inhabitat ipsum corpus Christi, quia tota divinitas in eo est. In *Instit. spirit.*, cap. 8.

250. Qui fruitur Deo, satietatem nescit : quantoque magis eum gustaverit, ac ederit, tanto plus esurit. Homil. 16. S. MACHAR. ÆGYP. SEN.

251. Communicare non times corpus Christi, accedens ad Eucharistiam quasi mundus et purus, qui impurus es, quasi nihil in te sit indignum; et putas quod effugias judicium Dei? Homil. 2, in *Psalm.* XXXVII. ORIGENES.

252. Frequentia contemptum parit, et ex ipsa raritate crescit reverentia sacramenti. Epist. 86, *ad Alexandr. Carthus.* PETRUS BLESENS.

253. Hostia indigne accepta suscipientem damnat, non salvat : inquinat, non emundat. *Ibid.*

254. Qui Christi corpus indigne conficit, Christum tradit : ut Christus dum traditur, dicat : *Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Ibid.*, epist. 123, *ad Richard. Londonens. episcop.*

255. Damnabiliter peccat, qui ad corpus Christi cum felle conscientiæ pravæ, et cum aceto iniquitatis accedit. Perfidus judæus, perfidus christianus : ille de latere, iste de calice sanguinem Christi fundit. *Prosec.*

256. Nonne potius antichristianus est, quam christianus judicandus, qui quantum in se est, Christum jam factum impassibilem, ita tractat indigne, ita probris afficit, ita crudeliter interimit, et sepelit inhoneste? *Ibid.*

257. Quicunque ad altare Domini accedit inquinatus luxuria, juxta filium Virginis idolum ponit Veneris. *Prosec.*

258. Qui sacra illius sacramenti verba ore immundo profert, in faciem Salvatoris spuit.

259. Cum in os immundum sanctissimam carnem ponit, eam quasi in lutum platearum projicit.

260. Ad suum judicium ad hoc sacramentum accedit, qui adhuc alienæ cuticulæ tactu hilarescit, qui æstibus vitiorum inardescit. *Ibid.*, serm. 38.

261. Procul dubio hujus mensæ edacitas inculpabilis potius commendatur, quam condemnatur. *Prosec.* PETR. CELL.

262. Abstinere quidem culpa est, et pœna : absorbere vero, gloria et corona.

263. Num forte ibi formidas consumptionem, ubi omne bonum exundat consummationem?

264. Non parce est prandendum, ubi cibum invenis Deum.

265. Hodie si totum præsumpseris, totum cras sine dubio nihilominus habebis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

266. Totum diligendo, totum sumis, sed non consumis : sicut enim diligendo non vastatur dilectio, sic quanto a nobis sumitur Deus amando, nequaquam finitur ille, qui est vera dilectio.

267. Ventremne times onerare? imo abundanter accipe, si ventrem et mentem vis relevare : onera nostra tollit, non imponit : non in ventre tumor, non in venis excrescit superfluus humor.

268. Cor petit et sanat, cor implet et mundat, cor lustrat et illustrat.

269. Cibus iste vitam sine molestia parat, levamen sine gravamine, immortalitatem sine corruptione. *De Panibus*, cap. 2.

270. Eucharistia aut purgat, aut necat : si sanabilis es, curat te : si insanabilis, ægritudinem augmentat. *Prosec.*

271. Medicina est : si morbus curabilis est, apta medicinam ; qua si qualia oportet purgari, purgentur.

272. Qui enim sine reverentia, et sine delectu panem sanctum accipit, plus ei sua irreverentia obest, quam sibi sanctitas prodest. *Ibid.*, cap. 3.

S. PETRUS CHRYSOL. — 273. Nescit lassari, mori non potest, cui panis, cui vita Deus est. Serm. 166.

S. PETRUS DAMIANUS. — 274. Hæc est illa sublimis mensa, in qua Deus est et cibans, et cibus, munerans et munus, offerens et oblatum, conviva et convivium. Serm. 59, *de S. Nicolao*.

275. Frequens sanctæ Eucharistiæ susceptio est præsidium castitatis. Opusc. 47, cap. 2.

PHILO JUD. — 276. Cibus iste sine labore curaque hominum est : non e terra more consueto editus, sed coelitus exhibitus prodigiosa beneficentia. *De Congressu quærendæ*, etc.

S. REMIGIUS. — 277. Probet se, id est discutiat se homo, examinet se, et probabilem se reddat, utrum dignus sit, nec ne. Super I *Cor.*, cap. XI, can. 28.

278. Cum timore et tremore debemus accedere ad illud terribile sacramentum, ut sciat mens reverentiam se debere præstare ei, ad cujus corpus sumendum accedit. *Ibid.*, can. 29.

ROBERTUS BELLARM. — 279. Eucharistia cibus quidem est, sed sanorum, et benevolentium. Conc. 26, *Dom. Lætare* part. 1.

RUPERT. ABB. — 280. Eucharistiæ sacramentum est manna absconditum : quia videlicet in hoc sacramento aliud oculis cernitur, aliud fide intelligitur. Lib. 2, in *Apoc.*, cap. II, super illud : *Dabo manna absconditum*.

TERTULL. — 281. Caro Christi corpore et sanguine vescitur, ut mens de Deo saginetur. *De Resurr.*, cap. 32.

S. THOMAS AQUINAS. — 282. O pretiosum et admirandum convivium, salutiferum, et omni suavitate repletum ! *De Offic. corp. Christ.*

283. Nullum sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, et mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur. *Ibid.*, lect. 3.

284. Eucharistia excellentissimum est omnium sacramentorum. Super IV *Sent.*, dist. 8, art. 1.

285. Eucharistia sacramentum est charitatis. *Opusc.* 59, cap. 25.

286. Eucharistia miraculorum est ab ipso factorum maximum. *Opusc.* 57, lect. 3.

THOMAS A KEMPIS. — 287. O dulcissime et benignissime Jesu, quanta tibi reverentia et gratiarum actio cum perpetua laude pro susceptione sacri corporis tui debetur, cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur? Lib. 4, *de Imit. Christi*, cap. 2, sent. 2.

288. Si haberes angelicam puritatem, et S. Joannis Baptistæ sanctitatem, adhuc non esses dignus hoc sacramentum accipere, nec tractare. *Ibid.*, cap. 5.

289. Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, et sese honorum omnium participem efficit. *Ibid.*, cap. 5.

290. Cum tuam dignitatem, Domine, et meam vilitatem penso, valde contremisco, et in me ipso confundor. Si enim non accedo, vitam fugio : si indigne me ingessero, offensam incurro. *Ibid.*, cap. 5.

S. VINCENT. FERRAR. — 291. Corpus Christi est medicina tantæ virtutis, quod recipientem bene dispositum curat ab omni peccato. Serm. 2, *in die Paschæ*.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. — 292. Singulis partibus, unum adest et idem, quod a nulla parte abest, sive minor quidem illa sit, sive major, sive quomodocunque se habeat, et ubique simul est totum. Syzyg. 5, in *Dialogo Parmenidis*.

SENECA. — 293. Deus ad homines venit et quod propius est, in homines venit. Epist. 73.

## EXACTIO.

HUGO CARD. — *Etymologia.* Exactio est rei alienæ violenta, et importuna extorsio. Super *Isaiam*, cap. III.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. — 1. Publicus exactor caput est rapinæ, rex violentiæ, prædo sine timore, medicus exterminii, immanior furibus : nam fur laqueos legis timet, hic quidquid fecerit, legem vocat. *Prosec.*

2. Quis eo iniquior, qui verbis justitiam damnat, et armis innocentem spoliat, vulnerat, occidit? lege utique legem perimit, et dum alios urget ad legem, a lege decidit.



3. Officiali Cæsaris, nisi in omnibus acquieveris, Cæsari contradices. Part. 3, tit. 4, cap. 1, § 9.

S. AUGUST. — 4. Benignus exactor est, non egenus, qui non crescit ex redditis, sed in se crescere facit redditores. Epist. 45, *ad Armentarium*.

5. Ad compellendum non potest esse molestus exactor, quando ad reddendum devotus est debitor. *De Quinque hæres.*, cap. 1.

6. Quod exigit Deus, non sibi, sed tibi proderit, tibi servatur ; non hoc a te amat quod illum augeat, sed quod te ad illum perducat. Super *Psalm.* CII, vers. 2.

7. Non dixit Dominus, Nihil exigatis, sed Nihil amplius exigatis : unde intelligimus quod apud Deum, non tam exactio, quam exactio iniqua damnetur. *De Verb. Domini*, serm. 19.

8. Peccat qui exigit ultra debitum, non peccat autem qui exigit debitum. Lib. 19, *contra Faust.*, cap. 25.

9. Ubi charitas non est, amarus exactor est : ubi autem charitas est, et qui exigit dulcis est, et a quo exigitur. Tract. 9, super *Epist. Joan.*

S. BONAV. — 10. Ad debitam exactionem requiritur debita auctoritas, debita causa, et debita mensura. Super cap. II, *Luc.*, super illud : *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis.*

11. Ad hoc quod tributa debite exigantur, requiritur debita auctoritas et debita mensura. *Ibid.*, cap. 3.

FRANCISCUS TITELM. — 12. Dignus est omni potentia et fortitudine sua privari, qui illa male usus est ad oppressionem simplicium, quos defendere potius et juvare deberet. In *Elucid.*, super cap. XXXI, *Job.*

S. FULGENT. — 13. Cum pauperem quis premit, sibi gravissimum pondus imponit. Serm. *de Verb. Michæ.*

GLOSS. ORD. — 14. Vitium cupiditatis est, exigere velle quod cognoscis te non commodasse. Super *Deuter.*, cap. XXIII.

15. Diabolus exactor est, quotidie enim nummum peccati, quem primo homini commisit, a posteris cum usura exigit. Super *Isaiam*, cap. IX, in illud : *Et sceptrum exactoris superasti.*

S. GREGOR. MAGNUS. — 16. Exactor est, qui pecuniam homini commodavit, sed hanc cum usuris exigit. Lib. 4 *Moral.*, cap. 31, num. 41.

17. Domum pauperis confringit et nudat, qui eum, quem per potentiam conterit, spoliare quoque per avaritiam non erubescit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 12, num. 10, super illud *Job* XX : *Confringens nudavit domum.*

S. HIERON. — 18. Omnis iniquitas et oppressio, judicium sanguinis est : et licet gladio non occidat, voluntate tamen interficit. Lib. 10, super *Isai.*, cap. XXXIII, super illud : *Audite qui longe estis.*

HUGO CARD. — 19. Væ tibi, o princeps, qui injustas exactiones extorques a subditis, qui eis falsa imponis, ut eorum emungas marsupia. Super *Isai.*, cap. XXXIII, *Moral.*

20. Nullus hodie audet arguere prælatos de exactionibus eorum. *Ibid.*, cap. 41, *Moraliter.*

JOAN. SAR. — 21. Quid est publicanus? nonne caput rapinæ, et lex violentiæ? *Prosec.*

22. Quid est publicanus? prædo sine pudore, medicus exterminii.

23. Nonne immanior est furibus publicanus? Fur namque vel timens furatur, hic autem delinquit confidenter : fur laqueos legis timet, hic quidquid fecerit, legem putat : lex furem deterret ab illicitis, hic ad iniquum malitiæ suæ compendium legem trahit.

24. Quis eo iniquior, qui verbis justitiæ justitiam damnat, et armis innocentiæ spoliat, vulnerat, occidit innocentes? lege utique legem perimit, et dum alios urget ad legem, exlex est.

25. Nam sicut prætor etiam cum inique decernit; jus dicit, habito tamen respectu non ad id quod facit, sed ad id quod facere debet : sic et publicanus etiam cum delinquit, jus videtur implere, habita tamen officii, non malitiæ ratione. Lib. 6, *de Nugis curial.*

26. Quid est officium publicani? Ecce officium publicani, exigere et recipere quod statutum est ; quidquid autem amplius est, a malo exigentis est, et accipientis, non præbentis. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPAL. — 27. Pauperum oppressores tanto sciant se graviori dignos sententia, quanto prævaluerint his quibus nocere voluerint. *Prosec.*

28. Nam tanto atrocius futuro supplicio condemnandi sunt, quanto hic fortius contra miserorum vitam actionibus suis invaluerint. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 57, sent. 1.

29. Audiant judices, et qui præsunt populis, quia pro temporalibus molestiis, quas plebibus per exactiones ingerunt, æterno incendio cremabuntur. *Ibid.*, sent. 2.

PETRUS BLESENS. — 30. Devorat justum impius, rusticum curialis, exactor innocentem, simplicem fraudulentus. Epist. 75, *ad Henric. Anglor. regem.*

31. Isti sunt merguli, rapina piscium suam urgentes ingluviem : isti sunt sanguisugæ principum sitientes assidue, et bibentes sanguinem alienum. *Ibid.*

32. Non est ludus in oppressionibus pauperum, quæ non expiantur muneribus, nec eleemosynis redimuntur. *Ibid.*

SALVIANUS. — 33. Ad hoc honor a paucis emitur, ut cunctorum exactione solvatur : reddunt miseri dignitatum pretia, quas non emunt : commercium nes-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ciunt, et solutionem sciunt : ut pauci illustrentur, mundus evertitur. Unius honor, orbis excidium est. *Prosec.*

34. Sciunt hoc Galliæ devastatæ, sed non ab omnibus : et ideo in paucissimis adhuc angulis, vel tenuem spiritum agentes : quia eas interdum paucorum integritas aluit, quas multorum rapina seu exactio evacuavit.

35. Illud scelus quis digne eloqui possit, quod cum Respublica, vel jam mortua, vel certe extremum spiritum agens, in ea Galliæ parte, qua adhuc vivere videtur, tributorum vinculis, quasi prædonum manibus strangulata moriatur!

36. Inveniuntur plurimi divitum, quorum tributa pauperes ferunt : hoc est, inveniuntur plurimi divitum, quorum tributa pauperes necant.

37. Unde advertimus, quod nihil esse divitibus sceleratius potest, qui remediis suis pauperes perimunt : et nihil pauperibus infelicius, quos etiam illa, quæ pro remedio cunctis dantur, occidunt. Lib. 4, *ad Eccles. Catholic.*

38. Jam illud quale, quam sævum, quam familiare, quod se invicem homines exactione proscribunt? imo non invicem : nam hoc tolerabilius ferme esset, si pateretur quisque quod fecerat; sed illud gravius est, quod plurimi proscribuntur a paucis. *Prosec.*

39. Quibus exactio publica, peculiaris est præda, qui fiscalis debiti titulos faciunt quæstus esse privatos. Et hoc non summi tantum, sed pene infimi : non judices solum, sed etiam judicibus obsequentes.

40. Quæ sunt non modo urbes, sed etiam municipia atque vici, ubi non quot curiales fuerint, tot tyranni sunt? Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

41. Exactionis publicæ nomen, in quæstus proprii emolumenta vertitur. *Ibid.*

42. Vis summa exigit a subditis, ut aspirare ad libertatem velint; sed eadem vis posse non sinit, quæ velle compellit. Sed imputari his potest forsitan, quod hoc velint homines, qui nihil magis cuperent, quam ne cogerentur hoc velle. *Prosec.*

43. Summa enim infelicitas est, quod volunt : nam multo cum his melius agebatur, si non compellerentur hoc velle. Sed quid possunt aliud velle miseri, qui assiduum, imo continuum exactionis publicæ patiuntur excidium?

44. Quibus imminet semper gravis et indefessa proscriptio, qui domos suas deserunt, ne in ipsis domibus torqueantur : exilia petunt, ne supplicia sustineant; leviores his hostes, quam exactores sunt : et idcirco ad hostes fugiunt, ut vim exactionis evadant. *Ibid.*

45. Pauperculos homines tributa divitum premunt, et infirmiores ferunt sarcinas fortiorum. *Ibid.*

46. Quid iniquius esse, aut quid indignius potest, quam ut soli sitis immunes a debito? cunctos facitis per exactionem debitores? *Ibid.*

S. SYNESIUS, EPISCOPUS. 47. Tributis civitates exhaurire regium non est. *De Regno ad Arcadium imperat.*

48. Si rex ad ea contrahatur quæ necessaria sunt, eorum minime molestus exactor esse potest. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 49. Qui magna, et a quibus, et quæ non debent auferunt, ipsi sunt tyranni. Lib. 4 *Moral.*, cap. 1.

CICERO. 50. Tetrum spectaculum est, oppressa ab impiis civitas. Lib. 4, *Epist. ad Brutum.*, epist. 15.

SENECA. 51. Pecuniæ etiam male creditæ, exactio est. Lib. 4, *de Benef.*, cap. 39.

52. Sæpe opus est malis exactore, etiam bonis admonitore. Lib. 7, *de Benef.*, cap. 23.

Vide etiam tit., *Rapina*, sent. 18, 58.

## EXAMEN.

COLLECTOR. *Definitio.* Examen est accurata et diligens discussio conscientiæ propriæ, et recogitatio peccatorum.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Væ etiam laudabili vitæ, si remota misericordia, Domine, discutias eam. Lib. 9, *de Confess.*, cap. 13.

2. Unusquisque pro modulo suo audiat, et sicut sibi conscius fuerit, ita vel doleat, corrigendus, vel gaudeat approbandus. *Prosec.*

3. Si se deviasse invenerit, redeat ut in via ambulet : si se in via invenerit ambulet ut perveniat : nemo superbus sit extra viam, nemo piger in via. Super *Psalm.* xxxi, in præfat.

4. Deinceps caveat examinantis severitatem, qui clementiam subvenientis expertus est. Super *Psalm.* xxiv, vers. 2.

5. Nihil est quod sic quisque cogitare debeat, nisi ut in semetipsum oculos convertat; in se discat, se inspiciat, se discutiat, se quærat, et se inveniat : et quod displicet, necet : quod placet, optet et plantet. *De Verbis Dom.*, serm. 12.

6. Discutite vos semper sine dolo, sine adulatione, sine palpatione : non enim aliquis est intus tecum, cui erubescas, et jactes te : est ibi, sed cui placet humilitas, et ut ipse te probet. *De Verbis Apost.*, serm. 15.

7. Examinet se omnis homo, et quidquid in se boni invenerit, agat gratias illi, qui dedit : et agendo gratias illi, qui dedit, ab illo petat et quod nondum dedit. *Ibid.*, serm. 17.



8. O homo, discute mentem tuam, prospice singula secreta cordis : quid cor peccavit mala appetendo, oculus vanitatem videndo, os falsitatem dicendo, auris mendacia audiendo, manus verbera perpetrando. Serm. 30, *ad Fratr. in eremo.*

S. BASILIUS MAGNUS. 9. Pro certo habe, accuratum eorum, quæ quisque in vita gesserit, examen fore. Apud *D. Joan. Damasc.* lib. 1 *Parall.*, cap. 1.

S. BERNARD. 10. Qui perfecte examinando semetipsum intelligit, suo peccato nullius peccatum par esse existimat, quod non sicut suum intelligat. *De Vita solit.*

11. Mane præteritæ noctis fac a temetipso exactionem, et venturæ diei tu tibi indicito cautionem. *Prosec.*

12. Vespere diei præteritæ rationem exige, et supervenientis noctis fac indictionem : ut si quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum, suo modo, suo loco, suo tempore non abeat impunitum, vel irrecompensatum. *Ibid.*

13. Integritatis tuæ curiosus explorator sis, et vitam tuam in quotidiana discussione examina. *Prosec.*

14. Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias; qualis sis in moribus, et qualis in affectibus.

15. Attende quam similis sis Deo, vel quam dissimilis : quam prope, vel quam longe; non locorum intervallis, sed morum affectibus.

16. Redde te sibi, et si non semper vel sæpe, saltem interdum.

17. In te nihil remaneat indisciplinatum; statue te ante te, quam ante alium, et sic temetipsum plange. Lib. *Meditat.*, cap. 5.

18. Si non me inspicio, nescio meipsum : quanto me subtilius et sæpius discutio, tanto plures abominationes in angulis cordis mei invenio. *Ibid.*, cap. 12.

19. Ea quæ præ oculis habeo inspicio, nec gemo : erubescenda video, nec erubesco : dolenda intueor, nec doleo, quod est mortis signum, et damnationis indicium. *Ibid.*

20. Discute quid sis, quid fueris, quid esse debueris, quid esse possis : quid fueris per naturam, quid modo sis per culpas, quid esse debueris per industriam, quid adhuc esse possis per gratiam. *De Inter. Domo*, cap. 65.

21. Relinque cætera, et teipsum discute : per te curre, et in te consiste. *Ibid.*

22. O quam necessaria discussio, et quam miranda speculatio! tot animi virtutes, tot ejus exercitationes, tot ejus studia, vel merita præ oculis habere, et hujuscemodi contemplationi diutius inhærere. *Ibid.*

23. Omni die cum vadis cubitum, examina diligenter, quid cogitasti, quid dixisti in die, et quomodo utile tempus et spatium, quod datum est ad acquirendam vitam æternam, dispensasti. In *Notabili documento.*

S. DONAT. 24. Signum roboratæ et proficientis charitatis, est frequens et justa conscientiæ examinatio. *De Septem. itin. æternit.*, itin. 4, dist. 4, art. 2.

DIONYSIUS CARTHUS. 25. Quotidie ad minus semel conscientiam tuam diligenter examina. In *Exhort. ad novitios*, art. 2.

26. Statuta hora perge dormitum; et antequam eas ad stratum, recogita qualiter diem ipsum expenderis, quid boni in eo omiseris, quid mali commiseris. *Prosec.*

27. Examina quomodo singulas expenderis horas, an aliquem scandalizasti, aut offendisti : sicque coram Deo te increpa, sperne, humilia, plange, veniam pete, emendationem et satisfactionem propone. *Ibid.*

28. Religiosus quotidie discutiat conscientiam suam, et penset quid Deo promiserit, et quousque in via virtutum pervenerit. *De Profectu. spirit.*, art. 7.

S. EPHRÆM. 29. Vespere ingressus cubiculum cordis tui, examina temetipsum. *De Vita religiosa.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 30. Unusquisque conscientias nostras ante conspectum interioris hominis constituamus : ipsi nosmetipsos quotidiæ castigemus, ipsi nobiscum rationem de quotidiana conversatione faciamus. *Prosec.*

31. Alloquatur se in secretis cordis unaquæque anima, et dicat : Videamus si hanc diem sine peccato transegi : videamus si hodie aliquid quod ad profectum meum, quod ad ædificationem aliorum pertinet, operatus sum. Homil. *de Machabæis*,

S. GREGOR. MAGNUS. 32. Deum judicem tanto quis securius exceptat, quanto quotidie vitam suam suspectus examinat. Lib. 25 *Moral.*, cap. 5.

33. Amat judicium quisquis vias suas subtiliter discutit, et secretarium cordis ingressus, quid Dominus ipsi tribuat, quid ipse Domino debeat, pensat. *Ibid.*, lib. 24, cap. 13.

34. Debet uniuscujusque mens causas suas apud Dominum, et causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere. *Ibid.*, lib. 25, cap. 6.

35. Electi intra sinum cordis adversum se quid se impugnat, enumerant.

36. Unusquisque cum causam examinis conscientiæ suæ contra se aggredi cœperit, conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat, ipsemet est actor qui exhibet, ipse reus qui exhibetur : odit se qualem fuisse se meminit, et se per semetipsum insequitur. *Ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

37. Electorum est actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, et omne quod turbidum profluit ab intimis exsiccare. *Ibid.*

38. Mens nostra per momenta vivendi ipso curarum usu, a semetipsa permutatur, et non agnoscimus, nisi vigilanti custodia ad interiora nostra residentes, profectus nostros quotidie defectusque pensemus. *Prosec.*

39. Sui negligens, et propositum robur insensibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis, dum nescit, senescit. *Ibid.*, num. 7.

40. Ad corda nostra redeamus, discutiamus omne quod agimus, et quidquid in nobis divinæ rectitudinis regulam offendit, accusemus, ut apud districtum judicem ipsa nos accusatio excuset. *Prosec.*

41. In hoc mentis nostræ judicio tanto citius absolvimur, quanto nos districtius reos tenemus.

42. Nec ad hæc agenda prætermittenda sunt tempora, quibus vacat : quia ad hæc agenda post hujus vitæ tempora non vacat. *Ibid.*, cap. 7.

43. Revocemus ante oculos mentis quidquid errando commisimus; et quod nequiter egimus, flendo puniamus. Lib. 2, in *Registro*, indict. 6, cap. 2, epist. 2, serm. *ad Populum.*

44. In electorum examine, non solum culparum causæ pensandæ sunt, sed etiam merita personarum. Lib. 5, in I, *Reg.*, cap. IV, super illud : *Ergone Jonathas morietur?*

45. Considerandum est opus quale sit, quæ cogitatio in opere, quæ intentio in cogitatione. Homil. 20, super *Ezech.*, super illud *Psalm.* LXV : *Holocausta medullata.*

46. Cogitate quid facitis, recogitate quid fecistis, largitatem supernæ pietatis aspicite, et ad misericordem judicem, dum adhuc expectat, cum lacrymis venite. Homil. 34, super *Evang.*

47. Omnis justus, qui vitam suam sollicitus aspicit, et diligenter considerat, quantum quotidie in bonis crescat, aut fortasse quantum a bonis decrescat : iste quia se ante se ponit, coram se ambulat. *Prosec.*

48. Quis vero vitæ suæ custodiam negligit, discutere quæ agit, quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit, aut nescit, coram se iste non ambulat : quia qualis sit in suis moribus et in actibus, ignorat; nec sibimetipsi præsens est, qui semetipsum quotidie exquirere atque cognoscere sollicitus non est. Homil. 4, super *Ezech.*

S. HIERON. 49. Videamus si christiani sumus, quid in nobis virtutis accesserit, quid humilitatis in prosperis, quid patientiæ in adversis, quid in tribulatione gaudii, quid felicitatis in damnis, quid indulgentiæ in offensis, quid castitatis in occasione luxuriæ. Epist. 37, *ad Pammach. et Ocean.*

HUGO A S. VICTORE. 50. Homo peritus per singulos dies vitam suam ad judicium vocat. Mane, quando surgere debet, considerat quid egerit per noctem; in vespere quando cubitum vadit, considerat quid egerit per diem : quantum ad bona agenda solito alacrior, quantum ad mala vincenda solito constantior. *De Inst. Novit.*, cap. 9.

51. Mentis ratio cogitationes diversas ad secretum cordis quandoque convocet, ut incorrigibiles ejiciat, corripiat inquietas, negligentes emendet, erudiat simpliciores, mitiget iracundas, voluptuosas restringat, pigras excitet, consoletur pusillanimes, doceat indiscretas, locum primum ratio teneat, conscientia culpas accuset, perversitas non excuset, superbia reatum non defendat, innocentia confiteatur, humilitas seipsam judicet. Lib. 3, *de Claustro anim.*, cap. 6, *Prosec.*

52. Seipsas quandoque virtutes invicem accusent : accuset misericordia justitiam, quod manus usque ad crudelitatem extenderit, quod iracundiæ verba protulerit, quod mansuetudinis vultum mutaverit : accuset justitia misericordiam, quod severitatis vultum non induerit, quod peccatum impunitum dimiserit, quod se delinquentem non increpaverit : accuset humilitas, honestatem, quod excedat mediocritatem, quod sequatur superfluitatem, quod non tantum utatur honestis, sed etiam voluptuosis : accuset honestas humilitatem, quod nimiam diligat paupertatem, quod non impendat corpori necessitatem, sed amet nuditatem, pannositatem, et egestatem.

53. Redi ad cor tuum, et diligenter discute teipsum : considera unde venis, quo tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis, vel quantum deficis. Lib. 3, *de Anima*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 54. Sedeat mens, atque cogitatio tua judex in animam atque conscientiam tuam, adducens omnia delicta tua in medium, scrutare quæ animo commisisti, et pone dignas singulorum pœnas. *Prosec.*

55. Dicas tecum assidue : Quare hoc atque hoc ausus es? quare illud et illud perpetrasti?

56. Quod si ab his quidem conscientia tua refugit, aliena vero curiose rimatur, dic ad ipsam : Non ego judex in alios, nec tu alios defensura judicium subiisti.

57. Quid enim ad te, si hic vel ille male vivat? tu cujus rei gratia hoc atque illud deliquisti? non defende; accusa tua vestigia, non aliena.

58. Sic assidue ipsam ad hunc terrorem revoca, deinde si causam suam dicere non possit, sed balbutiat atque stupescat; quasi superbam ancillam, et fornicatione corruptam, cæde, verberibus, ac flagellis dilania. Hoc judicium quotidie tibi diligenter constituatur. Homil. 43, super *Matth. Oper. perf.*

59. Qui recte facta sua oblivioni tradens, peccata sola videt, et aliorum non delicta, sed virtutes et recte acta sedulo scrutatur, perfectus est hic vir. Serm. 9, super *Epist. ad Phil.*

60. Quando accubueris super stratum tuum, et neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiam tuam, et reminiscere peccata tua; si quid in verbo, seu in facto, vel in cogitatione peccasti. Homil. 2, super *Psalm.* L.

S. JOAN. CL. 61. Optimus ille trapezita est, qui quotidie vesperi lucrum ac detrimentum omnino computat. Quod scire manifestius non potest, nisi horis singulis in tabulis omnia denotet : nam cum calculi horis ponuntur, totius diei ratio postmodum clarius agnoscitur. Gradu 4.

62. Nunquam disquirere nosipsos desinamus, si veraciter agnoscere nos volumus. *Ibid.*, gradu 25.

JOAN. GERS. 63. Cogitare debes, si jam mori deberes et occumbere, anne istud faceres, et an auderes mori in eo in quo te sentis statu? *De Sanctimonial.*

JOAN. TRITH. 64. Singulis diebus bonus Christi miles conscientiam suam ad minus semel discutiendo examinet et quantum in sancto profecerit desiderio, vel defecerit eo die, diligentius penset. Lib. 1, homil. 14, *ad Monachos.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 65. Discute conscientiam tuam, intende mentem tuam, examina te, loquatur tibi cor tuum, considera meritum tuum : nihil enim boni agis, nihil recte facis, nihil æquum perficis, nihil justum geris, nihil Deo dignum informas. *Prosec.*

66. Quotidie peccas, quotidie laberis, quotidie præceps in deterius vadis.

67. Elatio tua non residet, superbia non deponitur, timor et jactantia non cohibentur.

68. Rapit te furor, inflammat ira, clamor excitat, commovet indignatio.

69. Zelaris bonis, invides melioribus, alienis felicitatibus æmularis, aliis virtutibus semper invidus existis. Lib. 1, *de Synonym.*

70. Cor tuum quotidie discute et examina, calca subjectionis vitium, culpam ibi emenda, ubi nascitur. *De Contemptu mundi*, verbo *Cor.*

71. Ad calcem examinis sensus tui collige gressus : discute cor tuum, cautius interroga mentem. *Prosec.*

72. Quid ludibriosum retinet vel gessit, exponat : quid sævum, quid noxium concepit, vel operit, pandat : et dum est licentia, totum prædamnare festina. In *Exhort. ad pœnit.*

LACT. FIRM. 73. Circumspice conscientiam tuam, et quantum potes, medere vulneribus. Lib. 6, *de Divin. Inst.*, cap. 13.

S. LAURENT. JUSTIN. 74. Quisquis virtutum amator est, sui diligens inquisitor sit; quo impulsu, quove affectu ipsius moveatur mens, considerare non negligat : hæc est via sine errore, hæc est perfectionis scala. *De Casto connubio*, cap. 7.

S. LEO I. 75. Circumspiciat se omnis anima christiana, et severo examine cordis sui, interna discutiat. *Prosec.*

76. Videat ne quid ibi discordiæ inhæserit, ne quid cupiditatis insederit : incontinentiam castitas procul pellat, mendacii tenebras lux abigat veritatis.

77. Detumescat superbia, humilitas assumatur, resipiscat iracundia, comminuantur jacula noxarum, et obtrectatio linguæ frænetur; cessent vindictæ, et oblivioni mandentur injuriæ. Serm. 1 *Quadrag.*

78. Scrutetur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat proprii censura judicii : omnia quæ animi puritatem, et speculum mentis obnubilant, abstergenda sedulo, et quadam elimatione radenda sunt. *Prosec.*

79. Videat, si in secreto cordis sui, illam quam Christus dat, inveniat pacem; si desiderium spiritus nulla concupiscentia carnis impugnat, si humilia non spernit, si alta non appetit.

80. Si iniquo non delectatur lucro, si immoderato rerum suarum non gaudet augmento, si denique aliena felicitate non uritur, aut inimici miseria non lætatur.

81. Et cum harum perturbationum nihil in se forte repererit, sincero disquirat examine, qualium cogitationum specie frequentetur : et utrum nullis vanitatum imaginibus acquiescat, vel quam cito animum ab iis quæ noxie blandiuntur, abducat.

82. Nam nullis illecebris commoveri, nullis cupiditatibus titillari, non est hujus vitæ, quæ tota tentatio est; et qua nimirum vincitur, qui vinci ab eadem non veretur. Serm. 3 *Quadrag.*

83. Intimum cordis tui scrutare, et omnes recessus animæ tuæ diligens explorator ingredere, et vide si nulla te impugnat adversitas, si nullus tyrannus vult in mentis tuæ arce dominari. Serm. *de Machabæis.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 84. Explora teipsum, et discute quantum minisse potes, ac tibiipsi displiceas. In *Speculo spirit.*, cap. 1.

85. Contemplare diligenter teipsum, ut defectus tuos facile agnoscas, agnitosque pro viribus corrigas. *Ibid.*, cap. 14.

86. Vespere teipsum exacte discutias, recogitans quomodo tempus expenderis, et quas offensas eo die admiseris : veniam peccatorum petas a Deo, proponens corrigere te, adjuvante illius gratia. In *Brevi regula Tyronis*, verbo *Vespere*.

S. MAXIMUS MART. — 87. Omni diligentia conscientiam tuam scrutare. Centur. 4, *de Charit.*, cap. 33.

PETR. BLES. — 88. Descende in teipsum, et fode conscientiæ tuæ parietem : videbis abominationum genera, quibus te judicare poteris infelicem. Epist. 21, *ad quemdam canonic.*

89. Omnes angulos cordis tui revolve, scrutare, et ab eis rejice quod a sæculo contraxisti. *Ibid.*, epist. 137, *ad Alexandr. de S. Albano.*

90. Tuam conscientiam solerti revolve scrutinio : explora omnes angulos ejus, nihilque in ea remaneat indiscussum. *Prosec.*

91. Fode parietem, et abominationes conscientiæ monstruosas revelabit tibi familiare scrutinium. *Ibid., de Confess. sacramentali.*

92. Revolve in animo quantum profeceris, et spirituales virtutum quotidie metire profectus; utrum sis insolentior aut humilior, affabilior aut austerior, mansuetior aut gravior, liberalior aut avarior. Tract. *de Instit. Episcopi.*

93. Redde conscientiæ tuæ de quotidianis actibus rationem : vide si diem et noctem sine cujuslibet peccati macula transegisti. *Prosec.*

94. Vide si minus legisti, aut orasti, si in cibo, si in potu, si in somno temperantiæ modum excessisti : et scias non modicam esse temporis illius jacturam, quod in otio, aut fabulis expendisti.

95. Vide si fueris devotior in oratione, in lectione studiosior, in castitate cautior.

96. Si fueris parcior in sobrietate, patientior in duris, in risu rarior.

97. Si suavior in conversatione, gravior in vultu et gestu et habitu.

98. Si moderatior in verbis, profusior in lacrymis, in charitate ferventior. *Ibid.*

S. PETRUS DAMIANUS. — 99. Omnes animæ tuæ latebras curiosius inspice, cuncta viscerum tuorum arcana scrutare : medicamenta vulneribus, prout cuique apta perspexeris adhibe, et incolumitatem postquam semel adeptus fueris, pervigili satage solertia custodire. Opusc. 44, cap. 13.

S. PROSPER. — 100. Sobrio castoque judicio cordis tui arcana discutias, et aculeo totius elationis obtrito, investiges in te atque dinumeres quæ et qualia tibi sponsus tuus dona contulerit. *Prosec.*

101. Aulam tuæ mentis ingredere, et in secretario conscientiæ tuæ, qualia tibi reposita sunt ornamenta circumspice.

102. Et quidquid ibi splendidum, quidquid pulchrum, pretiosumque repereris, divini operis et muneris esse ne dubitet : ita ut in omnibus bonis opulentiæ tuæ, et gratiam donatoris et jus proprietatis agnoscas. Epist. *ad Demetriad.*

RICHARD. A S. VICTORE. — 103. Attende te diligentius, examina frequentius hinc Dei pietatem, illinc ejus severitatem : pietatem in bonis, severitatem in malis. Part. 1, lib. 2, *de Contemplat.*, cap. 33.

ROBERTUS A SORBON. — 104. Nocte cum ad secretum lecti tui veneris, dic animæ tuæ : O anima mea, quid boni malive fecimus hodie? et de malis pete veniam, de bonis vero redde gratias Deo. *Tract. super Confession.*

THEOPHYLACTUS. — 105. Exploret unusquisque accurate suamet opera; num quidquam fecerit vana gloria ductus, num per simulationem, num alia quapiam humana causa. Super *Epist. ad Galat.*, cap. VI, in illud : *Opus suum probet unusquisque.*

S. THOMAS AQUINAS. — 106. Studeas semel in die examinare quomodo tempus expendisti, et discurre per singulas horas, cogitando in quibus fuisti, cum quibus personis, quid cogitasti, quid dixisti, quid audivisti, quod fecisti, ut cognoscas relaxationes linguæ cordis, et sensuum. *De modo confitendi*, in *Erudit. utili.*

THOMAS A KEMPIS. — 107. Mane propone, vespere discute mores tuos; qualis hodie fuisti in verbo, opere, et cogitatione : quia in his sæpius forsitan Deum offendisti et proximum. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 19, sect. 4.

108. Sero jam facto examinanda est conscientia de statu defectus hodierni; si solito pigrior, vel ferventior fuisti. *Prosec.*

109. Non parcas tibiipsi in defectibus corrigendis, sed argue quæ propria iniquitate commisisti : Tu reus es, tu hæc et illa fecisti.

110. Recogita quid in choro, quid in Missa, quid in conventu, quid in mensa, quid foris, quid in cella hodie egisti, vel omisisti. *De Exercit. spirit.*, cap. 9.

111. Multi vesperi computant pecunias, et expensas rerum : pauci conscientiam, et negligentias temporum discutiunt. *Ibid.*, cap. 10, sect. 2.

112. Si vere proficere vis, omni vespere te discutere non omittas. *Ibid.*

113. Sacris scrutiniis mens tua invigilet, et se frequenter discutiat, increpet, et mundet, ut gratiam caute conserves, amissam recuperes, et ad spiritualem profectum vehementius inciteris. *Ibid.*

IN VITIS PATR. — 114. Debet monachus quotidie mane et sero cogitare in semetipso, qui fecerit eorum quæ vult Deus, et quæ non fecit. Lib. 5, libell. 11, num. 39.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. — 115. Vita ea, quæ nullo examine exploratur, non est vitalis. Syzygia 1, in *Apologia.*

SENECA. — 116. Quid pulchrius hac consuetudine, excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? *Prosec.*



117. Quam tranquillus ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus : et speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis?

118. Utor hac potestate, et quotidie apud me causam dico : cum sublatum e conspectu lumen est, totum diem meum scrutator, facta ac dicta mea remetior.

119. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo, quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere : Vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco. Lib. 3, *de Ira*, cap. 36.

120. Securæ et quietæ mentis est, in omnes vitæ suæ partes discurrere. *De Brevitate vitæ*, cap. 10.

121. Sciat unusquisque quo iturus sit, unde ortus, quod illi bonum, quod malum sit; quid petat, quid devitet; quæ sit illa ratio, quæ appetenda, ac fugienda sint, discernat. Epist. 82.

122. Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit : quid facturi sumus, cogitamus, et id raro : quid fecerimus, non cogitamus. Epist. 82.

## EXAUDIRE.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALEX. I PAPA. — 1. Sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur. Habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa. 1, quæst. 1, can. *Ipsi.*

S. AMBROS. — 2. Tunc citius nostra exauditur oratio, cum Christum, quem mens alloquitur, etiam corpus sequitur. Serm. 56.

3. Qui preces suas exaudiri vult æmulus debet esse vitæ sanctorum : cum imitatur enim, communicat. Super *Epist ad Rom.*, cap. XII, in illud : *Memoriis sanctorum communicantes.*

4. Omnibus claret illius innocentiam, atque bona opera magis exaudire Deum, quam istius voces, quibus vita quibusdam vitiis sordescit. Super *Apocal.*, cap. IV.

S. ANSELM. — 5. Qui voluerit exaudiri, debet orare sapienter, ardenter, humiliter, fideliter, perseveranter, et confidenter. *De Mensuratione crucis*, verbo *Latitudo.*

S. ANTONIN. — 6. Oratio quanto affectuosius fit, tanto efficacius exauditur. Part. 1, tit. 3, cap. 7, § 3.

7. Cum communitate citius exauditur oratio; quia oratio communis plus valet quam particularis. Part. 4, tit. 5, *de Instit.*, cap. 8, § 7.

S. ATHANAS. MAGNUS. — 8. Concordia multitudinis, Deum ad exaudiendum promptiorem habet. *Apolog. ad imp. Constantium.*

S. AUGUST. — 9. Nunquam divinitas preces ac lacrymas despicit peccatorum. Epist. 197, *ad Bonifac.*

10. Citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris. *De Opere monachor.*, cap. 17.

11. Quisquis ad Deum toto corde clamaverit, exaudiet illum, quoniam misericors est. *De Spiritu et anima*, cap. 6.

12. Non vocem, sed affectum audit Deus. *De Catechis. rudib.*, cap. 9.

13. Potest fieri ut hic non exaudiaris, non tamen exaudiris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem. Super *Psalm.* LIX, vers. 5 : *Et exaudi me.*

14. Multi clauso ore exaudiuntur, et multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Exposit. super *Psalm.* CXIX.

15. Æger petit multa a medico, non dat medicus : non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 4.

16. Avertit Deus ab orantibus faciem, non exaudiendo ad id quod volunt, quando sibi nesciunt non expedire quod petunt. Super *Psalm.* LXXXVII.

17. Male usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit : proinde si hoc ab illo petitur unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus. Tract. 73, super *Evang. Joan.*, cap. XIV.

18. Est qui exaudit, ne dubitetis orare : qui autem exaudit, intus manet. *Ibid.*, tract. 10, cap. 2.

19. Ideo rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris. *De Verb. Dom.*, serm. 25.

20. A Deo exaudiri non meretur, qui odium servat in corde. Serm. 9, *ad Fratr. in eremo.*

21. Ibi a Deo non potest mereri quod petit, qui hoc noluit audire quod jussit. *Ibid.*, serm. 71.

22. Deus exaudit deprecantem. Lib. 3, de *Lib. arb.*, cap. 19.

23. Deus non aliter invocantes exaudit, quam invocaturos videt : nam et cum exaudiunt angeli ejus, ipse in eis exaudit. Lib. 10, *de Civil. Dei*, cap. 12.

24. Multi Deo irato exaudiuntur, multi propitio non exaudiuntur. *De Unit. Eccles.*, cap. 19.

25. Deus exaudivit rogantes immundos spiritus, ne forte se quisque magni pendat, si fuerit exauditus, cum aliquid impatienter petit. Epist. 121, cap. 14.

26. Sancti ad salutem per omnia exaudiuntur, semper exaudiuntur ad salutem æternam. Sed discernamus exauditiones Dei : invenimus quosdam non exauditos ad voluntatem, exauditos ad salutem; et rursus quosdam invenimus exauditos ad voluntatem, et non exauditos ad salutem. Tract. 6, super *Epist. Joan.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

86. Vespere teipsum exacte discutias, recogitans quomodo tempus expenderis, et quas offensas eo die admiseris : veniam peccatorum petas a Deo, proponens corrigere te, adjuvante illius gratia. In *Brevi regula Tyronis*, verbo *Vespere*.

S. MAXIMUS MART. 87. Omni diligentia conscientiam tuam scrutare. Centur. 4, *de Charit.*, cap. 33.

PETR. BLES. 88. Descende in teipsum, et fode conscientiæ tuæ parietem : videbis abominationum genera, quibus te judicare poteris infelicem. Epist. 21, *ad quemdam canonic.*

89. Omnes angulos cordis tui revolve, scrutare, et ab eis rejice quod a sæculo contraxisti. *Ibid.*, epist. 137, *ad Alexandr. de S. Albano.*

90. Tuam conscientiam solerti revolve scrutinio : explora omnes angulos ejus, nihilque in ea remaneat indiscussum. *Prosec.*

91. Fode parietem, et abominationes conscientiæ monstruosas revelabit tibi familiare scrutinium. *Ibid., de Confess. sacramentali.*

92. Revolve in animo quantum profeceris, et spirituales virtutum quotidie metire profectus; utrum sis insolentior aut humilior, affabilior aut austerior, mansuetior aut gravior, liberalior aut avarior. Tract. *de Instit. Episcopi.*

93. Redde conscientiæ tuæ de quotidianis actibus rationem : vide si diem et noctem sine cujuslibet peccati macula transegisti. *Prosec.*

94. Vide si minus legisti, aut orasti, si in cibo, si in potu, si in somno temperantiæ modum excessisti : et scias non modicam esse temporis illius jacturam, quod in otio, aut fabulis expendisti.

95. Vide si fueris devotior in oratione, in lectione studiosior, in castitate cautior.

96. Si fueris parcior in sobrietate, patientior in duris, in risu rarior.

97. Si suavior in conversatione, gravior in vultu et gestu et habitu.

98. Si moderatior in verbis, profusior in lacrymis, in charitate ferventior. *Ibid.*

S. PETRUS DAMIANUS. 99. Omnes animæ tuæ latebras curiosius inspice, cuncta viscerum tuorum arcana scrutare : medicamenta vulneribus, prout cuique apta perspexeris adhibe, et incolumitatem postquam semel adeptus fueris, pervigili satage solertia custodire. Opusc. 44, cap. 13.

S. PROSPER. 100. Sobrio castoque judicio cordis tui arcana discutias, et aculeo totius elationis obtrito, investiges in te atque dinumeres quæ et qualia tibi sponsus tuus dona contulerit. *Prosec.*

101. Aulam tuæ mentis ingredere, et in secretario conscientiæ tuæ, qualia tibi reposita sunt ornamenta circumspice.

102. Et quidquid ibi splendidum, quidquid pulchrum, pretiosumque repereris, divini operis et muneris esse ne dubitet : ita ut in omnibus bonis opulentiæ tuæ, et gratiam donatoris et jus proprietatis agnoscas. Epist. *ad Demetriad.*

RICHARD. A S. VICTORE. 103. Attende te diligentius, examina frequentius hinc Dei pietatem, illinc ejus severitatem : pietatem in bonis, severitatem in malis. Part. 1, lib. 2, *de Contemplat.*, cap. 33.

ROBERTUS A SORBON. 104. Nocte cum ad secretum lecti tui veneris, dic animæ tuæ : O anima mea, quid boni malive fecimus hodie? et de malis pete veniam, de bonis vero redde gratias Deo. *Tract. super Confession.*

THEOPHYLACTUS. 105. Exploret unusquisque accurate suamet opera; num quidquam fecerit vana gloria ductus, num per simulationem, num alia quapiam humana causa. Super *Epist. ad Galat.*, cap. VI, in illud : *Opus suum probet unusquisque.*

S. THOMAS AQUINAS. 106. Studeas semel in die examinare quomodo tempus expendisti, et discurre per singulas horas, cogitando in quibus fuisti, cum quibus personis, quid cogitasti, quid dixisti, quid audivisti, quod fecisti, ut cognoscas relaxationes linguæ cordis, et sensuum. *De modo confitendi*, in *Erudit. utili.*

THOMAS A KEMPIS. 107. Mane propone, vespere discute mores tuos; qualis hodie fuisti in verbo, opere, et cogitatione : quia in his sæpius forsitan Deum offendisti et proximum. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 19, sect. 4.

108. Sero jam facto examinanda est conscientia de statu defectus hodierni; si solito pigrior, vel ferventior fuisti. *Prosec.*

109. Non parcas tibiipsi in defectibus corrigendis, sed argue quæ propria iniquitate commisisti : Tu reus es, tu hæc et illa fecisti.

110. Recogita quid in choro, quid in Missa, quid in conventu, quid in mensa, quid foris, quid in cella hodie egisti, vel omisisti. *De Exercit. spirit.*, cap. 9.

111. Multi vesperi computant pecunias, et expensas rerum : pauci conscientiam, et negligentias temporum discutiunt. *Ibid.*, cap. 10, sect. 2.

112. Si vere proficere vis, omni vespere te discutere non omittas. *Ibid.*

113. Sacris scrutiniis mens tua invigilet, et se frequenter discutiat, increpet, et mundet, ut gratiam caute conserves, amissam recuperes, et ad spiritualem profectum vehementius inciteris. *Ibid.*

IN VITIS PATR. 114. Debet monachus quotidie mane et sero cogitare in semetipso, qui fecerit eorum quæ vult Deus, et quæ non fecit. Lib. 5, libell. 11, num. 39.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 115. Vita ea, quæ nullo examine exploratur, non est vitalis. Syzygia 1, in *Apologia.*

SENECA. 116. Quid pulchrius hac consuetudine, excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? *Prosec.*



117. Quam tranquillus ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus : et speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis?

118. Utor hac potestate, et quotidie apud me causam dico : cum sublatum e conspectu lumen est, totum diem meum scrutator, facta ac dicta mea remetior.

119. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo, quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere : Vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco. Lib. 3, *de Ira*, cap. 36.

120. Securæ et quietæ mentis est, in omnes vitæ suæ partes discurrere. *De Brevitate vitæ*, cap. 10.

121. Sciat unusquisque quo iturus sit, unde ortus, quod illi bonum, quod malum sit; quid petat, quid devitet; quæ sit illa ratio, quæ appetenda, ac fugienda sint, discernat. Epist. 82.

122. Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit : quid facturi sumus, cogitamus, et id raro : quid fecerimus, non cogitamus. Epist. 82.

## EXAUDIRE.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALEX. I PAPA. 1. Sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur. Habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa. 1, quæst. 1, can. *Ipsi.*

S. AMBROS. 2. Tunc citius nostra exauditur oratio, cum Christum, quem mens alloquitur, etiam corpus sequitur. Serm. 56.

3. Qui preces suas exaudiri vult æmulus debet esse vitæ sanctorum : cum imitatur enim, communicat. Super *Epist ad Rom.*, cap. XII, in illud : *Memoriis sanctorum communicantes.*

4. Omnibus claret illius innocentiam, atque bona opera magis exaudire Deum, quam istius voces, quibus vita quibusdam vitiis sordescit. Super *Apocal.*, cap. IV.

S. ANSELM. 5. Qui voluerit exaudiri, debet orare sapienter, ardenter, humiliter, fideliter, perseveranter, et confidenter. *De Mensuratione crucis*, verbo *Latitudo.*

S. ANTONIN. 6. Oratio quanto affectuosius fit, tanto efficacius exauditur. Part. 1, tit. 3, cap. 7, § 3.

7. Cum communitate citius exauditur oratio; quia oratio communis plus valet quam particularis. Part. 4, tit. 5, *de Instit.*, cap. 8, § 7.

S. ATHANAS. MAGNUS. 8. Concordia multitudinis, Deum ad exaudiendum promptiorem habet. *Apolog. ad imp. Constantium.*

S. AUGUST. 9. Nunquam divinitas preces ac lacrymas despicit peccatorum. Epist. 197, *ad Bonifac.*

10. Citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris. *De Opere monachor.*, cap. 17.

11. Quisquis ad Deum toto corde clamaverit, exaudiet illum, quoniam misericors est. *De Spiritu et anima*, cap. 6.

12. Non vocem, sed affectum audit Deus. *De Catechis. rudib.*, cap. 9.

13. Potest fieri ut hic non exaudiaris, non tamen exaudiris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem. Super *Psalm.* LIX, vers. 5 : *Et exaudi me.*

14. Multi clauso ore exaudiuntur, et multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Exposit. super *Psalm.* CXIX.

15. Æger petit multa a medico, non dat medicus : non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 4.

16. Avertit Deus ab orantibus faciem, non exaudiendo ad id quod volunt, quando sibi nesciunt non expedire quod petunt. Super *Psalm.* LXXXVII.

17. Male usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit : proinde si hoc ab illo petitur unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus. Tract. 73, super *Evang. Joan.*, cap. XIV.

18. Est qui exaudit, ne dubitetis orare : qui autem exaudit, intus manet. *Ibid.*, tract. 10, cap. 2.

19. Ideo rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris. *De Verb. Dom.*, serm. 25.

20. A Deo exaudiri non meretur, qui odium servat in corde. Serm. 9, *ad Fratr. in eremo.*

21. Ibi a Deo non potest mereri quod petit, qui hoc noluit audire quod jussit. *Ibid.*, serm. 71.

22. Deus exaudit deprecantem. Lib. 3, de *Lib. arb.*, cap. 19.

23. Deus non aliter invocantes exaudit, quam invocaturos videt : nam et cum exaudiunt angeli ejus, ipse in eis exaudit. Lib. 10, *de Civit. Dei*, cap. 12.

24. Multi Deo irato exaudiuntur, multi propitio non exaudiuntur. *De Unit. Eccles.*, cap. 19.

25. Deus exaudivit rogantes immundos spiritus, ne forte se quisque magni pendat, si fuerit exauditus, cum aliquid impatienter petit. Epist. 121, cap. 14.

26. Sancti ad salutem per omnia exaudiuntur, semper exaudiuntur ad salutem æternam. Sed discernamus exauditiones Dei : invenimus quosdam non exauditos ad voluntatem, exauditos ad salutem ; et rursus quosdam invenimus exauditos ad voluntatem, et non exauditos ad salutem. Tract. 6, super *Epist. Joan.*

27. Ita Deus juste vindicat, ut cuam exaudiat veniam deprecantes. *Annot. in Job*, cap. 37.

28. Deus exaudit propitius, non exaudit iratus : et rursus non exaudit propitius, exaudit iratus. Lib. 5, *contra Julian.*, cap. 4.

S. BERNARD. 29. Merito non exauditur, qui clamare dissimulat, aut omnino non postulans, aut tepide postulans et remisse. Serm. 16, super *Qui habitat.*

30. Si digna devotione, pleno affectu, desiderio vehementi petere, quærere, pulsare satageret : sine dubio petens acciperet, quærens inveniret, pulsanti aperiretur. In *Declamat.*

31. Tam gratuita est et prompta dilectio Dei, tam stupenda dulcedo, tam inopinata dignatio, tam invicta mansuetudo, ut qui ad eum clamaverit, exaudiat illum, quoniam misericors est. Lib. *Medit.*, cap. 17.

32. Si perseveraveris pulsans, non exibis inde vacuus. *De Inter. domo*, cap. 48.

33. Sæpe multos Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem. *Ibid.*, cap. 51.

34. Duobus modis oratio impeditur, ne impetrare quis valeat postulata; scilicet si aut mala quisque committit, aut si delinquenti in se debita non dimittit. *Ibid.*

S. BONAV. 35. Triplici de causa justus non exauditur ; scilicet, ratione indigni, pro quo orat : per modum orandi, quando inordinate orat, et ratione majoris boni. Super *Psalm.* XXI.

36. Brevitas orationis nonnunquam impetrat, quod prolixitas meditationis non penetrat. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 2, art. 3, vers. 2.

37. Deus pœnitentes tripliciter exaudit : vinctos liberando, inferos obserando, cœlos reserando. *Ibid.*, cap. 2, vers. 10, art. 2.

38. Qui bona agit, ad hoc se disponit, ut ejus oratio debeat exaudiri. Super *Luc.*, cap. 18.

39. Qui vult exaudiri in orationibus suis, sit cultor Dei, et faciat ejus voluntatem. Super *Joan.*, cap. IX, in illud : *Hunc exaudit.*

40. Quem reprehendit cor de omissis bonis, vel commissis vitiis, quæ non vult relinquere, non est dignus exaudiri. Serm. 3, *in Rogat.*

41. Opera danda est optimis moribus : Deus enim aliter nos exaudire non poterit, bene autem viventes facilius exaudiet. Lib. 4, *Pharetræ*, cap. 37.

42. Devotæ mentis confidentia, solet esse indicium exauditionis. Lib. 2, *de Profectu relig.*, cap. 67.

43. Si obedientes fuerimus prælatis nostris, Deus obediet orationibus nostris. In *Regula novit.*, cap. 13.

CASSIODOR. 44. Ipse clamor est, qui tacitus ad Deum pervenit, et exaudiri facit eos qui bonis operibus constanter insistunt. Super *Psalm.* IV, vers. 4 : *Cum clamavero ad eum.*

45. Si puro corde petimus, cur dubitemus exaudiri ? Super *Psalm.* VI, in proœmio.

46. Dominus justos suos semper exaudit, sed quemadmodum illis expedire cognoscit. Super *Psalm.* XXI, vers. 5.

47. Nemo aversus exaudit, sed cui aspectus tranquillus conceditur, ipsi et aures placidissime commodantur. Super *Psalm.* LIV, vers 1, super illud : *Et Exaudi me.*

48. Revera hoc est exaudiri, cui probantur profutura concedi : nam quale est nimietate precum exigere, quod importunum petitorem pœniteat accepisse ? Super *Psalm.* CXXXXIV.

S. CLEMENS PAPA. 49. Hi qui in peccatis versantur, nisi pœnitentiam egerint, non solum non exaudiuntur cum supplicant, sed etiam Deum irritant. Lib. 4, *Constit.*, cap. 7.

S. CYPRIAN. 50. Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias ? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis. *De Orat. Dominica*, cap. 13.

51. Plus impetrari potest paucorum concordi prece, quam discordi oratione multorum. *De Unit. Eccles.*

52. Non patitur postulatio devota repulsam. *De Jejun. et tent. Christi*, cap. 2.

DIONYSIUS CARTHUS. 53. Quemadmodum pius ac sapiens medicus non semper exaudit precem ægroti ad votum ; quamvis exaudiat eum ad commodum ejus : sic Deus non semper exaudit electos secundum votum ipsorum, quia quod postulant, non simpliciter expedit eis ; exaudit tamen eos, quantum ad aliquid melius. Super *Epist.* I, *ad Cor.*, cap. X, art. 10.

54. Qui sine attentione et cordis custodia, sine compunctione ac gemitu, sine fervore et metu orat altissimum, nonne potius despici quam exaudiri meretur ? Super *hymn. Adventus ad Vesperas.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 55. Non erit difficilis Deus, ut invocatus exaudiat, qui importunitatem supplicantis expectat. Serm. super illud : *Oportet semper orare.*

FRANCISCUS TITELM. 56. Non Deus quoslibet indifferenter exaudit ; sed illos exaudit, qui propter humilitatem et fidem suam, ex qua procedit eorum oratio, merentur exaudiri. In *Elucid.*, super cap. XXXV, *Job* in illud : *Non ergo frustra exaudiet Deus.*

57. Tu ut apud Deum exaudiri merearis, vide ne de providentia et justitia Dei in corde tuo dubitationem ullam dominari permittas. *Ibid.*

58. Maxima est Dei erga suos pauperes ad exaudiendum promptitudo atque facilitas. In *Elucid.*, super *Psalm* IX, vers. 41.



59. Dominus non statim semper primo momento præbet quod postulatur, sed differt nonnunquam in longum tempus, quoniam ita expedire novit hominum exercitationi atque profectui. In *Annotat.* super *Psalm.* IX, vers. penult. : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.*

GLOSS. ORD. 60. Aures Dei sunt potentia, et clementia : potentia, qua potest ; clementia, qua vult exaudire ; nisi enim esset clementia, nullus preces exaudiret. Super *Psalm.* V, in illud : *Auribus percipe Domine.*

61. Modus exaudire volentis, est auribus attendere ad vocem deprecantis. Super *Psalm.* CXXIX.

GLOSS. INT. 62. Sic quis credat, et sic vivat, ut dignus sit exaudiri : quia qui obdurat vel declinat aurem ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Super *Epist. Jacobi*, cap. 1.

63. Prudens humilis meretur quod poscit. Super illud *Marc.* VII : *Exiit dæmonium.*

S. GREGOR. MAGNUS. 64. Rogant Dominum, sed exaudiri minime merentur, qui jubentis Domini præcepta contemnunt. Lib. 16 *Moral.*, cap. 9.

65. Suos Dominus cum velociter non exaudit, quo repellere creditur, trahit. *Ibid.*, lib. 26, cap. 15. num. 16.

66. Tanto pœnitens pro semetipso exaudiri meretur, quanto devote pro aliis intercedit. *Ibid.*, lib. 35, cap. 7.

67. Illi a Domino exaudiri merentur, qui divini zelo amoris accensi, omnia quæ possunt bona operantur. Super *Septem Psalm. Pœnitent.* super *Psalm.* V, vers. 1.

68. Qui perversis actionibus assuetis, operibus iniquitatis invigilat, nequaquam dignus est exauditione, cum orat. *Ibid.*

69. Dum potens quilibet supplicantem aliquem audire negligit, quasi primo aditu repulsus, exaudiri qui supplicat, diffidit. *Ibid.*, super *Psalm.* VI, vers. 2.

70. Cum oratio ad Deum per rectæ studium intentionis dirigitur, circa eum quem rogat, velociter exauditur. *Ibid.*

71. Ille cum Deo in judicium ingreditur, qui cum oraverit, murmurat, si non exauditur. *Prosec.*

72. Stultum est ab oratione deficere, si Deus differat cum rogatur, exaudire. *Ibid.*

73. Non pro magno quis habeat, si fuerit exauditus cum aliquid petat, quod non impetrare plus prosit. *Ibid.*

74. Parum est desideranti, ut exaudiatur, nisi etiam velociter exaudiatur. *Ibid.* vers. 7.

75. Ille exaudiri a Domino pro aliis orans potest, qui ex parte aliqua ei, cui supplicat, Domino odibilis non est. Lib. 3, in *Reg.*, cap. V, super illud : *Et exaudivit eum Dominus.*

76. Fidelis anima non exaudiri metuens, miserias quas perlatura est, si non exauditur, enumerat. In *Septem Psalm pœnit.*, super *Psalm.* I, vers. 5.

77. A Domino exaudiri meretur, qui prima Domini responsione repulsa, clamare nequaquam cessat. *Ibid.*, super *Psalm.* VI, vers. 1.

78. Mora est in exauditione, si longe sint aures ab oratione. *Ibid.*, vers. 2.

79. Os ab omnipotenti Deo tanto minus exauditur, quanto amplius inquinatur stulta locutione. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 15.

80. Aliquando solet contingere, ut in oratione bona petantur, sed quia mali sunt qui petunt, a Domino exaudiri non merentur. *Prosec.* HAYMO.

81. Superflue namque se exaudiri a Domino putant in orationibus suis, qui eum audire contemnunt in suis sermonibus. Serm. *Dominicæ* 5, *post Pascha.*

82. Multo salubrius est exaudiri ad salutem, quam ad voluntatem. *Ibid.*

83. Quicunque fide non dubitans, ea quæ ad salutem animæ suæ pertinent, perseveranter petit, sine dubio exauditur, aut in præsenti, aut in futuro. *Ibid.*

84. Labia sancta exaudit Dominus, et ipsis annuit cito precibus, quas lingua immaculata pronuntiat. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.* S. HIERON.

85. Si id quod Deus præcipit facimus, id quod petimus obtinemus. Lib. 2, super *Lament. Hierem.*, cap. III, super illud : *Si cor nostrum non reprehenderit nos.*

86. Omnipotens Deus quid nobis profuturum esse valeat sciens, dissimulat exaudire dolentium voces, ut augeat utilitatem, ut purgetur vita per pœnam, et quietis tranquillitas, quia hic inveneri non valet, alibi quæratur. *Ibid.*, super illud: *Sed et cum clamavero.*

87. Qui non intelligunt quid sibi prosit, et orant frequenter contraria, expedit eis ut non exaudiantur a Domino. Lib. 3, super *Ezech.*, cap. VIII.

88. Dominus noster sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet, et magis provocet ad rogandum, et quasi igne excoctum, justiorem et puriorem faciat. Lib. 1, super *Habacuc.*, cap. 1.

89. Vis exaudiri a Domino? esto in tribulatione ; clama, et exaudieris : si quis non est in tribulatione, auxilium Domini invocare non potest. Super *Psalm.* CVII, vers. penult.

90. In tantum humanæ pacis Christus studuit concordiæ, ut unitatis merito, omnia quæ a Deo precanda sunt, impetranda esse confirmet. Super *Matth.*, cap. XVIII. S. HILARIUS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

HUGO A S. VICTORE. 91. Exaudiri postulat, et meretur, qui non solum labiis, sed etiam corde orat. Super *Psalm.* XXI cap. 17.

92. Esto in valle humilitatis, ut de monte sancto exaudiri merearis. Lib. 2, *de Claust. anim.*, cap. 22.

HUGO CARD. 93. Quinque sunt impedimenta, ne oratio exaudiatur : primum est, quando oratio non procedit a ratione, sed a sensualitate ; secundum est indiscretio petitionis ; tertium est indignitas petentis, quartum est indignitas ejus pro quo petitur ; quintum est utilitas major futura. Super *Psalm.* LIII.

94. Oratio exauditur, quando est commoda, pura, volans, devota, tenax, pia, justa. Super *Psalm.* CI.

JOAN. CASS. 95. Tantum quis exaudire, atque obtinere merebitur, quantum vel inspici se a Deo, vel Deum crediderit posse præstare. Collat. 9, *Abbat. Isaac.*, cap. 32.

96. Pro certo non exaudiendum se supplicans quisque non dubitet, cum se dubitaverit exaudiri. *Ibid.*, cap. 34.

S. JOANNES CHRYSOST. 97. Deus propter hoc differt et expectat, ut occasionem accipiat, qua juste nos sua cura dignos faciat. Homil. 30, super *Gen.*

98. Si non exaudiatur quis, non est duritia Dei non præstantis, sed hominis negligentis. Homil. 18, super *Matth. oper. imperf.*

99. Tu non audis orationem tuam, et Dominum vis audire precem tuam. Homil. 16, *ex divers. in Matth.*

100. Cujus preces exaudiuntur, exauditur utique quod precatur, aut desiderat. Serm. *De Nat. S. Joan. Bapt.*

101. Exauditus es? gratias age quod exauditus es : non exauditus es? persevera ut exaudiaris. Homil. *in Dictum Apost. sive oratione.*

102. Nemo cum angore animi, ac disceptatione orans, exaudiri se putet. Homil. 3, super I *Timoth.*

103. Nullus in manuum elevatione, nec in verborum copia, sed in operibus exauditur. Homil. 67, *ad Popul. Antioch.*

104. Non in verborum multitudine, sed in mentis solertia positum est, ut quisque exaudiatur. *Ibid.*, homil. 79.

105. Orans si exauditus fueris, gratias age : non exauditus, mane orans ut exaudiaris. Homil. 9, *de Pænit.*

106. Non graviter feramus, si quandoque non fuerimus exauditi, aut serius quam volebamus exauditi, non enim sumus Paulo meliores, qui in utroque Dei gratiam confitetur. Serm. 2, super *Epist. ad Rom.*

JOAN. SAR. 107. Necesse est ut patiatur repulsam qui in petitionibus modestiam nescit. Epist. 193, *ad Alexandr. Pap.*

JOAN. TRITH. 108. Mira pietatis dignatio! exaudit Dominus priusquam petat servus. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 9.

S. ISIDORUS HISPALENS. 109. Tardius exaudiuntur quorumdam orationes, ut dum differuntur, toties excitati majoribus præmiis cumulentur. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap 7, sent. 23.

110. Quoties orantes non cito exaudimur, nostra nobis facta in oculis proponamus, ut hoc ipsum quod differtur, divinæ reputetur Justitiæ et culpæ nostræ. *Ibid.*, sent. 24.

111. Interdum quod perseveranter orantes non cito exaudimur, utilitatis nostræ est, non adversitatis. *Prosec.*

112. Sæpe enim multos Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem. *Ibid.*, sent. 25.

S. LAURENT. JUSTIN. 113. Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulavit, acceperit. *De Ligno vitæ*, tract. 13, *de Orat.*, cap. 9.

114. Exaudiri nequaquam meretur, qui confidenti animo ac perseveranti studio non poposcerit. *Ibid.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 115. Certo credas eum, qui pie orat, semper a Domino exaudiri. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 17.

S. PETRUS DAMIANUS. 116. Qui non audit Deum, non auditur a Deo. Lib. 5, epist. 3.

117. Merito in suis a Deo precibus exauditur, qui Deum præcipientem exaudivit. Lib. 8, epist. 3, *ad Albert.*

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 118. Precibus non minis, obsequiis non contumeliis, solet quod petitur impetrari. Lib. 1, epist. 8, *ad Stephan.*

PHILO JUD. 119. Tibi sufficiat, si datur assiduitate, quod quæris assequi. *De Migrat. Abrahami.*

S. PROSPER. 120. Cito obtinentur, quæ bono desiderio postulantur : nec differuntur preces, quæ hoc petunt quod vult ille qui petitur. *Prosec.*

121. Velox itaque exauditio est, cum ipsa primitus exauditur oratio : nec tardat auxilium, qui dedit votum. Super *Psalm.* CI, vers. 3.

RICHARD. A S. VICTORE. 122. Oratio, quæ ex corde contrito et humiliato profertur, citius exauditur : humiliato per timorem, contrito per dolorem. Part. 1, *de Benjamin. minore*, cap. 9.

SALVIANUS. 123. Nulla nobis ratio precandi, si spes tollitur impetrandi. Lib. 1, *de Gubernat. Dei.*

124. Quomodo in precibus justorum divinæ aures sunt? quomodo? nisi ut semper audiant, nisi ut semper exaudiant, nisi ut prompte audita tribuant, nisi ut illico exaudita concedant. *Ibid.*, lib. 2, super illud *Psalm.* XXXIII : *Aures ejus in preces eorum.*



S. THOMAS AQUINAS. 125. Multorum preces facilius exaudiuntur. 2, 2, quæst. 83, art. 7.

126. Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitæ, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur : quid enim infirmo sit utile, magis novit medicus, quam ægrotus. *Ibid.*, art. 15.

127. Orationem peccatoris ex bono naturæ desideria procedentem Deus si exaudit, non quasi ex justitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia. 2, 2, quæst. 83, art. 16.

128. Multoties non exauditur oratio, quia indecentia postulantur. Opusc. 7, super *Pater noster*, petit. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 129. Sunt quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare, beneficium est. Lib. 2, *de Benef.*, cap. 14.

SIXT. PHIL. 130. Voluptuosum Deus non exaudit. *Sent.* 64.

131. Orationem Deus non exaudit hominis, qui egenum non exaudit. *Ibid.*, sent. 208.

Vide etiam tit. *Actio*, sent. 166 ; *Derisio*, sent. 8 ; *Dilatio*, sent. 31, 32 ; *Judicium extrem.*, sent. 141 ; *Maria*, sent. 13 ; *Multitudo*, sent. 17 ; *Peccatum in genere*, sent. 49 ; *Perseverantia*, sent. 39 ; *Petitio*, sent. 77, 103 ; *Placare Deum*, sent. 15 ; *Sacerdos*, sent. 3.

## EXCOMMUNICATIO.

S. ANTONIN. *Etymologia.* Excommunicatio dicitur, quasi exclusio a communione. Part. 3, tit. 24, *de Excommunicatione*, cap. 1.

S. THOMAS AQUINAS. Anathema est græcum, et componitur ab ἀνα quod est, sursum, et θεσις, quod est, positio : ut dicatur anathema, quasi sursum positum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. IX, lect. 1.

COLLECTOR. *Definitio.* Excommunicatio est censura a canone, vel a judice ecclesiastico prolata, privans communione sacramentorum, et quandoque hominum.

S. BONAV. Excommunicatio est animadversione gladii spiritualis Ecclesiæ a communione sacramentorum et fidelium separatio. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 27.

S. BRUNO. Excommunicare est tradere satanæ. Quia cum excommunicatur quis, satanæ traditur, cujus erat prius, quam per baptismum justificaretur. Super I *Tim.* I.

HUGO CARD. Excommunicatio est medicina, qua destituti a consilio et auxilio Ecclesiæ, confusi revertuntur. Super I *Cor.* V.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANSELM. 1. Nullatenus oportet, ut illi sint consortes de altari participantium, qui per immunditiam se faciunt exortes altari deservientium. Epist. 8, *ad Abbatem Guillelmum.*

S. ANTONIN. 2. Nullus debet excommunicari, nisi pro mortali et scandalo. Part. 2, tit. 1, cap. 21, § 4.

3. Excommunicatio venenum est, et medicina. Part. 2, tit. 4, cap. 6. § 4.

4. Sicut medicus non abscindit membrum, cum aliter potest curare infirmum : sic prælatus ecclesiæ non debet esse subitus ad fulminandum excommunicationem. *Ibid.*

5. Excommunicatus est separatus a septem bonis : primo a cœlo ; secundo ab omni sacramento ; tertio, ab Ecclesiæ suffragio ; quarto, a divino officio ; quinto, a fidelium consortio ; sexto, a quolibet actu ; septimo, a fidelium sepulcro. *Ibid.*

6. Excommunicationis sententia ferenda non est ubi multitudo est in crimine, et periculum timetur schismatis vel scandali. Part. 3, tit. 24, *de Excommunicat.*, cap. 75, § 1.

S. AUGUST. 7. Præcidendum est quod velut puro sanoque nimium corpori vulnus obrepsit, ne cum tardius abstergitur, in ipsis pene visceribus hujus mali non exhaurienda post sentina confidat. Epist. 61.

8. Multi unum corpus sumus in Christo, ac per hoc nemo poterit esse justus, quandiu fuerit ab unitate hujus corporis separatus. Epist. 50, *ad Bonifac.*

9. Tria mortifera excommunicatione sunt punienda, donec pœnitentia humiliore sanentur, scilicet impudentia, idololatria, homicidium. *De Fide et operibus*, cap. 19.

10. Reus excommunicatus nunquam carebit regenerationis sacramento, etiam non reconciliatus ; quia nunquam moritur Deus. Lib. 2, *de Adulterinis conjug.*, cap. 5.

11. Nihil sic debet formidare christianus, quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum ejus : si non est membrum ejus, non vegetatur ejus spiritu. Tract. 26, super *Evang. Joannis*, cap. VI.

12. Cum excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus : cum reconciliatur ab Ecclesia, in cœlo solvitur reconciliatus. *Ibid.*, tract. 50, cap. 12.

13. Si judex es, si judicandi potestatem accepisti, Ecclesiastica regula si apud te accusatur, si testibus convincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada. *De Verbis Apost.*, serm. 22.

14. Ligas fratrem tuum in terra : sed ut juste alliges, vide : nam injusta vincula dirumpit justitia. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 11, quæst. 3, can. *Cœpisti.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

15. Nostris temporibus ita multa mala in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his excommunicare aliquem laicum non audeamus. Cap. 80, in *Enchiridio*.

16. Severitate Ecclesiæ mali excommunicationibus corripiuntur. *De Fide et operibus*, cap. 2.

17. Tunc quisque ab Ecclesia præciditur, cum visibiliter excommunicatur. *De Unitate Eccles.*, cap. 25.

18. Excommunicare pigri sumus : aliquando enim timemus, ne ipso flagello pejor fiat, qui cæditur. Homil. 28, *ex tnt Hom.*, cap. 3.

19. Alligatur homo amarius infelicius Ecclesiæ clavibus, quam quibuslibet gravissimis et durissimis ferreis, vel adamantinis nexibus. Lib. 1, *contra Advers. legis*, cap. 17.

20. Si homo ab Ecclesia ethnicus declaratur, gravius est quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subjiceretur. *Ibid.*

S. BERNARD. 21. Secundum mensuram causæ, excommunicationis extendatur mensura. *De Præcepto et dispens.*

S. BONAV. 22. Peccat ille in Ecclesiam, qui commercium habet cum illo, qui omnino præcisus est ab Ecclesia. In *Centiloq.*, part. 1, sect. 29.

CONCILIUM TRIDENT. 23. Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, et ad continendos in officio populos valde salutaris : sobrie tamen, magnaque circumpectione exercendus est : cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari; et perniciem potius parere, quam salutem. Session. 25, in *Decreto de reformat.*, cap. 3.

S. DIONYS. AREOPAG. 24. A sacris pro meritis arceri, non est malum : sed scelestum profanumque, esse indignum iis, quæ sancta sunt. *De Divin nomin.*, cap. 4, part. ult.

S. FABIANUS PAPA. 25. Excommunicatus est, qui excommunicatis communicat. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 2, quæst. 3, can. *Sicut.*

GLOSSA DECR. 26. Excommunicatio est mucro episcopalis. In *Decret. Gratiani.*

GRATIANUS. 27. Illicita excommunicatio notatum non lædit, sed excommunicantem condemnat. In *Decret.* part. 2, causa 24, quæst. 3, can. *Si habes*, § *Ut ergo.*

S. GREGOR. MAGNUS. 28. Aliter maledictum profertur prætextu justitiæ, aliter livore vindictæ. *Prosec.*

29. Cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitia examinis erumpunt. Lib. 4 *Moral.*, cap. 6.

30. Sententia excommunicationis pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est. Homil. 26, super *Evang.*

31. Non debetis pœnam sustinere canonicam, in cujus damnatione non est canonica prolata sententia. Lib. 2, in *Registro*, indict. 2, cap. 48, epist. 9, *ad Antonium subdiacon.*

32. Causæ pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas est exercenda. Homil. 26, super *Evang.*

33. Melius est de ovili Dominico morbosam ovem ejicere, quam unius vitio sanas amittere. Lib. 9, in *Registro*, ind. 4, cap. 69, epist. 69, *ad Euseb. episcop.*

34. Nihil te ostendis de cœlestibus cogitare, dum pro vindicta propriæ injuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis invexisti. *Ibid.*, lib. 2, ind. 10, cap. 34, epist. 34, *ad Januarium episc.*

HAYMO. 35. Qui diu portati et salubriter objurgati, corrigi noluerint : tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi; ne sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquiæ carnis putredinis suæ cogitatione corrumpat. Serm. 1, *Fer.* 2, *post vocem jucunditatis in litaniis.*

S. HIERON. 36. Inobediens Ecclesiæ, spirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Ecclesia, rabido dæmonum ore discerpitur. Epist. 1, *ad Heliodor.*

37. Resecandæ sunt putridæ carnes, et scabiosum animal a caulis ovium repellendum; ne tota domus, massa, corpus et pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. v, super illud : *Modicum fermentum.*

HUGO A S. VICTORE. 38. Hæc tria in sententia excommunicationis pensanda sunt : animus judicis, ordo et causa. Quorum si unum pervertatur, dicitur injusta : modo ex ordine, modo ex causa. *Prosec.*

39. Si causa non præcesserit, excommunicatio vera non est, nec apud Deum tenetur ligatus, qui sine culpa sua fuerit excommunicatus. Lib. 1, *de Sacrament.*, cap. 27.

S. INNOC. III. 40. Excommunicatus non est, qui absolute coactus excommunicato communicat; secus si coactio fuit conditionalis. Lib. 1, *Decret. const.*, constit. 139.

S. JOANNES CHRYSOST. 41. Dogmata impia et quæ ab hæreticis profecta, arguere et anathematizare oportet, hominibus autem parcendum, et pro salute ipsorum orandum. Serm. *de Anathem.*

42. Nullus ecclesiastica despiciat vincula : non enim qui ligat est homo, sed Christus, qui hanc contulit potestatem, et tanti dominos honoris homines constituit. Homil. 70, *ad Popul. Antioch.*

S. LEO I. 43. His quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscissio. Epist. 76, *ad Anatolium episc. Constantinop.*



44. Sententia excommunicationis non est temere ferenda. Epist. 89.

ORIGENES. 45. Non potest esse justa maledicendi causa, ubi ignoratur peccantis affectus. Homil. 15, in cap. xxii, *Num.* super illud : *Quid maledicam.*

46. Timeat quisquis tremendi anathematis elogium parvipendi; ne dum quasi securus ambulat, latentis eum judicii laqueus comprehendat. *Opusc.* 34, cap. 1.

PETRUS LOMBARDUS MAGISTER SENT. 47. Nullus officio sacerdotis in excommunicatione uti debet, nisi immunis sit ab aliis, quæ in illis judicat, alioquin seipsum condemnat. Lib. 4, sent. dist. 19.

S. PROSPER. 48. Qui diu portati et salubriter objurgati, corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi : ne sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit, alios exemplo suæ perditionis inficiant. Lib. 2, *de Vita Contemplat.*, cap. 7.

S. THOMAS AQUINAS. 49. Per excommunicationem fit separatio a communione Ecclesiæ exteriori, per ecclesiasticam unitatem, non autem ab interiori per charitatem. Super 4, sent. dist. 16, quæst. 2, art. 1, ad 1.

50. Excommunicatio gravissima pœna est. *Ibid.*, ad 3.

S. VINCENT. FERRAR. 51. Omnis Christianus, qui a sacerdotibus excommunicatur, satanæ traditur. Serm. 2, *Fer.* 3, *post Reminiscere.*

S. URBAN. I PAPA ET MART. 52. Cavenda est sententia episcopi, licet injuste ligat. In *Decret. Gratiani*, caus. 2, quæst. 3, can. *Quibus.*

Vide etiam tit. *Officium divinum*, sent. 24.

## EXCUSATIO.

COLLECTOR. *Definitio.* Excusatio proprie est objecti criminis dilutio.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Nolens se esse reum, addit potius ad reatum : et sua excusando, non accusando peccata, ignorat non se pœnam removere, sed veniam. *De Continentia*, cap. 5.

2. Sentiat culpam, nec velit excusare se confitens, ne augeat crimen. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 16.

3. Pejor damnabiliorque est superbia, qua etiam in peccatis manifestis suffugium excusationis inquiritur. *Prosec.*

4. Accusatio potius quam excusatio vera est, ubi mandati divini est aperta transgressio. Lib. 14, *de Civit. Dei*, cap. 14.

5. Justior videtur excusatio dicentium, Non accepimus audientiam; quam dicentium, Non accepimus perseverantiam. *De corrept. et gratia.*, cap. 7.

6. Si tu te excusas, claudis sinum, includis peccatum, excludis indulgentiam. Homil. 11, *ex Quinquaginta Homil.*

7. Plerique nolunt alios accusare, dum se per illos cupiunt excusare. *Ibid.*, homil. 50.

8. Velociores sunt homines ad excusationem, quam ad confessionem peccatorum suorum. Lib. 3, *de Lib. abitr.*, cap. 2.

9. Præcepta ideo data sunt, ut homo excusationem de ignorantia non haberet. *De Gratia et lib. arb.*, cap. 2.

10. Diabolus suadet hominibus excusationes peccatorum. Homil. 12, *ex Quinquaginta Homil.*

S. BERNARD. 11. Genus excusationis est, cum argueris tu, alium incusare : porro excusare te velle, quando corriperis, non modo minime fructuosum, sed et perniciosum est. Serm. 16, super *Cant.*

12. In animam suam peccat, qui se excusat, repellens proinde indulgentiæ medicinam, et sic vitam sibi proprio ore intercludens. *Ibid.*

13. Perfecta et absoluta excusatio, testimonium conscientiæ suæ est. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

14. Multis modis fiunt excusationes in peccatis : aut enim dicit qui se excusat, Non feci; aut, Feci quidem, sed bene feci : aut, Si male, non multum male; aut, Si multum male, non mala intentione. *De Duodecim grad. humilit.*, grad. 8.

CASSIODOR. 15. Facilius tacendo culpa refugitur, quam loquendo. Super *Psalm.* xxxviii, vers. 1.

16. Hoc maximum vitium est, quo laborat humanitas, ut post peccatum suum potius ad excusationes confugiat, quam pœnitudinis se confessione prosternat. Super *Psalm.* cxl, vers 4 : *Ad excusandas excusationes.*

S. FRANCISC. ASSISIAS. 17. Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum, sed humiliter sustinet verecundiam et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam. In suis *Opusc.* in *Admonit. ad Fratres*, cap. 22.

GLOSS. ORD 18. Qui pœnitet sollicitus est ne denuo peccet, et non se excusat : sed confitetur et vindicat in se quod delinquit. Super II *ad Cor.*, cap. vii.

S. HIERON. 19. Negligentiæ semper excusatio est socia. Epist. 44, *ad Chrysogon.*

20. Prona est ad excusationem sui humana perversitas; ut quidquid merito sustinent, injuste sustinere videantur. Lib. 1, super *Hierem.*, cap. ii, super illud : *Quid vultis mecum judicio contendere?*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

HUGO CARD. 21. Excusatio verisimilis hominem potest placare, Deum non potest fallere. Super *Epist. ad Galat.*, cap. VI.

S. JOANNES CHRYSOST. 22. Negligenti virtutem nulla est excusatio ; neque licet alicui excusare juventutem, ubi virtus exercenda est. Homil. 63, super *Gen.*

S. ISIDORUS HISPAL. 23. Quorumdam excusatio est perversorum, qui dum pro suis facinoribus arguuntur, verba justorum pro censura declinanda abjiciunt. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 32, sent. 8.

RICHARD. A S. VICTORE. 24. Facilius illa excusamus, quæ per infirmitatem contrahimus, quam quæ ex sola malitia committimus. Part. 1, lib. 1, *de Erud. hom. inter.*, cap. 28.

SALVIANUS. 25. Quicunque sibi se excusat, accusat Deo. Lib. 4, *ad Ecclesias catholic.*

S. THOMAS AQUINAS. 26. Pigri semper allegant impedimenta. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. VI, lect. 3.

THOMAS A KEMPIS. 27. Tu bene scis facta tua excusare, et aliorum excusationes non vis recipere : justius esset ut te accusares, et fratrem tuum excusares. Lib. 2, *de Imit. Chr.*, cap. 3, sect. 2.

28. O frater amande, excusa et excusaberis : compatere, et compatietur tibi. In *Hortulo rosar.*, cap. 15, sect. 2.

29. Nemo securius excusatur, quam qui culpam propriam agnoscens, se humiliat. *De Fideli dispensat.*, cap. 1, sect. 2.

S. ZENO EP. ET MART. 30. Infelix culpa est, in qua locum qualiscunque non invenit excusatio. Serm. 3, *de Isaia.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 31. Turpissima excusatio est : Non putavi. Lib. 2, *de Ira*, cap. 31.

32. Excusationem quærere, vitium est. *De Moribus.*

## EXEMPLUM.

CICERO. *Definitio.* Exemplum est alicujus facti vel dicti præteriti, cum certi auctoris nomine propositio. Lib. 4, *de Arte rhetorica ad Herennium.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Unius exemplo plurimi corriguntur. Lib. 5, super *Lucam*, cap. VII, in illud : *Tetigit loculum.*

2. Ratio evidens exemplis non indiget. *Ibid.*, lib. 8, cap. 18, in illud : *Interrogavit eum quidam.*

3. Exempla facilius suadent, quam verba. Super I, *Corinth.*, cap. 14.

S. ANTONIN. 4. Senes debent exempla imitatione digna ministrare. Part. 4, tit. 4, cap. 16, § 1.

S. AUGUST. 5. Multum provocant subditos facta præsidentis. Part. 4. tit. 5, *de Justitia*, cap. 4, § 2.

6. Cur volatilia cœli non vobis sunt exemplo ad nihil reservandum, et vultis ut sint exemplo ad nihil operandum? *De Opere monachorum*, cap. 1.

7. Coram pio vivens impie, etsi non obligat consentientem, cruciat tamen sentientem. Epist. 145, *ad Sebastian.*

8. Sana ratio etiam exemplis anteponenda est, cui quidem et exempla concordant. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 23.

9. Exempla tanto digniora sunt imitatione, quanto excellentiora pietate. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 23.

10. Exemplum præbete bene vivendo. Super *Psalm.* L.

11. Illorum animæ, qui pereunt, ab illis in die judicii requirendæ sunt, qui illis exemplum perditionis ostendunt. *De Honestat. mulier.*, cap. 2.

12. Quantum ad pastores malos attinet, oves suas occidunt male vivendo, malum exemplum præbendo. *De Pastoribus*, cap. 4.

13. Qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum a quo attenditur occidit. *Ibid.*

14. Omnis qui male vivit in conspectu eorum quibus præpositus est, quantum in ipso est, occidit oves. *Prosec.*

15. Qui imitatur præpositum moritur, qui non imitatur vivit : tamen, quantum ad illos pertinet, ambos occidit. *Ibid.*

16. Quærentes licentiam malefaciendi, quærunt sibi exempla male viventium. Serm. 2, *de Communi vita clericor.*

S. BASILIUS MAGNUS. 17. Exempla eorum fuge, quorum vita omnium judicio condemnata est. Apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 3 *Parall.*, cap. 72.

V. BEDA. 18. Grave est peccatum, unde aliquis peccandi sumit exemplum. In suis *Proverb.*, verbo *Grave.*

S. BERNARD. 19. Sermo vivus et efficax, exemplum operis est, plurimum faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur. Serm *de S. Benedicto.*

20. Is qui exemplo suo ad remissius agendum cæteros provocat, manifeste persequitur Christum. Serm. 1, *de Controvers. S. Pauli.*

S. BONAV. 21. Sic velit homo aliis dare exemplum virtutis, ut tamen non quærat minimum transitorii favoris. Super *Luc.*, cap. XII, in illud : *Et lucernæ ardentes.*

22. Peccat frater in nos, si etiam nobis scientibus peccat ; quia quantum in eo est, exemplo nos corrumpit, quos testes iniquitatis efficit. Super *Lucam*, cap. XVII.

23. Plus movent operum exempla, quam verborum. Serm. 1, *Dom. 1, post Pascha.*



S. CÆSARIUS ARELAT. 24. Sicut ille valde admirandus atque laudandus est, cujus cursus bonus, multorum profectus est : ita ille merito lugendus est, cujus vita mala, multorum ruina est. Homil. 28.

CASSIODOR. 25. Bene sequax peragit, ubi ille qui exemplum præbet, rectus incesserit. Super *Psalm.* XVI, vers. 6.

CONCILIUM TRIDENT. 26. Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. *Prosec.*

27. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Session. 22, in *Decreto de reformatione*, cap. 1.

DIONYSIUS CARTHUS. 28. Ex virtuosa et exemplari conversatione superiorum, in tantum dependent profectus et salus inferiorum. Super *Epist.* 1 *Petri*, cap. V, art. 9.

29. Quantis exempla veræ humilitatis, charitatis, et aliarum virtutum præbueris, pro tantis et cum tantis æterna præmia possidebis. *De Professione monast.*, art. 9.

30. Validiora sunt exempla, id est exemplaria, seu ædificatoria opera, quam verba. *Ibid.*

S. EUCHER. 31. Delictum alienum, semper ut opprobrium respice, nunquam ut exemplum. In *Epist. parænetica ad Valerian.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 32. Sicut ille valde admirandus atque laudandus est, cujus cursus multorum profectus est; ita ille merito lugendus est, cujus vita multorum ruina est. Homil. 7, *ad Monachos.*

33. Sicut pretiosum atque præcipuum est in medio multorum bene agere, plurimos ad profectum exemplo boni operis excitare : ita periculosum est atque perniciosum negligentius ac tepidius agendo multorum animas depravare. *Prosec.*

34. Sicut fructuosum est in medio multorum positum probabiliter vivere : ita periculosum est aliquid destructionis egisse. *Ibid.*, homil. 4.

35. Benedicta Deo illa anima, cujus humilitatis exemplum alterius confundit superbiam : cujus patientia proximi extinguit iracundiam : cujus obedientia pigritiam alterius tacite increpat : cujus fervor inertiam alieni teporis exsuscitat. *Ibid.*, homil. 7.

36. Qui cum plurimorum destructione se perdidit, cum plurimorum ædificatione se redimat. *Ibid.*, homil. 10.

GLOSS. INT. 37. Non sunt in exemplum ostendenda, nisi quæ sunt firma. Super *Deuter.*, cap. XV.

38. Sicut exempla bonorum admonent, ita exempla malorum terrent. Super *Judith.*, cap. VIII.

39. Etsi justus aliis non proficit, tamen præbere bona exempla nunquam cessat. Super *Job.*, cap. XIII.

S. GREGOR. MAGNUS. 40. Multi in tenebris vitæ præsentis, dum superiora de se exempla exhibent, astrorum more nobis desuper lucent. Lib. 2 *Moral.*, cap. 22.

41. Qui vitam præcedentium Patrum conspicit, quid in se gemere debeat, subtilius agnoscit. *Ibid.*, lib. 9, cap. 35.

42. Dum de aliena vita lux laudis emicat, alios ad exercenda bona opera illustrat. *Ibid.*, lib. 22, cap. 5, num. 7.

43. Antiquorum Patrum exempla ad insinuandam transitoriæ hujus vitæ instabilitatem intuenda sunt. *Ibid.*, lib. 8, cap. 23.

44. Nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. *Prosec.*

45. In exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis, peccator honoratur. Part. 1 *Pastoral.*, cap. 2.

46. Plerumque contingit, ut qui negligenter de se mala opinari permittunt, per seipsos quidem nulla iniqua faciunt ; sed tamen per eos, qui se imitati fuerint, multiplicius delinquunt. *Ibid.*, part. 3, cap. 1, admonit. 36.

47. Sunt nonnulli, quos ad amorem patriæ cœlestis, plus exempla, quam prædicamenta succendunt. Lib. 1, *Dialogi*, in Prologo, verbo *Vellem.*

48. Qui exempla bonorum operum circumquaque per bonam famam tribuunt, quasi odorem, quo sanentur ægroti, aspergunt. Super *Cant.*, cap. VII.

49. Prælatorum perversa exempla subditos corrumpunt. Homil. 31, super *Evang.*

50. Sæpe ex culpa præsidentium, deterior fit vita subjectorum; et mala actio præsidentis valde nocet subditis. Lib. 6, in *Registro*, indict. 15, cap. 171, epist. 7, *ad Mauritium patricium.*

51. Esurientem animam exempla bonorum pascunt. Lib. 1 *Dialogi*, cap. 11.

52. Gravis semper est pravis moribus, vita bonorum. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3, verbo *Recedente.*

53. Nunquam peccatores ad lamentum pœnitentiæ redirent, si nulla essent bonorum exempla, quæ eorum mentem traherent. *Ibid.*, lib. 3, cap. 37, verbo *Malitia.*

54. Ubi senior juvenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 1, epist. 1, *ad Januarium episc. Caralitan.*

55. Subjecti tanto audacius peccant, quanto majorum suorum nulla coram se posita habent exempla bona, quæ videant. *Prosec.*

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

56. Subjecti valde dementius se præcipitant, cum in pastoribus suis bonum quod sequatur, non vident, et cujus exemplo pereant malum vident. Lib. 6, in I *Reg.*, cap. II.

S. HIERON. 57. Nihil omnino agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus, et ad consolationem nostram, aliena sæpe numerantes vitia, deesse nobis dicimus quos debeamus sequi. Epist. 14, *ad Celantiam.*

58. Nunquam exemplum a malis sumitur, etiam in sæculi rebus semper a meliori parte incitamenta virtutum sunt. Epist. 54, *ad Julian.*

59. Erudiunt bonos exempla pejorum. Lib. 14, super *Ezech.*, cap. XLVII, super illud *Prov.* 19 : *Pestilente flagellato.*

S. HILARIUS. 60. In rebus, quæ difficiles sunt, desideratur exemplum. Super *Psalm.* CXXII.

HUGO A S. VICTORE. 61. Magnæ utilitatis sunt Sanctorum exempla : erudiunt enim ad scientiam, attrahunt ad veniam, accedunt ad gratiam, informant ad justitiam, provehunt ad gloriam. Super *Joelem*, in illud *Job* XXXIII : *Respiciet homines, et dicet.*

62. Qui exemplum pravæ operationis fratribus ostendunt, quid aliud quam fratris animam propriis manibus, scilicet propriis actibus, occidunt? Lib. 3, *de Claustro animæ*, cap. 6.

HUGO CARD. 63. Malum exemplum non tam occidere dicitur, quam corrumpere. Super *Psalm.* XXXVI.

64. Boni, qui salutem suam et aliorum quærunt, magis volunt exemplo, quam verbo docere. Super *Ecclesiastic.*, cap. V.

65. Exemplum, et quasi liber subditorum, vita debet esse prælatorum. Super I *ad Cor.* XI.

S. INNOC. III 66. Sanctorum exempla perspicaciter recordamini. Habet. in *Decret. Gratiani*, dist. 20, can. *De quibus.*

JOAN. CASS. 67. Nullatenus decipi poterit quisque, si non suo judicio, sed majorum vivit exemplo. Collat. 2, *Abbat. Moysis*, cap. 10.

S. JOANNES CHRYSOST. 68. Ut multis sis exemplo : modestia opus est, non sermonibus; bonis et honestis moribus, non astuta calliditate : operibus, non verbis. Serm. 21, super *Epist. ad Ephes.*

69. Exemplar vitæ atque morum ipse esto, tanquam imago propositus, tanquam animata lex, veluti regula, ac norma bene recteque vivendi. Homil. 13, super I *Timot.*

JOAN. SAR. 70. Exempla majorum sunt incitamenta et fomenta virtutis. Lib. 1, *de Nugis curial.*, prologo.

71. Magna diligentia præcavendum est omni, qui in sublimitate constituitur, ne inferiores corrumpat exemplis : frequens enim est ut subditi superiorem vitia imitentur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4.

JOAN. 72. Validiora sunt opera, quam verba : et plenius vita docetur, quam voce. Super Prolog. *Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 12.

TRITH. 73. Nihil sic juvenibus nocet, quemadmodum prava exempla seniorum. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 1.

S. ISIDORUS HISPALENS. 74. Ad conversionem, seu correctionem mortalium, multum prosunt exempla bonorum. *Prosec.*

75. Mores inchoantium non queunt proficere ad bene vivendum, nisi informentur exemplis perfectorum.

76. Reprobi autem non attendunt documenta bonorum, quæ imitentur in melius : sed proponunt sibi exempla malorum, quibus ad suorum morum perversitatem utantur in pejus. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 11, sent. 1.

77. Si pravorum sæpe secuti sumus exempla, cur non imitemur Sanctorum digna, et Deo placita facta? *Prosec.*

78. Et si apti fuimus imitari iniquos in malum, cur pigri sumus imitari justos in bonum? *Ibid.*, sent. 7.

79. Exempla Sanctorum, quibus ædificatur homo, varias faciunt consectari virtutes. *Ibid.*, sent. 12.

80. Plerique prave viventes, forma cæteris in malum existunt, qui in bonis exemplum esse debuerunt. *Prosec.*

81. Hi enim quoscunque exemplo malæ conversationis suæ perdunt, de illis rationem sine dubio reddituri sunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 38, sent. 2.

82. Ex carnalium præpositorum exemplo, plerumque fit vita deterior subditorum. *Ibid.*, sent. 3.

TERTULL. 83. Nullum exemplum majus est eo, cujus exemplum est. *De Resurrect.*, cap. 38.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 84. Desine, non modo tuam animam, sed etiam multas alias, pro quibus Christus mortem appetit, exemplo tuo demergere. *Prosec.*

85. Cogita quonam hoc malum tendat, cum eos quos ipse non auro, sed pretioso suo cruore donato redemit, ut per vitæ tuæ improbitatem perdis. Lib. 2, epist. 65, *ad Zosimum.*

LACT. FIRM. 86. Homines malunt exempla, quam verba : quia loqui facile, præstare difficile. Lib. 4, *de Divin. Inst.*, cap. 23.

S. LEO I. 87. Validiora sunt exempla, quam verba : et plenius opere docetur, quam voce. Serm. *in Natali S. Laurent.*

PETR. BLES. 88. Exemplo justorum confirmatur fides, spes erigitur, nutritur charitas, deprimitur superbia, humilitas custoditur, augetur devotio, et bene operandi desiderium excitatur. In *proœmio super Job.*

S. PETRUS DAMIAN. 89. Quanti sanguinis reus est, qui sub sacri habitus schemate talem se per susceptæ professionis incuriam exhibet, ut quærentes accedere, perverse vivendo disturbet? Lib. 6, epist. 32, *ad Eremitas.*



S. THEODOR. 90. Nihil æque juvat, ut exemplum domesticum. Super II *Timoth.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO PORT. 91. Multorum disce exemplo, quæ facta sequaris
Quæ fugias : vita est nobis aliena magistra.
Lib. 3, *Distich.*, metr. 29.

CICERO. 92. Exemplum vitiosum est; si aut falsum est ut reprehendatur, aut si improbum ut non sit imitandum, aut majus aut minus quam res postulabit. Lib. 2, *de Arte rhetor. ad Herenn.*

93. Dicimus multos ideo peccare et delinquere, quod a multis exempla sumant. *Ibid.*, lib. 4.

PLATO. 94. Exemplo exemplum profecto indiget. Syzygia 4, in *Dialogo Politici.*

SENECA. 95. Opus est aliquo exemplo, ad quod mores nostri se ipsi erigant : nisi enim ad regulam, prava non corriges. Epist. 11.

96. Mala exempla recidunt in auctores. Epist. 81.

97. Instruenda est vita exemplis illustribus. Epist. 83.

98. Cogita quantum nobis exempla bona prosint et scies magnorum virorum non minus præsentia esse utilem memoriam. Epist. 102.

99. Ingentis animi est, aliena causa, seu exemplo, ad vitam reverti. Epist. 104.

100. Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exemplum : nec ratione componimur sed consuetudine abducimur. Epist. 123.

Vide etiam tit. *Amor Dei et proximi*, sent. 21; *Certamen*, sent. 175, 176; *Dubitatio*, sent. 2; *Festivitas*, sent. 13, 16, 18; *Judicium extrem.*, sent. 14, 15; *Lectio*, sent. 47; *Lux*, sent. 56; *Mandatum in genere*, sent. 11; *Opus*, sent. 46; *Parentes*, sent. 56; *Pastor*, sent. 48; *Prælatio*, sent. 200; *Profectus*, sent. 82; *Ratio*, sent. 22; *Regimen*, sent. 60; *Religiosus*, sent. 74, 75, 76; *Res*, sent. 51; *Sacerdos*, sent. 65, 66, 67; *Sacerdotii dignitas*, sent. 38; *Tribulatio*, sent. 32; *Verecundia*, sent. 33.

## EXERCITIUM.

CICERO. *Definitio.* Exercitatio est assiduus usus, et consuetudo. Lib. 1, *de Arte rhetor. ad Herenn.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Bona est exercitatio : corporis enim virtus exercitatione augetur, sed inexercitata minuitur et labitur. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 6.

2. Mens in virtutum se exerceat disciplinis, donec exercitii usu valescat. Lib. 2. *de Abraham*, cap. 10.

3. Cito fides inexercitata languescit, et crebris otiosa tentatur incommodis. *Prosec.*

4. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit, assuetum autem bello virum externa fraus instruit, et gloriosæ provehit palma victoriæ : pax ergo fidei corruptelæ materia est. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 12, vers. VI.

S. ANSELM. 5. Patientia vel quælibet virtus sine exercitio, quasi plumbea lancea est. *de Similitud.*, cap. 184.

S. AUGUST. 6. Non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata. In *Enchirid.*, cap. 59.

7. Deus exercet bonos per malos. Epist. 157.

S. BERNARD. 8. Triforme est exercitium electorum : austeritas jejuniorum, assiduitas lectionum, instantia orationum. In suis *sentent.*, cap. *Triforme.*

9. Tolle otium, exere vires, move brachia, complosas explica manus, exercitare in aliquo : et statim senties sola te appetere quæ famem tollant, non fauces demulceant : reddet tibi sapores rebus exercitium, quos tulit inertia. *Prosec.*

10. Otium parit fastidium, exercitium famem : fames autem miro modo dulcia reddit, quæ fastidium facit insipida. Epist. 1, *ad Robertum nepotem suum.*

11. Quanto spiritus corpore melior est, tanto spiritualis quam corporalis exercitatio fructuosior. In *Apolog. ad Guillelm. abbat.*, cap. *Venerabili.*

12. A spiritualibus exercitiis in corporalis nunquam longe vel in totum recedatur; sed facile da ea posse redire animus assuescat, et cum illis se mutuat, istis semper inhæreat. *De Vita solit.*

13. Voluntas facit usum, usus exercitium, exercitium vires in omni labore subministrat. *Ibid.*

14. Singulis horis sua distribue exercitia : cui spiritualia, spiritualia : cui corporalia, corporalia : in quibus sic exsolvat omne debitum spiritus Deo, corpus spiritui. *Ibid.*

S. CYRILLUS ALEX. 15. Solent corporeæ exercitationis labores, bonarum actionum eximia decora comitari. Homil. 20, *de Festis Paschal.*

EVAGRIUS. 16. Ex diuturna meditatione et exercitatione, vis et feritas perturbationum animi frangitur ac debilitatur. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 70.

S. HIERON. 17. Cuncta quæ per corpus exercentur, fracto corpore minora fiunt. Epist. 2, *ad Nepotian.*

18. Solidum corpus est, molesque robusta membrorum, quem frequens usus agitaverit. Epist. 6, *ad Amicum.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

JOAN. CASS. 19. Non in exercitiis spiritualibus consistit disciplinæ finis, sed per illa pervenitur ad finem. *Prosec.*

20. Incassum igitur hæc exercitia molietur, quisquis his velut summo bono contentus intentionem sui cordis huc usque defixerit, et non ad capiendum finem propter quem appetenda sunt, omne studium virtutis extenderit; habens quidem disciplinæ illius instrumenta, finem vero, in quo omnis fructus consistit, ignorans. Collat. 1, *Abba. Moysis*, cap. 7.

21. Exercitia operum spiritalium necessaria esse censemus, quia sine ipsis ad charitatis fastigia mens non potest ascendere. *Ibid.*, cap. 10.

S. JOANNES CHRYSOST. 22. Vires roborantur exercitatione frequenti. Serm. *de Genesi.*

JOAN. SAR. 23. Exercitatio parit et alit quietis gratiam, quæ otii continuatione, et quodam inertiæ suæ marcore perimitur. Lib. 1, *de Nugis curial.*, cap. 8.

JOAN. TRITH. 24. Exercitatio aspera planat, dura mollificat, indiscreta temperat, possessa quoque firmiter tenet. Super Prolog. *Regulæ S. Bened.*

S. LEO I. 25. Ad hoc nobis tradita sunt exercitia christiana, ut resecata omni illicita voluptate, in sanctas et spiritales delicias æstuemus. *Prosec.*

26. Et cum nos oporteat semper studere virtutibus, quidam tamen dies sunt ad castigationem communis observantiæ consecrati, ut anima quæ terrenis adhuc desideriis implicatur, et curis sæculi impeditur, ex intervallo saltem ad divina respiret. Serm. 4, *de Jejun. septimi mensis.*

27. Cum Christianus in spiritualibus exercetur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur, Serm. 4, *de Jejun. decimi mensis.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 28. Non omnibus eadem exercitiorum ratio convenit : talia igitur assume exercitia, quæ captui tuo congruant : non tam spectans quid, aut quantum alii præstiterint, præstentque, quam quid aut quantum tu præstare possis. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 23.

MINUT. FEL. 29. Vires et mentis et corporis, sine laboris exercitatione torpescunt. In suo *Octavio.*

S. PETRUS CHRYSOL. 30. Omnia quæ de usu veniunt, non fatigant : virtus exercitio perseverat. Serm. 28.

S. REMIGIUS 31. Exercitatio corporalis, quæ fit in aliquo opere, levamen præparat corpori. Super I *Timoth.* cap. IV, can. 3.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 32. Animi robur assidua exercitatione perficitur. *De Regno, ad Arcadium imperat.*

THOMAS A KEMPIS. 33. Corporalia exercitia discrete sunt agenda, nec omnibus æqualiter assumenda. Lib. 1, *de Imit. Christ.*, cap. 19, sec. 4.

34. Necesse est cor in diversa rapi, et vitiis repente sordidari, quod internis a devotis exercitiis non insistit. *de Exercit. spirit.*, cap. 1, sect. 1.

35. Habeas exercitia tuæ conversationi congrua quæ te instruant, renovent, et accendant. *Ibid.*, cap. 1, sect. 2.

IN VIT. PATR. 36. Religiosa exercitatio, angelicæ vitæ imitatio est. Lib. 1, in *Vita SS. Barlaam et Josaphat*, in prologo.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 37. Exercitatio corporis incommoda oculorum acumini est. Sect. 31, *Problem.*, quæst. 14.

SENECA. 38. Non est utilis exercitatio, nisi quæ operi simillima est illi ad quod exercet. Lib. 4, *Controvers.*, in procemio.

39. Solidissima pars est corporis, quam frequens usus agitavit : id in quoque solidissimum est, quod exercuit. Lib. 1, *de Divina provident.*, cap. 4.

40. Sunt exercitationes et faciles et breves, quæ corpus sine mora laxent et corpori pareant. Epist. 15.

41. Quidquid facies, cito redi a corpore ad animum, illum diebus ac noctibus exerce. *Ibid.*

42. Non est quod existimes ullam ætatem aptiorem esse ad bonam mentem, quam quæ se multis experimentis, longa ac frequenti rerum patientia domuit et exercuit. Epist. 58.

43. Peritos luctandi usus exercet : opus est sapienti, agitatione virtutum. Epist. 109.

44. Magna exercitatione durandus est animus. Epist. 82.

Vide etiam tit. *Profectus*, sent. 46; *Propositum*, sent. 49, 50.

## EXILIUM.

S. ISIDORUS HISPAL. *Etymologia.* Exilium dictum est, quasi extra solum : nam exul dicitur, qui extra solum est. Lib. 5 *Etymol.*, cap. 28, verbo *Exilium.*

COLLECTOR. *Definitio.* Exilium est patriæ invita relictio.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ipso exilio claustra carceris duriora sunt. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 20, vers. 2.

S. AUGUST. 2. Consideremus quantum nobis in hoc exilio lugendum sit. *De Spiritu et anima*, cap. 49.

3. Melius est a congregatione præsenti expelli ad tempus, quam a cœlesti regno perpetuo exulari. Serm. 26, *ad Fratr. in eremo.*

4. Nescimus quo fine claudamur in hoc exilio. Apud. *D. Antonin.*, part. 4, tit. 4, cap. 2, § 4.

S. BERNARD. 5. Omnem extra modum habitationem, sapiens exilium reputat. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

BOETIUS. 6. Hic ipse locus, quem tu exilium vocas, incolentibus patria est. Lib. 2, *de Consolat. philos.* prosa 4



DIONYSIUS CARTHUS. 7. Mundus carcer est, atque exilium electorum. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. II, art. 2.

S. GREGOR. MAGNUS. 8. Amissa cœlesti patria repulsus homo delectatur exilio, et tamen cogitare dissimulat quam grave sit. Lib. 11 *Moral.*, cap. 26.

9. Quanto magis æterna cognoscimus, tanto magis esse nos in hujus exilii miseria dolemus. Homil. 10, super *Ezech.*

10. Quis monachorum exul patria, non exul est mundi? non opus est auctoritate publica, et rescripti impendiis. Epist. 16, *ad Theophil.*

HUGO A S. VICTORE. 11. Omnis mundus philosophantibus exilium est. Lib. 3 *Didasc.*, cap. 20.

12. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est : fortis autem, cui omne solum patria est : perfectus vero, cui mundus totus exilium est. Ille mundo amorem fixit, iste sparsit, hic extinxit. *Ibid.*

HUGO CARD. 13. Sancti sunt in mundo, quasi in exilio. Super *Psalm.* LXIV.

S. JOANNES CHRYSOST. 14. Si patria quis expulsus sit, ab omnibus miserabilis judicatur. Homil. 23, super *epist. ad Hebr.* in *Moral.*

JOAN. TRITH. 15. Minus patriam suam amare convincitur, quisquis pulchritudine exilii delectatur. *De Vanit. et Miser. hum. vitæ*, cap. 1.

LACT. FIRM. 16. Nemo dubitat, quin timidi et imbecilli sit animi, aut exilium metuere, aut carcerem : quæ quisquis non exhorruerit, fortissimus judicabitur. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 17.

17. Nemo justus potest esse, qui exilium timet *Ibid.*

18. Virtus pro fide, pro justitia, nec exilium metuit. In *Epitome*, cap. *Dicam.*

PETR. CELL. 19. Exilium reputat patriam, cui omne solum patria est. Lib. 1, epist. 10, *ad Thomam Cantuariens. archiep.*

20. Ubi major et amplior voluptas corporum, ibi verum est exilium animarum. *Ibid.*, lib. 4, epist. 10.

PHILO JUD. 21. Legislatores secundam ab extrema capitali pœna atrocissimorum criminum convictis statuerunt exilium. *Prosec.*

22. Profecto non secundam, quantum equidem vere judicare possum, sed aliquanto graviorem.

23. Siquidem mors calamitatum finis est, exilium vero non finis, sed novorum malorum initium, dum evitata una sensu carente, innumeræ mortes sentiuntur. Lib. 2. *de Abraham.*

ROBERTUS BELLARM. 24. Supplicium ingens, ac plane omnium gravissimum est exilium. Conc. 3, *de Cruciatibus gehennæ*, part. 1.

SALVIANUS. 25. Sunt qui exilia petunt, ne supplicium sustineant. Lib. 1, *de Gubern. Dei.*

26. Miserti exulum non sumus, ecce ipsi exules sumus. *Ibid.*

27. Hoc novum exilii genus atque tormentum est, scilicet in exilium anima ipsa mittitur, ubi facultatibus suis spiritus abdicatur. *Ibid.*, lib. 2, *ad Eccles. catholic.*

THALASSIUS 28. Voluptatis amor multa laboris assiduitate in exilium mittitur. *Hecatontad.* 3, sent. 10.

THOMAS A KEMPIS. 29. Exilii proficientis pœna, magis ex amore crescit. Lib. 2, *de Imitatione Christi*, cap. 12, sect. 7.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 30. Exilium non supplicium est justis, sed perfugium portusque supplicii. Orat. 12, *pro Cæcina.*

31. Vir justus exilium non timet : sed exilium ibi esse putat, ubi virtuti non sit locus, mortem naturæ finem esse non pœnam. Orat. 38, *pro Milone*, num. 100.

32. Exilium scelerum est pœna. *De Paradox.*, cap. 5.

33. Omnes scelerati atque impii, quos leges exilio affici volunt, exules sunt, etiamsi solum non mutarunt. *Ibid.*

34. An cum omnes leges te exulem esse jubeant, non eris tu exul? *Ibid.*

35. Quomodo tot legibus in exilium ejectus, nomen exulis non perhorrescis? *Ibid.*

36. Exilium terribile illis est, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus : non his qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt. *de Paradoxis*, cap. 3.

37. Nemo justus esse potest, qui exilium timet. Lib. 2 *Offic.*

MIMUS PUB. 38. Exuli ubi nusquam domus est, sine sepulcro est tanquam mortuus. In suis *Sentent.*, sent. 3.

39. Se denegare patriæ, exilium est pati. *Ibid.*, sent. 115.

SENECA. 40. Exilium loci commutatio est, hanc sequuntur incommoda, paupertas, ignominia, contemptus. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 6.

41. Carere patria, intolerabile est. *Ibid.*

42. Nullum invenies exilium, in quo non aliquis animi causa moretur. *Ibid.*

43. Nullus angustus est locus, qui virtutum turbam capit : nullum exilium grave, in quo licet cum hoc ire comitatu. *Prosec.*

44. Viro sapienti videtur se magis in exilium ire, qui sine illo comitatu rediturus esset, quam illum in exilio relinquere. *Ibid.*

45. Nullum tam inops exilium est, quod non alendo homini abunde fertile sit, cum naturæ satis est, etiam parum. *Ibid.*, cap. 11.

46. Animus est, qui divites facit, hic in exilio sequitur, et in sollicitudinibus asperrimis, cum quantum satis est sustinendo corpori invenit : ipse bonis suis abundat et fruitur. *Ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

47. Qui in exilium mittitur : si sapiens, peregrinatur : si stultus, exulat. *De Remediis fortuitor.*

VALERIUS MAXIMUS. 48. Quid damnatione, quid exilio miserius? Lib. 2, *Dictorum memorabil.*, cap. 5.

Vide etiam tit., *Dolor*, sent. 100; *Patria*, sent. 72.

## FABULA.

COLLECTOR. *Definitio.* Fabula est res ad utilitatem sive delectationem hominum conficta.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Meliores sunt fabulæ, quam disputationes. Lib. 3 *Confess.*, cap. 6.

2. Poetarum fabulas ad voluptatem excogitatas animorum, grammatici ad aliquam utilitatem referre conantur. *De Catechiz. rudibus*, cap. 6.

3. Scalpi aures meas falsis fabellis, quo prurirent ardentius. Lib. 1 *Confessionum*, cap. 10.

4. Non impiæ fabulæ, quibus vanorum plena sunt carmina poetarum, ullo modo consonant nostræ libertati. Epist. 131.

5. Antiquitas recepit fabulas, nonnunquam incondite fictas. Lib. 22, *de Civitate Dei*, cap. 6.

6. Fabulæ animas in qualibet corporis ætate puerilee, varia quadam delectatione sollicitant. Lib. 12, *contra Faust.*, cap. 27.

7. Habent pagani quædam fabulosa figmenta, sed esse illas fabulas norunt. *Ibid.*, lib. 20, cap. 9.

8. Qui fidei lacte non tenentur, facile ad sacrilegas fabulas, promissione scientiæ ducuntur. Tract. 90, super *Joan.*

S. BONAV. 9. Turpissimum est nescire tempus nisi frivolis ac fabulosis narrationibus detinere. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 28.

S. EPIPHAN. 10. Nemo inanibus fabulis decipiatur. In lib. *Acorato.*

EUSEBIUS EMISSENUS. 11. Quis mihi reddet hunc diem, quem in vanis fabulis perdidi? Homil. 9, *ad Monachos.*

S. JOANNES CHRYSOST. 12. Omnia apud philosophos gentiles sunt nugæ fabulæ, scena et hypocrisis. Homil. 17, *ad Popul. Antioch.*

13. Fabula quædam est, et somnium, vita. *Ibid.*, homil. 55.

PETRUS BLESENS. 14. Scias non modicam esse temporis illius jacturam, quod in fabulis expendisti. Tract. *de Inst. episc.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 15. Fabula puerorum studium atque disciplina est. *De Provident.*, sect. 1.

## FACETIÆ. *Vide* URBANITAS.

## FACIES.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia.* Facies dicta est, eoquod notitiam faciat hominis. Serm. *Dom.* 14, *post Trin.*

S. ISIDORUS HISPAL. Facies dicta est ab effigie : ibi est enim facta tota figura hominis, et uniuscujusque personæ cognitio. Lib. 11, *Etymolog.*, cap. 1, verbo *Facies.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Mulieres de adulterio vultus, meditantur adulterium castitatis. Lib. 1, *de Virginib.*

2. Deles picturam mulier, si vultum tuum materiali candore oblinias, si acquisito rubore perfundas. Lib. 6, *Hexam.*, cap. 8.

S. ANTONIN. 3. Certe magna nimis præsumptio et superbia est, velle aliam formare effigiem, quam Deus non dedit. Part. 2, tit. 4, cap. 3, § 6.

S. ANTONIUS DE PADUA. 4. Faciei divinæ, faciem diaboli superscribimus; quot enim mortalia committis, tot facies diaboli divinæ faciei superponis. Serm. *Dom.* 6, *post Pascha.*

S. AUGUST. 5. Severus vultus, custos est disciplinæ. Serm. 2, *Dom.* 4 *Quadrag.*

6. In facie est frons hominis, non sub humero. Lib. 4, *contra Crescon.*, cap. 58.

7. Non discordet cor tuum a facie tua; non habeas faciem sursum, et cor deorsum. *De Discipl. Christ.*, cap. 5.

8. Christus propter te a facie sua sputa hominum non abegit. *Ibid.*, cap. 14.

9. Non decora facies rerum attingit sensum meum. Epist. 56.

10. Deus fugientis dorsa persequitur, faciem redeuntis illuminat. Homil. 34, *ex quinquag. Homil.*, cap. 4.

11. Faciem videmus alterius, nostram videre non possumus. Tract. 74, super *Joan.*

12. Differentia inter faciem hominis, et imaginem de speculo, facies in imagine, facies in corpore, imago in imitatione, corpus in veritate. Tract. 4, super *epist. Joan.*

13. Qui ducere uxorem optat, in illa castitatem amet, non carnis faciem. *Ibid.*, tract. 9.

S. BERNARD. 14. Non potest facies esse rubicunda, cum stomacho abstinentiæ. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 52.

15. Nunquam vultum tuum componas, ut hominibus placeas : sed interius orna faciem conscientiæ tuæ bonis virtutibus, ut Jesu Christo cœlesti placere valeas. Serm. 64, *ad Sororem.*

16. Deus non delectatur in compositione vultus, sed in bonis moribus. *Ibid.*

CASSIODOR. 17. Hominis sana viscera reddunt faciem pulchriorem. Super *Psalm.* LX, vers. ult.

CLEMENS ALEX. 18. Ornantur ut aliis placeant, quæ in facie, non in corde gloriantur. Lib. 3, *Pædag.*

S. EPHREM. 19. Turpissima illius est facies, cujus violata est virginitas. *Ad Monach.*, parænes. 1.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 20. Noli in faciem virginis intendere, ne te scandalizet vultus ejus. In suis *Opusc.*, apophtheg. 33.



S. GREGOR. MAGNUS. 21. Per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. Lib. 5 *Moral.*, cap. 41, num. 31.

22. Facies hominis immutatur, cum ejus species morte alteritur. *Ibid.*, lib. 12, cap. 14, super illud *Job* XIV : *Immutabis faciem ejus.*

23. Facies prima corporis honorabilior pars est. *Ibid.*, cap. 22.

S. HIERON. 24. Vide ne mulierum vultus cordi tuo hæreant, et tacitum vivat sub pectore vulnus. Epist. 4, *ad Rustic.*

25. Fœminæ nomen tuum noverint, sed vultum tuum nesciant. *Ibid.*

26. Speculum mentis est facies, et taciti oculi cordis fatentur arcana. Epist. 10, *ad Furiam.*

27. Contractam rugis faciem, aratæ frons asperat. Epist. 21, *ad Paulum Concordiensem.*

28. Vultus prius pulcherrimus fœminarum, ad tantam postea transit fœditatem, ut amor in odia commutetur. Epist. 47, *ad Cyprian.*

HUGO A S. VICTORE. 29. Facies facturam, et sicut vultus voluntatem hominis declarat, cognitionem facit, et discretionem. Lib. 4, *de Propriet. rerum.*, cap. 6.

HUGO CARD. 30. Facies mulieris, quasi venosa est, inficiens corpus et animam. Super II *B. Petri.*, cap. II.

S. JUSTIN. ORGELIT. 31. Nihil est magis quod faciem ornet in corpore, quam dispositio oculorum. Super *Cant.*, cap. I, explicat. 22, in illud : *Oculi tui columbarum.*

S. NILUS. 32. Facies mulieris exornata, quavis procella perniciosior est. Orat. 2, *de Luxuria.*

TERTULL. 33. Facies intentionum omnium speculum est. *De Resurr.*, cap. 15.

34. Facies mulieris plus pro ornatu est, quam pro salute sollicita. Serm. 2, *de Avarit.*

35. Tot efficit vultus, quo quisquis intrinsecus tristes seu hilares suos fecerit motus. *Ibid.*, serm. *de Resurr.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 36. Vultus et frons est animi janua, quæ significat voluntatem abditam ac retrusam. *De Petit. consul.*, num. 34.

SENECA. 37. Decentior est facies, in qua aliquis nævus est. Lib. 2, *Controvers.*, controvers. 2.

38. Pudicæ sæpius sunt, quæ malam faciem habent; non quia animus illis deest, sed corruptor. *Ibid.*, controvers. 9.

39. Si vis aliquem æstimare, totumque scire, qualis sit faciem solve, multum mali sub illa latet. Epist. 80.

40. Formosa facies, muta commendatio est. In suis *Proverb.*

Vide etiam tit. *Fucus*, per totum; *Mens*, sent. 58; *Meretricium*, sent. 22; *Lascivia*, sent. 8; *Pulchritudo*, sent. 79.

## FACINUS. *Vide* Crimen.

## FACUNDIA. *Vide* Eloquentia.

## FALSITAS.

S. ISIDORUS HISPAL. *Etymologia.* Falsitas appellata est a fando aliud quam verum est. Lib. 5 *Etymol.*, cap. 26, verbo *Falsitas.*

COLLECTOR. *Definitio.* Falsitas est significatio alicujus rei, non ita se habentis, qua putatur esse quod non est.

S. ISIDORUS HISPAL. *Differentia.* Inter falsitatem et mendacium hoc interest, quod falsitas fit ingenio, mendacium vero simplici verbo. *De Conflictu vitior. et virtutum.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Nullus amarior, seu magis noxius cibus animæ, quam falsitas. Part. 4, tit. 6, cap. 15, § 3.

2. Fallax exosus et infamis habetur, quasi destructivus humanæ societatis. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 15, § 3.

S. AUGUST. 3. Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Lib. 1, *Retract.*, cap. 9.

4. Hic homines fallunt et falluntur, miserioresque sunt, cum mentiendo fallunt, quam cum mentientibus credendo falluntur. In *Enchirid.*, cap. 17.

5. Qui dicit falsum quod putat verum non fallit ipse, sed fallitur. *Ibid.*, cap. 18.

6. Aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa incautius credita pro veris habet. *Ibid.*

7. Sub nomine christiano tam multæ hæreticorum extiterunt falsitates. In lib. *Quæst. Evang. secundum Matthæum*, quæst. 12.

8. Non est in rebus falsitas, sed in sensu : non autem fallitur, qui falsis non assentitur, nec qui falsa videt, fallitur, sed qui assentitur falsis. Lib. 2 *Solilog.*, cap. 6.

9. Similitudo rerum, quæ ad oculos pertinet, mater est falsitatis. *Ibid.*, cap. 6.

10. Fallax id recte dicitur, quod habet quemdam fallendi appetitum, qui sine anima intelligi non potest : sed partim ratione fit, partim natura; ratione in homine, natura in bestiis. *Ibid.*, cap. 9.

11. Fallax vel fallens is recte dicitur, cujus negotium est, ut quisque fallatur. *Ibid.*

12. Approbare falsum, erroris est proprium. In *Enchirid.*, cap. 17.

13. Ubi nemo fallit, fallitur nemo. *Ibid.*

14. Fallacia tegmina, et deceptoriæ dealbationes auferantur a rebus, ut sincero inspiciantur examine. Lib. 3, *de Civit. Dei*, cap. 14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

47. Qui in exilium mittitur : si sapiens, peregrinatur : si stultus, exulat. *De Remediis fortuitor.*

VALERIUS MAXIMUS. 48. Quid damnatione, quid exilio miserius? Lib. 2, *Dictorum memorabil.*, cap. 5.

Vide etiam tit., *Dolor*, sent. 100; *Patria*, sent. 72.

## FABULA.

COLLECTOR. *Definitio.* Fabula est res ad utilitatem sive delectationem hominum conficta.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Meliores sunt fabulæ, quam disputationes. Lib. 3 *Confess.*, cap. 6.

2. Poetarum fabulas ad voluptatem excogitatas animorum, grammatici ad aliquam utilitatem referre conantur. *De Catechiz. rudibus*, cap. 6.

3. Scalpi aures meas falsis fabellis, quo prurirent ardentius. Lib. 1 *Confessionum*, cap. 10.

4. Non impiæ fabulæ, quibus vanorum plena sunt carmina poetarum, ullo modo consonant nostræ libertati. Epist. 131.

5. Antiquitas recepit fabulas, nonnunquam inconditæ fictas. Lib. 22, *de Civitate Dei*, cap. 6.

6. Fabulæ animas in qualibet corporis ætate pueriles, varia quadam delectatione sollicitant. Lib. 12, *contra Faust.*, cap. 27.

7. Habent pagani quædam fabulosa figmenta, sed esse illas fabulas norunt. *Ibid.*, lib. 20, cap. 9.

8. Qui fidei lacte non tenentur, facile ad sacrilegas fabulas, promissione scientiæ ducuntur. Tract. 90, super *Joan.*

S. BONAV. 9. Turpissimum est nescire tempus nisi frivolis ac fabulosis narrationibus detinere. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 28.

S. EPIPHAN. 10. Nemo inanibus fabulis decipiatur. In lib. *Acorato.*

EUSEBIUS EMISSENUS. 11. Quis mihi reddet hunc diem, quem in vanis fabulis perdidi? Homil. 9, *ad Monachos.*

S. JOANNES CHRYSOST. 12. Omnia apud philosophos gentiles sunt nugæ fabulæ, scena et hypocrisis. Homil. 17, *ad Popul. Antioch.*

13. Fabula quædam est, et somnium, vita. *Ibid.*, homil. 55.

PETRUS BLESENS. 14. Scias non modicam esse temporis illius jacturam, quod in fabulis expendisti. Tract. *de Inst. episc.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 15. Fabula puerorum studium atque disciplina est. *De Provident.*, sect. 1.

## FACETIÆ. *Vide* URBANITAS.

## FACIES.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia.* Facies dicta est, eoquod notitiam faciat hominis. Serm. *Dom.* 14, *post Trin.*

S. ISIDORUS HISPAL. Facies dicta est ab effigie : ibi est enim facta tota figura hominis, et uniuscujusque personæ cognitio. Lib. 11, *Etymolog.*, cap. 1, verbo *Facies.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Mulieres de adulterio vultus, meditantur adulterium castitatis. Lib. 1, *de Virginib.*

2. Deles picturam mulier, si vultum tuum materiali candore oblinias, si acquisito rubore perfundas. Lib. 6, *Hexam.*, cap. 8.

S. ANTONIN. 3. Certe magna nimis præsumptio et superbia est, velle aliam formare effigiem, quam Deus non dedit. Part. 2, tit. 4, cap. 3, § 6.

S. ANTONIUS DE PADUA. 4. Faciei divinæ, faciem diaboli superscribimus; quot enim mortalia committis, tot facies diaboli divinæ faciei superponis. Serm. *Dom.* 6, *post Pascha.*

S. AUGUST. 5. Severus vultus, custos est disciplinæ. Serm. 2, *Dom.* 4 *Quadrag.*

6. In facie est frons hominis, non sub humero. Lib. 4, *contra Crescon.*, cap. 58.

7. Non discordet cor tuum a facie tua; non habeas faciem sursum, et cor deorsum. *De Discipl. Christ.*, cap. 5.

8. Christus propter te a facie sua sputa hominum non abegit. *Ibid.*, cap. 14.

9. Non decora facies rerum attingit sensum meum. Epist. 56.

10. Deus fugientis dorsa persequitur, faciem redeuntis illuminat. Homil. 34, *ex quinquag. Homil.*, cap. 4.

11. Faciem videmus alterius, nostram videre non possumus. Tract. 74, super *Joan.*

12. Differentia inter faciem hominis, et imaginem de speculo, facies in imagine, facies in corpore, imago in imitatione, corpus in veritate. Tract. 4, super *epist. Joan.*

13. Qui ducere uxorem optat, in illa castitatem amet, non carnis faciem. *Ibid.*, tract. 9.

S. BERNARD. 14. Non potest facies esse rubicunda, cum stomacho abstinentiæ. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 52.

15. Nunquam vultum tuum componas, ut hominibus placeas : sed interius orna faciem conscientiæ tuæ bonis virtutibus, ut Jesu Christo cœlesti placere valeas. Serm. 64, *ad Sororem.*

16. Deus non delectatur in compositione vultus, sed in bonis moribus. *Ibid.*

CASSIODOR. 17. Hominis sana viscera reddunt faciem pulchriorem. Super *Psalm.* LX, vers. ult.

CLEMENS ALEX. 18. Ornantur ut aliis placeant, quæ in facie, non in corde gloriantur. Lib. 3, *Pædag.*

S. EPHREM. 19. Turpissima illius est facies, cujus violata est virginitas. *Ad Monach.*, parænes. 1.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 20. Noli in faciem virginis intendere, ne te scandalizet vultus ejus. In suis *Opusc.*, apophtheg. 33.



S. GREGOR. MAGNUS. 21. Per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. Lib. 5 *Moral.*, cap. 41, num. 31.

22. Facies hominis immutatur, cum ejus species morte alteritur. *Ibid.*, lib. 12, cap. 14, super illud *Job* XIV : *Immutabis faciem ejus.*

23. Facies prima corporis honorabilior pars est. *Ibid.*, cap. 22.

S. HIERON. 24. Vide ne mulierum vultus cordi tuo hæreant, et tacitum vivat sub pectore vulnus. Epist. 4, *ad Rustic.*

25. Fœminæ nomen tuum noverint, sed vultum tuum nesciant. *Ibid.*

26. Speculum mentis est facies, et taciti oculi cordis fatentur arcana. Epist. 10, *ad Furiam.*

27. Contractam rugis faciem, aratæ frons asperat. Epist. 21, *ad Paulum Concordiensem.*

28. Vultus prius pulcherrimus fœminarum, ad tantam postea transit fœditatem, ut amor in odia commutetur. Epist. 47, *ad Cyprian.*

HUGO A S. VICTORE. 29. Facies facturam, et sicut vultus voluntatem hominis declarat, cognitionem facit, et discretionem. Lib. 4, *de Propriet. rerum.*, cap. 6.

HUGO CARD. 30. Facies mulieris, quasi venosa est, inficiens corpus et animam. Super II *B. Petri.*, cap. II.

S. JUSTIN. ORGELIT. 31. Nihil est magis quod faciem ornet in corpore, quam dispositio oculorum. Super *Cant.*, cap. I, explicat. 22, in illud : *Oculi tui columbarum.*

S. NILUS. 32. Facies mulieris exornata, quavis procella perniciosior est. Orat. 2, *de Luxuria.*

TERTULL. 33. Facies intentionum omnium speculum est. *De Resurr.*, cap. 15.

34. Facies mulieris plus pro ornatu est, quam pro salute sollicita. Serm. 2, *de Avarit.*

35. Tot efficit vultus, quo quisquis intrinsecus tristes seu hilares suos fecerit motus. *Ibid.*, serm. *de Resurr.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 36. Vultus et frons est animi janua, quæ significat voluntatem abditam ac retrusam. *De Petit. consul.*, num. 34.

SENECA. 37. Decentior est facies, in qua aliquis nævus est. Lib. 2, *Controvers.*, controvers. 2.

38. Pudicæ sæpius sunt, quæ malam faciem habent; non quia animus illis deest, sed corruptor. *Ibid.*, controvers. 9.

39. Si vis aliquem æstimare, totumque scire, qualis sit faciem solve, multum mali sub illa latet. Epist. 80.

40. Formosa facies, muta commendatio est. In suis *Proverb.*

Vide etiam tit. *Fucus*, per totum; *Mens*, sent. 58; *Meretricium*, sent. 22; *Lascivia*, sent. 8; *Pulchritudo*, sent. 79.

## FACINUS. *Vide* Crimen.

## FACUNDIA. *Vide* Eloquentia.

## FALSITAS.

S. ISIDORUS HISPAL. *Etymologia.* Falsitas appellata est a fando aliud quam verum est. Lib. 5 *Etymol.*, cap. 26, verbo *Falsitas.*

COLLECTOR. *Definitio.* Falsitas est significatio alicujus rei, non ita se habentis, qua putatur esse quod non est.

S. ISIDORUS HISPAL. *Differentia.* Inter falsitatem et mendacium hoc interest, quod falsitas fit ingenio, mendacium vero simplici verbo. *De Conflictu vitior. et virtutum.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Nullus amarior, seu magis noxius cibus animæ, quam falsitas. Part. 4, tit. 6, cap. 15, § 3.

2. Fallax exosus et infamis habetur, quasi destructivus humanæ societatis. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 15, § 3.

S. AUGUST. 3. Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Lib. 1, *Retract.*, cap. 9.

4. Hic homines fallunt et falluntur, miserioresque sunt, cum mentiendo fallunt, quam cum mentientibus credendo falluntur. In *Enchirid.*, cap. 17.

5. Qui dicit falsum quod putat verum non fallit ipse, sed fallitur. *Ibid.*, cap. 18.

6. Aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa incautius credita pro veris habet. *Ibid.*

7. Sub nomine christiano tam multæ hæreticorum extiterunt falsitates. In lib. *Quæst. Evang. secundum Matthæum*, quæst. 12.

8. Non est in rebus falsitas, sed in sensu : non autem fallitur, qui falsis non assentitur, nec qui falsa videt, fallitur, sed qui assentitur falsis. Lib. 2 *Solilog.*, cap. 6.

9. Similitudo rerum, quæ ad oculos pertinet, mater est falsitatis. *Ibid.*, cap. 6.

10. Fallax id recte dicitur, quod habet quemdam fallendi appetitum, qui sine anima intelligi non potest : sed partim ratione fit, partim natura; ratione in homine, natura in bestiis. *Ibid.*, cap. 9.

11. Fallax vel fallens is recte dicitur, cujus negotium est, ut quisque fallatur. *Ibid.*

12. Approbare falsum, erroris est proprium. In *Enchirid.*, cap. 17.

13. Ubi nemo fallit, fallitur nemo. *Ibid.*

14. Fallaciæ tegmina, et deceptoriæ dealbationes auferantur a rebus, ut sincero inspiciantur examine. Lib. 3, *de Civit. Dei*, cap. 14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

15. Qui verus disputator est veritatis, a falsitate discretor est. Lib 1, *contra Cresconium*, cap. 15.

16. Non manifestum est quantum nocere animo falsitas possit : non tamen falsitas animum interimere potest. *De Immort. animæ*, cap. 11.

17. Magna est vis veternosarum opinionum, et diu defensæ atque creditæ falsitatis. *De Duab. animab.*, cap. 3.

18. Falsitas quæ nudari et redargui metuit, eorum vitiorum nomine, quæ veritas damnat, diligentiam veritatis accusat. Lib. 1, *contra Cresconium*, cap. 6.

19. In omni errore falsitas implicat. *De Mendac.*, cap. 1.

**S. BERNARD.** 20. Turpe est falsitate posse seduci, et veritate reduci non posse. Epist. 232, *ad Abbat. Joan.*

21. Nec novum, nec mirum est humanum, animum posse falli vel fallere : cavendum et hoc et illud, quia utrobique periculum. Epist. 327, *ad Innocent. Pap.*

**S. BONAV.** 22. Falsitas latens est causa casus, sicut veritas apparens est causa motus. *Prosec.*

23. Falsitas latens est laqueus periculosus curiose spectantibus, incuriose expectantibus, injuriose tractantibus : hos involvit, hos comprehendit, hos perdit. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 7, vers. 14, art. 3.

24. O abusio maxima! cum falsitas nihil valeat, sicut denarius falsus ad decipiendum, tamen ubique regnat. Serm. 2 *omnium Sanctorum*.

**S. GREGOR. MAGNUS.** 25. Veritas fulciri non quærit auxilio falsitatis. Lib. 1 *Moral.*, cap. 13, super illud *Job* XIII : *Numquid Deus indiget mendacio?*

26. Sicut semper dicentem falsitas læsit, ita nonnunquam quibusdam audita veritas nocuit. Part. 3, in *Pastorali.*, cap. 1, admonit. 12.

**S. HIERON.** 27. Fictitia verba, instrumenta sunt diaboli. In *Regula monachorum*, cap. 21.

**S. HILARIUS** 28. Perimitur falsitas veritate. In *Explanat. super Psalm.* LIII.

**HUGO CARD.** 29. Omnis voluntas fallendi, peccatum est. Super *Josue*, cap. VIII.

**S. JOANNES CHRYSOST.** 30. Istud fallacia est, quod id quod vere est, occulit : et quod non est, ostentat. Serm. 13, super *Epist. ad Ephes.*

31. Falsus homo falsitatem tegit, amicitiam fingit, et odium exercet. Serm. *de Vit. et vitiis*.

**S. ISID. HISP.** 32. Reddit sæpe hominem multa falsitas, etiam in veritate suspectum. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 30, sent. 1.

33. Nonnunquam falsitas veriloquio adjungitur, et plerumque a veritate incipit, qui falsa confingit. *Ibid.*

34. Latent sæpe venena falsitatis circumlita melle verborum : et tandiu deceptor veritatem simulat, quousque fallendo decipiat. *Ibid.*

**LACT. FIRM.** 35. Nefas eum, qui veritati studet, in aliqua re esse fallacem. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 18.

36. Sicut ad verum bonum per fallacia mala, sic ad verum malum per fallacia bona pervenitur. *Ibid.*, cap. 22.

**S. PROSPER.** 37. Multos invenimus, qui fallere velint : qui autem falli, neminem. Apud *D. August.*

**S. VALER. EPISCOPUS.** 38. Nemo cum sanam dexteram videt falsitatis reo, debita jure supplicia judicet fuisse concessa. Homil. 1, *de Bono discipl.*

39. Nihil falsitas posset, si cupiditas otiosa dormiret. *Ibid.*, homil. 5, *de Oris insolentia.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

**SENECA** 40. Multi fallere docuerunt, dum timent falli. Lib. 7, *de Benefic.*, cap. 3.

41. Res nos fallunt, pro bonis mala amplectimur. Epist. 45.

42. Nunquam falsis constantia est, variantur et dissident. Epist. 102.

## FAMA.

**COLLECTOR.** *Definitio.* Fama est illæsæ dignitatis status, legibus, moribus comprobatus, et propalatus.

**HUGO CARD.** Fama est ore multorum celebrata laudatio. Super *Proverb.*, cap. XXII.

**CICERO.** Fama est quoddam multitudinis testimonium. 76, *Topicor.*

**HUGO A S. VICTORE.** *Comparatio.* Sicut naribus dulcis odor attrahitur, sic totis desideriis animi famæ sæcularis favor affectatur. Lib. 2, *de Nuptiis*, cap. 170.

SENTENTIÆ PATRUM.

**S. ANTONIUS DE PADUA.** 1. Cum incipis debes magis niti ad munditiam vitæ : cum proficis, ad odorem bonæ famæ. Serm. *Dom.* 10, *post Trinit.*

**S. ATHAN. MAGNUS.** 2. Caveamus ne in ullo famæ nostræ vulnere serpat nata ab occasione suspicio. *Prosec.*

**S. AUGUST.** 3. Ipsa famæ semina, priusquam linguis nutriantur, intereant. In *Exhort. ad monachos.*

4. Cum homo famam quærit, adstans ante hominem judicem, circumstante hominum multitudine, inimicum suum odio immanissimo insectans vigilantissime cavet, ne quid per linguæ errorem dicat coram hominibus, et ne per mentis furorem hominem auferat ex hominibus non cavet. Lib. 1 *Conf.*, cap. 18.

5. Odor bonus, fama bona est; quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes ejus pretiosissimo odore perfundit. Lib. 3, *de Doctrina christiana*, cap. 12.



6. Quem non potest diabolus devorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut si fieri potest, opprobriis hominum, et malarum linguarum detractione deficiat, et sic in ejus fauces ruat. Epist. 137, *ad Clerum.*

7. Sollicita est bona conscientia, famæ integritatem servare. *De Spiritu et anima*, cap. 62.

8. Quisquis famam suam custodit, in alios misericors est. *De Bono viduit.*, cap. 22.

9. Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. *Ibid.*

10. Ad virtutem pertinet bona vita, fama vero ad laudem. *Ibid.*

11. Consule quantum potest saluti, prospice famæ. *De Amicitia*, cap. 15.

12. Quisquis volens detrahit famæ meæ, nolens addit mercedi meæ. Lib. 3, *contra litt. Petiliani*, cap. 7.

13. Cum per bonam famam probantur, utrum nos in superbiam non extollamus; et per malam famam probamur, utrum inimicos eos ipsos, a quibus nobis confingitur, diligamus, diabolum vincimus. *Ibid.*, cap. 12.

14. Solet etiam de bonis mala fama mentiri. Lib. 3, *contra Cresconium*, cap. 12.

15. Intelligat unusquisque parum sibi prodesse conversationis famam, nisi in contemptu mundi amaverit disciplinam. *De Bono discipl.*, cap. 7.

16. Qui curam bonæ famæ colis, studio tuo gratiam integræ opinionis acquire. *Ibid.*, cap. 8.

17. Quem amor tenet servandæ integritatis, ante omnia falsi ad se famam non admittat erroris. *Ibid.*

18. Si vis placere Christo, elabora ut professionem tuam fides adjuvet, fama commendet. *Ibid.*, cap. 9.

19. Duæ res sunt conscientia et fama : conscientia tibi, fama proximo tuo. *Prosec.*

20. Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est. Serm. *de Communi vita clericorum.*

21. Qui superiorem vitæ gradum tenent, suæ famæ consulentes, dum impetus malorum timent, ab eorum reprehensione sese abstinent. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 9.

22. Nimis superbum fuit famæ parcere principum civitatis et civium, ubi suæ famæ parci numina noluerunt. *Ibid.*, lib. 2, cap. 9.

23. Mallem in hominem confideres, quam famæ ipsius falsitatem. Lib. 3, *contra Crescon.*, cap. 9.

24. Cum falsum quid a maledico fingitur, aut omnino non creditur, aut certe integra salute, sola fama vexatur. Epist. 15.

25. Nullus philosophorum finem actionum suarum constituit in fama vulgi, aut in lingua hominum. Epist. 56.

26. Cum aliquid de aliquo aliquandiu fama jactat, non utique facile credendum est; solet quippe fama mentiri. Epist. 106.

27. Fama popularis non in ore vulgi est lætabilis, sed in rebus ipsis. Epist. 128.

28. Nostra purganda vobis est fama, si est Domino purgata conscientia. Epist. 225.

29. Bonam famam custodiamus, dispensationi nostræ multum necessariam. Epist. 239.

30. Fama etiam ipsa consulta, vos pessimos jactat. Lib. 13, *contra Faustum*, cap. 3.

31. Fama de aliquo sermocinante seu bene, seu male, fit non immerito ut amemus vel oderimus ignotum. Tract. 90, super *Joannem.*

**S. BERNARD.** 32. Erit virtus contenta candore conscientiæ, ubi sequi non poterit odor famæ : cæterum odor famæ nec excusare sufficiet vitium conscientiæ decoloris. Serm. 71, super *Cant.*

33. Disce fragare bono præconio, habeto testimonium bonum, custodi tuam famam bonam : tua bona fama nullis fœturibus obscuretur, tua bona fama nullis opprobriis laceretur. Serm. 16, *ad Sororem*

**BOETIUS.** 34. Vos immortalitatem vobis propagare videmini, cum futuri famam temporis cogitatis. Lib. 2, *de Consolat. philosoph.*, prosa. 7.

35. Plures magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt, quo quid turpius excogitari potest? *Ibid.*, lib. 3, prosa 6.

**S. CLEMENS PAPA.** 36. Sæpe fama vulgi, prophetiæ speciem tenet. Lib. 3, *Recognit.*

**DIONYSIUS CARTHUS.** 37. Curandum est de fama honesta, non ad propriam laudem; sed ad Dei honorem, et proximorum salutem. Super *Epist. ad Coloss.*, cap. IV, art. 4.

**S. FRANCIS. ASSISIAS.** 38. Famæ pretium est conscientiæ secretum minuere, longeque damnosius et periculosius est abuti. In suis *Opusc.*, oraculo 14.

39. Frater, qui alium fratrem famæ gloria spoliaverit, habitu est spoliandus; nec oculos ad Deum elevare poterit, nisi prius quod abstulerat, reddiderit. *Ibid.*, apophthegm. 17.

**GILLEBERT. ANGLUS.** 40. Rapacitatis genus est, si famam decerpis. Serm. 19, super *Cant.* Apud S. Bernard., num. 4.

**GLOSS. ORD.** 41. Natura famæ est sive bonum, sive malum nuntiantis ubique omni celeritate discurrere. Super *Epist.* I. *ad Thessalonic.*, cap. 1.

**S. GREGOR. MAGNUS.** 42. Fama a bono opere vires accipit, et favoris gratiam quasi claritatem luminis aspergit. Lib. 22 *Moral.*, cap. 5.

43. Eum quem ad opus bonum laudis amor provocat, concupita fama attingit. *Ibid.*, num. 7.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

44. Qui exempla bonorum operum circumquaque per bonam famam tribuunt, quasi odorem, quo sanentur ægroti, aspergunt. Super *Cant.*, cap. VII, super illud : *Mandragoræ dederunt odorem.*

45. Postquam quis a vera religione cecidit, redolere per bonæ famæ opinionem cessat. Lib. 3, in I *Regum*, cap. II, super illud : *Translata est gloria Domini.*

46. Dulcis fama Sanctorum, sicut mel fluens, dulciter velociterque currit. Lib. 5, in I *Regum*, cap. IV, super illud : *Et apparuit fluens mel.*

47. Sicut ignis aura flante fit grandior, ita bonæ mentis studia commendationis fama proficiunt. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 52, epist. 52.

S. GREGOR. NAZ. 48. Malim, cum recto studeam, vitiosus haberi,
Quam vitio indulgens, justi clarescere fama.
In sua *Poesi*. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 89.

S. GREGOR. THAUMAT. 49. Fama bona suavior est animæ, quam oleum corpori. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

S. HIERON. 50. Falsus rumor cito opprimitur, et vita posterior judicat de priore. Epist. 10, *ad Furiam*.

51. Si anno præterito fama mentita est, aut certe si verum dixit : cesset vitium, cessabit et rumor. *Ibid.*

52. Facilius mala credunt homines, et quodcunque domi fingitur, rumor in publicum fit. Epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio.*

53. Cavenda est infamiæ macula, quæ nullo nitro elui potest. *Ibid.*

54. Multum in utrumque partem fama mentitur, et tam de bonis mala, quam de malis bona falso rumore concelebrat. *Epist. ad Rufin.*

55. Eo perducta res est, ut neglecta veritate meriti, de sola opinione curemus; qui testimonium vitæ nostræ non a conscientia nostra, sed a fama petimus. Epist. 1, *ad Demetriad.*

56. Solet fama subsequi bonum factum tuum, malum autem fama prævenit. Epist. 22, *ad Susannam lapsam.*

57. Fac tibi famam longiorem, ut quomodo unguentum nares odore delectat : sic ad tuum vocabulum cuncta prosperitas delectetur. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

HUGO CARD. 58. Nomen bonum habet, qui fidelium testimonio laudatur, licet paucorum, non vulgi imperiti. Super *Proverb.*, cap. XXII.

59. Difficillimum est famam semel læsam restituere. *Ibid.*, cap. 25.

60. Bonitas famam consistit in sex : bonitate et veritate eorum, quæ prædicantur; bonitate et auctoritate prædicantium; latitudine et perseverantia prædicationis. Super *Ecclesiasten*, cap. 88.

61. Qui famam negligit, non parcit sibi, nec proximo : non sibi, quia indiscrete agit : non proximo, quia eum scandalizat. Super II *Cor.*, VIII.

S. JOANNES CHRYSOST. 62. Fortior est tua fama, quam mea virtus. Homil. 5, super *Matth. Oper. imperf.*

63. Nulla res alia magis famam auget, vel bonam vel malam, quam vulgus incompositum. Lib. 3, *de Sacerdot.*

JOANNES SARESB. 64. Quisquis famæ petitor est, vires suas excedit : et non quid possit, sed quid aliis placeat, attendit, et illud festinat implere. Lib. 8, *de Nugis curial.*, cap. 2.

S. ISIDORUS HISPALENS. 65. Disce bono fragrare præconio, habeto testimonium bonum, custodi bonam famam tuam, nullis fœtoribus obscuretur, nullis laceretur opprobriis. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 8.

S. LAURENT. JUSTIN. 66. Consultius est ac eligibilius introrsus per humilitatem, Dei ac propriæ conscientiæ gaudere testimonio, quam exterius ad tempus per elationem humana opinione florere. *De Humilit.*, cap. 8.

S. PETRUS DAMIANUS. 67. Præsentibus conversatio tua luceat, absentibus fama in benedictione redoleat. Opusc. 46, cap. 6.

PHILO JUD. 68. Non est negligenda bona fama, res in omni vita utilissima. *De Migrat. Abrahæ.*

S. THOMAS AQUINAS. 69. Fama nihil celerius. Habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 102.

70. Nihil est ita charum homini, sicut fama. Opusc. 7, *de Decem præcept.*, præcept. 8, verbo *Non loquaris.*

71. Qui occulte detrahunt, si famam non restituant, salvari non possunt. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS. 72. Melior est bona fama ex sanctitate vitæ, quam odor unguenti pretiosi et divitiæ multæ. In *Enchirid. Moral.*, cap. 6, sect. 2.

S. VALER. EPISCOPUS. 73. Tu qui curam bonæ famæ colis, studio tuo gratiam integræ opinionis acquire. *Ibid.*

74. Si vis placere Christo, elabora ut professionem tuam fides adjuvet, fama commendet. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET. 75. Si famam servare cupis, dum vivis, honestam,
Fac fugias animo, quæ sunt mala gaudia vitæ.
Lib. 4 *Distichor.*, metr. 36.

CICERO. 76. Perditissima ratio est, negligere famam. Lib. 4, *de Arte rhetor.*

77. Fundamentum perpetuæ commendationis et famæ, est justitia, sine qua nihil potest esse laudabile. Lib. 2 *Offic.*

MIMUS POET. 78. Bona fama in tenebris, proprium splendorem obtinet. In suis *Sentent.*, sent. 60.

PLINIUS II. 79. Multi famam, conscientiam pauci verentur. Lib. 3, epist. 2, *ad Mesium maxim.*

80. Summam rerum nuntiat fama, non ordinem. Lib. 4, epist. 11, *ad Cornelium Minutian.*



81. Omnes qui fama ducuntur, mirum in modum assensio et laus a minoribus etiam profecta, delectat. Lib. 4, epist. 12, *ad Adrianum.*

82. Non perpetua fama, sed bona concupiscenda est. In *Panegyrico de Trajano Augusto.*

SENECA. 83. Vestra facta dictaque rumor excipit : et ideo multis magis cavendum est, qualem famam habeant, quam qui qualemcunque meruerit, magnam habituri sint. Lib. 1, *de Clement.*, cap. 8.

84. Male agit, qui famæ, non conscientiæ gratus est. Lib. 6, *de Benefic.* cap. 42.

85. Ad veram gloriam et famam non est satis unius. Epist. 102.

86. Fama, quæ vocem desiderat, claritas non est opinio. Epist. 102.

87. Bonæ famæ tuæ non sis seminator, neque alienæ invidus. *De Quatuor virt.*

88. Plerique famam, pauci conscientiam verentur. In suis *proverbiis.*

Vide etiam tit. *Æstimatio*, sent. 1, 12; *Detractio*, sent. 6; *Favor*, sent. 17; *Honor*, sent. 32; 60; *Infirmitas*, sent. 7; *Magnanimitas*, sent. 13; *Maledictio*, sent. 31; *Mensa*, sent. 6; *Nomen*, sent. 70, 71; *Persona*, sent. 10; *Suspicio*, sent. 2; *Vidua*, sent. 14.

## FAMES.

COLLECTOR. *Definitio.* Fames est appetitus calidi et sicci, id est cibi.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Fames amica virginitatis est, inimica lasciviæ : saturitas vero castitatem prodigit, nutrit illecebram. Serm. 37, *de Quadrag.*

2. Dulciores post famem epulæ fiunt, quæ assiduitate fastidio sunt, et diurna continuatione vilescunt. *De Elia et jejunio*, cap. 9.

3. Negligit famem corporis, qui pabula lectionis intendit : nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit. Serm. 35, *de Jejunio Domini.*

4. Nihil prodigæ satis est voluptati ; semper famem patitur sui, qui alimentis perpetuis nescit impleri. Lib. 7, super *Lucam*, cap. XV, in illud : *Facta est fames.*

S. ANTONIN. 5. Patitur otiosus famem universalem : oculi desiderant vanitatem, aures rumores, olfactus odores, gula cibos, quam famem non habet occupatio ? Part. 2, tit. 6, § 10.

S. AUGUST. 6. Fames et sitis quidam dolores sunt, urunt et sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Lib. 10 *Conf.*, cap. 31.

7. Jejunium voluntatis est, fames necessitatis. Super *Psalm.* LXII.

8. Medicamentum famis, cibus est. Homil. 38, *ex Quinquag. homil.*

9. Fames amica virginitatis est, inimica lasciviæ : saturitas vero castitatem prodit, nutrit illecebram. Serm. 1, *Feriæ 4, post 2, Dom. Quadrag.*

10. Cur corpus fame discrucias, cui turpiter peccando blandiris? Serm. 1, *Fer 3, Rogat.*

11. Non est sanus, qui esurit. Homil. 38, *ex Quinquag.* homil., cap. 6.

S. BASILIUS MAGNUS. 12. Fames famelici morbus, miserabilis est affectio. Conc. 11, *de Fame.*

13. Fames humanarum calamitatum caput existit. *Ibid.*

14. Miserrimum genus mortis est, fame perire. *Ibid.*

15. Fames lentum habet malum, dolorem differentem ac prolongantem, morbum insidentem ac delitescentem, mortem semper præsentem ac semper tardantem. *Ibid*

16. Fames humiditatem naturalem consumit, caliditatem frigefacit, molem contrahit, facultatem ac vires paulatim tabefacit. *Ibid.*

17. Fames et siccitates, communes quædam sunt civitatum ac gentium plagæ, hominum peccata immodica punientes. Homil. 9, *Quod Deus non est auctor malorum.*

18. Ad horrea tua aperienda, noli annonæ caritatem expectare : nam qui auget pretium annonnæ, publicæ execrationi obnoxius redditur. *Prosec.*

19. Famem ob aurum ne opperitor, noli ob utilitatem privatam, communem inediam affectare. Homil. 9, *contra divites.*

S. BERNARD. 20. *Facta est valida fames in terra* : qui pecuniam diligit, non satiatur ; qui luxuriam appetit, non satiatur ; qui gloriam quærit, non satiatur ; qui mundum amat, non satiatur. Serm. *de Convers. ad Clericos*, cap. 22.

21. Fames, non sapor provocet appetitum. In *Formula honestæ vitæ.*

22. Si blado abundas, non diligas caristiam quia diligens caristiam, cupit esse pauperum homicida. Epist. *de Cura et regim. rei familiaris.*

S. BONAV. 23. Sicut post saturitatem edere superfluum est, ita ante esuriem otiosum est, cum esurire licitum est, post esuriem strenuum est. Super *Psalm.* CIV.

24. Pasce fame morientem ; si non pavisti, occidisti. In *Speculo animæ.*

DIONYSIUS CARTHUS. 25. Eorum pauperum, qui ex fame obierunt, mortis reus teneris. Super *Epist. Jacobi*, cap. V.

S. EPHRÆM. 26. Absurdum est fame illum confici, qui cibum aliis impertitur. *De Confession.*

FRANCISCUS TITELM. 27. Si fames oriatur super terram, quia justus es, servabit te Deus, ne fame pereas. In *Elucid.*, super cap. V.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

28. Nescit dulcedinem epularum, qui famem non est expertus. *In Annot. super Psalm.* LXX.

S. GREGOR. MAGNUS. 29. Sicut fames carnis est subtractum subsidium corporis : ita et fames mentis est silentium divinæ locutionis. Lib. 6 *Moral.*, cap. 15, super illud *Job* v : *In fame eruet te.*

30. Fames corpus atterit, atque ut ejus necessitas repellatur, cibi requiruntur : sed sæpe et cibi gravant, qui ad repellendum debilitatis gravamen quæsiti fuerant. *Ibid.*, lib. 12, cap. 9, num. 9.

31. Saturitatem excludit esuries. *In Septem Psalm. Pœnit.*, *Psalm.* VI, in prolog.

32. Nonnulli hujus mundi divites, cum fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones. Part. 2 *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 21.

S. GREGOR. NAZ. 33. In fame nihil gravius, atque acerbius est, quam crudelitas, cupiditasque inexplebilis eorum qui rei frumentariæ copia circumfluunt. Habet. apud. Div. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 82.

34. Observant enim temporum difficultates, atque ex annonæ penuria lucrum captant, et ex aliorum calamitatibus messem faciunt. *Ibid.*

S. GREGOR. NYSS. 35. Affectus famis est ejus desiderium, quo carere non possumus. Orat. 4, *de Beatitud.*

S. HIERON. 36. Ego fame torqueor, et tu judicas quantum ventri meo satis sit. Epist. 2, *ad Nepotian.*

37. Famem vera fides non timet. *Ibid.*, epist. 8, *ad Demetriad.*

38. Pestilentia semper famem, ac penuriam sequitur. Lib. 4, super *Ezech.*, cap. XIV, super illud : *Et immittam in eam famem.*

39. Nihil est fame durius, quæ sæpe compellit obsessos humanis vesci carnibus, et in suam sævire naturam. Si hoc facit fames corporum, quid de fame dicendum est animarum ? Lib. 3, super *Amos*, cap. VIII, super illud : *Ecce dies veniunt.*

40. Mittit Dominus famem in terram super eos, qui terrena sapiunt, et famem non panis, sed audiendi verbum Dei, quando propter peccata populi doctrina deficit in Ecclesiis. *Ibid.*, cap. VIII.

41. Fames necessitatis est jejunium voluntatis. Super II, *ad Cor.*, cap. II, in illud : *In labore et ærumna.*

HUGO A S. VICTORE. 42. Fames vitales meatus arctat, corpus attenuat, squalorem generat, vilia pretiosa reputat, cutem tumescere facit, et pilosam, desidiam et appetitum excitat. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, ap. 6.

HUGO CARD. 43. Infelices, qui intelligitis vos majorem famem habere, quam ventrem. Super II, *Reg.* IV.

JOAN. CASS. 44. Pulchre Abbas Macharius cuidam percunctanti, cur fame ab hora tertia in eremo pulsaretur, qui in cœnobio hebdomadibus integris refectionem sæpe contemnens, non sensisset esuriem ? respondit : quia nullus hic est jejunii tui testis, qui te suis laudibus nutriat atque sustentet, ibi autem te digitus hominum, et cenodoxiæ refectio saginabat. Collat. 5, *Serapionis Abb.*, cap. 12.

S. JOANNES CHRYSOST. 45. Corpori ob voracitatem multa parantur, anima vero fame perire sinitur. *Prosec.*

46. Fames corporis illud emaciat, fames illam attenuat. Homil. 54, super *Gen.*

47. Molesta est fames, quæ ad hoc saginatur ut perdat : perniciosa esuries, quæ idcirco excluditur, ut pejor in homine nutriatur. Serm. de *Jacob. et Esau.*

48. Molesta est fames, ubi quod esurit necessitas deesse invenit. Homil. *de Elia.*

49. Quando fames premit, nescit inter divitem et pauperem ullo modo discernere, gloriosum, et ingloriosum, nobilem et ignobilem non cognoscit. Homil. 59, super *Matth.*, *Oper. perf.*

50. Dives in frumento famem precibus optat, ut auro potiatur ; quid hujusmodi viro miserandum magis ? Homil. 39, super 1 *Cor.*

51. Fames repletione est tolerabilior ; famem namque plures dies quisquam ferre poterit, repletionem vero ne solos quidem duos. Homil. 1, super *Epist. ad Coloss.*

52. Quid est fame et siti deterius, quid sævius, quid intolerabilius ? Homil. 28, super *Epist. ad Hebr.*

53. Erubescis esurire, rapere vero non erubescis : times fame necari, alios autem necare non times. Homil. 53, *ad Populum Antioch.*

S. JOANNES DAMASC. 54. Condimenti loco sit tibi fames. Lib. 1, *Parall.*, cap. 26.

S. ISIDORUS HISPAL. 55. Sitis et fames, carnis luxuriam interimit : fames et sitis, carnis libidinem superat. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 4.

PHILO JUD. 56. Urbium regionumque gravissimus morbus fames est : cujus vires oportet frangere, ne nimium auctus incolas deleat. *De Joseph.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 57. Cibi condimentum est fames. Lib. 2, *de Finibus*, num. 90.

HIPOCRATES. 58. Corporibus humida carne præditis perferenda fames est : nam fames siccat corpora. *Commentar.* 7, aphori. 59.

SENECA. 59. Parvo fames constat, magno fastidium. Epist. 17.

60. Quæris quid sit remedium inopiæ ? famem fames finit. Epist. 110.

61. Ambitiosa non est fames, contenta desinere est, quo desinat, non nimis curat. Epist. 119.

62. Palatum tuum fames excitet, non sapores. *De Quatuor virtut.*



SIXTUS PHILOSOPH. 63. Melius est fame mori, quam per incontinentiam ventris maculare animam. Sent. 335.

Vide etiam tit. *Avaritia*, sent. 116 ; *Domare*, sent. 17 ; *Exercitium*, sent. 9. 10 ; *Laus*, sent. 40 ; *Nutrimentum*, sent. 54 ; *Pecunia*, sent. 52 ; *Satietas*, sent. 5.

## FAMILIA.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Laus Domini, ubi munda possessio, et innocens familiæ disciplinæ. Lib. 1 *Offic.*, cap. 50.

S. AUGUST. 2. Sine obedientia familia aliqua regi non potest. Serm. 7, *ad Fratr. in Eremo.*

3. Habet omnis familia Dei consolationem suam non fallacem, nec in spe rerum nutantium constitutam. Lib. 1, *de Civita. Dei*, cap. 29.

GLOSS. DECR. 4. Ille vere et bene præpositus est suæ domui, qui familiam suam bene gubernat verbo et exemplo. In *Decret. Gratiani.*

S. GREGOR. MAGNUS. 5. Absente domina familiæ, ancillarum linguæ perstrepunt, silentium deserunt, deputati operis officia negligunt, totumque ordinem confundunt. Lib. 1 *Moral.*, cap. 15.

S. HIERON. 6. Nobilem familiam virgo virginitate sua nobiliorem facit. Epist. 8, *ad Demetriad.*

7. Familiam tuam ita rege et confove, ut te matrem magis tuorum, quam dominam videri velis, a quibus benignitate potius quam severitate exige reverentiam : fidelius et gravius semper obsequium est, quod ab amore, quam quod a metu proficiscitur. Epist. 14, *ad Celantiam.*

HUGO A S. VICTORE. 8. Duæ sunt familiæ, una Christi, altera diaboli : milites diaboli exterius violentiam inferunt, milites Christi interius patientiam vincunt. In *Dialog. de sacram. legis naturalis et scriptæ.*

HUGO CARD. 9. Prælatus est bonus, cum familia est bona : malus, cum familia est mala. Super *Ecclesiastic.*, cap. X.

S. JOANNES CHRYSOST. 10. Disciplina domini ex moribus familiæ demonstratur. Homil. 10, super *Matth.*, *Oper. imperf.*

11. Familia sine flagello non regitur. *Ibid.*, homil. 45.

12. Nihil concordia in familia majus, nihilque magis necessarium : id enim præstat pecuniis et ingenuitati, atque potentiæ, et cæteris omnibus onge utilissimum est. Homil. 4, super *Epist. ad Tit.*

SALVIANUS. 13. Quantam illic putamus esse labem familiarum, ibi Domini sunt impuritatis exemplum ? Lib. 7, *de Gubernat. Dei.*

14. Nemini dubium est omnes dominorum familias, ut similes esse dominis, aut deteriores. *Ibid.*, lib. 8.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 15. In familia protectio defensioque, penes mares est : penes fœminas autem eorum, quæ intra ædes sunt, cura atque sollicitudo. *De Regno ad Arcadium imperat.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 16. Nemo tanta felicitate esse potest in magna familia : ut neminem neque servum, neque libertum improbum habeat. Orat. 2, *pro Roscio.*

## FAMILIARITAS.

PLATO. *Definitio.* Familiaritas est ejusdem generis societas. Syzygia 6, *De Definit.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Adulterinus sermo juvenculæ, nodus adolescentium est : verba adolescentis, vincula sunt amoris. Lib. 1, *de Pœnit.*

2. Quam religiosum videtur, ut commorationem christianæ fœminæ non recuses : sed crebra inde tentatio. *Prosec.*

3. Si attentos Deo viderit diabolus, suggerit ut decipiat : sed tu quamvis de proposito præsumas cave tentationem, sciens naturam. Lib. 4, super *Luc.*, cap. IV, in illud : *Diabolus recessit ab illo.*

S. ANTONIN. 4. Nimis familiaritas, quam habent mulieres cum personis spiritualibus (etsi pura intentione) nisi magno rigore gubernetur, in sensualem amorem convertitur. Part. 1, tit 6, cap. 2, § 2.

5. Quomodo credendum est, ut non incidat in laqueum diaboli, qui studiose sibi laqueum parat? Part. 2, tit. 5, cap. 1, § 7.

6. Cavendum est a mulieribus, etsi sunt bonæ indolis et piæ conversationis, quia sæpe sub affectu pietatis se supponit viscus libidinis. Part. 3, tit. 16, cap. 1, § 10.

7. Familiaritas quæ causatur ex multa et privata locutione, in omni re præbet audaciam : audacius enim petitur aliquid a familiari, quam ab extraneo. Part. 3, tit. 16, cap. 1, § 10.

8. Spina lacerans est nimia domesticitas. Part. 4, tit. 4, *de Temperantia*, cap. 6, § 6.

S. AUGUST. 9. Cum malis hominibus nulla tibi sit familiaritas, si non valeas, Domino miserante, eos ab errore suo revocare. *De Salutar. document.*, cap. 44.

10. Ab omnibus christianis, præcipue tamen a monachis seu clericis, indigna et inhonesta familiaritas fugienda est, quia sine ulla dubitatione qui familiaritatem mulierum non vult fugere, cito dabitur in ruinam. *De Honest. mulier.*, cap. 1.

11. Quanti per mulierum inhonestam familiaritatem, castitatis decorem perdiderunt! *Ibid.*, cap. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

12. Quanto vilior est mulierum conditio, tanto ruina facilior. *Ibid.*

13. Si tam multo, sanctos viros incauta familiaritas mulierum, et perniciosa blandimenta vicerunt, quid de se cogitant illi, qui cum mulieribus non solum conversari : sed etiam in una domo manere, et convivio earum, aut frequenter, aut semper interesse nec metuunt, nec erubescunt? Homil. 21, *ex Quinquaginta homil.*

14. Nihil pejus est, quam consortium habere mulierum, et societatem. Serm. 26, *ad Fratr. in eremo.*

S. BASILIUS MAGNUS. 15. Absurdum est eum, qui a mundi delectatione solutus esse studet, voluptatum vinculis per familiaritatem seipsum implicare, ut non amplius de cætero, neque corpore, neque anima solutus esse juxta professionem possit. *De Virginit.*

16. Perniciosæ sunt improborum hominum familiaritates. Apud D. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 73.

S. BERNARD. 17. Cum fœmina semper esse, et non cognoscere fœminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? quod minus est non potes, et quod majus est vis credam tibi? *Prosec.*

18. Quotidie latus tuum ad latus juvenculæ est in mensa, lectus tuus ad lectum ejus in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipsius in opere, et continens vis putari? esto ut sis, sed ego suspicione non careo. Serm. 6, super *Cant.*

19. Dignatio facit familiarem, familiaritas præsumptorem. Epist. 169, *ad Innocent. pap.*

20. Vulgare proverbium est, quod nimia familiaritas parit contemptum. In *Scala claustralium*, verbo *Sed.*

21. Si familiaritas religiosis interdicitur hominum, quanto mulierum? In *Speculo monach.*

22. Tanto altius se quisque noverit in virtutum gradibus ascendisse, quanto minus humanis colloquiis delectatur. Lib. 1, *de Passione Dom.*, cap. 28.

23. Sæpe familiaritas vincit, quos vitium superare non potuit. Serm. 58, *ad Sororem.*

S. BONAV. 24. Qui vult seipsum mundum conservare per puritatem pudicitiæ, debet quantum potest fugere consortia mulierum. Serm. 2, *Dom.* 11, *post Pent.*

25. Ex multiplicatione familiaritatum, suspiciones, infamationes, et scandala plurima oriuntur. Epist. *ad Ministr. provinc. et Custodes.*

26. Mulierum tam propinquarum, quam aliarum, caute societas declinanda est, earumque familiare nimis obsequium et tactus omnino fugiendus. *Prosec.*

27. Nulli ulla ratione sustineant, quod pedes sibi a muliere laventur.

28. Nudam manum mulieris tangere, vel ad ejus caput vel corpus ubilibet absque necessaria atque evidenti causa manum extendere, ab omni prorsus honestate quis dubitat alienum?

29. Non sine periculo animæ, mulierum habetur societas.

30. Ubique gustanda est cum mulieribus, non continuanda præsentia, sed quasi transeunter fœminis exhibenda est accessio.

31. Tutius est non posse perire, quam juxta periculum non periisse.

32. Illum nec castum dixerim, nec honestum, qui mulierem aut tangere, aut tactum ejus admittere non abhorret : quomodo tangere licet, quod intueri non licet? In *Speculo discipl.*, part. 1 cap. 30.

33. Ubi multi familiares, ibi multi locutiones, et sibili singulares. *Ibid.*, part. 2, cap. 6.

34. Si familiarem admittis, admitte quem ætas, mores, discretio, et honestas insignit et commendat. *Ibid.*

35. Familiaritas si fuerit ordinata, non erit blanda, improba, puerilis. *Ibid.*

36. Est modesta quædam in sancta familiaritate severitas, est et justitiæ rectitudo : ut nullatenus vitium foveatur, nec pro amico proximus offendatur. *Ibid.*

37. Sæcularium familiaritas indiscreta, religiosi quietem multipliciter inquietat. *Ibid.*

38. Non potest corde habitare cum Domino, qui mulierum accessibus copulatur. *Ibid.*

39. Asper sermo, brevis et rigidus, cum mulieribus habendus est. In *Regula novit.*, cap. 11.

40. Fuge laqueos mulierum, qui non es Davide sanctior, nec Samsone fortior, nec Salomone sapientior.

41. Frequens familiaritas, domesticum est periculum, delectabile detrimentum, et malum occultum boni colore depictum. *De Modo confitendi*, cap. 14.

S. CÆSAR ARELAT. 42. Quando primæ familiaritatis fœmina cum viro esse cœperit, satis verecunda et quasi sancta esse cognoscitur : sed diabolus subtrahit in primis machinamenta sua, donec paulatim assidua familiaritate crescente inter ambos inimica nutriat! *Prosec.*

43. Callidus enim hostis facit illos sibi invicem parvo tempore deservire, sine ulla ratione libidinis, sine ullo dispendio castitatis.

44. Et ita illos falsa securitate circumvenit, ut eos quasi in blanda tranquillitate, velut duas naviculas perducat in altum : et dum se putant esse securos, subito illos tempestate demergit.



45. Tamdiu subditos ignes sine ullis flammis occultat, donec duas faculas jungens simul jam ambas accendat. Epist. *ad Quosdam.*

46. Si tu te nimium familiarem præbueris, alterius concupiscentiam nutris. *Prosec.*

47. Etiamsi ipse non pecces, alium tamen perdes : et erit tibi causa etiam sine causa, ut te libido maculet aliena.

48. Et qui indignam familiaritatem non subvertit, aut se aut alium cito perdet. *Ibid.*

49. Attende, anima sancta, diligenter intellige, quanta mala de inordinata familiaritate nascantur. *Prosec.*

50. Familiaritas enim cujuslibet fœminæ, si frequens esse cœperit, non nisi corruptionem seminat, vitia pullulat, libidinem concipit, ignominiam parat, porrigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, ripas erigit, præcipitia aperit, periculis naufragat, naufragiis militat, perditione gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, excusationes inflammat. *Ibid.*

51. Et catervatim simul glomerantur numerosæ indagines captionum : ac per infinita dedecora multiplicis mortis invehit perniciem perditorum.

52. Tot itaque et tanta mala perniciosæ familiaritatis nemo prosternit, nisi qui societatem, unde periclitari possit, aut difficile, aut certe rarius habere contenderit. *Ibid.*

53. Sancta anima, quæ secretum suum custodire voluerit, assiduitatis malum tota animi virtute fugiat. *Ibid.*

CLEMENS ALEX. 54. Fugienda est mulierum familiaritas, fugienda tanquam scopulus difficilis, aut charybdis minæ, aut fabulosæ syrenes. *Prosec.*

55. Suffocat enim hominem, a veritate avertit, abducit a vita; est laqueus, est barathrum, est malum ventilabrum consuetudo, seu familiaritas.

56. Hæc est unda, quæ ignem eructat : mala est insula, accumulata ossibus et cadaveribus. In *Orat. adhortat. ad Gentes.*

S. CYPRIAN. 57. Tempus certaminis adhuc geritur, et mors per fœminam usque grassatur. *Prosec.*

58. Quantos leones, quantos et quales episcopos et clericos et laicos una muliebris infirmitas delicata domuit, quæ cum sit vilis et misera, de magnis efficit prædam! *De Singularit. cleric.*, cap. 3.

59. O quam inordinabilis fœminæ propinquitas jaculatur, cujus vicinia est delictorum latrocinium : non est in hac societate sinceritas approbabilis, quæ collisiones habet, velut quibusdam fluctibus turbulentas. *Ibid.*

60. In familiaritate mulieris non habitet amica concordia, quoniam nonnisi discordantes inimicitias creat. *Ibid.*

61. Casuale est omne quod fœminæ est, et copulatio ejus semper infesta est. *Ibid.*, cap. 4.

62. Mulier fœdere suo magnas molestias præstat, et cui adhæserit contra fas, sibi insanabilem ingerit plagam. *Ibid.*

63. De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam. *Ibid.*

64. Nec quisquam sibi proponat et dicat : Habere volo quod vincam, hoc est enim dicere, Vivere desidero sub ruina. *Ibid.*, cap. 6.

65. Omnis inconveniens sodalitas mulierum, gluten est delictorum, et viscum toxicatum, quo diabolus homines aucupatur. *Ibid.*, cap. 7.

66. Ama fœminas inter sacra solemnia, et odio habe in communione privata. *Ibid.*, cap. 9.

67. Tunc cavenda sunt fœminæ participia, quando geritur carnalium curarum continua unanimiter frequentia. *Ibid.*

68. Tamdiu diabolus sopitum ignem sine utilis flammis occultat, donec duas faculas jungens, simul ambas accendat : et tamdiu cessat sævitiæ suæ tela supponere, donec sicut peritus venator, quos occisurus est, laquei sui vinculis alliget. *Ibid.*, cap. 12.

69. Diabolus sicut de simplici charitate amorem conflat illicitum, sic per sanctitatem sibi inducit interitum. *Ibid.*

70. De clericis familiaribus erga mulieres Apostolus ait : *Gloria in turpitudine ipsorum.* Dilectio est, inquiunt. O dilectio, quæ invidet sibi! o charitas, quæ cupit se in vituperatione laudari! *Ibid.* cap. 18.

71. Grande miraculum, ut virginum charitas per familiaritatem, virgines faciat velut conjuges credi, et conjugum charitas conjuges faciat velut virgines æstimari. *Ibid.*

72. Amputanda sunt omnia quæcunque ignifer fomitis sulphurantibus flammis scatens fornax ebullientis carnis exæstuat, ne vel tenuis quidem scintilla servata, majora conflet incendia. *Ibid.*, cap. 12

73. Ubique gustanda est cum mulieribus, non continuanda præsentia : sed quasi transeunter fœminis exhibenda est accessio quodammodo fugitiva. *Ibid.*, cap. 25.

S. EUSEBIUS CÆSAR. 74. Homo et mulier, ignis est et palea : diabolus nunquam insufflare cessat, ut accendatur. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

75. Tanta sit inter virum et mulierem fa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

miliaritatis raritas, ut alter alterius nomen nesciat. *Ibid.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 76. Mulierum familiaritates, colloquia, et aspectus, quæ multis occasio sunt ruinæ, eo sollicitius evitare debemus, quo sæpius videmus per hujusmodi debilem frangi et fortem spiritum infirmari. *Prosec.*

77. Harum contagionum evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile judico, quam in igne ambulare et non comburere plantas.

78. Non enim securum puto earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem.

79. Frivolum profecto est quodcunque mulieris colloquium, excepta sola confessione, vel instructione brevissima, juxta quod saluti expedit, vel congruit honestati. In suis *Opuscul.*, collat. 6.

FRANCISCUS TITELM. 80. Non familiaritate nimia vilescat auctoritas, quia solet nimia familiaritas contemptum parere. In Annotat. super cap. 1 *Job.*

GLOSS. DECR. 81. Major familiaritas est in cibo sumendo, quam in colloquio : et facilius quis decipitur inter epulas, quam inter loquelas. In *Decretis Gratiani.*

S. GREGOR. MAGNUS. 82. Qui corpus suum continentiæ dedicant, habitare cum fœminis non præsumant, ne ruina mentem tanto repentina surripiat, quanto ad hoc quod male concupiscitur, etiam præsentia concupitæ formæ famulatur. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 7.

83. Inter amantes se animos hominum, magnum charitatis familiaritas ausum præbet. *Ibid.*, cap. 37.

84. Legitur quod beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens : Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Lib. 7, in *Registro*, in art. 2, cap. 39, epist. 39, *ad Roman. defensor.*

85. Docti viri cautela, magna debet nobis esse instructio, nam vitium præsumptionis est, quod fortis pavet, minus validum non timere. *Ibid.*

S. HIERON. 86. Omnes puellas et virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. *Prosec.*

87. Non in castitate confidas : nec sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior : memento semper quod paradisi colonum possessione sua mulier ejecerit. Epist. 2, *ad Nepot.*

88. Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis. *Ibid.*

89. Solus cum sola, secreto et absque arbitris vel teste, non sedeas. *Ibid.*

90. Ancillas tibi scias esse in insidiis : quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior est ruina. *Ibid.*

91. Fœminæ nomen tuum noverint, sed vultum tuum nesciant. *Ibid.*

92. Quare solus cum sola, et non cum arbitris sedes ? ut cum ipse non pecces, aliis peccare videaris. Epist. 12, *ad Gaudentium.*

93. Puellæ quanto licentius juvenculos adeunt, tanto difficilius evitantur : et quod didicerunt, secreto docent. *Ibid.*

94. Solent lascivi, et comptuli juvenes blandimentis, affabilitate, munusculis aditum sibi ad virgines quærere : et cum clementer intraverint, de scintillis incendia solent concitare, paulatimque proficere ad impudentiam, et nequaquam posse prohiberi. *Ibid.*

95. Quisquis unquam mortalium juxta viperam securos somnos capit? quæ etsi non percutiat, certe sollicitat. Securius est perire non posse, quam juxta periculum non periisse. Epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio.*

96. Nulla securitas est, vicino serpente dormire : potest fieri ut me non mordeat, tamen potest fieri ut aliquando me mordeat. Epist. 6, *advers. Vigilant.*

97. Quid facit monachus in cellulis fœminarum ? quid sibi volunt sola et privata colloquia, et arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet. *Ibid.*

98. Amice, cave tibi a muliere : Cato non nisi cum vera et cognita loquebatur (nec quisquam fœminarum execratur ludibria, nisi expertus) cum ait, si absque fœmina posset esse mundus conversatio nostra non esset absque diis. Epist. 51, *ad Rufinum, ne ducat uxorem.*

99. Mihi crede, non potest toto corde cum Domino habitare, qui fœminarum accessibus copulatur. Epist. 54, *ad Oceanum, de Vita clericorum.*

100. Flamigero igne percutit fœmina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium. *Prosec.*

101. Si cum viris fœminæ habitent, viscarium non deerit diaboli.

102. Fœminam, quam bene videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentia. *Ibid.*

103. Quid te virginale delectat eloquium ? cur sanctimoniales frequentas? inordinata consuetudo ista est. *Ibid.*

104. Nihil est periculosius viro, quam mulier ; et mulieri, quam vir : uterque palea, uterque ignis. In *Regula monachorum*, cap. 11.

105. Non nimium sit stricta familiaritas, non



suspecta colloquia : quia tam cito perditur, nisi forte custodiatur, quod charum habetur et utile. *Ibid.*

106. Principium spiritualis operis, si non sit matura provisio, solet subsequi quoddam carnale. *Ibid.*

107. Sicut in pluribus solet contingere mulieribus sub fervore spiritus, sub charitate nimium stricta (nisi custodia gravitatis ori ponatur), si utatur loquendi copia, statim libido et actu turpissimum, dictu infelicissimum, de spiritu et charitate nascitur. *Ibid.*

108. Charissimæ, hoc hortor, hoc moneo, hoc mando vobis, ut quæ Christi desponsatæ estis conjugio, cui omnem castitatis vestræ fidem vovistis, viri cujuscunque, etiamsi cum sanctitas exornet, etiamsi Baptistæ æquaretur in meritis, quæratis effugere familiaritatem. *Ibid.*

109. Secreta verbula non carent suspicione. *Ibid.*, cap. 20.

110. Nullum venenum nocivius fœminæ, quam affectio erga virum, quacunque de causa procedat. *Ibid.*

111. Proh dolor! infelix mulieris conditio : sanctior mulier ultra quam dici liceat, si viro adhæreat quantumcunque spirituali, instinctu naturali inclinatur tandem ad nefas, in viro virtus deficiat. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 112. Nutrimentum luxuriæ cohabitatio mulieris ministrat, præbet vires, supponit igni materiam. Lib. 1, *de Nuptiis carnal.*, cap. 2.

JOAN. CASS. 113. Familiaritas fœminarum vere noxia est; et ipsa quoque figura sexus illius execranda. Collat. 6, *Abb. Sereni*, cap. 26.

S. JOANNES CHRYSOST. 114. Sicut mali sua consuetudine familiaribus multum nocent, sic et bonorum familiaritas conjunctis sibi maxima affert commoda. Homil. 5, super *Gen.* in illud 1, *Cor* XV : *Corrumpunt bonos mores.*

115. Quid, qui cœlorum civis es, et superiorem philosophiam colis, cum eis qui terrena sapiunt, te commisces? Homil. 25, super *Epist. ad Hebr.*

S. JOANNES DAMASC. 116. Stultorum familiaritates exitiosæ sunt. Lib. 3 *Parall.*, cap. 72.

JOAN. TRITH. 117. Sicut scintillæ de carbonibus prosiliunt, ita virus concupiscentiæ ex mulierum assidua familiaritate diffunditur. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 2.

118. Janua diaboli, porta inferni, via iniquitatis, scorpionisque dira percussio ; et nocivum genus fallendi viro casto, familiaris est fœmina : cum proximat, stimulat : cum loquitur, incendit : cum tangit, vehementer exurit.

S. ISIDORUS HISPALENS. 119. Circa serpentem positus, non eris diu illæsus. *Prosec.*

120. Ante ignem consistens, etsi ferreus sis, aliquando dissolveris.

121. Proximus periculo, diu tutus non eris.

122. Per assiduitatem cito peccat homo, sæpe familiaritas implicat, sæpe occasio peccandi voluptatem facit.

123. Sæpe quos voluptas non potuit, assiduitas et familiaritas superavit. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 4.

124. Scabie animus laborat, plenusque est malorum succorum ex aliis colloquiis. Epist. *ad Zenom.* S. JUSTIN. MART.

125. Accedendum est ad mulieres cum integritate et cautione, non curiose, cum metu periculosæ earum consuetudinis. *Ibid.*

126. Versandum cum mulieribus majore cum animi fortitudine adhibita, diffusorum ramorum nostrorum præcisione. *Ibid.*

127. Heu! quam multi in principio pure et sine deceptione conversantes, ex nimia familiaritate paulatim infecti, in immane præcipitium dilapsi sunt, eo miserabilius, quo fœdius! *De Discipl. monast. conversat.*, cap. 22. S. LAURENT JUSTIN.

128. Perniciosa est cum vanis hominibus consuetudo. In Lib. *Ascetico.* S. NILUS.

129. Lucernæ flammam oleum nutrit, et libidinis ardorem accendit consuetudo fœminarum. Orat. 2, *de Luxuria.*

130. Si vis pudice vivere, mulierum fuge familiaritatem, nec aditum illis ad te liberum permitte. *Ibid.*

131. Cave ne te blandis sermonibus mulieres irretiant; pestiferum enim illis venenum est. *Ibid.*

132. Ad ignem potius ardentem, quam ad mulierem juvenem, juvenis appropinqua : nam si ad ignem accesseris, dolore affectus celeriter resilies : ita si fœminæ verbis incensus fueris, haud ita facile recedes. *Ibid.*

133. Florent olera prope aquam sata, et libidinis semina familiaritate mulierum excitantur. *Ibid.*

134. Si in mulierum familiaritate cupiditas animum non commoverit, ei tamen tu minime fidas. *Ibid.*

135. Nullum precor, habeas cum homine sæculari commercium. Epist. 134, *ad Wuilhelm. Electum.* PETR. BLES.

136. Ut vires amittant incentiva libidinum, declinanda est societas fœminarum. Opusc. 52, cap. 4. S. PETRUS DAMIANUS.

137. Si fœmina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur. *Ibid.*, cap. 5.

138. Frequens familiaritas, domesticum est periculum, delectabile detrimentum, et malum S. THOMAS AQUINAS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

occultum bono colore depictum : quæ quidem familiaritas quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motivum, et utriusque puritas maculatur. *De Modo confitendi. De Periculo familiaritat.*

THOMAS A KEMPIS. 139. Quanto rarius et brevius loquimini hominibus, tanto securius est pro custodia cordis et oris : plus enim ædificabitis bonis moribus quam curialitate sermonis. Serm. 4, *ad Novit.*, divis. 2.

140. Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 8, sect. 2.

141. Cave familiaritatem eorum, qui imitandi non sunt, quamvis in Christo diligendi. *De Fideli dispensatore*, cap. 1, § 13.

142. Noli affectare familiaritatem extraneorum, qui habitum geris devotorum. In *Dialog. novit.*, cap. 4, sect. 4.

143. Raro diu bonus permanebit, qui secularibus personis libenter se immiscet. In *Dialogo novit.*, cap. 4, sect. 4.

IN VIT. PATR. 144. Qui ab hominibus frequentatur, ab angelis non visitatur. Lib. 4, cap. 10.

145. Homo fugiens hominem, similis est uvæ maturæ : qui autem cum hominibus libenter conversatur, sicut uva acerba est. Lib. 5 lib. 1, *de Profectu Patrum*, num. 10.

146. Filioli, sal ex aqua est, si appropinquaverit aquæ, continuo solvitur, et deficit : et monachus similiter ex muliere : si enim appropinquat mulieri, solvitur et ipse, atque in id desinit, ut jam monachus non sit. Lib. 10, cap. 217.

Vide etiam tit. *Clericus*, sent. 7, 8, 9, 95, 97, 98; *Monialis*, sent. 81.

## FASTIDIUM.

COLLECTOR. *Etymologia.* Fastidium a fastu dicitur : est enim fastidire proprie, cum fastu quodam contemnere.

S. AMBROS. *Definitio.* Fastidium est proprie cum fastu alicujus contemptus.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Necessitas, quæ invito imponit obsequium, affert plerumque fastidium. Lib. 5, *Hexam.*, cap. 15.

2. Epulæ assiduitate fastidio sunt. *De Elia et jejunio*, cap. 9.

3. Inter se nonnullam similitudinem habent vescentes atque discentes propter fastidia plurimorum. Lib. 4, *de Doctr. christiana*, cap. 11.

4. Vide ne tædium fastidiumque verbi Dei te necet, et metuendum est, ne anima minus sapiat verbum Dei, et fastidio moriatur. Super *Psalm.* cvi, vers. 8.

5. Ægrotus, qui fastidio laborat, et vult evadere hoc malum, concupiscit utique desiderare cibum, dum concupiscit non habere fastidium ; sed hoc fastidium morbus est corporis. *Prosec.*

6. Concupiscentia vero qua concupiscit desiderare cibum, hoc est, carere fastidio, in animo est, non in corpore; et habet eam non gutturis aut faucium delectatio, quæ fastidio restringitur, sed recuperandæ ratio sanitatis, quæ ad pellendum escæ fastidium providetur. Super *Psalm.* cxviii, conc. 8, super illud : *Concupivit anima mea desiderare.*

S. BASILIUS MAGNUS. 7. Nihil tam est appetendum, quin abeat in fastidium, si perpetuo fruare. Homil. 1 *de Jejunio.*

S. BERNARD. 8. Æternis inhianti, fastidio sunt transitoria. Epist. 111.

CASSIODOR. 9. Fastidium non habet dulcedo veritatis. Super *Psam.* xxx.

DIONYSIUS CARTHUS. 10. Fastidii mater est identitas. *De Perfect. charit.*, art. 45.

GILLEBERT. ANGLUS. 11. Sæpe festiva gaudia vertuntur in fastidium. Serm. 33, super *Cant.*, apud. D. Bernard. num. 5.

GLOSS. INT. 12. Præ amoris magnitudine, omnia temporalia sunt mihi fastidio. Super *Cant.*, cap. 5, in illud : *Amore langueo.*

GLOSS. ORD. 13. Sine fastidio fit percepta res cum mensura. Super *Matth.*, cap. vii.

S. GREGOR. MAGNUS. 14. Tanto se amplius fastidii morbus exaggerat, quanto se magis ab esu dulcedinis elongat. Homil. 36, super *Evang.*

15. Fastidio nostro tabescimus, et longa inediæ peste fatigamur : quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foris miseri famem nostram. *Ibid.*

S. HIERON. 16. Legenti fastidium generat longitudo. Epist. 2.

HUGO CARD. 17. Ubi nullum est fastidium in fruendo, ibi fruuntur, nec fastidiunt, qui frui magis sitiunt. Super *Cant.*, cap. viii.

S. PETRUS CHRYSOL. 18. Dicenti et audienti, semper generat lassitudo fastidium. Serm. 122.

S. PETRUS DAMIANUS. 19. Fastidio sint nobis cuncta, quæ cernimus. Serm. 13, *de Invent. S. Crucis.*

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 20. Omnis stultitia laborat fastidio sui. Epist. 9.

21. Parvo fames constat, magno fastidium. Epist. 17.

22. Inter reliqua hoc nobis natura præstitit præcipuum, quod necessitati fastidium excussit. Epist. 119.



23. Quidquid ex necessitate desideratur, sine fastidio sumitur. *Ibid.*

## FATUM.

COLLECTOR. *Etymologia.* Fatum dicitur a fari, quasi effatum divinæ providentiæ ; vel quia antiqui solebant de futuris effari.

JOAN. SAR. Parcas vel fata, antiquis placuit appellari, eo quod constitutiones providentiæ Dei, quin effectui mancipatur, nemini parcant, et a verbo Dei, quo æternaliter omnia dixit et facta sunt, executionis firmamentum accipiant. Lib. 2, *de Nugis curial.*, cap. 21.

S. THOMAS AQUINAS. Fatum a fando dictum intelligimus, id est, a loquendo, ut ea facto fieri dicantur, quæ ab aliquo determinante sunt ante prælocuta. Part. 1, *Summæ*, quæst. 116, art. 1, argum. 2.

BOETIUS. *Definitio.* Fatum inhærens rebus, est dispositio per quam providentia suis quæque connectit ordinibus. Lib. 4, *de Consol. Philosoph.*, prosa 6.

S. THOMAS AQUINAS. Fatum nihil aliud est, quam dispositio siderum, in qua quisque conceptus est, vel natus, sed hoc stare non potest. Part. 1, *Summæ*, quæst. 116, art. 1.

CICERO. Fatum est series causarum, ex omni æternitate fluens veritas sempiterna. Lib. 1, *de Divinat.*, num. 125.

SENECA. Fatum existimo necessitatem rerum omnium, actionumque, quam nulla vis rumpit. Lib. 2, *Quæst.*, cap. 36.

Fatum nihil aliud est, quam series implexa causarum. Lib. 4, *de Benefic.*, cap. 7.

BOETIUS. *Differentia.* Modus in rebus gerendis, cum in ipsa divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, Providentia nominatur : cum vero ad ea, quæ movet atque disponit refertur, fatum a veteribus appellatum est. *Prosec.*

Quæ diversa esse facile liquebit, si quis utrinsque vim mente conspexerit.

Nam Providentia est illapsa illa divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit : fatum vero inhærens rebus mobilibus, est dispositio, per quam providentia suis quæque connectit ordinibus.

Providentia cuncta pariter, quamvis diversa, quamvis infinita, complectitur : fatum vero singula digerit in motum, locis, formis, ac temporibus distributa.

Ut hæc temporalis ordinis explicatio in divinæ mentis adunata prospectu, providentia sit : eadem autem adunatio digesta atque explicata temporibus, fatum vocetur.

Ita Deus providentia quidem singulariter stabiliterque facienda disponit ; fato vero hæc ipsa, quæ disponit, multipliciter ac temporaliter administrat : quo fit ut omnia, quæ fato subsunt, providentiæ quoque subjecta sint, cui ipsum etiam subjacet fatum. Lib. 4, *de Consolat. Philos.*, prosa 6.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Quando damnatur quod fit impellentibus fatis, sine dubio fata ipsa damnantur. *Prosec.*

2. Iniqua sunt fata : si iniqua sunt, a Deo non sunt, sed a diabolo : si a diabolo sunt, simul damnanda sunt cum illo. *De quæst. vet. et Novi Testam.*, quæst. 115.

3. Si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. Lib. 5, *de Civit. Dei*, cap. 1.

4. Ipsam Dei summi præcipue voluntatem, cujus potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur, veteres fatum appellare probatur. *Prosec.*

5. Ait enim Seneca : Ducunt volentem fata, nolentem trahunt : nonne evidenditissime hoc versu ea fata appellavit summi Patris voluntatem ? cui se paratum obedire dicit, ut volens ducatur, ne nolens trahatur : quoniam scilicet, ducunt volentem fata, nolentem trahunt. *Ibid.*, cap. 8.

6. Multo sunt tolerabiliores, qui vel sidera fata constituunt, quam iste qui tollit præscientiam futurorum : nam et confiteri esse Deum, et negare prescium futurorum, apertissima insania est. *Ibid.*, cap. 9.

7. Omnia fato fieri non dicimus, imo nulla fieri fato dicimus ; quoniam fati nomen, ubi solet a loquentibus poni, id est, in constitutione siderum, qua quisque conceptus aut natus est, quoniam res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus. *Prosec.*

8. Ordinem autem causarum ubi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus, nisi forte ut fatum a fando dictum intelligamus, id est a loquendo. *Ibid.*, cap. 9.

9. Si sunt fata, quæ a fando, id est, a dicendo appellata sunt, quoniam Christus verbum Dei est, in quo antequam essent, dicta sunt omnia, non consortium siderum fatum Christi est, sed fatum etiam siderum Christus est. Lib. 2, *contra Faustum*, cap. 5.

10. Nulli sub fato ponant conditorem cœli, creatorem atque ordinatorem siderum : quia si esset fatum de sideribus, non posset esse sub necessitate siderum conditor siderum : quia non solum Christus non habuit quod appellas fatum, sed nec tu, nec ego, aut ille, aut quisquam hominum. Tract. 3, super *Evang. Joan.*, cap. II

S. BASILIUS 11. Ubi necessitas et fatum dominatur, ibi nul-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

MAGNUS. lum locum habet æstimatio, pro dignitate, quod justi judicii præcipuum existit. Homil. 6, *in Hexam.*

BOETIUS. 12. Uti est ad intellectum ratiocinatio, ad id quod est, id quod gignitur : ita est fati series mobilis ad providentiæ stabilem simplicitatem. *Prosec.*

13. Ea series fati cœlum ac sidera movet, elementa in se invicem temperat, et alterna commutatione transformat.

14. Eadem nascentia occidentiaque omnia per similes fœtuum seminumque renovat progressus.

15. Hæc actus etiam fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit. Lib. 4, *de Consolat. Philosoph.*, prosa 6.

S. CYRILLUS ALEX. 16. Nullum fatum vitam uniuscujusque pro arbitrio moderatur, singulosque aut pravi tenaces, aut virtutis sectatores facit : sed sponte quisque et volens fertur in utrumque. Homil. 6, de *Festis Paschalibus.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 17. Nemo dicat, fato urgente peccavi, nemo casum conditionis suæ ignarus accuset, nemo dominari æstimet fatum. Homil. 4, *de Epiphan.*

GRATIANUS. 18. Fato qui credit, mortaliter peccat. *In Decret.*, part. 2, causa 25, quæt. 6, can. *Non observetis.*

S. GREGOR. MAGNUS. 19. Vita humana neque a stellis, neque a fato administratur, sed a solo creatore. Homil. 9, super *Evang.*

20. Dum non puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit, si dici liceat, non stella fatum pueri, sed fatum stellæ is qui apparuit, puer fuit. *Prosec.*

21. Sed a fidelium cordibus absit, ut aliquid esse fatum dicant. *Ibid.*, homil. 10.

HUGO CARD. 22. Ne putes omnia casu, vel fato agi, et nihil a Deo provideri, ne tradat te in reprobum sensum. Super *Ecclesiasten*, cap. v.

S. JOANNES CHRYSOST. 23. Crede Deum esse justum, nec credes esse injustam genesim. *Prosec.*

24. Crede Deum esse, qui cuncta provideat, nec credes esse genesim, quæ cuncta in esse contineat.

25. Crede supplicium esse et regnum, et credere desistes esse aliquid genesim, quæ liberum arbitrium tollat, et nos violenter necessitati subjiciat.

26. Ne semines, neque plantes, neque milites, neque aliquid omnino aliud agas : prorsus enim, velis nolis, ventura sunt, quæ genesis ipsa præfixerit.

27. Quid jam nobis orare opus est? quid Christianus effici cupis, si genesis est?

28. Neque enim, nisi sis, crimini eris obnoxius. Unde igitur artes? a genesi? ita sane, inquies : sed illi fato præfixum est, ut sapiens cum laboribus fiat.

29. Ostendas igitur aliquem, qui sine laboribus didicerit artem, adeo non sunt ista genesi, sed laboribus adscribenda. Homil. 1, super I, *Tim.*

30. Nihil habet virium fatum, nec in his quæ sunt maxima, nec in his quæ sunt minima. *Prosec.*

31. Sed unde, inquies, ille consenescit morbo, ille vero in sanitate perdurat? unde ille probus, alter vero reprobus est? unde illi res ex sententia provenit, alii vero innumera quotidie obsistunt impedimenta? a fato remove animum, et hæc omnia diligenter agnosces. Crede Deum esse, qui providentia sua cuncta disponit, et scies ita apertissime.

32. Fatum esse credere, injustitiæ plenum est, dementiæ, crudelitatis, et inhumanitatis. Homil. 50, *ad Popul. Antioch.*

33. Quemadmodum clare cernitur malum esse occidere, et turpe necare : ita per se lucet, fato se adjungere, malum esse et vetitum. Orat. 3, *de Fato.*

34. Nulla est omnino, tam depravata disciplina, neque tam insanabilis tabi plena ; quam est de fato, et diei natalis notatione opinio. *Ibid.*, orat. 5.

35. Si fatum admittatur, frustra leges et judices, frustra reprehensiones et admonitiones, frustra supplicii timor, frustra honores et præmia, frustra palma bene rem gerentibus constituitur. *Ibid.*

36. Si diei natalis notatio aliquid valeat, judicium nullum est, fides nulla, Deus nullus, virtus nulla, nulla nequitia est. *Prosec.*

37. Si diei natalis notatio aliquid valeat, omnia temere, omnia nequidquam tum agimus, tum patimur. Nulla laus, nulla vituperatio, nullus pudor, nulla ignominia, nullæ leges, nulla judicia sunt. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 38. Quid tibi de fato gentilium, qui christianus est? Quicunque fatum putat esse aliquid, quicunque genesim credit dominari in hominibus, non Christianus, sed paganus est. *Prosec.*

39. Fatum enim nihil est, et nullum ad peccandum constellatio provocat, minus compellit. Epist. 15, *ad Nicol. Præsbyt., Mernicens.*

S. IRENÆUS. 40. Non decet eum, qui super omnia sit Deus, cum sit liber, et suæ potestatis, necessitati servisse unquam dicere, ut sit aliquid secundum concessionem præter sententiam ejus. Lib. 2, *Advers. Hæres.*, cap. 5.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 41. Si Deus est, fatum non est : si autem fatum, blasphemia. *Prosec.*



42. Si fatum est, lex non est : si autem lex, fatum non est.

43. Si fatum est, admonitio non est : si autem admonitio, fatum non est.

44. Si fatum est, judicium non est : si autem judicium, fatum non est.

45. Si fatum est, non est precatio : si autem precatio, fatum non est.

46. Si fatum est, meditationes non sunt : si autem meditationes, fatum non est.

47. Si fatum est, philosophia non est : si autem philosophia, fatum non est.

48. Si fatum est, medicina non est : si autem medicina, fatum non est.

49. Si fatum est, agricultura non est : si autem agricultura, fatum non est. Lib. 3, epist. 191, *ad Paulum.*

S. LEO I. 50. Astrologi totam humanæ vitæ conditionem de stellarum pendere effectibus mentiuntur : et quod est aut divinæ voluntatis, aut nostræ, indeclinabilium dicunt esse fatorum. Serm. 7, *de Nativit.*

51. Anni vitæ nostræ et actionum temporalium qualitates, nec in natura elementorum, nec in stellarum effectibus, sed in summi et veri Dei potestate consistunt. Serm. 6, *de Passione.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 52. Fata illa, fatorumve necessitates, quas vel ethnici, vel impii christiani confingunt, pii christiani prorsus negant et execrantur. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 6.

MINUT. FEL. 53. Quid aliud est fatum, quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est? In suo *Octavio.*

S. PROSPER. 54. Nihil quidquam fato geri, sed omnia Dei judicio novimus ordinari. Epist. *ad Rufin. de Lib. arbit.*, cap. 2.

S. THOMAS AQUINAS. 55. Ægyptii dicebant quibusdam sacrificiis fatum posse mutari. Part. 1, quæst. 116, art. 3.

56. Ea, quæ fato aguntur, non sunt improvisa. Part. 1, quæst. 116, art. 1, argum. 2.

57. In quantum omnia, quæ hic aguntur, divinæ Providentiæ subduntur, tanquam per eam ordinata, et quasi prælocuta, fatum recte ponitur. *Ibid.*, quæst. 116, art. 1.

58. Quidam omnia fortuita et casualia, quæ in his inferioribus accidunt, sive in rebus naturalibus, sive in rebus humanis, reducere voluerunt ad fatum. *Ibid.*

59. Causa fatalis cum habeat ordinationem super ea quæ fato aguntur, necesse est quod sit directe et per se causa ejus quod agitur. *Ibid.*

60. Fatum est in causis creatis, in quantum ordinatæ sunt a Deo, ad aliquot effectus producendos. *Ibid.*, art. 2.

61. In tantum fatum habet rationem causæ, in quantum et ipsæ causæ secundæ, quarum ordinatio fatum vocatur. *Ibid.*

62. Ratio gubernationis in mente Dei, est providentia : sed in causis secundis, est fatum. *Ibid.*, art. 2.

63. Quæcunque causis secundis subduntur, ea subduntur et fato si quæ vero sunt, quæ immediate a Deo fiunt, cum non subdantur secundis causis, non subduntur fato. *Ibid.*, art. 4.

64. Ea quæ sunt divinitati propinqua, stabiliter fixa, fatalis ordinem mobilitatis excedunt. *Ibid.*

65. Quanto aliquid longius a prima mente discedit, nexibus fati majoribus implicatur. *Ibid.*

66. Ipsa Dei voluntas et potestas, fati nomine appellatur. Part. 1, quæst. 126, art. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 67. Chaldæis in prædictione, et in notatione cujusque vitæ ex natali die, minime est credendum. Lib. 2, *de Divinat.*, num. 87.

SENECA. 68. Crudelitatem fati æqualitas consolatur. *De Consolat. ad Polybium*, cap. 2.

69. Fata ita jus suum peragunt, ut nec ulla commoveantur prece, non misericordia flectantur, non gratia : servant cursum irrevocabilem, ex destinato fluunt. Lib. 2, *Quæst.*, cap. 35.

70. Nihil privatim, nihil publice stabile est ; tam hominum, quam urbium fata volvuntur. Epist. 91.

71. Sic vivamus, sic loquamur, ut paratos nos inveniat, atque impigros fatum. Epist. 107.

72. Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. *Ibid.*

SIXTUS PHILOSOPH. 73. Sapientem fatum non facit : gratia enim Dei fato non subjacet. *Sent.* 418.

## FAVOR.

S. AMBROS. *Definitio.* Favor est vox bene precans alicui, sive alicujus commodum, et laudem tuens.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Pronum est genus humanum favere honoratioribus, ne læsos se putent, nec victi doleant. Lib. 2, *Offic.*, cap. 24.

2. Quid tibi prodest favere diviti? an quia citius faventem remuneret? his enim favemus frequentius, a quibus referendæ vicem speramus gratiæ. *Prosec.*

3. Sed eo magis infirmo et inopi nos favere convenit, quia pro eo qui non habet remunerationem speramus a Domino Jesu. *Ibid.*, cap. 25.

S. AUGUST. 4. Favores vulgi aucupantur, viles sibi sunt, cum spectatoribus esse chari volunt, non eis sufficit conscientia. Super *Psalm.* XLVII, vers. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. BERNARD. 5. Quantum tuis attollor favoribus, tantum his mollibus premor. Epist. 72, *ad Ramaldum Fusmacensem abbat.*

S. CYPRIAN. 6. Quæ solitudo aures obserat oblatis favoribus? *De Carnalib. operib. Christi ad Cornel. Pap.* in præfat., cap. 4.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 7. Non te oportet favoribus plusquam injuriis delectari. In suis *Opusc.*, collat. 26.

S. GREGOR. MAGNUS. 8. Incessanter crescit culpa favoribus nutrita. Lib. 4 *Mor.*, cap. 25, num. 29.

9. Qui pro virtute quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. *Prosec.*

10. Vili pretio opus vendit, qui magna impendit, sed minima recipit. *Ibid.*, lib. 8, cap. 25.

11. Laus cum vita præterit, et humanus favor in judicio non subsistit. *Ibid.*, cap. 27.

12. In magnitudine favoris, flamma in corde accenditur de amore laudis. Homil. 21, super *Ezech.*

13. Impinguat caput oleum peccatoris, cum demulcet mentem favor adulantis. Homil. 12, super *Evang.*

14. Quid sunt favores, nisi linguæ? Lib. 2, in I *Reg.*, cap. I super illud : *Suscitans de pulvere.*

15. Favor adulantium mentem vanitati intentam, et satiat et confortat. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. IV, super illud : *Maledictus, qui comederit panem hodie.*

16. Plerumque fit, ut hoc quod causa Dei agi creditur, pro solis humanis favoribus agatur. Homil. 32, super *Evang.*

HUGO A S. VICTORE. 17. Sicut naribus dulcis odor attrahitur, sic totis desideriis animi famæ sæcularis favor affectatur. Lib. 2, *de Nuptiis spirit.*, cap. 1.

HUGO CARD. 18. Sicut tela araneæ studiose texitur, sed flatu venti dissipatur : sic quidquid hypocrita exsudat, favoris aura exsufflat. Super *Job*, cap. VIII.

19. Favor humanus, domus est hypocritæ. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 20. Qui Deum habet faventem, omnibus est potentior. Homil. 3, *de David et Saule.*

21. Maximum munimen, et inexpugnabilis murus, est divinus favor. Homil. 45, *ad Popul. Antioch.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 22. Magnum scelus est res pauperum præstare divitibus, et de sumptibus inopum acquirere favores potentum : arenti terræ aquam tollere, et flumina quæ non indigent, irrigare Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 64, sent. 18.

S. LAURENT. JUSTIN. 23. Popularem auram et cælorum regnum imprudenter perdit, qui immoderato affectu favores quærit humanos. *De Triumphali Christi agone*, cap. 12.

PETR. BLES. 24. Mundi pompa et favor populi, fumus est et aura subito evanescens. Epist. 35, *ad Anselm. sanctimonialem.*

S. PETRUS DAMIAN. 25. Popularis favor imperfectis non mediocriter noxius est, quia vel in se delectatos, in vanæ gloriæ voraginem dejicit; vel etiam resistentes receptæ mercedis terrore transfigit. Lib. 5, epist. 12.

26. Unde cœli regnum quis mereri potuit, inde nummum transitorii favoris quærit. Serm. 65, *de S. Barbatiano.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 27. Favor corrumpendis suffragiis efficacissimus est. Epist. 4, *ad Nicandr.*

THOMAS A KEMPIS. 28. Utilior est homini contemptus sui, quam favor laudis inanis. *De Recognit. propriæ fragilit.*, cap. 6.

SENECA. 29. Malis artibus favor quæritur : similem te illis facias oportet : non probabunt, nisi agnoverint. Epist. 29.

## FELICITAS.

COLLECTOR. *Definitio.* Felicitas est quædam operatio animæ per virtutem perfectam. *Vel*, felicitas est quod vitam sufficientem, optabilem ac nullius indigam præstat. *Vel*, felicitas est operatio quædam secundum virtutem perfectam operantem exterioribus bonis.

S. THOMAS AQUINAS. *Divisio.* Vitæ præsentis felicitas est duplex : una secundum vitam activam, alia secundum vitam contemplativam. Una quidem perfecta, alia vero imperfecta. 2, 2, quæst. 186, art. 3.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Nullus est tam compositæ felicitatis, qui non aliqua ex parte cum sua fortuna rixetur. Part. 1, tit. 6, cap. 6, § 1.

S. AUGUST. 2. Divitiæ atque fastigia dignitatum, cæteraque hujusmodi, quibus se felices esse putant mortales, veræ illius felicitatis expertes, quid afferunt consolationis, cum sit eis non egere, quam eminere præstantius, quæ plus excruciant adeptæ timore amissionis, quam concupitæ adeptionis ardore? Epist. 121, *ad Probam*, cap. 2.

3. Nihil est infelicius felicitate peccantium. Epist. 5, *ad Marcellinum.*

4. Perversa et adversa corda mortalium, felices res humanas putant, cum tectorum splendor attenditur, et labes non attenditur animarum. *Ibid.*

5. Malus ideo infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 8.

6. Melior est temporalis felicitas, quam misera æternitas. *Ibid.*, lib. 8, cap. 16.

7. Ipsa quæ in rebus humanis vocatur felicitas, plus est timenda quam miseria; quandoquidem plerumque miseria affert ex tribulatione fructum bonum, felicitas autem corrumpit animam perversa securitate, et dat locum diabolo tentatori. Super *Psalm.* LXVIII, conc. 1.



8. Vita hæc qualibet redundans felicitate, multos fallit et decipit. Super *Psalm.* LXXIV, in præfat.

9. Tam multi iniqui redundant felicitatibus, et innocentes premuntur laboribus. Super *Psalm.* LXXIV, exposit. vers. 5.

10. Terrenæ felicitatis regnum, superbia est. Super *Psalm.* LXXXI, vers. 5.

11. Falsi felices, vere infelices sunt : quia falsa felicitas vera miseria est; qui vero se agnoscit in vera esse miseria, erit etiam in vera felicitate. Super *Psalm.* LXXXV, vers. ultimo.

12. Nemo præsentia bona speret, nemo sibi promittat felicitatem mundi, quia christianus est : sed utatur felicitate præsenti ut potest, quomodo potest, quando potest, quantum potest. *Prosec.*

13. Cum adest, consolationi Dei gratias agat : cum deest, justitiæ Dei gratias agat; ubique sit gratus, nusquam sit ingratus. Super *Psalm.* XCI.

14. Seculi homines infeliciter felices sunt : martyres autem feliciter infelices erant : erant enim ad tempus infelices, sed in æternum felices. Super *Psalm.* CXXVII.

15. Via impiorum, felicitas est transitoria : finita vita peracta est felicitas. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 1, vers. 7.

16. Adam et Eva rapere voluerunt divinitatem, perdiderunt felicitatem. Super *Psalm.* LXVIII. conc. 2, vers. 6.

17. Nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit. Super *Psalm.* LXXXIII.

18. Ideo malus, felix putatur, quia quid sit felicitas ignoratur. Tract. 28, super *Evang. Joan.*, cap. VII.

19. Felix est malus, laborat bonus : ille male vivit, et felix est : iste juste vivit, et laborat. *Prosec.*

20. Non indignetur juste vivens et laborans, intus habet quod felix ille non habet : non ergo tristetur, non maceretur, non deficiat.

21. Felix ille habet aurum in arca, iste Deum in conscientia : ille illud habet quod perit, et ibi habet unde perit : iste Deum habet, et eum qui perire non potest et ibi habet unde auferri non potest. *Ibid.*, tract. 25, cap. 6.

22. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subvertat felicitas. *Prosec.*

23. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est a felicitate non vinci. Serm. 13, *de Verbis Domini.*

24. Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut aliqua quæratur felicitas, cujus dulcedo non fallat. *Ibid.*, serm. 29.

25. Nemo se credat aliquam felicitatem in hoc sæculo possidere, beatitudo hic parari potest, possideri non potest. Serm. 2, *de Pluribus martyr.* in princ.

26. Terrena felicitas non nisi a creatore universitatis conferri potest. Lib. 3, *ad Bonifac.*, cap. 4.

27. Felicitas si mala fuerit, felicitas non erit. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 18.

28. Deus felicitatem non dat, nisi bonis. *Ibid.*, cap. 33.

29. Hujus vitæ felicitas temporalis est : ab hac vita incipere necessitatis est, in ea persistere voluntatis. Epist. 120, cap. 2.

30. Qui tibi dedit felicitatem hujus sæculi, ad consolationem tuam dedit, non ad corruptionem. Tract. 12, super *Joan.*

31. Malus felix putatur, quia quid sit felicitas ignoratur. *Ibid.*, tract. 28.

32. Nullus invenitur, qui se nolit esse felicem. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 23.

S. BERNARD. 33. Quantam infelicitatem hæc ipsa non tam felix vanitas, quam vana felicitas parit! Serm. *de Convers. ad clericos*, cap. 12.

34. O quam felix est ille, qui pro dilectione Dei se fecit infelicem! Vere ille est felix, et æterna felicitate dignus. Serm. 15, *de Cœna Dom.*

BOETIUS. 35. Si numerum modumque lætorum, tristiumve consideres, adhuc te felicem negare non potes. Lib. 2, *de Consolat. philosoph.*, prosa 3.

36. In omni adversitate fortunæ, infelicissimum genus est infortunii, fuisse felicem. *Ibid.*, lib. 2, prosa 4.

37. Quis est tam compositæ felicitatis, ut non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur? *Ibid.*

38. Felicissimi cujusque sensus delicatissimus est, et nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis adversitatis insolens, minimis quibusque prosternitur. *Ibid.*

39. Quis est ille tam felix, qui cum dederit impatientiæ manus, statum suum mutare non optet? *Ibid.*

40. quam multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est! *Prosec.*

41. Quæ si etiam fruenti jucunda esse videatur, tamen quominus, cum velit, abeat, retineri non potest. *Ibid.*

42. Quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimicum. *Ibid.*, lib. 3, prosa 5.

43. Quid, o mortales, extra petitis intra vos positam felicitatem? est ne aliquid tibi teipso pretiosius? Nihil, inquies : igitur si tui compos fue-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

S. BERNARD. 5. Quantum tuis attollor favoribus, tantum his mollibus premor. Epist. 72, *ad Ramuldum Fusmocensem abbat.*

S. CYPRIAN. 6. Quæ solitudo aures obserat oblatis favoribus? *De Carnalib. operib. Christi ad Cornel. Pap.* in præfat., cap. 4.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 7. Non te oportet favoribus plusquam injuriis delectari. In suis *Opusc.*, collat. 26.

S. GREGOR. MAGNUS. 8. Incessanter crescit culpa favoribus nutrita. Lib. 4 *Mor.*, cap. 25, num. 29.

9. Qui pro virtute quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. *Prosec.*

10. Vili pretio opus vendit, qui magna impendit, sed minima recipit. *Ibid.*, lib. 8, cap. 25.

11. Laus cum vita præterit, et humanus favor in judicio non subsistit. *Ibid.*, cap. 27.

12. In magnitudine favoris, flamma in corde accenditur de amore laudis. Homil. 21, super *Ezech.*

13. Impinguat caput oleum peccatoris, cum demulcet mentem favor adulantis. Homil. 12, super *Evang.*

14. Quid sunt favores, nisi linguæ? Lib. 2, in I *Reg.*, cap. I super illud : *Suscitans de pulvere.*

15. Favor adulantium mentem vanitati intentam, et satiat et confortat. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. IV, super illud : *Maledictus, qui comederit panem hodie.*

16. Plerumque fit, ut hoc quod causa Dei agi creditur, pro solis humanis favoribus agatur. Homil. 32, super *Evang.*

HUGO A S. VICTORE. 17. Sicut naribus dulcis odor attrahitur, sic totis desideriis animi famæ sæcularis favor affectatur. Lib. 2, *de Nuptiis spirit.*, cap. 1.

HUGO CARD. 18. Sicut tela araneæ studiose texitur, sed flatu venti dissipatur : sic quidquid hypocrita exsudat, favoris aura exsufflat. Super *Job*, cap. VIII.

19. Favor humanus, domus est hypocritæ. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 20. Qui Deum habet faventem, omnibus est potentior. Homil. 3, *de David et Saule.*

21. Maximum munimen, et inexpugnabilis murus, est divinus favor. Homil. 45, *ad Popul. Antioch.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 22. Magnum scelus est res pauperum præstare divitibus, et de sumptibus inopum acquirere favores potentum : arenti terræ aquam tollere, et flumina quæ non indigent, irrigare Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 64, sent. 18.

S. LAURENT. JUSTIN. 23. Popularem auram et cælorum regnum imprudenter perdit, qui immoderato affectu favores quærit humanos. *De Triumphali Christi agone*, cap. 12.

PETR. BLES. 24. Mundi pompa et favor populi, fumus est et aura subito evanescens. Epist. 35, *ad Anselm. sanctimonialem.*

S. PETRUS DAMIAN. 25. Popularis favor imperfectis non mediocriter noxius est, quia vel in se delectatos, in vanæ gloriæ voraginem dejicit; vel etiam resistentes receptæ mercedis terrore transfigit. Lib. 5, epist. 12.

26. Unde cœli regnum quis mereri potuit, inde nummum transitorii favoris quærit. Serm. 65, *de S. Barbatiano.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 27. Favor corrumpendis suffragiis efficacissimus est. Epist. 4, *ad Nicandr.*

THOMAS A KEMPIS. 28. Utilior est homini contemptus sui, quam favor laudis inanis. *De Recognit. propriæ fragilit.*, cap. 6.

SENECA. 29. Malis artibus favor quæritur : similem te illis facias oportet : non probabunt, nisi agnoverint. Epist. 29.

## FELICITAS.

COLLECTOR. *Definitio.* Felicitas est quædam operatio animæ per virtutem perfectam. *Vel*, felicitas est quod vitam sufficientem, optabilem ac nullius indigam præstat. *Vel*, felicitas est operatio quædam secundum virtutem perfectam operantem exterioribus bonis.

S. THOMAS AQUINAS. *Divisio.* Vitæ præsentis felicitas est duplex : una secundum vitam activam, alia secundum vitam contemplativam. Una quidem perfecta, alia vero imperfecta. 2, 2, quæst. 186, art. 3.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Nullus est tam compositæ felicitatis, qui non aliqua ex parte cum sua fortuna rixetur. Part. 1, tit. 6, cap. 6, § 1.

S. AUGUST. 2. Divitiæ atque fastigia dignitatum, cæteraque hujusmodi, quibus se felices esse putant mortales, veræ illius felicitatis expertes, quid afferunt consolationis, cum sit eis non egere, quam eminere præstantius, quæ plus excruciant adeptæ timore amissionis, quam concupitæ adeptionis ardore? Epist. 121, *ad Probam*, cap. 2.

3. Nihil est infelicius felicitate peccantium. Epist. 5, *ad Marcellinum.*

4. Perversa et adversa corda mortalium, felices res humanas putant, cum tectorum splendor attenditur, et labes non attenditur animarum. *Ibid.*

5. Malus ideo infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 8.

6. Melior est temporalis felicitas, quam misera æternitas. *Ibid.*, lib. 8, cap. 16.

7. Ipsa quæ in rebus humanis vocatur felicitas, plus est timenda quam miseria; quandoquidem plerumque miseria affert ex tribulatione fructum bonum, felicitas autem corrumpit animam perversa securitate, et dat locum diabolo tentatori. Super *Psalm.* LXVIII, conc. 1.



8. Vita hæc qualibet redundans felicitate, multos fallit et decipit. Super *Psalm.* LXXIV, in præfat.

9. Tam multi iniqui redundant felicitatibus, et innocentes premuntur laboribus. Super *Psalm.* LXXIV, exposit. vers. 5.

10. Terrenæ felicitatis regnum, superbia est. Super *Psalm.* LXXXI, vers. 5.

11. Falsi felices, vere infelices sunt : quia falsa felicitas vera miseria est; qui vero se agnoscit in vera esse miseria, erit etiam in vera felicitate. Super *Psalm.* LXXXV, vers. ultimo.

12. Nemo præsentia bona speret, nemo sibi promittat felicitatem mundi, quia christianus est : sed utatur felicitate præsenti ut potest, quomodo potest, quando potest, quantum potest. *Prosec.*

13. Cum adest, consolationi Dei gratias agat : cum deest, justitiæ Dei gratias agat; ubique sit gratus, nusquam sit ingratus. Super *Psalm.* XCI.

14. Seculi homines infeliciter felices sunt : martyres autem feliciter infelices erant : erant enim ad tempus infelices, sed in æternum felices. Super *Psalm.* CXXVII.

15. Via impiorum, felicitas est transitoria : finita vita peracta est felicitas. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 1, vers. 7.

16. Adam et Eva rapere voluerunt divinitatem, perdiderunt felicitatem. Super *Psalm.* LXVIII, conc. 2, vers. 6.

17. Nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit. Super *Psalm.* LXXXIII.

18. Ideo malus, felix putatur, quia quid sit felicitas ignoratur. Tract. 28, super *Evang. Joan.*, cap. VII.

19. Felix est malus, laborat bonus : ille male vivit, et felix est : iste juste vivit, et laborat. *Prosec.*

20. Non indignetur juste vivens et laborans, intus habet quod felix ille non habet : non ergo tristetur, non maceretur, non deficiat.

21. Felix ille habet aurum in arca, iste Deum in conscientia : ille illud habet quod perit, et ibi habet unde perit : iste Deum habet, et eum qui perire non potest et ibi habet unde auferri non potest. *Ibid.*, tract. 25, cap. 6.

22. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subvertat felicitas. *Prosec.*

23. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est a felicitate non vinci. Serm. 13, *de Verbis Domini.*

24. Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut aliqua quæratur felicitas, cujus dulcedo non fallit. *Ibid.*, serm. 29.

25. Nemo se credat aliquam felicitatem in hoc sæculo possidere, beatitudo hic parari potest, possideri non potest. Serm. 2, *de Pluribus martyr.* in princ.

26. Terrena felicitas non nisi a creatore universitatis conferri potest. Lib. 3, *ad Bonifac.*, cap. 4.

27. Felicitas si mala fuerit, felicitas non erit. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 18.

28. Deus felicitatem non dat, nisi bonis. *Ibid.*, cap. 33.

29. Hujus vitæ felicitas temporalis est : ab hac vita incipere necessitatis est, in ea persistere voluntatis. Epist. 120, cap. 2.

30. Qui tibi dedit felicitatem hujus sæculi, ad consolationem tuam dedit, non ad corruptionem. Tract. 12, super *Joan.*

31. Malus felix putatur, quia quid sit felicitas ignoratur. *Ibid.*, tract. 28.

32. Nullus invenitur, qui se nolit esse felicem. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 23.

S. BERNARD. 33. Quantam infelicitatem hæc ipsa non tam felix vanitas, quam vana felicitas parit! Serm. *de Convers. ad clericos*, cap. 12.

34. O quam felix est ille, qui pro dilectione Dei se fecit infelicem! Vere ille est felix, et æterna felicitate dignus. Serm. 15, *de Cœna Dom.*

BOETIUS. 35. Si numerum modumque lætorum, tristiumve consideres, adhuc te felicem negare non potes. Lib. 2, *de Consolat. philosoph.*, prosa 3.

36. In omni adversitate fortunæ, infelicissimum genus est infortunii, fuisse felicem. *Ibid.*, lib. 2, prosa 4.

37. Quis est tam compositæ felicitatis, ut non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur? *Ibid.*

38. Felicissimi cujusque sensus delicatissimus est, et nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis adversitatis insolens, minimis quibusque prosternitur. *Ibid.*

39. Quis est ille tam felix, qui cum dederit impatientiæ manus, statum suum mutare non optet? *Ibid.*

40. quam multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est! *Prosec.*

41. Quæ si etiam fruenti jucunda esse videatur, tamen quominus, cum velit, abeat, retineri non potest. *Ibid.*

42. Quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimicum. *Ibid.*, lib. 3, prosa 5.

43. Quid, o mortales, extra petitis intra vos positam felicitatem? est ne aliquid tibi teipso pretiosius? Nihil, inquies : igitur si tui compos fue-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ris, possidebis quod nec tuunquam amittere velis, nec fortuna possit auferre. *Ibid.*, lib. 3, prosa 4.

44. Continuus timor non sinit esse felicem. *Ibid.*

S. BONAV. 45. Humana felicitas variis amaritudinibus respersa est. Super *Psalm* CXXXI.

46. Dum felicitatis, facti miseri, recordantur, multo dolore afficiuntur. Serm. 5, de *Pluribus martyribus.*

47. Fallax felicitas, major est infelicitas. Lib. 3, *Pharetræ*, cap. 18.

48. Hujus mundi felicitas, magna infelicitas est. In collat. *de Contemptu sæculi.*

CASSIODOR. 49. Nullus invideat perituris, nullus felices æstimet, qui sub æternitate damnandi sunt : amemus potius afflictiones, quæ faciunt perpetuo felices. Super *Psalm.* LXXXXIII, in conclus.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 50. Omnis prosperitas, omnisque laborum felicitas in fine consistit. Homil. 5, *ad Monachos.*

FRANCISCUS TITELM. 51. Pusilli animi est alienæ felicitatis consideratione in semetipso, quasi invidendo, contabescere. *Prosec.*

52. Magnanimi autem et fortis viri est, alienæ felicitatis consideratione in semetipso, quasi invidendo, non contabescere. In *Elucid.*, super cap. V *Job*, in illud : *Parvulum occidit invidia.*

53. Satis ipsa instabilitas felicitatis vix momentaneæ persuadet, quod post paululum subsequi non raro solet maxima adversitas. *Ibid.*

54. Certe miserrimum judicatur genus infelicitatis, in transitoriis fuisse felicem. *Ibid.*, super cap. XIX, in illud : *Abstulit coronam de capite meo.*

55. Putant impii perpetuam fore sibi suam felicitatem, cum brevis nimium sit, et vix amplius quam momentenea. *In Annot.* super *Psalm.* IX, vers. 28.

GLOSS. ORD. 56. Ut herba sine humore, sic nec felicitas sine justitia consistere potest. Super *Job*, cap. VIII.

GLOSS. INT. 57. Felicitas hujus sæculi cito extinguitur. Super *Prov.*, cap. XIII.

S. GREGOR. MAGNUS. 58. Multos sua pejus felicitas stravit, multos diuturna pax inertes reddidit. Lib. 31 *Moral.*, cap. 17.

59. Tunc considerandum est quo cursu felicitas transvolet, cum ante humanos oculos, quasi permanens pollet. *Ibid.*, lib. 6, cap. 4.

60. Tu me labentis mundi felicitatem appetere cogitas, sed ego tanto infeliciorem me video, quanto felicitatis gaudia hinc longius recognosco: quia vero illic me futuram felicem credo, hic eo valde me infelicem arbitror, quo ad gloriam nulla concupisco. Lib. 1, in *Reg.*, cap. I, *Allegorice*, super illud : *Mulier infelix nimis ego sum.*

S. HIERON. 61. Dei Filius sustinuit ignominiam crucis, et tu putas beatos, qui felicitate istius seculi perfruuntur ?

62. Sicut in scopulos perituram navem tempestas impellit, sic infelix felicitas in interitum homines pronos et labiles ducit. Epist. 6, *ad Amicum.*

63. Sua felicitate miser est, qui cum infelicitatibus, quibus gloria gignitur, nunquam meruit habere conflictum. *Ibid.*

64. Non possumus esse felices, nisi contigerit infelicitatibus purgari. *Ibid.*

65. Miser et infelix est, qui non fuerit in felicitate tentatus. *Ibid.*

66. Ille se noverit infelicem, qui vagatur inter oblectamenta vitiorum enervata felicitate confossus. *Ibid.*

67. Illi sunt miseri, qui nimiæ felicitatis inerti tranquillitate torpescunt. *Ibid.*

68. Nulla res longa mortaliumest, omnisque felicitas sæculi dum tenetur, amittitur : cum enim tribulationis tempus advenerit, omne quod præteritum est, nihil adjuvat sustinentem. Lib. 11, super *Isaiam*, cap. XXXVIII, super illud : *Reputabo omnes annos meos.*

HUGO CARD. 69. Felicitas hujus seculi non est vera felicitas, sed summa infelicitas, et indicium æternæ reprobationis. Super *Job*, cap. XXI.

70. Felicitas temporalis, est desiderium semper vadens : æterna autem, est desiderium semper veniens, et semper præsens. Super *Prov.*, cap. 13.

S. INNOC. III. 71. Mundana felicitas multis amaritudinibus est respersa. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 23.

S. JOANNES CHRYSOST. 72. Qui in summum dignitatum verticem evectus omni felicitate fruitur, nihil stabile et solidum habet, quæ fluminibus ipsis ocius præter labitur. Homil. 28, super *Gen.*

73. Qui requie in hoc sæculo et felicitate fruitus est, tam splendidam in futuro coronam non est consecuturus. Homil. 43, super I, *Cor.*

JOAN. SARI. 74. Non felix est quis, ut recte agat ; sed recte agit, ut feliciter vivat. Lib. 7, *de Nugis curial.*, cap. 8.

JOAN. TRITH. 75. Ubi major putatur esse felicitas, ibi miseria copiosior exuberat. *De Vanit. et miser. hum. vitæ.*

76. Nemo ante mortem vere felix dicendus est ; mors ergo felices facit. Non facit, sed discernit : discernit inter felicem et miserum. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPAL. 77. Brevis est hujus mundi felicitas, modica est hujus sæculi gloria, caduca et fragilis temporalis potentia. *Prosec.*

78. Dic, ubi sunt reges, ubi principes, ubi imperatores, ubi locupletes rerum, ubi potentes sæculi, ubi divites mundi ? transierunt quasi herba, velut somnia evanuerunt : quæruntur, et non sunt. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 17.



LACT. FIRM. 79. Nulla est in mundo perpetua felicitas. *De Ira Dei*, cap. 20.

S. LAURENT. JUSTIN. 80. Nihil infelicius felicitate peccantium, quibus tanquam desperatis ægrotis, quanquam contrarium et morbo incongruum, nil negatur quod libeat. Lib. 2. *de Spirit. resur.*, cap. 8.

MINUT. FEL. 81. Absque notitia Dei, non potest esse solida felicitas, cum sit somno similis : antequam enim teneatur, elabitur. In suo *Octavio.*

S. NILUS. 82. Fuge peccatorem felicem, gladius enim justitiæ ipsi imminet. *Parænes.* 94.

83. Feliciter agentes ride, infelicibus vero condole : alterum enim felicitatis merces est, alterum vero philosophiæ est argumentum. *Ibid.*, Parænes. 143.

S. PROSPER. 84. Salomon felicitate elatus, in senio fornicatus, mente et corpore Domino ipsum deserente male obiit. *Prosec.*

85. Metuendum exemplum posteris relinquens, ne felicitate hujus vitæ turbari, Christum deserant, qui est suorum æterna felicitas. *De Promiss.*, part. 2, cap. 27.

86. Nec felicitas sæculi hujus nos beatos facit, nec adversitas miseros, si vera bona et mansura diligamus. Super *Psalm.* CXXXVIII, vers. 12.

87. Ideo mali cum habent quod volunt, felices putantur ; quia quid sit felicitas, ignorant. *Apud. D. August.*

ROBERTUS BELLARM. 88. Citissime transit omnis mundana felicitas, neque aliquid post se relinquit, nisi tetrum odorem. Super *Psalm.* CI, vers. 4.

89. In vera felicitate sola quiescere potest omne desiderium nostrum. Super *Psalm.* CIV.

SALVIANUS. 90. Invido ita non sufficit felicitas sua, ut etiam alium velit esse felicem. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

91. Parum illi est, si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix. *Ibid.*

92 Ubi non est vera honestas, non est vera felicitas. *Ibid.*, lib. 7.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 93. Felicitas onus quoddam esse videtur plumbo gravius eum ergo subvertit ac deprimit, qui id humeris imposuerit, nisi plane sit robustus. *De Regno ad Arcadium imperator.*

S. THOMAS AQUINAS. 94. Impossibile est in fama seu gloria humana, quæ frequenter fallax est, consistere hominis felicitatem. Quæst. 2, art. 3.

S. VALER. EPISCOPUS. 95. Felicem plane illum judico, cujus gloriosam vitam torvis oculis alter aspexit. Homil. 13.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 96. Optimum, et pulcherrimum, et jucundissimum est ipsa felicitas. Lib. 1 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 8.

97. Eo majus munus felicitatis est, quo cæteris humanis bonis est præstabilius. *Ibid.*, cap. 9.

98. Felicitas præmium, finisque virtutis optimum, et divinum quoddam, atque beatum esse constat. *Ibid.*

99. Eum, qui miserabiliter obiit, nemo felicem dicet. *Ibid.*

100. Nullus homo felix, quandiu vivit, dicendus est : tum felix est, cum e vita decesserit, qui beate vixerit. *Ibid.*, cap. 10.

101. Nemo beatorum erit miser, miser nunquam erit ipse felix. *Ibid.*

102. Quid obstat eum felicem dicere, qui per virtutem operatur perfectam; non quovis in tempore, sed in vita perfecta ? *Ibid.*

103. Cum futurum quidem incertum sit nobis, felicitatem finem, et omnino perfectam, omni ex parte ponamus. *Ibid.*

104. Felicitas est principium, causaque bonorum : honorabile quiddam, et divinum dicimus esse. *Ibid.*, cap. 12.

105. Felicitas nullius indiget rei, sed est ex sese sufficiens. *Ibid.*, lib. 10, cap. 6.

106. Felicitas non in ludo jocove consistit, sed vita felix in virtute consistit. *Ibid.*

107. Non putandum est, multis ac magnis ei opus fore, qui futurus est felix, si fieri non potest, ut sit beatus sine bonis externis. *Ibid.*, cap. 8.

108. Felicitatis tantum unicuique contingit, quantum virtutis, et quantum secundum hanc operatur. Lib. 7 *Polit.*, cap. 1.

109. Felicitatem sine virtute impossibile est existere. *Ibid.*, cap. 9.

110. Felicitas necesse est, per virtutem fiat. *Ibid.*, cap. 9.

111. Felicitatis accessu nulla re amplius nobis opus est. Lib. 1, *Magnor. moral.*, cap. 2.

112. Perfectus finis nil aliud quam felicitas esse videtur. *Ibid.*

113. Bene vivere et bene agere, nihil aliud dicimus, quam felicem esse : ergo et feliciter agere, felicitas in vivendo est. *Ibid.*, cap. 4.

114. In usu sit necesse est, et actione felicitas : nam quorum habitus ususque est, usus et actio finis est. *Ibid.*, cap. 4.

115. Felicitas in vivendo ex virtutibus sit necesse est, quoniam optimum bonum est felicitas, et hæc ipsa finis. *Ibid.*

116. Perfectæ virtutis actio, felicitas est. *Ibid.*

117. Felicitas omnium consensu inter humana bona, maximum est, et præstantissimum. Lib. 1 *Ethic. ad Eunomium.*

118. Est felicitas fortuna secunda cum virtute, et vita tuta ac jucundissima. Lib. 1, *Rhetor.*, cap. 4.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

119. Non est, qui felix omnibus in rebus sit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 21.

EPICTETUS. 120. Si quem eximiis honoribus affectum, aut ampla potestate præditum, aut florentem videris, vide ne felicem illum prædices. In suo *Enchirid.*, cap. 26.

PLINIUS II. 121. Est vera felicitas, felicitate dignum videri. In *Panegyr. de Trajano Augusto.*

SENECA. 122. Illa magna est felicitas, quæ arbitrio suo constitit. In lib. *Suasor.*, suasor. 1.

123. Nunquam in solido stetit superba felicitas. *Ibid.*, suasor. 2.

124. Intolerabilis in malo ingenio felicitas est. *Ibid.*, suasor. 7.

125. Omnis instabilis, et incerta felicitas. Lib. 1, *Controvers.*, controvers. 1.

126. Semper esse felicem, et sine morsu animi velle transire vitam, ignorare est rerum naturæ alteram partem. Lib. *de Divina provident.*, cap. 4.

127. Isti quos pro felicibus aspicitis, si non qua occurrunt, sed qua latent videritis, miseri sunt, sordi, turpes, ad similitudinem parietum extrinsecus culti. Non est ista solida et sincera felicitas, crusta est, et quidem tenuis. *Ibid.*, cap. 6.

128. Non egere felicitate, felicitas est. *Ibid.*

129. Felicitas iracundiam nutrit, ubi aures superbas assentatorum turba circumstetit. Lib. 2, *de Ira.*

130. Nunquam erit felix, quem torquebit felicior. *Ibid.*, lib. 3, cap. 30.

131. Facit avidos nimia felicitas. Lib. 1, *de Clement.*, cap. 1.

132. In virtute posita est vera felicitas. *De Beata vita*, cap. 18.

133. Putabo hunc non esse felicem, si quem mihi inveneris, cui nihil pareat. *De Tranquillit. animi*, cap. 8.

134. O quantum caliginis mentibus humanis objicit magna felicitas! *De Brevit. vitæ*, cap. 14.

135. Res est inquieta, mundana felicitas. Epist. 36.

136. Animos immoderata felicitas rumpit, qua non tantum in aliorum injuriam, sed etiam in suam utuntur. Epist. 39.

137. Illum felicissimum dixerim, qui nihil negotii secum habuit. Epist. 52.

138. Ipsa felicitas se, nisi temperat, premit: si fugatissimis bonis credidit, cito deseritur, ut non deseratur, affligitur. *Prosec.*

139. Paucis deponere felicitatem molliter licuit: cæteri cum his inter quæ eminuere, labuntur, et illos degravant ipsa quæ extulerant. Epist. 74.

140. Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est aut gravis, et suppurata tristitia. Epist. 80.

141. Personata felicitas est: contemnes illam, si despoliaveris. *Ibid.*

142. Non est quod credas quemquam fieri aliena posse infelicitate felicem. Epist. 94.

143. Id agas, ut sis felix, non ut videaris: et ut tibi videaris, non aliis. Epist. 110.

144. Bonum tunc habebis tuum, cum intelliges infelicissimos esse hujus mundi felices. Epist. 124.

145. Nemo esse, cui felicitas sua etiamsi cursu venit, satisfaciat. Epist. 115.

146. In felicitate se erigere, est felicitatem submittere. In suis *Proverbiis.*

MAXIMUS. VALERIUS. 147. Felicitatis cultus, majore ex parte adulationi, quam charitati erogatus, certe suspectus est. Lib. 4. *Dictor. memorabil.*, cap. 7.

Vide etiam tit. *Amicitia*, sent. 245; *Finis*, sent. 24; *Fortitudo*, sent. 21; *Instabilitas*, sent. 24; *Invidia*, sent. 108, 164; *Ira Dei*, sent. 57; *Judicium extrem.*, sent. 142; *Parentes*, sent. 151; *Vita æterna*, sent. 170.

## FERIRE.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Hostem ferire, victoria est: reum, æquitas: innocentem, homicidium. Lib. 8, epist. 66, *ad Paternum.*

S. ANSELM. 2. Qui innocentem percutit injuste, ipse juste percuti meretur. Lib. 1, *Cur Deus homo*, cap. 7.

3. Si percussus, qui se non debet vindicare, percutiat percutientem se, injuste hoc facit. *Prosec.*

4. Percussio ex parte repercutientis, injusta est: ex parte vero percussi, justa. *Ibid.*

S. AUGUST. 5. Inimicus sævire potest, ferire, si Deus noluerit, non potest: et si ille voluerit ut feriat, novit suum quemadmodum excipiat. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 2, vers. 18.

6. Illi gravius cor feriunt, qui linguæ gladio feriunt. Tract. 5, in cap. I *Joan.*

7. Noli dare iræ manum aut pedem ad feriendum. *Ibid.*, tract. 41, cap. VIII.

8. O error horrendus! itane o Caipha, ut placeas Deo, percutis placentem Deo, et templum Dei vivum te feriente prosternitur, ne Dei templum lapideum deseratur? o execrabilis cæcitas! *Ibid.*, tract. 93, cap. XVI.

9. Attendis quis feriat, et quem feriat; attende quis jubeat. Serm. 72, *de Tempore.*

10. Modo adhuc pugnamus, ferimus et ferimur,



sed qui vincit expectatur: ille autem ferit, qui et quod vincit, de viribus suis non præsumit. Tract. 4, super *Epist. Joan.*

S. BERNARD. 11. Improvisa mala graviter feriunt. Serm. 55, *ad Sororem.*

S. BONAV. 12. Fœmina scorpionis more, semper est hominem parata ferire. Serm. 2, *de Invent. S. Crucis.*

13. Sunt hodie homines canibus similes, quorum mos est, ut si unus percutitur, ab omnibus aliis laceretur. Serm. 9, *de SS. Apostolis.*

14. Etsi vitiis debetur virga ferientis, infirmitati tamen necessarius baculus sustentans. *De Sex alis Seraphim*, cap. 4.

S. EPHRÆM. 15. Cæsus es? gaude te cæsum esse verberibus, verum erratum corrige: injuste verberatus es! gaude, quia merces tua magna. *Pareneses.* 38.

GLOSS. ORD. 16. Quibusdam Deus hic parcit, ut in æternum feriat: sed me hic non parcens feriat, quod est mihi consolatio. Super *Job*, cap. VI, in illud: *Et hæc mihi sit consolatio.*

17. Aliquando Deus hic ferire incipit, quod æterna damnatio consummat. *Ibid.*, cap. XXXV.

S. GREGOR. MAGNUS. 18. Ille laudabiliter spicula emittit, qui prius hostem, quam feriat, conspicit. Lib. 6 *Moral.*, cap. 18.

19. Quisquis de percussione murmurat, quid aliud quam justitiam ferientis accusat? *Ibid.*, lib. 5, cap. 28.

20. Mitigat vim doloris, considerata æquitas et potentia ferientis. *Ibid.*, lib. 9, cap. 12, num. 17.

21. Quisquis pro peccato percutitur, si non murmurando renitatur, eo ipso jam justus esse inchoat, quo ferientis justitiam non accusat. *Ibid.*, lib. 23, cap. 10, num. 18.

22. Virga superbiæ percutere rigide scit, sed compati humiliter nescit. *Ibid.*, lib. 24, cap. 9, super illud *Prov.* XIV: *In ore stulti virga superbiæ.*

23. Quisquis cum culpa sua feriri se denegat, quid aliud quam justitiam ferientis accusat? *Ibid.*, lib. 32, cap. 5.

24. Minus jacula feriunt, quæ prævidentur. Homil. 35, in *Evang.*

25. Vindicta culpabilem feriat, non innocentem. Lib. 9, in *Registro*, ind. 4, cap. 67, epist. 63, *ad Virgilium episc. Arelat.*

26. Cognita culpa austerius ferienda est. Lib. 5, in I, *Reg.*, cap. IV.

S. GREGOR. NAZ. 27. Non plaga percuti, grave est: sed ob plagam nequaquam refrænari, longe est gravissimum. Orat. 8, *ob Patrem episcop.*

S. HIERON. 28. Jam te verberibus enecassem, nisi iratus essem. Epist. 9, *ad Salvinam.*

29. Turpe tibi est hostem dolis ferire, non viribus. epist. 2, *ad Pammach.*

30. Ama medicum percussorem, cujus plaga mater est medicinæ. *Prosec.*

31. Nihil impium pietas parit, ut virtutibus amplexis fructum pietatis spiritaliter curatus includat.

32. Ferit pietas, ne impietas judicetur, si non corrigat delinquentem.

33. Cum enim non desit in homine quod curetur, ferit ut curet. Epist. 6, *ad Amicum.*

34. Multa sunt, quæ non nisi percussa sanantur. *Ibid.*

35. Felix est, qui vapulat, ubi amoris est plaga. *Ibid.*

36. Vince, dum vapulas, sic enim potentia christiana alitur. *Ibid.*

37. Aliter amicus, aliter inimicus percutit: aliter pater, aliter hostis: ille ferit ut corrigat, iste percutit ut occidat. Lib. 6, super *Hierem.*, cap. XXX, super illud: *Pessima plaga tua.*

38. Quotiescunque cædimur, præbeamus maxillam, dorsum opponamus, imitemur Christum: qui enim cæditur, Christum imitatur: qui cædit, antichristum. Super *Psalm.* V, vers. penultimo: *Et gloriabuntur in te.*

39. Si quis peccans non percutitur, iste miser et infelix est. Super *Psalm.* LXXX, vers. 10.

HUGO CARD. 40. Nos, nisi commoti, ferire nescimus. Super *Job*, cap. II.

41. Qui districte feriendo non parcit, crudelis est. *Ibid.*, cap. XXX.

42. Qui modo percutit virga, postea percutiet gladio. Super *Psalm.* VI.

43. Asperius nihil est humili, cum surgit in altum:

Cuncta ferit, dum cuncta timet, cunctisque minatur. Super *Prov.*, cap XIX.

S. IGNATIUS MART. 44. Sta firmius velut incus, quæ verberatur: magni athletæ est feriri, et vincere. Epist. 11, *ad Polycarp. episc. Smyrnensem.*

S. JOANNES CHRYSOST. 45. Qui alios ferire non cessat, quomodo se præbeat feriendum? Homil. 48, super *Matth. Oper. imperf.*

46. Percutere est, injuste percutere: qui autem propter justam causam percutit; etsi percutiat, percutere non videtur. Percutit enim, non ut suum dolorem vindicet, sed ut illius animam salvet. Homil. 51, super *Matth. Oper. imperf.*

JOAN. GERS. 47. Verberare æqualem, periculum est: majorem, amissio: minorem vero, turpe. Serm. in *Septuag. de Ira.*

SALVIANUS. 48. Quis est, qui si ictum unum acceperit, non multos pro uno reddat? *Prosec.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

49. Tanto ab illo abest, ut cædenti maxillam præbeat, ut tum se vincere putet non quando adversarium vapulando, sed quando cædendo superaverit. Lib. 3, *de Gubern. Dei.*

S. VALER. EPISCOPUS. 50. Sicut duplicatas in se plagas excitat, qui ferienti repugnat, ita majoris rixæ lucrum facit, qui manus suas alio feriente continet. Homil. 13.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 51. Percussit te quis? recede : referiendo enim occasionem sæpius feriendi dabis. Lib. 2 *de Ira*, cap. 34.

52. Nunquam velit quisquam tam graviter hostem ferire, ut relinquat manum in vulnere, et se ab ictu revocare non possit. *Ibid.*

53. Magnis telis magna portenta feriuntur. Epist. 82.

## FERITAS.

S. BONAV. *Definitio.* Feritas est cum quis sævit in proximum, absque aliqua culpa præcedente in ipso. In *Speculo animæ*, cap. 1.

S. THOMAS AQUINAS. Feritas proprie dicitur, secundum quam aliquis in pœnis inferendis non considerat aliquam culpam ejus, qui punitur, sed solum hoc quod delectatur in hominum cruciatu. 2, 2, quæst. 159. art. 2.

ARISTOTEL. Feritas est quoddam vitium exuperans, cum eo usque nequam prorsus quempiam intuemur, ut ipsum non hominem, sed feram esse dicamus, sicut et vitium ipsum feritatem. Lib. 2, *Magnor. moral.*, cap. 5.

S. THOMAS AQUINAS. *Differentia.* Crudelitas differt a feritate, sicut malitia humana a bestialitate. 2, 2, quæst. 159, art. 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Quidquid sævit pro nomine Christi, si vinci potest, tolerabile est : si vinci non potest, et migrare hinc faciat, non aufert, sed accelerat ipsam requiem. Part. 1, tit 5, cap. 1, § 2.

S. AUGUST. 2. Inimicus sævire potest, ferire, si Deus noluerit, non potest : et si ille voluerit ut feriat, novit suum quemadmodum excipiat. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 2, vers. 18.

3. Sævis? vide cui sævias, et in quem sævias ; desine sævire. Super *Psalm.* CII, vers. 6.

S. CYPRIAN. 4. Quid facit in pectore christiano luporum feritas et canum rabies, et venenum lethale serpentum, et cruenta sævitia bestiarum? *De Unit. Eccles.*

S. GREGOR. MAGNUS. 5. Erga virum Dei ferina corda sunt hominum, et quasi humana bestiarum. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 2.

S. JOANNES CHRYSOST. 6. Bestiæ præter naturam est, esse mansuetam, homini vero præter naturam est feritas. Homil. 3, *de David et Saule.*

JOAN. TRITH. 7. Rustica feritas ratione non ducitur, mansuetudine non sedatur. *De Ruina monast. ordin.*, cap. 7.

S. PETRUS DAM. 8. Quisquis per feritatem animi suis contubernalibus non concordat, ferarum more solus necesse est ut bestialiter vivat. Opusc. 51, cap. 14.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 9. Omnis ex infirmitate feritas. est. *De Beata vita*, cap. 3.

## FERVOR.

S. PETRUS CHRYSOL. *Definitio.* Fervor est obsequium ratione calens. Serm. 109.

RICHARD. A S. VICTORE. Fervor est æstuatio ardentis desiderii. Lib. 5, *de Erud. hom. inter.*, cap. 8.

S. THOMAS AQUINAS. *Differentia.* Inter fervorem amoris et fervorem iræ hoc interest : quod fervor amoris est cum quadam dulcedine, et lenitate : fervor autem iræ est cum amaritudine ad consumendum. 1, 2, quæst. 48, art. 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Superno igne accensus animus, non tepescat, sed ferveat, et studeat semper ardere. *Prosec.*

2. Ac si vigorem ejus aliqua turbarit adversitas, unde cœpit inflammari, inde poscat igniri. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriadem.*

S. AUGUST. 3. Cum christianus cœperit fervere bonis operibus, patitur reprehensores et contradictores frigidos christianos. *De verbis Dom.*, serm. 18.

4. Ardent homines iracundia, ardent et gratia : nam et qui vult occidere, fervet, et qui vult occidere fervet. *Prosec.*

5. Iste fervet præcepto, ille morbo ; iste bonis operibus, ille saniosis ulceribus. Serm. 2, *Sabbat. post Dom. Quadrag.*

S. BERNARD. 6. Fervor præficiatur fervori, ut fervor virtutis fervori naturæ dominetur : imo fervor naturalis attollat se in fervorem virtutis. Serm. *de fide, spe et charitate.*

7. Sunt qui non ideo lucent, quia fervent : sed magis fervent, ut luceant. Serm. *in Nativit. Joan. Bapt.*

8. Reprimendus est fervor immoderatus, ne noceat unitati, serviat indiscretioni. In suis *Sent.*, verbo *Minuendi.*

9. O quam multos senes et judices Israel turpiter vitam negligentes, rex Babylonis in terra captivitatis et confusionis possidet! et quam multi juvenes spiritu fervente, Domino servientes, vim faciunt cœlo, totisque viribus sibi diripiunt illud! *Prosec.*

10. Utinam talium præconia juvenum nostri imitarentur senes, ut annosa redderet senecta,



quod tenera fert sponte adolescentia. *De Ordine vitæ.*

S. BONAV. 11. Nisi mentis intentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam semper anima ad ima revocatur. Lib. 4, *Pharetræ*, cap. 25.

S. CÆSARIUS ARELAT. 12. Melius tibi fuerat in sæculo mansisse frigidum, quam in monasterio non esse ferventem. Homil. 30.

DIONYSIUS CARTHUS. 13. Quanto quis Deum plus diligit, tanto delectabilius facit opus Dei, atque ferventius. *Prosec.*

14. Quanto autem delectabilius et ferventius operatur, tanto amplius promeretur. Super epist. I, *ad Cor.*, cap. 3, art. 3.

15. Multi sunt, qui in initio conversionis suæ, in servitio Dei ferventes existunt, sed processu temporis tepescunt. Super *Apocal.*, cap. II, art. 3.

16. Non corruamus a primo nostro fervore, sed in eo quotidie crescamus. *De Profess. monast.*, art. 1.

17. Quanto quis crescit in spirituali fervore, tanto plus illuminatur a Spiritu sancto. *De Profectu spirit.*, art. 10.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 18. Hosti quem ipsa conversatione provocavimus, in medio certamine manus. si in fervore, quo cœpimus, non perseveramus. Homil. 8, *ad Monachos.*

GILLEBERT. ANGLUS. 19. Nescit itinere directo ad Deum ire oratio quæ succensa non fuerit. Serm. 15, super *Cant.*, apud S. Bernard.

S. GREGOR. MAGNUS. 20. Qui in amore Dei cordis calorem non habet, nec etiam vitam quam diligit, tenet. Lib. 11, *Moral.*, cap. 26.

21. Mens humana dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis, quotidiana innovatione fervoris. *Ibid.*, lib. 22, cap. 2, num. 4.

S. HIERON. 22. Verus fervor non est, nisi ex amore Dei. Epist. 3, *ad Heliodor.*

23. Ferventissimi in terrenis, frigidissimi in cœlestibus sumus, et summam in rebus parvis exhibentes alacritatem, ad majora torpescimus. *Prosec.*

24. Considerare pudet quantus sit fervor in sæculo, qua cura singula quæque studia hominum quotidie ad perfectiora nitantur. *Epist. ad Demetriad.*

25. Multi dum nimio fervore mentis, rationem suarum virium non habent, subito conciderunt. *Ibid.*

26. Excitandus est spiritualibus stimulis semper animus, et majore quotidie ardore renovandus. *Prosec.*

27. Orationis instantia, illuminatio lectionis, sollicitudo vigiliarum, et diurna et nocturna ejus incitamenta sunt. *Ibid.*

HUGO CARD. 28. Prædicatori necessarius est fervor : tunc talis potest alios inflammare, qui prius fuerit inflammatus : quia qui non ardet, non incendit. Super *Psalm.* CIV, *Moraliter.*

29. Novitii primo fervorem magnum concipiunt, sed postmodum tepiditatem pariunt. Super *Isai.*, cap. 33, *Moraliter.*

30. Peccatores in peccatis magis ac magis frigescunt : quia omnis calor fervoris per peccatum consumitur. Super *Hierem.*, cap. VI.

S. JOANNES CHRYSOST. 31. Sive periclitemur, fratres, sive quidquam patiamur, ardentiores reddamur ad virtutis studium. Homil. 43, super I, *Cor.*

S. JOAN. CLIM. 32. Statim ut susceperis flammam, curre : nescis enim utrum brevi extinguenda sit, ne forte in tenebris te deserat. *Gradu* 3.

JOAN. GERS. 33. Nimius fervor exterminat fortitudinem. Serm. *de Verb. Dom.*

JOAN. TRITH. 34. Calidus est, qui fervore divini amoris æstuat : frigidus vero dicitur, qui vitiis et sceleribus extinctus, nullo fervore spiritus ad Dei amorem elevatur ; tepidus autem est, qui sceleribus et vitiis majoribus non involvitur, et tamen sine fervore Dei amoris otiosus inter alios conversatur. Orat. 5, *in Conventu Abbat. habita.*, super illud *Apocal*, V : *Utinam Frigidus esses.*

S. LAURENT. JUSTIN. 35. Tanto quisque sit ferventior in operatione, quanto incertior est vocatione. *De Ligno vitæ*, tract. 12; *de Humilit.*, cap. 4.

S. MAXIMUS EP. TAURIN. 36. Ubi cor ardet, flammam membra non sentiunt : ubi Christi ignis operatur, diaboli necesse est vincatur incendium : ubi Dei spiritus fervet, frigida fit flamma mortalium. Homil. 2, *de S. Laurentio.*

ORIGENES. 37. Nihil remissum, nihil tepidum habeamus in nobis : sed cum fervore spiritus, et calore fidei cuncta peragamus. Lib. 9, in cap. 12, *Epist. ad Rom.*, super illud : *Spiritu ferventes.*

PETR. BLES. 38. Voluntas bene operandi quando ferventior, tanto fructuosior semper erit. *De Charit.*, cap. 56.

S. PETRUS DAM. 39. In spiritualis militiæ tyrocinio, malo ut modum discretionis nimius fervor excedat, quam degeneres animos desidis ignaviæ torpor astringat. *Prosec.*

40. Facilius est enim refluo vasi, quod super exuberat demere, quam quod in eo vacat, implere.

41. Laboriosius est, trunco ramos, qui non habentur, inserere, quam arbori superfluos amputare.

42. Licet hoc vitium sit, quod limitem discretionis excedas, melius est tamen te nimii fervoris argui, quam fœdo desidiæ morbo notari. Lib. 6, epist. 22, *ad Damian. monach.*

43. Si vis vocem habere, vel in prædicationi-

bus intonantem, vel orationibus efficacem, satage semper ut te divinus fervor accendat. Opusc. 45, cap. 4.

44. Monacho ferventi nihil valet esse præstantius, frigido nihil vilius. *Opusc.* 50, cap. 13.

RICHARD. A S. VICTORE. 45. Mentis vilitas tanto pretiosior est, quanto de fonte amoris et fervoris radice procedit. Part. 2, super *Cant.*, cap. XIV.

S. THOMAS AQUINAS. 46. Fervor voluntatis non est virtuosus, nisi sit ratione ordinatus. 2, 2, quæst. 196, art. 4.

THOMAS A KEMPIS. 47. Quæ est causa quod tam multi a prima devotione et fervore tepescunt, et tam parum in veris virtutibus proficiunt, quia, proh dolor! a sancto proposito paupertatis et simplicitatis quod didicerunt, paulatim recedunt. Serm. 3, *ad Novit.*, divis. 1.

48. Fervor noster quotidie deberet crescere, sed nunc pro magno videtur, si quis primi fervoris partem possit retinere. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 11, sect. 5.

49. Omni die renovare debemus propositum, et ad fervorem nos excitare. *Ibid.*, cap. 19.

50. Homo fervidus et diligens, ad omnia est paratus. *Ibid.*, cap. 25, sect. 2.

51. Felix anima, quæ per singulos dies fervorem addit fervori. *De Discipl. claustr.*, cap. 16.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 52. In re frigidissima cales, in ferventissima friges. Lib. 4, *de Art. Rhetor.*

Vide etiam tit. *Affectiones quatuor*, sent. 32; *Devotio*, sent. 21, 44; *Exemplum*, sent 25; *Novitius*, sent. 58; *Occupatio*, sent. 23; *Oratio*, sent. 72, 162; *Propositum*, sent. 49, 50, 56, 67; *Religiosus*, sent. 96; *Severitas*, sent. 20; *Spiritus sanctus*, sent. 99, 100, 101; *Tepiditas*, sent. 33, 38.

## FESTIVITAS.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Etymologia.* Festivitas dicta est a festis diebus, quasi festiditas, eo quod in eis sola res divina fit. Lib. 6 *Etymol.*, cap. 18.

PLATO. *Definitio.* Festum est tempus sacrum secundum leges. Syzyzia 6, *de Definit.*

ISIDORUS HISPALENS. *Origo.* Omnes festivitates pro varietate religionum, diversoque in honore martyrum tempore, ideo a viris prudentibus institutæ sunt, ne forte rara congregatio populi fidem minueret in Christo. *Prosec.*

Propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter convenirent, ut e conspectu mutuo, et fides crescat, et lætitia major oriatur. Lib. 1, *de Officiis Ecclesiasticis*, cap. 35.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Tota die festivitatis sit nobis vel oratio, vel lectio. Serm. 33, *Tempore jejunii.*

2. Dominica nobis ideo venerabilis est, atque solemnis, quia in ea Salvator velut sol oriens discussis infernorum tenebris luce resurrectionis emicuit. Serm. 61, *de Pentecoste.*

3. Festus dies Domini est, ubi perfectarum virtutum gratia est. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 2.

S. ANTONIN. 4. O abusio perversa hominum, et jactura temporis irrecuperabilis, et negotium gratissimum dæmoniis: quia quod cum multo labore per hebdomadam lucrati sunt, festis diebus in tabernis, in ludis, et spectaculis expendunt. Part. 2, tit. 9, *de Acedia*, cap. 7, § 4.

5. Dæmones inimici pessimi animæ, seu Ecclesiæ, derident hominum festa: quia non Deo, sed sibi vacant, ventri, et dæmoni. *Ibid.*

6. Quis est hic, qui ita celebret festa vacando divinis, et laudabimus eum? *Prosec.*

7. Nonne tota occupatio hominum in festis est circa corpus? mulieres vacant, et non parum temporis exponunt in se ornando ad capiendas animas.

8. Famuli et famulæ ad præparandum cibos accuratius solito, mercatores ad faciendum suos computos, et ratiocinia, et scribendum libros et litteras. *Ibid.*

S. APPOLL. 9. Die Dominica nihil agendum est, nisi Deo vacandum: nulla operatio in illa die sancta agatur, nisi tantum hymnis, et canticis spiritalibus. Habetur in *Decretis Gratiani*, part. 3, dist. 3, can. *Jejunia.*

S. AUGUST. 10. Populus christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. Lib. 20, *contra Faustum*, cap. 21.

11. In die festo nullus se a sacra missarum celebratione separet, neque otiosus quis domi remaneat, cæteris ad ecclesiam pergentibus, neque in venatione se occupet, et diabolico mancipetur officio. *Prosec.*

12. Quod valde dolendum est, sunt aliqui maxime potentes istius mundi, qui cum veniunt ad ecclesiam, non sunt devoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt presbyterum ut abbreviet missam, et ad eorum libitum cantet: quatenus unus punctus diei ad Dei officium, et reliquum diurnum spatium cum nocte simul ad eorum deputetur voluptates.

13. Nolite, fratres mei dilectissimi, hæc facere: nolite hæc facientibus consentire: quia non solum qui hæc faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, pereunt. Serm. 1, *Dom.* 26, *post Trinit.*

14. Recte festa Ecclesiæ colunt, qui se Ecclesiæ filios esse recognoscunt. Serm. 2, *Dedicat. Eccles.*



15. Ab ipsis sanctorum martyrum in veritate festivitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum martyrum exempla sequuntur. *Prosec.*

16. Solemnitates enim martyrum, exhortationes sunt martyriorum: ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

17. Sed nos volumus gaudere cum Sanctis, et tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis.

18. Qui enim sanctos martyres, in quantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Serm. 3, *de Martyribus.*

S. BERNARDIN. SEN. 19. Mira multorum insania! per totam septimanam laborare pro misero corpore, et in die festo laborare pro damnatione infelicis animæ. *Prosec.*

20. Stupenda insania! per totam hebdomadam laborare in operibus licitis, et diem dominicum polluere et violare ludis, voluptatibus, ebrietatibus, et choreis. Serm. 10, *Dom.* 1 *Quadrag.*, art. 2, cap. 1.

S. BERNARD. 21. In Sanctorum vigiliis necesse est vigilare hominem spiritualem, qui solemnitates eorum celebrare desiderat in spiritu et veritate. Serm. *Vigil. SS. Petri et Pauli.*

22. Speciale obsequium Deo præbetur in observantia sanctarum solemnitatum. Serm. 4, super *Salve Regina.*

23. Tria sunt, quæ in festivitatibus Sanctorum vigilanter considerare debemus: auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram. Serm. *Vigil. SS. Petri.*

24. In Sanctorum festivitatibus et gaudere et confundi debemus. Gaudere, quia patronos præmisimus: confundi, quia eos imitari non possumus. *Ibid.*

25. Quandocumque est festum alicujus Sancti, cogita de illo quanta sustinuit propter Deum, quia brevia; et qualia adeptus est, quia æterna. In *Notabili documento.*

S. BONAV. 26. Festum triplex faciendum: festum virginum, festum confessorum, festum martyrum: festum virginum facit, qui observantia castitatis mentem exhilarat; festum confessorum facit, qui consolatur in puritate confessionis: festum martyrum facit, qui in tribulatione gaudet in spe resurrectionis. Super *Psalm.* CXIII.

27. Nihil perniciosum facere, est diem festum agere. Collat. 36, super cap. VII, *Joan.*

28. Festivitas cœlica est, in qua vacatur divinæ visioni et fruitioni. *Prosec.*

29. Festivitas angelica est, sive divina, in qua indulgetur divino cultui et laudibus, quiescendo ab operibus servilibus et peccatis. *Ibid.*

30. Sanctorum festa ad hoc celebramus, ut dum qui fecerint, attendimus, imitari pro posse studeamus. Serm. 3.

31. In solemnibus festis est ab itineratione cessandum. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 28.

S. CÆSARIUS ARELAT. 32. Satis durum et prope nimis impium est, ut christiani non habeant tantam reverentiam diei Dominico, quantam Judæi observare videntur in sabbato. *Prosec.*

33. Cum enim ipsi infelices ita Sabbatum observent, ut in eo nihil terreni operis exercere præsumant: quanto magis illi, qui pretioso sanguine Christi redempti sunt. Homil. 12.

S. CYPRIAN. 34. Dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Epist. 37, quæ est sexta lib. 1, *ad Presbyt. et Diacoc.*

S. EPHRÆM. 35. Illustris et peramabilis semper est angelis atque hominibus memoria Sanctorum, ut nos pari zelo et fervore decertemus, et ad eorum imitationem Deum diligamus. In *Omnes Sanctos.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 36. Festivitates Domini et aliorum Sanctorum, magis honorantur inopia et paupertate, per quam ipsi cœlum ingressi sunt, quam curiositate et superfluitate, per quam anima elongatur a cœlo. In suis *Opusc.*, oraculo 8.

S. GREGOR. MAGNUS. 37. Transeunt cuncta, quæ temporaliter festiva celebrantur: curate qui solemnitatibus interestis, ne ab æterna solemnitate separemini. Homil. 26, super *Evang.*

38. Quid prodest interesse festis hominum, si deesse contingat festis angelorum? *Ibid.*

39. Umbra enim venturæ solemnitas, est solemnitas præsens.

40. Dominico die a labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum: ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur. Lib. 11, in *Regist.*, indict. 6, cap. 3, epist. 3, *ad Romanos cives.*

S. GREGOR. NAZ. 41. Festi summa, Dei est memoria, ut Deus laudetur et glorificetur. Orat. 2, in *Epiphan.*

HAYMO. 42. Mos ecclesiasticus obtinuit, ut dies beatorum martyrum, sive confessorum, quibus de hac vita migraverunt, non funebria, sed natalitia vocemus: quia tunc felicius vivere cœperunt, cum per mortis umbram ad vitam æternam pervenire meruerunt. Serm. 2, *Dom.* 3, *post Pascha.*

HESYCHIUS. 43. Omnis memoria justorum totis votis est celebranda: quia omnis solemnitas amicorum Dei est gloriosa. Serm. 1, *de Laud. B. Mariæ.*

S. HIERON. 44. Sollicitius providendum est, ut solemnem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus. *Prosec.*

45. Quia valde absurdum est, nimia saturitate

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

velle honorare martyrem, quem scias Deo placuisse jejuniis. Epist. 19, *ad Eustochium.*

46. Festivitas christianorum, jugis et æterna est. Epist. 29, *ad Algasiam*, quæst. 10.

47. Prima virtus est sacerdotis, non tantum docere quæ noverit, sed et omnes Dei festivitates custodire, ut possit aliis custodienda præcipere, quæ et ipse observaverit. Lib. 13, super *Ezech.*, cap. XLIV, super illud : *Et præcepta in omnibus solemnitatibus.*

HUGO A S. VICTORE. 48. Festi dies aliud studium, et alium conversandi modum exigunt, quam hi in quibus licet operari. *De Institut. monast. ad novit.*, cap. 4.

49. Oportet quadam conversationis novitate festos dies honorare. *Ibid.*

50. Quantum addit decoris diebus festivis, quies vacationis, tantum ornamenti confert cæteris diebus studium boni operis. *Ibid.*

51. In festis diebus quisquis noluerit esse quietus, judex suæ vanitatis est : et in aliis qui non fuerit laboriosus, festis pigritiæ est. *Prosec.*

52. Carnales mentes, ne in festis diebus quiescant, vanitas exagitat : ne in aliis in bono opere se exerceant, pigritia ligat. *Ibid.*

53. Multa faciunt, qui putant festorum celebritatem consistere in comessationum et ebrietatum amplificatione, quod est magis festa violare. Super *Luc.*, cap. II.

HUGO CARD. 54. Multi in festivis diebus, quando deberent se magis conjungere Deo per contemplationem et orationem, amittunt Jesum, id est, salutem. *Ibid.*

S. IGNATIUS MARTYR. 55. Festivitates ne dehonestetis. Epist. 8, *ad Philipp.*

S. JOANNES CHRYSOST. 56. Veræ feriæ sunt, ubi animarum salus, ubi pax et concordia est. Homil. 1, super *Genes.*

57. Festa non multitudo convenientium facere solet, sed virtus : non sumptuosus vestitus, sed pietatis ornatus ; non mensæ dapsilitas, sed cura animæ. Homil. 5, *de Fide Annæ.*

58. Tunc solum veram solemnitatem peragimus, cum spiritualis vitæ continuo cultum augemus, cum ab alienis manus abstinemus, cum in laboribus superfluis atque inanibus, quos propter hanc vitam sustinemus, legem sabbati conservamus. Homil. 40, super *Matth. Oper. perf.*

59. Scire nos convenit, quod ita nos vere solemnes sumus, si solemnitate sic utimur, ut præsentem Deum habere mereamur. Serm. 8, *de Resur.*

60. Ita nobis sanctorum dierum festivitas agatur, ut relaxatione corporum, puritas non corrumpatur animorum : sed potius abstinentes ab omni luxu, ebrietate, lascivia, dantes operam sobriæ remissioni, ac sanctæ sinceritati, id efficere tentemus; ut quidquid nunc corporali abstinentia non adipiscimur, mentium puritate quæramus. *Ibid.*

61. Nonnulli festivos se esse dubitant, nisi gulæ, nisi ventri, nisi luxuriæ satis fecerint : non est, fratres, festivitatem colere, sed coinquinare. *Prosec.*

62. Vultis ergo scire quid sit hominem festivum esse? imitamini in aliquos illos, qui festivitate usi sunt, dico Sanctos Dei : quorum semper fuerunt dies sobrii, noctes pudicæ, sanctæ vigiliæ, sopor castus, actus probi, conversatio honesta, vita sibi ex omni parte consentiens.

63. Neque illos sequamur, quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt : hi enim, dilectissimi, divinis solemnitatibus non intersunt : his sacræ diei festa non sapiunt. *Ibid.*

64. Quamlibet quis solemnitatem pro honore divino celebrare se credat, festivitatem Dei quia in probris agit, injuria est. *Ibid.*

65. Centum sexaginta octo horas habente hebdomada, unam et solam horam sibi ipsi segregavit Deus, et hanc in opera sæcularia et in ridicula et in conventicula insumis. Serm. *de Eucharistia.*

66. Solemnitas propterea instituta est, non ut turpiter vivatur, neque ut peccata accumulentur, sed ut præsentia tollantur. Homil. 27, super I *Cor.*

67. Solemnitas bonorum operum est exhibitio, animæ puritas, vitæ rectitudo : quæ si habueris, semper celebrare poteris solemnitatem. *Ibid.*, homil. 28.

JOAN. TRITH. 68. Festa Sanctorum non faciunt sanctos, sed probant. Quis dubitaverit innumerabiles cum Christo regnare Sanctos, quorum apud viventes nulla festa celebrantur? Orat. 8, *in Conventu Abbat.* habita.

S. LEO I. 69. Parum religiosus alio tempore demonstratur, qui in festis diebus religiosior non invenitur. Serm. 2 *Quadrag.*

70. Cui festivitas est celebranda sublimior, ipse quoque reperiatur virtutibus ornatior. *Ibid.*, serm. 3.

71. Solemnitas martyrum, exhortationes sunt martyriorum; ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Serm. *de Martyrib.*

ORIGENES. 72. Si desinas ab omnibus sæcularibus operibus, et nihil mundanum geras, sed spiritalibus operibus vaces, ad Ecclesiam convenias, lectionibus divinis et tractatibus aurem præbeas, et de cœlestibus cogites, hæc est observatio sabbati christiani. Homil. 23, in cap. XXVIII.

S. PETRUS CHRYSOL. 73. Tu christiane, diem Domino Dominicum, serva, si vis illum videre Domini diem, si vis



quidquid est dominicum per Dominum possidere. Serm. 105.

74. Idcirco natales martyrum annua lætitia celebrantur, ut quod semel actum est, per omne ævum in memoria maneat devotorum. *Ibid.* serm. 129.

75. Ferveat oratio, et festum martyris celebretur : sed ut non sit inanis qui celebrat, imitetur. *Ibid.*, serm. 137, *de S. Laurent.*

S. PETRUS DAMIANUS. 76. Christiano sabbatum agere, est a laboriosa rerum temporalium cupiditate quiescere, solis orationum ac lectionum studiis insudare, sæcularium negotiorum pondus de mentis cervice projicere, ad contemplanda cœlestia tota cordis intentione vacare, et carnis oblectamenta contemnere. *Prosec.*

77. Qui ab actionum sæcularium laboribus cessat, et divinæ servitutis operibus vacat, ille christianæ religionis sabbatum celebrat. Lib. 4, epist. 16.

PHILO JUD. 78. Non alia faciamus, quæ festis diebus non licet agere. *de Migrat. Abraham.*

79. Festum hilaritatem animæ, et erga Deum gratitudinem significat. *Ibid.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 80. Ut Deo dignum te festi celebratorem præbeas, ne a sobria jejunii mensa ad ebriam et violentam te conferas, quin potius craterem sobria mixtura plenum Deo immortali offeras. In *Concion. panegyr.*

S. THEOPH. ALEX. 81. Non est hæreticorum ulla solemnitas, nec qui errore decepti sunt, illius possunt communione lætari. *Epist. Paschal.* 1.

S. THOMAS AQUINAS. 82. Festum omne Veteris Testamenti habet aliquod festum sibi succedens in Novo Testamento : festo Phase, succedit festum Passionis Christi et Resurrectionis : festo Pentecostes, in quo fuit data lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo fuit data lex spiritus vitæ : festo Neomeniæ succedit festum beatæ Virginis, in qua primo apparuit illuminatio solis, id est Christi, per copiam gratiæ : festo Tubarum succedunt festa apostolorum : festo Expiationis succedunt festa martyrum et confessorum : festo Tabernaculorum succedit festum consecrationis Ecclesiæ : festo Cœtus atque Collectæ succedit festum angelorum, vel etiam festum omnium Sanctorum. 1, 2, quæst. 103, art. 3.

THOMAS A KEMPIS. 83. Ibi est magna et vera festivitas, ubi est puritas innocentis vitæ, libertas bonæ conscientiæ, jucunditas spiritualis lætitiæ. Serm. 29, *ad Novit.*

84. Felix festivitas, quando et mentis jucunditas sentitur, et spiritualibus epulis anima invitata large reficitur. *Prosec.*

85. Non enim festum mihi est, si in corde non est : quia idcirco exterius recolitur, ut gravius et jucundius intus celebretur.

86. Nam exteriora festa, internorum sunt incitamenta festorum, et æternorum quædam præsagia gaudiorum. Medit. 4, *de Nativ.*, cap. 1.

87. Tanto devotius quis festa celebrat, digniusque in Sanctis suis Deum honorat, quanto in spiritu plus proficit, et ad amorem æternitatis se latius extendit. *Ibid.*, cap. 7.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 88. Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines cogerentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. *De Tranquillit. animi.* cap. 15.

89. Quidni ego magnorum virorum imagines habeam, quæ sunt incitamenta animi, et natales celebrem? ego vero illos veneror. Epist. 64.

## FIDES.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia.* Fides componitur ex duplici verbo, facio scilicet et dico : si enim facio quod dico, et apprehendo quod tango, tunc est fides, et talis fides salvat. Serm. 24, *post Trinit.*

S. AUGUST. Fides appellata est ab eo, quia fit quod dicitur : duæ syllabæ sonant, cum dicitur fides. Prima syllaba est a facto, secunda a dicto : interrogo ergo te utrum credas? dicis, credo; fac quod dicis, et fides est. Serm. 2, *Dom.* 19, *post Trinit.*

CASSIODOR. Fides dicta est ab eo quod fiant dicta. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 40.

CATECHISM. ROMANUS. *Definitio.* Fides est donum Dei ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint.

S. AUGUST. Fides est credere quod non vides, cujus fidei merces est videre quod credis. *De Verbis Apostoli.* Serm. 27.

S. BASILIUS MAGNUS. Fides est assensus non hæsitans de his quæ audita sunt in certitudine veritatis, et prædicata sunt per gratiam Dei. *De Fidei confessione.*

S. BERNARD. Fides est voluntaria quædam et certa prælibatio necdum propalatæ veritatis. Lib. 5, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

S. BONAV. Fides est eorum, quæ sperantur, hypostasis : rerum, quæ non videntur, redargutio. Part. 3, *Centiloquii*, sect. 37.

Fides est unicum credentium fundamentum, eos collocans in veritate. *Ibid.*

S. EDMUND. Fides nihil aliud est, nisi credulitas rei, quæ non potest videri. In *Speculo Eccles.*, cap. 17.

HUGO A S. VICTORE. Fides est in studio sancto quæ ex præmissorum veritate ad invisibilia futura mentem facit tendere. *De Fruct. carnis et spiritus*, cap. 16.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**JOAN. CASS.** Fides est, quæ futuri judicii, ac suppliciorum metu, vitiorum facit contagia declinari. Collat. 11, *Abb. Chæremonis*, cap. 6.

**S. JOAN. CLIM.** Fides est animæ nihil hæsitans status adeo fixus, ut nulla adversitate motus agitetur. Gradu 27, *de Differentia quietis*.

**S. JOAN. DAM.** Fides nihil aliud est quam assensio ab omni curiositate procul dissita. Lib. 4 *Parall.*, cap. 12.

**HUGO A S. VICTORE.** Fides est certitudo rerum invisibilium ad religionem pertinentium, supra opinionem et infra scientiam constituta. In *Apologia de Verbo incarnato*.

Fides est certitudo rerum absentium supra opinionem et infra scientiam constituta. Lib. 1, *de Sacram.*, part. 10, cap. 2.

**S. ISIDORUS HISPALENS.** Fides est, qua veraciter credimus id quod nequaquam videre valemus : nam credere non possumus, quod videmus. Lib. 8, *Etymolog.*, cap. 2, verbo *Fides*.

**S. MAXIMUS MART.** Fides est facultas conjunctiva, sive habitudo effectrix supernaturalis immediatæ perfectæque unionis ipsius credentis erga Deum, cui creditur. Centuria 2, *de Virtut. et vitiis*, cap. 8.

**S. THEODOR.** Fides est voluntaria quædam animi compositio et conventio, vel latentis ac remotæ rei visio quædam et contemplatio, vel circa id quod vere est animi adhæsio et constantia, rerumque invisibilium apprehensio quædam naturæ compar et congruens. Serm. 1, *de Curat. Græcarum affectionum*.

Fides est insita credentium animis citra ambiguitatem aliquam dispositio. *Ibid.*

**S. THOMAS AQUINAS.** Credere est actus intellectus assentientis divinæ veritati ex imperio voluntatis motæ per gratiam. 2, 2, quæst. 2, art. 9.

Fides est certitudo animi quædam de absentibus supra opinionem, et infra scientiam. *Ibid.*, quæst. 4, art. 1.

**PLATO.** Fides est recta opinio et persuasio quod res ita se habet, velut ipsi videtur. Syzygia 6, *de Defint.*

**S. BONAV.** *Differentia.* Aliud est credere Deum, aliud credere in Deum, aliud credere Deo. *Prosec.*

Credere Deum, est ipsum credere esse : credere in Deo, est credendo ipsum amare : credere Deo, est credere verbis ejus. Lib. 5, *Compendii Theolog. veritat.*, cap. 21.

**S. AMBROS.** *Productio.* Fides est radix virtutum omnium. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 9.

**S. BONAV.** Fides est radix omnium virtutum, quæ si evellatur, ceteræ virtutes arescunt. Serm. 1, *Dom.* 24, *post Pent.*

**HUGO A S. VICTORE.** Fidei comites sunt : religio, munditia, obedientia, castitas, reverentia, continentia, affectus. *De Fructibus carnis et spirit.*, cap. 16.

**CICERO.** *Comparatio.* Sicut locus sine portu, navibus esse non potest tutus; sic animus sine fide, stabilis esse non potest. Lib. 1, *de Invent. rhetoric.*

SENTENTIÆ PATRUM.

**B. ALANUS DE RUPE.** 1. Gratior est Deo anima cum formata fide, quam totius hierarchiæ natura sola. *Prosec.*

2. Unde æstimari non potest animæ jactura, si vel in minima fidei particula dubitet, aut discredat. Part. 3, serm. 4, regina 11, cap. 23.

**S. AMBROS.** 3. Fides fundamentum est justitiæ : justorum enim corda meditantur fidem, et cum se justus accusat, justitiam supra fidem collocat. Lib. 1, *de Offic.*, cap. 29.

4. Ubi fides, ibi exercitus angelorum est. *De Obitu Theodosii imperat.*

5. Tene clavum fidei, ut te graves hujus sæculi turbare non possint procellæ. Lib. 7, epist. 44, *ad Constantium*.

6. Ubi fides integra est, ibi Salvator docet, vigilat, et exultat : ibi requies, ibi tranquillitas, ibi cunctorum medicina. *Prosec.*

7. Ubi autem fidei admixta est perfidia, ibi Christus torpet, dormit : et pejor est ibi metus, ibi tempestas, ibi omnium est discrimen. Serm. 11.

8. Fides nostra, thesaurus est. Lib. 1, *de Abraham.*, cap. 9.

9. Hæreditas majorum est vera fides. Super *Psalm.* XXXVI.

10. Ubi vera est fides, ibi veri luminis est gratia. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 8, vers. 7.

11. Cito fides inexercitata languescit, et crebris otiosa tentatur incommodis : pax ergo, fidei corruptelæ materia est. *Ibid.*, serm. 11, vers. 7.

12. Morale est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem adstruant. Lib. 2, super *Luc.*, cap. 1 in illud : *Exurgens Maria*.

**S. ANTONIN.** 13. Quanto fides est nobilior viva, tanto vituperabilior christianus ex fide mortua, et dignior majori pœna propter majorem ingratitudinem. Part. 4, tit. 8, *de Fide*, cap. 1, § 6.

**S. ANTONIUS ABBAS.** 14. In operibus delinquere, infirmitatis indicium est : incredulum vero esse, audaciam temeritatis significat. Serm. *de Vanitate mundi*.

**S. ATHANAS. MAGNUS.** 15. Res magnas et apprehensu difficiles, nonnisi fide consequi datur. *De Incarnat. Verbi.*

16. Indicium voluntatis animæ, fides est. *De Passione et cruce Domini.*

17. Non potest fides venire in dubium, quæ veritatis fulta præsidio, crassiora mendaciorum nubila, fulgidæ claritatis lumine dissipat. *Prosec.*

18. Non enim potest propriis carere viribus, quæ non eget extrinsecus suffragiorum adminiculis adjuvari. *Disputat. contra Arium.*

**S. AUGUST.** 19. Non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo cujus est : sed eam tenet certissima scientia clamatque conscientia. *Prosec.*



20. Rerum absentium præsens est fides; et rerum quæ foris sunt, intus est fides : et rerum quæ non videntur, videtur fides. Lib. 13, *de Trinit.*, cap. 1.

21. Hæc est fides, quæ paucis verbis tenenda in symbolo christianis datur, quæ pauca verba fidelibus nota sunt, ut credendo subjugentur Deo, subjugati recte vivant, recte vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt intelligant. *De Fide et symbolo*, cap. 10.

22. Fides est bonorum omnium fundamentum fides est humanæ salutis initium : sine hac fide nemo ad filiorum Dei numerum potest pervenire sine fide omnis labor hominis vacuus est. *De Fide ad Petrum.*

23. Fides non est quod creditur, sed qua creditur, et illud quod creditur, illa conspicitur. Lib. 14, *de Trin.*, cap. 8.

24. Omnis fidei violator, iniquus est. Lib. 1, *de Doctr. christiana*, cap. 36.

25. Primum et maximum fidei officium est, ut in verum credatur Deum. Lib. 4 *de Civit. Dei*, cap. 20.

26. Pejor est desertor fidei, et ex desertore oppugnator ejus effectus, quam ille qui non deseruit fidem, quam nunquam tenuit. *Ibid.*, lib. 21. cap. 25.

27. Ad fidem nullus est cogendus invitus. Lib. 2, *contra Petilian.*, cap. 83.

28. Quando Deo adjuvante ex vera vivitur fide ipse Deus adest et menti illuminandæ, et concupiscentiæ superandæ, et molestiæ perferendæ. Lib. 5, *contra Julian.*, cap. 3.

29. Tanta est fidei Catholicæ sanitas, quam sanctus ubique seminat Spiritus, non pravitatis hæreticæ vanitas, et præsumptio spiritus. Lib. 1, *contra duas Epist. Pelagian.*, cap. 14.

30. Si dormiat fides vestra, dormit Christus in vobis : in quo autem non dormit fides, vigilat Christus. Super *Psalm.* CXX, vers. 4 : *Ecce non dormitabit.*

31. Diabolus nihil aliud agit, nisi ut intercludat viam ne credatur in Deum; si enim creditur in Deum, patet via, et ipse Christus est via : si autem non creditur in Deum, interclusa est via. Super *Psalm.* CXXXIV, *Exposit. mystica*, vers. 11.

32. Intellectus merces est fidei : ergo noli quærere ut credas, sed crede ut intelligas. Tract. 29, super *Evang. Joannis*, cap. VII.

33. Fides meritum est, intellectus præmium. Tract. 48, cap. X.

34. Fides debet præcedere intellectum, ut sit intellectus fidei præmium. *De Verb. Dom.*, serm. 51.

35. Fides nostra, fides recta, catholica, non opinione præsumptionis, sed testimonio lectionis collecta : nec hæretica temeritate incerta, sed apostolica veritate fundata. *Ibid.*, serm. 83.

36. Nullæ sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia quam est fides catholica. *De Verb. Apost.*, serm. 1.

37. Fides catholica peccatores salvat; cæcos illuminat; infirmos curat; catechumenos baptizat : fideles justificat; pœnitentes reparat; justos augmentat; martyres coronat; virgines, viduas, et conjugales casto pudore conservat; clericos ordinat; sacerdotes consecrat; regnis cœlestibus præparat; in æterna hæreditate cum angelis sanctis communicat. *Ibid.*

38. Piscis bonus, pia est fides : vivit inter fluctus, nec frangitur, nec solvitur fluctibus, vivit inter tentationes tempestatesque hujus sæculi pia fides : sævit mundus, et integra est. *De Verbis Dom.*, serm. 29.

39. Melior est fides, quam caro, melior est fides quam aurum, et melior est fides quam argentum, quam pecunia, quam prædia, quam divitiæ : et ista omnia videntur, fides non videtur. *De Verbis Apost.*, serm. 17.

40. Multo plus fulget fides, quam aurum : aurum latebris tenebrescit : animum fides ingenito splendore conspicuat; aurum tuto prodi non potest, fides bono publico semper fulget, dignitatem fidei fiducia ipsa testatur. *Ibid.*, serm. 26.

41. Initium bonæ vitæ, cui vita etiam æterna debetur, recta est. *Ibid.*, serm. 27.

42. Nihil prodest verbis proferre fidem, et factis deserere veritatem. Serm. 1, *de Defunctis*.

43. Fides est scutum sub quo tuta est justitia, sicut sub munimine omnium virtutum. Habet. in *Gloss. ord.* super *Epist. ad Ephes.*, cap. VI in illud : *Scutum fidei*.

44. Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est, quanto magis amico? Habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 1, can. *Noli*, § *Fides*.

**V. BEDA** 45. Ardua fides robustos exigit annos. In suis *Proverb.*, verbo *Ardua*.

**S. BERNARD.** 46. Fides nescia falli, fides invisibilia comprehendens, sensus penuriam non sentit. *Prosec.*

47. Fides transgreditur fines etiam rationis humanæ, naturæ usum, experientiæ terminos. Serm. 28, super *Cant.*

48. Dicamus fidem vitem, virtutes palmites, botrum opus, devotionem vinum. *Ibid.*, serm. 30.

49. Est fides, alia præceptorum, qua credimus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

in Deum; alia signorum, qua credimus Deum; alia promissorum: qua credimus Deo. Serm. 2, *Parvulor.*, serm. 2.

50. Fides attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam denique æternitatem suo vastissimo sinu quodammodo circumcludit. Serm. 76, super *Cant.*

51. Qualis sit cujuscunque fides, tribulatio probat: si cujus deficit, ficta esse dignoscitur: si cujus perseverat, probata et perfecta censetur. Epist. *ad Henric. Senonens. archiep.*

52. Continua operatione virtutum, et assidua meditatione Scripturarum sanctarum fides eruditur, et erudiendo illuminatur, et illuminando augetur, et augendo perficitur, et perficiendo stabilitur. *De Ordine vitæ.*

S. BONAV. 53. Licet fides credulitatis in multis videatur esse, fides tamen fidelitatis et confidentiæ reperitur in paucis. Super *Luc.*, cap. XVIII, in illud: *Putas invenies fidem in terra?*

54. Fides debet esse primo solida in credendo vera fideliter; secundo devota in expectando promissa certitudinaliter; tertio magna in operando ardua viriliter. Serm. 3, *Dom.* 23, *post Pent.*

55. Miro modo anima delectatur in intelligendo quod perfecta fide credit. Super lib. 1, *Sentent.* in prooemio, quæst. 2.

56. Fides non tantum est virtus gratuita, sed gratuitarum virtutum regula et auriga. Super lib. 3, *Sent.*, dist. 23, art. 1, quæst. 1.

57. Nunquam fides esset virtus, quantumcunque intellectum illuminaret, nisi etiam voluntatem quodammodo rectificaret. *Ibid.*, dist. 23, art. 1, quæst. 2.

58. Fides hominem salvat, mentem purgat, postulata impetrat, perseverantiam dat, temporalia contemnit, hominem justificat, et beatificat. Lib. 5, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 20.

S. BRUNO. 59. Primum Ecclesiæ ornamentum fides est, quæ in toto virtutum exercitu prima est. Omnes aliæ virtutes eam sequuntur, et sine ipsa cœlestis regni palatium non ingrediuntur. *Prosec.*

60. Si veniat humilitas, si patientia, si castitas, si ipsa charitas, quæ ab Apostolo major dicitur, nisi fides adsit, omnes repelluntur, et ingredi non permittuntur. *De Ornament. Eccles.*, cap. 1.

CASSIODOR. 61. Tunc fides solida est, quando amore casto formido divinitatis adhibetur. Super *Psalm.* V, vers. 11.

62. Plus est in fide delinquere, quam carnis fragilitate peccare. Super *Psalm.* X.

63. Tantum crescit calor fidei, quantum de flamma subtractum fuerit corporali. Super *Psalm.* CXVIII, vers.: *Factus sum sicut uter.*

64. In quo non dormit fides, vigilat Christus. Super *Psalm.* CXX, vers. 4: *Ecce non dormitabit.*

S. CLEMENS PAPA. 65. Quanto quis propensior fuerit in expetenda ratione veritatis, tanto erit firmior in conservanda fide. Lib. 2, *Recognit.*

CLEMENS ALEX. 66. Fides est doctrinæ Christi perfectio, quæ ex se ita perfecta et plena est, ut illi nihil desit. Lib. 1 *Pedagogiæ.*

67. Fides principium est actionis, et fundamentum prudentis electionis. Lib. 2, *Stromat.*

68. Maxima mater virtutum est fides. *Ibid.*

69. Fides est basis, ac stabilimentum charitatis. *Ibid.*

S. CYRILLUS ALEX. 70. Proximus ei, qui nullatenus credidit, est qui fidem negavit. Homil. 9, *de Festis paschal.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 71. Tantam habet virtutem fides, ut non solum ille qui credit salvetur, verum etiam aliis credentibus, alii serventur. *Cateches.* 5.

DIONYSIUS CARTHUS. 72. Fides est propugnaculum christianorum contra universas insidias dæmonum. Super *Epist.* 1 *Petri*, cap. V, art. 9.

73. Valde hoc Deo placet, quod homo de his quæ ad fidem pertinent, et ad divinum honorem, quæ non capit intellectu, humili veneretur affectu. *De Perfect. charit.*, art. 51.

S. ELIGIUS. 74. Nemo potest ad veram pervenire beatitudinem, nisi per fidem. Homil. 11.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 75. Fides religionis catholicæ, est lumen animæ, ostium vitæ fundamentum salutis æternæ. Homil. 2, *de Symbolo.*

76. Credere Deum quilibet potest hominum, credere vero in illum, soli te debere noveris Majestati. *Prosec.*

77. Esse Deum credere, et diabolus invenitur: in Deum vero credere, nisi qui pie in eum speraverit, non probatur. *Prosec.*

78. Et ideo Deum credere, naturaliter scire est: in Deum vero credere, hoc est fideliter eum quærere, et tota in eum dilectione transire. *Ibid.*

79. Divinis rebus admiratio adhibenda est, non credulitas abneganda: in omnipotentem te credere confirmas; sed si de factis ejus dubitas, imbecillitatem omnipotentis accusas. *Ibid.*

S. GAUDENT. 80. Fidem Dei servat, qui mandati ejus jura non violat. Tract. *de Machab.*

81. Insignior fides est, quæ nec in modicis violatur. *Ibid.*

GLOSS. DEC. 82. Frangenti fidem, fides frangatur eidem. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. INT. 83. Fides est via, qua verbum Dei ad cor ascendit. Super *Matth.*, cap. III.

S. GREGOR. MAGNUS. 84. In unum terra mareque coarctatur, cum unam eamdemque mentem certitudo solidæ fidei roborat. Lib. 10 *Moral.*, cap. 8.

85. Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit. Homil. 26, super *Evang.*



86. Si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur. Lib. 5, in *Registro*, indict. 14, cap. 115, epist. 15, *ad Joan. episc. Constantinop.*

87. Qui rectæ confessioni credere non consentit, in eo quod alium improbat, se accusat. *Ibid.*, cap. 16, *ad Mauritium august.*

88. Nullus ambigit infidelitatem esse, fidem fidelibus non habere. *Ibid.*

89. Fides earum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt: quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed cognitionem. Homil. 26, super *Evang.*

90. Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. *Ibid.*

HAYMO. 91. Fides principalis est virtus; vera est enim fides, quæ hoc credit mente, quod non videt corpore. Serm. *Dom.* 15, *post Pent.*

S. HIERON. 92. Si non extorquet fidem prudentia, extorqueat saltem verecundia. Epist. 7, *ad Lætam.*

93. Rara est in hominibus fides. Epist. 13, *ad Paulin.*

94. Fides proprie christianorum est. Lib. 1, *advers. Jovian.*

95. Fides pura moram non patitur; ut apparuerit scorpius, illico conterendus est. Epist. 15, *ad Pammach.*

96. Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum. Epist. 19, *ad Pammach. et Ocean.*

97. Malo existimatione periclitari, quam fide. *Ibid.*

98. Populi christiani religio fides est. Lib. 6, super *Hierem.*, cap. XXXII, super illud: *Et plantabo eos in terra.*

99. Etiam inter hostes fides servanda est: et non considerandum cui, sed per quem juraveris fidem. Lib. 5, super *Ezech.*, cap. XVI, super illud: *Et factum est verbum Domini.*

100. Majoris est detestationis, qui sub nomine fidelis agit opera infidelium, quam hi qui aperte gentiles sunt. Lib. 3, super *Matth.*, cap. XVIII, can. 10, num. 184, super illud: *Si Ecclesiam non audierit.*

101. Inter fructus spiritus, septimum et sacratiorem locum fides possidet. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. V, in illud: *Fructus spiritus.*

S. HILARIUS. 102. Multi sunt, qui simulantes fidem, non subditi sunt fidei, sibique fidem ipsi potius constituunt, quam accipiunt, sensu humanæ inanitatis inflati, dum quæ volunt, sapiunt; et nolunt sapere, quæ vera sunt. Lib. 8, *de Trin.*

S. HORMISD. PAPA. 103. Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, et a constitutis patrum nullatenus deviare. Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 25, quæst. 1, can. *Primo.*

HUGO A S. VICTORE. 104. Fides non potest destrui, licet possit impugnari. *De Quæst. circa Epist. ad Galat.*, quæst. 8.

IDIOTA. 105. Fides sanctissimum bonum est humani pectoris, quæ nulla necessitate ad fallendum cogitur, nec ullo corrumpitur præmio: sed est firmamentum stabilitatis et constantiæ in animo. Lib. 1, *de Contemplat. amoris Dei*, cap. 2.

JOAN. CASS. 106. Fides est scutum, quæ excipiens ardentissima libidinum tela, metu futuri judicii, et cœlestis regni credulitate mortificat. Collat. 7, *Abbat. Sereni*, cap. 5.

S. JOANNES CHRYSOST. 107. Fides est religionis sanctissimæ fundamentum; charitatis vinculum, amoris subsidium; sanctitatem firmat; castitatem roborat, dignitatem exornat, in pueris splendet, in juvenibus floret, in perfectis apparet, gubernat sexus, gradus provehit, officia cuncta custodit; in paupere grata est, in mediocri læta, in locupleta honesta; amicitias servat, collegia copulat, artes commendat; nullum despicit, nullum contemnit, nulli deest, nisi qui ei forte defuerit; mandata tenet, præcepta servat, promissa consummat, familiares efficit Deo, amicos constituit Christo. Serm. *de Fide Abrah.*

108. Nullus fidei promissa percipiet, nisi professionem actibus servet. *Ibid.*

109. Inexpugnabile scutum, pia fides. Serm. 1, *de Job et Abraham.*

110. Fides per verbum Dei nascitur, per pacem servatur, et per charitatem nutritur. Homil. 26, super *Matth. Oper. imperf.*

111. Seductionibus aut persecutionibus fides non corrumpitur, sed purgatur. *Ibid.*

112. Sicut semper discere, signum est nihil posse proficere: ita signum semper petere, testimonium est nunquam velle credere. *Ibid.*, homil. 30.

113. Similis est natura infidelitatis terræ arenosæ, quæ quamvis pluviam susceperit, tamen quia nullos in se tenet humores, non fructificat. *Ibid.*

114. Anima hominis fidelis, sponsa est Christi: infidelis autem meretrix est. *Ibid.*

115. Nec conscientiam servat, qui Deo fidem non servat. *Ibid.*, homil. 32.

116. Fides nunquam senescit. *Ibid.*, homil. 35.

117. Talis est natura fidei, ut quanto magis vetatur eo magis accendatur. *Ibid.*, homil. 36.

118. Virtus fidei in periculis secura est, et in securitate periclitatur: quid enim aliud sic vigorem fidei in hominibus laxat, quam longa tranquillitas? *Ibid.*

119. Fides lampas est, quia sicut lampas illu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minat domum in qua est, sic fides illuminat animam cujus est. *Ibid.*, homil. 52.

120. Fides hominem, qui terrenus est, si convertatur, Deo familiarem efficit. Serm. *de Fide et lege naturæ.*

121. Sicut plantæ rigatæ magis crescunt : ita et fides oppugnata magis floret. Serm. *in Juventin. et Maxim.*

122. Fides est origo justitiæ, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis fundamentum. Serm. *de Fide, spe et charitate.*

123. Fides innocens est ac pura credulitas : hæc excludit dubia, tenet certa, promissa consignat. Hanc qui tenet, felix est : qui deseruerit, miser. *Ibid.*

124. Impossibile est, qui vitam impuram ducit, in fide non vacillare. Serm. 1, *de Verbis Apost.* : *Habentes eumdem spiritum.*

125. Nihil prodest vita incorrupta, nisi accedat fidei sinceritas. *Ibid.*, serm. 2.

126. Ubi fidei nobilitas quæritur, ibi nemo barbarus, nemo Græcus, advena nemo, nemo civis : sed in eamdem simul omnes ascendere possunt dignitatis excellentiam. Serm. 2, super *Epist. ad Rom.*

127. Quemadmodum credere mentis est sublimis et magnificæ : ita incredulum esse, animi stolidissimi, levis et ad brutorum amentiam usque dejecti signum est. *Ibid.*, serm. 8.

128. Quanto certiores et magis necessariæ res sunt, tanto fides est minor. Homil. 6, super I, *Cor. in Morali.*

129. Fides veluti navis tutissima est, quæ ducit ad portum : igitur qui ex illa deciderint, necesse est eos naufragium facere. Homil. 5, super I, *Tim.*

130. Fides quod verum est indicat, et ex sincera fide charitas gignitur. *Ibid.*, homil. 2.

131. Fidelis non modo a munere, verum etiam ex novitate vitæ debet agnosci. Homil. 4, super *Matth.*

132. Fidelem enim non ab his tantum, quæ accepit a Deo : verum etiam ab his, quæ attulerit ipse Deo, convenit refulgere, et undequaque esse notum atque manifestum, et ab incessu, et ab aspectu, et a veste, et a voce. *Ibid.*

133. Fides lumen est animarum. Homil. 2, super *Matth. Oper. Imperf.*

134. Magnum bonum fides, cum a vehementi amore, et flagranti animo procedit : ipsa sapientes indicat, ipsa humanam detegit humilitatem. Homil. 62, super *Joan.*

S. JOAN. CLIM. 135. Fides firma abrenuntiationis est mater. *Gradu* 16, in princ. recapitulationis.

136. Fides est insperatarum rerum induitrix *Ibid.*, gradu 27.

137. Fides orationis est penna, qua sine in cœlum evolare non potest. *Ibid.*, gradu 28.

JOAN. GERS. 138. Dubius in fide, infidelis est. *De Mirabili victoria cujusdam.*

JOAN. SAR. 139. Ex rerum difficultate crescit meritum fidei. Epist. 97.

JOAN. TRITH. 140. Sine fidei scuto diabolus non vincitur, nec lascivæ carnis impetus superatur. Homil. 3, *ad Monachos.*

141. Ut sana fides non est, non potest esse justitia. *Prosec.*

142. Si bene credis, et male vivis, proprio te gladio perimis. *Ibid.*, lib. 2, sent. 1.

S. IRENÆUS. 143. Cum una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere amplius, neque is qui minus, deminorat. Lib. 1, *advers. Hæres.*, cap. 3.

S. ISIDORUS HISPALENS. 144. Fides nequaquam vi extorquetur, sed ratione atque exemplis suadetur : a quibus autem exigitur violenter, perseverare in eis non potest. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 2, sent. 4.

145. Sicut nihil proficit fides, quæ ore retinetur, et corde non creditur, ita nihil profutura est fides, quæ corde tenetur, si ore non profiteatur. *Ibid.*, sent 7.

146. Christianus malus, dum secundum Evangelii doctrinam non vivit, etiam ipsam fidem, quam verbo colit, oborta tentatione facile perdit. *Prosec.*

147. Multi fide tantum christiani sunt, opere vero a christiana doctrina dissentiunt. *Ibid.*, sent. 12.

LACT. FIRM. 148. Cum inciderit necessitas, ut discedere a Deo cogamur, nullus nos metus, nullus terror inflectat, quominus traditam nobis fidem custodiamus. *Prosec.*

149. Quod si facultas hujus gloriæ deerit, habebit fides, etiam in pace mercedem. In *Epitome*, cap. *Fides.*

150. Inutilis est, qui fide caret. Lib. 5, *de Div. inst.*, cap. 20.

S. LEO I. 151. Magnum præsidium est fides integra, fides vera : sine qua nihil sanctum, nihil castum, nihil vivum est. Serm. 4, *de Nativit.*

152. Una est, vera singularis, perfecta, inviolabilis, catholica fides, cui nihil addi, nihil minui potest. Epist. 82, *ad Palestin. monach.*

S. MAXIMUS MART. 153. Cæca præditus est fide, qui non peragit mandata divina per fidem. Centur. 3, *de virt. et vitio*, cap. 45.

S. PETRUS CHRYSOL. 154. Qui fidem quærit, rationem non quærit : qui divinam postulat, seponit humanam. Serm. 58.

155. Dux hujus vitæ, fides est. *Ibid.*, serm. 110.

S. PETRUS DAMIANUS. 156. Fides cordis sine fide oris, aut nulla est, aut parva : si oris confessio subsequatur, hæc est consummata justitia, perfecta veritas, et vera perfectio. *Prosec.*



157. Nihil enim valet fides cordis sine fide oris : nec fides oris sine fide cordis : cum ista justitiam, illa donet salutem ; quia salus a justitia, vel justitia a salute separari non possunt. Serm. 58, *de S. Andræa.*

158. Fides est origo virtutum, fides est bonorum operum fundamentum, fides est totius humanæ salutis exordium. *Prosec.*

159. Per cujus semitæ lineam, quisquis caute non graditur, erroris laqueo necesse est capiatur.

160. Qui non novit ambulare per fidem, nequaquam pertingere valebit ad speciem.

161. Sine recta fide quis nec justificationis consequitur gratiam, nec vitam promeretur æternam. Opusc. *de fide.*

162. Lux prima mentis fides est. Opusc. 60, cap. 1.

PHILO JUD. 163. Quisquis Deo credit ex animo, in nulla re creata corruptibilique collocat fiduciam. De *Præmiis.*

164. Credere soli Deo, non gloriæ, principatui, amicis, et cæteris plurimis, res est animi magni cœlestisque, non inescati ullis rebus nostratibus : nihil enim tam justum, quam fide sincera Deo credere. Lib. *Quis rerum divinar. hæres sit.*

165. Solum, certum firmumque bonum est fides, qua Deo creditur, vitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsivum calamitatum, felicitatum conciliativum, superstitionis ablegatio, pietatis assertio, prosperatis hæreditas. Lib. *de Abrahamo.*

166. Nihil tam justum, quam fide sincera Deo credere. Lib. *Quis rerum divinar. Hæres sit.*

RICHARD. A S. VICTORE. 167. Nihil procul dubio firmius tenetur, quam quod constanti fide apprehenditur. Lib. 1, *de Trinit.*, cap. 2.

ROBERTUS BELLARM. 168. Multo miserius est, et amarius, circa fidem naufragare. Conc. 1, *de Lumine fidei.*

SALVIANUS. 169. O miseria, o perversitas ! homini ab homine creditur, et non creditur Deo : humanis promissionibus fides commodatur, Deo negatur. Lib. 2, *ad Eccles. cathol.*

S. THOMAS AQUINAS. 170. Sine fide nullus dicitur fidelis Christianus. Opusc. 6, *Symbol. Apost.*, art. 1.

THOMAS A KEMPIS. 171. Quam sæpe ibi non inveni fidem, ubi me habere putavi ? quoties etiam ibi reperi, ubi minus præsumpsi. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 45.

S. VALER. EPISCOPUS. 172. Satis ibi vacillat humanum studium, ubi non requiritur Dei auxilium : nam non dubie periclitatur fides, si non muniatur patrocinio divinitatis. Homil. 11.

173. Satis infelix est, et alienus a Christo, cujus cor adhuc obsidetur stultæ incredulitatis errore. *Ibid.*, homil. 16, *de Bono martyrii.*

S. ZENO EP. ET MART. 174. Nihil difficile est fidei, quæ tantum habet, quantum credit. Serm. 3, *de Abraham.*

175. Christianæ fidelitatis felicitas maxima est, fidei nosse naturam. *Ibid.*, serm. *de fide.*

176. Disputatio sicut excolit hominem, ita si versuta sit, eradicat fidem : quia fides profecto non est, ubi quæritur fides. *Ibid.*

177. Fides interit, si a suo statu aliquando, vel aliquo declinaverit. *Ibid.*

178. O quam misera est fides, quam verba concinnant ! *Prosec.*

179. O quam debilis est fides, cujus quotidie dissipantur variis argumentationibus membra !

180. O quam indefensa, quæ regum, judicum, divitum, aliquoties etiam, quod pejus est, et gentium desiderat per momenta patrocinia !

181. O quam turpis ac lubrica, de qua ludit aliena sententia !

182. O quam adultera, quæ non agnoscit, quo auctore sit nata !

183. O quam ridiculosa, quæ duobis confligentibus christianis, ab altero eorum, si non transducitur ; perfida, cum transducta fuerit, fides vocatur !

184. O quam non vera, si factionibus pollet !

185. O quam publicana, cujus fabulantur etiam profani secreta !

186. O quam præsumpta, quæ mavult magis novellæ traditioni suæ credi, quam antiquitati ! *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

187. Fundamentum omnis justitiæ est fides. Lib. 1, *Offic.* CICERO.

188. Fidem qui perdit, quo se servet in reliquum ? In suis *Sent.*, sent. 120. MIMUS PUB.

189. Fidem qui perdit, nil potest ultra perdere. *Ibid.*, sent. 133.

190. Fidem nemo unquam perdit, nisi non habet. *Ibid.*, sent. 136.

191. Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Epist. 88. SENECA.

192. Duæ res plurimum roboris dant animo, fides veri et fiducia. Epist. 94.

193. Fidelis homo, electus homo est. Sent. 1. SIXT. PHIL.

194. Dubius in fide, infidelis est. Sent. 5.

195. Infidelis homo mortuus est corpore vivente. *Ibid.*, sent. 6.

196. Vere fidelis, qui non peccat, atque etiam in minimis caute agit. *Ibid.*, sent. 7.

197. Fides actus tuos omnes præcedat. *Ibid.*, sent. 156.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

198. Pravo et pessimo ingenio, fides aliena est. *Ibid.*, sent. 160.

199. Male sentire de fide, amor jactantiæ facit. *Ibid.*, sent. 178.

200. Fidelis esse magis, quam videri, stude. Sent. 179.

201. Non potest bene vivere, qui non integre credit. *Ibid.*, sent 189.

202. Multitudinem fidelium non invenies : rarum est enim, omne quod rarum est. *Ibid.*, sent. 234.

203. Fratrem volentem a fide recedere, hortare ne faciat, et si insanabilis sit, magis observa *Ibid.*, sent. 321.

204. In fide conare omnes homines vincere. *Ibid.*, sent. 322.

205. Animam de terra fides elevat ad Deum. *Ibid.*, sent. 388.

TRISMEGIS. 206. Intelligere Deum, ipsum credere est : at non credere, procul dubio ignorare est. *De Potest. et sap. Dei*, cui titulus, *Pimander*, cap. 9.

Vide etiam tit. *Accedere ad Deum*, sent. 44; *Amissio*, sent. 40; *Auctoritas*, sent. 29; *Bellum*, sent. 2; *Desertio Dei*, sent. 50; *Disputatio*, sent. 31; *Dominium*, sent. 29; *Error*, sent. 60; *Intellectus*, sent. 26, 27, 34; *Mirabilis*, sent. 30; *Mysterium*, sent. 9; *Nomen*, sent. 59, *Oblatio*, sent. 20, 21; *Pax*, sent. 123; *Pœnitentia*, sent. 68; *Regnum*, sent. 68; *Scrutari*, sent. 46; *Temporale*, sent. 7; *Victoria in genere*, sent. 22; *Vir*, sent. 21, 22, 23; *Virtutum connexio in genere*, sent. 18; *Unitas*, sent. 58.

FIDUCIA. *Vide* CONFIDENTIA.

## FINIS.

S. ANTONIN. *Definitio.* Finis est ratio volendi ea, quæ sunt ad finem. Parte 1, tit. 4, *de Voluntate*, cap. 6.

DIONYSIUS CARTHUS. Finis est ultimata rei perfectio. *De Mortificat. vivifica*, art. 4.

S. HILARIUS. Finis, est, quo concluduntur omnia, cujus causa cætera sunt, ad quem universa spei, rerum, negotiorum opera festinant. Super *Psalm.* LI.

S. THOMAS AQUINAS. Finis est operatio rei, vel aliquid consecutum per operationem. 1, 2, quæst. 56, art. 1.

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Est finis bonus, et est finis malus : finis bonus est consummatio virtutum, finis malus est profundum peccatorum. Super *Psalm.* XVII, cap. 30.

Duo sunt fines rerum omnium, summum et infimum : alter est finis supra quem nihil est, et alter sub quo nihil. *Prosec.*

Finis supra quem nihil, summum omnium est : finis sub quo nihil, infimum : cœlum summum omnium est, infernus infimum. Homil. 11, super *Ecclesiasten*.

S. LAURENT. JUSTIN. Triplex est finis : scilicet consumptionis, consummationis, terminationis. Part. 1, *de Ligno vitæ*, tract. 4, *de Charit.*, cap. 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Habeat caput in omnibus rationem, et finis modum. Lib. 1, *Offic.*, cap. 22.

S. ANTONIN. 2. Finis etsi sit primum in intentione, est tamen ultimum in executione operantis. Part. 1, tit. 1, cap. 2, § 1.

3. Quis finis luxuriæ nonne stercus? quis finis deliciarum! nonne cruciatus aliquando ventris et capitis? quis finis dominii? nonne servitus? quis finis honoris? nonne frequenter confusio? Quis finis hominis? nonne cinis? Part. 2, tit. 5, cap. 14, § 3.

S. AUGUST. 4. Non est finis miseriæ, quandiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. Epist. 56, *ad Dioscor.*

5. Illud est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cætera, ipsum autem propter seipsum. *Prosec.*

6. Et illud finis mali propter quod vitanda sunt cætera, ipsum autem propter seipsum.

7. Finem ergo boni nunc dicimus, non quo consummatur ut non sit, sed quo perficiatur ut plenum sit : et finem mali, non quo esse desinat, sed quo usque nocendo perducat.

8. Fines ergo isti sunt, summum bonum, et summum malum. Lib. 1, *de Civit. Dei.*

9. Noveris non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. *Prosec.*

10. Officium est autem quod faciendum est, finis vero propter quod faciendum est. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 3.

11. Bono fine bona concludantur initia, ut principium medio, medium ne discrepet ultimo. Serm. 8, *ad Fratr. in eremo.*

12. Nescimus quo fine claudamur in hoc exilio. Apud *D. Antonin.*, part. 4, tit. 4, cap. 2, § 4.

13. In omni motu actionis suæ, qui non respicit initium, non prospicit finem. Lib. 7, *de Civ. Dei*, cap. 7.

14. In omnibus prima sunt initia, summaque sunt fines. *Ibid.*, cap. 9.

15. Propter finem cætera volumus, ipsum autem non nisi propter ipsum. *Ibid.*, lib. 8, cap. 8.

S. BERNARD. 16. Vera virtus finem nescit. Epist. 253.

17. Finis, non pugna coronat. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 44.

S. BONAV. 18. Immensum est quod sine termino sequitur, et parum est quidquid finitur. In collat., *de Contemptu sæculi.*

19. Hoc verum puto, quod ei non bonus est finis, cui semper fuit mala vita. *Ibid.*



20. Quanto major est amor finis, tanto vehementior est motus. *De Septem itiner. æternit.*, itin. 1, dist. 2.

21. Amor movet in finem desideratum, sed intentio omnia per quæ amor potest consequi hunc finem desideratum. ordinat et disponit ad illiusfinis consecutionem. *Ibid.*

22. Ex fine dicitur actus bonus vel malus. Lib. 5, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 14.

23. Si in actionibus finis primus ponatur Deus, et finis ultimus aliquod temporale, perversissimum est. *Ibid.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 24. Omnis prosperitas, omnisque laborum felicitas in fine consistit. Homil. 29.

S. CLEMENS PAPA. 25. In omnibus rebus plurima ex parte ad initium respicit finis, similisque principiis rerum exitus datus. Lib. 10, *Recognit.*

S. CYPRIAN. 26. Ex fine suo unusquisque aut justificatur, aut condemnatur. Hab. apud *Bedam*, in *Scintillis*, cap. 22.

DIONYSIUS CARTHUS. 27. Plus amatur finis, quam medium. Super epist. I *ad Cor.*, cap. IX, art. 9.

S. EUCHER. 28. Nihil est magnum re, quod parvum est tempore : nec longis dilatatur gaudiis quidquid arcto fine concluditur. In *Epist. parænetica ad Valerian.*

S. EUSEBIUS CÆSAR. 29. Hoc teneo, hoc verum puto, hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus est finis, cui mala semper fuit vita. *Prosec.*

30. Hoc teneo, hoc verum puto, hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus finis, qui peccare non timuit, sed in mundi vanitatibus semper vixit. Epist. *ad Damas. pap. de morte D. Hieron.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 31. Omnis prosperitas, omnisque laborum felicitas in fine consistit. Homil. 5, *ad Monach.*

GLOSS. INT. 32. Multi bene incipiunt, et male finiunt. Super II, *Paralip.*, cap. XIV.

GLOSS. ORD. 33. Parum est quidquid finitur, sed qui hoc longum putat, de æternis non curat. Super *Job*, cap. VI.

34. Finis duobus dicitur modis : quando aliquid deficit, vel quando perficitur. Super *Psalm.* III.

35. Mundus et infernus sunt fines diaboli. Super *Psalm.* VII, in illud : *Exaltare in finibus.*

36. Quanto accedit finis mundi, tanto magis frigescit charitas, crescunt errores, crebrescunt mala. Super *Joan.*, cap. VI.

S. GREGOR. MAGNUS. 37. Dum rerum finis attenditur, omne quod præterit, quasi jam fuisse pensatur. Lib. 4, *Moral.*, cap. 30.

38. Sancti viri, qui ad æterna cor elevant, quam breve sit quod fine clauditur, pensant : et eorum sensibus vilescit quod præterit. *Ibid.*, lib. 8, cap. 8.

39. Finem suum nemo cognoscit. Homil. 38, super *Evang.*

40. Pro magno diligi non debet quidquid fine clauditur. Lib. 7, in *Regist.*, indict. 2, cap. 54, epist. 54, *ad Adeodatum.*

41. In hac terra, in qua vivimus, finem suum mundus non nuntiat, sed ostendit. Lib. 3, *Dialogi*, cap. 38.

42. Sicut finis non est gaudio bonorum; ita finis non erit tormento malorum. *Ibid.*, lib. 4, cap. 44.

43. Justum est ut culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. *Ibid.*

44. Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt : nam voluissent, si potuissent, sine fine vivere ut potuissent sine fine peccare. *Ibid.*

S. GREGOR. NYSS. 45. Ut agriculturæ finis est, frugum perceptio : ædificationis, ædium habitatio ; navigationis divitiæ, certaminis corona : sic virtuosæ vitæ finis est, ut servus Dei et sis et voceris. *De Vita Moysis.*

S. GREGOR. THAUMAT. 46. Res humanas cum adhuc oriri videntur, jam finis arripit. Super *Eccles.*, cap. 2.

S. HIERON. 47. Cujus talia principia, qualis finis erit? Epist. 3, *ad Heliodor.*

48. Non quæruntur in christianis initia, sed finis : Paulus male cœpit, sed bene finivit : Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Epist. 10, *ad Furiam.*

49. Habet unusquisque nostrum terminos suos; redde mihi meum, et tu tene tuum. Epist. 2, *ad Pammach.*

50. Celerem habituræ res finem, sine fine quæruntur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

51. Finis in ipso exordio cogitandus est, qualis ad illum ultimum diem pervenire cupis, talis nunc esse conare. *Ibid.*

52. Nihil longum est, quod finem habet. Lib. 3, super *Ezech.*, in proœmio.

53. Bonum omne et veritas certo fine concluditur : malitia vero atque mendacium sine fine sunt. Super *Ecclesiasten*, cap. XII, super illud Ecclesiastici XX : *Ex multiloquio.*

54. Mala opera malus finis expectat. Super II *ad Cor.*, cap. XI in illud : *Quorum finis.*

HUGO A S. VICTORE. 55. Stulti sunt, qui in media via finem faciunt, ubi non est finis; et non prospiciunt finem, ubi est finis. Homil. 12, super *Ecclesiasten*, in illud *Psalm.* VII : *Concepit dolorem.*

S. INNOC. III. 56. Enormis est fructus viventis, si capiti non respondeat finis. *De Eleemosynis*, cap. 6.

JOAN. CASS. 57. In omni arte præcedit quidam scopus, quem nisi quis omni studio perseverantiaque servaverit, nec ad finem desiderati fructus poterit pervenire. *Prosec.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

198. Pravo et pessimo ingenio, fides aliena est. *Ibid.*, sent. 160.

199. Male sentire de fide, amor jactantiæ facit. *Ibid.*, sent. 178.

200. Fidelis esse magis, quam videri, stude. Sent. 179.

201. Non potest bene vivere, qui non integre credit. *Ibid.*, sent 189.

202. Multitudinem fidelium non invenies : rarum est enim, omne quod rarum est. *Ibid.*, sent. 234.

203. Fratrem volentem a fide recedere, hortare ne faciat, et si insanabilis sit, magis observa *Ibid.*, sent. 321.

204. In fide conare omnes homines vincere. *Ibid.*, sent. 322.

205. Animam de terra fides elevat ad Deum. *Ibid.*, sent. 388.

TRISMEGIS. 206. Intelligere Deum, ipsum credere est : at non credere, procul dubio ignorare est. *De Potest. et sap. Dei*, cui titulus, *Pimander*, cap. 9.

Vide etiam tit. *Accedere ad Deum*, sent. 44; *Amissio*, sent. 40; *Auctoritas*, sent. 29; *Bellum*, sent. 2; *Desertio Dei*, sent. 50; *Disputatio*, sent. 31; *Dominium*, sent. 29; *Error*, sent. 60; *Intellectus*, sent. 26, 27, 34; *Mirabilis*, sent. 30; *Mysterium*, sent. 9; *Nomen*, sent. 59, *Oblatio*, sent. 20, 21; *Pax*, sent. 123; *Pœnitentia*, sent. 68; *Regiies*, sent. 68; *Scrutari*, sent. 46; *Temporale*, sent. 7; *Victoria in genere*, sent. 22; *Vir*, sent. 21, 22, 23; *Virtutum connexio in genere*, sent. 18; *Unitas*, sent. 58.

FIDUCIA. *Vide* CONFIDENTIA.

## FINIS.

S. ANTONIN. *Definitio.* Finis est ratio volendi ea, quæ sunt ad finem. Parte 1, tit. 4, *de Voluntate*, cap. 6.

DIONYSIUS CARTHUS. Finis est ultimata rei perfectio. *De Mortificat. vivifica*, art. 4.

S. HILARIUS. Finis, est, quo concluduntur omnia, cujus causa cætera sunt, ad quem universa spei, rerum, negotiorum opera festinant. Super *Psalm.* LI.

S. THOMAS AQUINAS. Finis est operatio rei, vel aliquid consecutum per operationem. 1, 2, quæst. 56, art. 1.

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Est finis bonus, et est finis malus : finis bonus est consummatio virtutum, finis malus est profundum peccatorum. Super *Psalm.* XVII, cap. 30.

Duo sunt fines rerum omnium, summum et infimum : alter est finis supra quem nihil est, et alter sub quo nihil. *Prosec.*

Finis supra quem nihil, summum omnium est : finis sub quo nihil, infimum : cœlum summum omnium est, infernus infimum. Homil. 11, super *Ecclesiasten*.

S. LAURENT. JUSTIN. Triplex est finis : scilicet consumptionis, consummationis, terminationis. Part. 1, *de Ligno vitæ*, tract. 4, *de Charit.*, cap. 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Habeat caput in omnibus rationem, et finis modum. Lib. 1, *Offic.*, cap. 22.

S. ANTONIN. 2. Finis etsi sit primum in intentione, est tamen ultimum in executione operantis. Part. 1, tit. 1, cap. 2, § 1.

3. Quis finis luxuriæ nonne stercus? quis finis deliciarum! nonne cruciatus aliquando ventris et capitis? quis finis dominii? nonne servitus? quis finis honoris? nonne frequenter confusio? Quis finis hominis? nonne cinis? Part. 2, tit. 5, cap. 14, § 3.

S. AUGUST. 4. Non est finis miseriæ, quandiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. Epist. 56, *ad Dioscor.*

5. Illud est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cætera, ipsum autem propter seipsum. *Prosec.*

6. Et illud finis mali propter quod vitanda sunt cætera, ipsum autem propter seipsum.

7. Finem ergo boni nunc dicimus, non quo consummatur ut non sit, sed quo perficiatur ut plenum sit : et finem mali, non quo esse desinat, sed quo usque nocendo perducat.

8. Fines ergo isti sunt, summum bonum, et summum malum. Lib. 1, *de Civit. Dei*.

9. Noveris non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. *Prosec.*

10. Officium est autem quod faciendum est, finis vero propter quod faciendum est. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 3.

11. Bono fine bona concludantur initia, ut principium medio, medium ne discrepet ultimo. Serm. 8, *ad Fratr. in eremo.*

12. Nescimus quo fine claudamur in hoc exilio. Apud *D. Antonin.*, part. 4, tit. 4, cap. 2, § 4.

13. In omni motu actionis suæ, qui non respicit initium, non prospicit finem. Lib. 7, *de Civ. Dei*, cap. 7.

14. In omnibus prima sunt initia, summaque sunt fines. *Ibid.*, cap. 9.

15. Propter finem cætera volumus, ipsum autem non nisi propter ipsum. *Ibid.*, lib. 8, cap. 8.

S. BERNARD. 16. Vera virtus finem nescit. Epist. 253.

17. Finis, non pugna coronat. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 14.

S. BONAV. 18. Immensum est quod sine termino sequitur, et parum est quidquid finitur. In collat., *de Contemptu sæculi.*

19. Hoc verum puto, quod ei non bonus est finis, cui semper fuit mala vita. *Ibid.*



20. Quanto major est amor finis, tanto vehementior est motus. *De Septem itiner. æternit.*, itin. 1, dist. 2.

21. Amor movet in finem desideratum, sed intentio omnia per quæ amor potest consequi hunc finem desideratum. ordinat et disponit ad illiusfinis consecutionem. *Ibid.*

22. Ex fine dicitur actus bonus vel malus. Lib. 5, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 14.

23. Si in actionibus finis primus ponatur Deus, et finis ultimus aliquod temporale, perversissimum est. *Ibid.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 24. Omnis prosperitas, omnisque laborum felicitas in fine consistit. Homil. 29.

S. CLEMENS PAPA. 25. In omnibus rebus plurima ex parte ad initium respicit finis, similisque principiis rerum exitus datus. Lib. 10, *Recognit.*

S. CYPRIAN. 26. Ex fine suo unusquisque aut justificatur, aut condemnatur. Hab. apud *Bedam*, in *Scintillis*, cap. 22.

DIONYSIUS CARTHUS. 27. Plus amatur finis, quam medium. Super epist. I *ad Cor.*, cap. IX, art. 9.

S. EUCHER. 28. Nihil est magnum re, quod parvum est tempore : nec longis dilatatur gaudiis quidquid arcto fine concluditur. In *Epist. parænetica ad Valerian.*

S. EUSEBIUS CÆSAR. 29. Hoc teneo, hoc verum puto, hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus est finis, cui mala semper fuit vita. *Prosec.*

30. Hoc teneo, hoc verum puto, hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus finis, qui peccare non timuit, sed in mundi vanitatibus semper vixit. Epist. *ad Damas. pap. de morte D. Hieron.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 31. Omnis prosperitas, omnisque laborum felicitas in fine consistit. Homil. 5, *ad Monach.*

GLOSS. INT. 32. Multi bene incipiunt, et male finiunt. Super II, *Paralip.*, cap. XIV.

GLOSS. ORD. 33. Parum est quidquid finitur, sed qui hoc longum putat, de æternis non curat. Super *Job*, cap. VI.

34. Finis duobus dicitur modis : quando aliquid deficit, vel quando perficitur. Super *Psalm.* III.

35. Mundus et infernus sunt fines diaboli. Super *Psalm.* VII, in illud : *Exaltare in finibus.*

36. Quanto accedit finis mundi, tanto magis frigescit charitas, crescunt errores, crebrescunt mala. Super *Joan.*, cap. VI.

S. GREGOR. MAGNUS. 37. Dum rerum finis attenditur, omne quod præterit, quasi jam fuisse pensatur. Lib. 4, *Moral.*, cap. 30.

38. Sancti viri, qui ad æterna cor elevant, quam breve sit quod fine clauditur, pensant : et eorum sensibus vilescit quod præterit. *Ibid.*, lib. 8, cap. 8.

39. Finem suum nemo cognoscit. Homil. 38, super *Evang.*

40. Pro magno diligi non debet quidquid fine clauditur. Lib. 7, in *Regist.*, indict. 2, cap. 54, epist. 54, *ad Adeodatum.*

41. In hac terra, in qua vivimus, finem suum mundus non nuntiat, sed ostendit. Lib. 3, *Dialogi*, cap. 38.

42. Sicut finis non est gaudio bonorum; ita finis non erit tormento malorum. *Ibid.*, lib. 4, cap. 44.

43. Justum est ut culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. *Ibid.*

44. Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt : nam voluissent, si potuissent, sine fine vivere ut potuissent sine fine peccare. *Ibid.*

S. GREGOR. NYSS. 45. Ut agriculturæ finis est, frugum perceptio : ædificationis, ædium habitatio ; navigationis divitiæ, certaminis corona : sic virtuosæ vitæ finis est, ut servus Dei et sis et voceris. *De Vita Moysis.*

S. GREGOR. THAUMAT. 46. Res humanas cum adhuc oriri videntur, jam finis arripit. Super *Eccles.*, cap. 2.

S. HIERON. 47. Cujus talia principia, qualis finis erit? Epist. 3, *ad Heliodor.*

48. Non quæruntur in christianis initia, sed finis : Paulus male cœpit, sed bene finivit : Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Epist. 10, *ad Furiam.*

49. Habet unusquisque nostrum terminos suos; redde mihi meum, et tu tene tuum. Epist. 2, *ad Pammach.*

50. Celerem habituræ res finem, sine fine quæruntur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

51. Finis in ipso exordio cogitandus est, qualis ad illum ultimum diem pervenire cupis, talis nunc esse conare. *Ibid.*

52. Nihil longum est, quod finem habet. Lib. 3, super *Ezech.*, in prœmio.

53. Bonum omne et veritas certo fine concluditur : malitia vero atque mendacium sine fine sunt. Super *Ecclesiasten*, cap. XII, super illud Ecclesiastici XX : *Ex multiloquio.*

54. Mala opera malus finis expectat. Super II *ad Cor.*, cap. XI in illud : *Quorum finis.*

HUGO A S. VICTORE. 55. Stulti sunt, qui in media via finem faciunt, ubi non est finis; et non prospiciunt finem, ubi est finis. Homil. 12, super *Ecclesiasten*, in illud *Psalm.* VII : *Concepit dolorem.*

S. INNOC. III. 56. Enormis est fructus viventis, si capiti non respondeat finis. *De Eleemosynis*, cap. 6.

JOAN. CASS. 57. In omni arte præcedit quidam scopus, quem nisi quis omni studio perseverantiaque servaverit, nec ad finem desiderati fructus poterit pervenire. *Prosec.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

58. Finis christianæ professionis, regnum Dei, seu regnum cœlorum est : scopus vero, puritas est cordis, sine qua ad illum finem impossibile est quempiam pervenire. Collat. 1, *Abbat. Moysis*, cap. 4.

S. JOANNES CHRYSOST. 59. Incipere multorum est, finire vero paucorum. Homil. 24, super *Matth. Oper. imperf.*

60. Semper in principio delectatio est, in fine probatio. *Ibid.*

61. Cor bonæ fidei est exitus bonus : quia incipere aliquod bonum non est gloriosum, sed finire *Ibid.*

62. Frequenter quod incipit homo, corporis voluptas est : quod autem finit, animæ virtus est. *Ibid.*

63. Omnibus laborantibus dulcis est finis : viator libenter interrogat, ubi sit mansio; mercenarius frequenter computat, quando annus completur; agricola semper tempus messis expectat; negotiator die ac nocte thecæ suæ discutit rationem; mulier prægnans indesinenter de decimo mense cogitat; servi Dei libenter de consummatione sæculi requirunt. *Ibid.*, homil. 48.

64. Audax et temerarius est homo, et tale diaboli ingenium est, ut eos qui sibi constituti sunt fines transire sibi persuadeat. Homil. 6, super *Joan.*

65. Quidquid finem habet, non admodum pretiosum est : et quidquid hodie est, et cras desinit, vilissimum est. *Ibid.*, homil. 43.

66. Omnia bona tunc mercedem habent, cum debitum finem consequuntur. *Ibid.*, homil. 76.

67. Non exordia sola oportet habere clara, sed etiam et finem clariorem. Homil. 24, super *Epist. ad Hebr. Morali.*

JOAN. TRITH. 68. Quotquot exordiis finem non posuerunt competentem et consequentem, etconcinnum, perierunt. *Ibid.*

69. Nemo ad finem principalem potest pertingere, qui finem negligit observare. Parte 1 *de Regione claustral.*, tract. 2, reg. 7, art. 1.

70. Quidquid intentione vana incipitur, bono fine raro consummatur. Orat. 5, *in Conventu Abbat.* habita.

S. ISIDORUS HISPALENS. 71. Unumquemque Deus de suo fine, non de vita præterita judicat. *Prosec.*

72. In vita hominis finis quærendus est, quoniam Deus non respicit quales antea viximus, sed quales circa finem vitæ erimus. Lib. *de Summo bono*, cap. 14, sent. 6.

73. Immunditia vitæ prioris mutanda est per innocentiam boni finis. *Ibid.*

74. Ex fine suo unumquemque aut justificat aut condemnat Deus. Lib. 2, *de Offic. Eccles.*, cap. 16.

S. JUSTIN. MART. 75. Inutile est omne quod suo fine caret. In *Quæst. a gentibus positis.*, quæst. ult., respons. 11.

S. LAURENT. JUSTIN. 76. In omni re, in quolibet negotio, videndus est finis. *De Ligno vitæ*, tract. 13, *de Orat.*, cap. 10.

S. MAXIMUS MART. 77. Finis cujusvis principii, est consentanei motus complementum. Centur. 3, *de Virt. et vitio*, cap. 50.

S. NILUS. 78. Uniuscujusque rei finem, ante initium considera. *Parænes.* 30.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 79. Finis iis, quæ sui causa sunt, merito anteponendus est. *De regno ad Arcadium imperatorem.*

S. THEODOR. 80. Humana qualiacunque fuerint, finem habent et celerem finem. Orat. 4, super *Daniel*, in illud : *Magna sunt mirabilia ejus.*

S. THOMAS AQUINAS. 81. Ea, quæ sunt ad finem, sortiuntur bonitatem ex ordine ad finem. 2, 2, quæst. 81, art. 6.

THOMAS A KEMPIS. 82. In omnibus rebus respice finem. Lib. 1, *de Imit. Chri.*, cap. 24.

83. Sapientis est ordinare vitam suam, et debitum actibus suis imponere finem. *De Exercit. spirit.*, cap. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 84. Impossibile est substantias esse absque fine, sic etiam si finis a sapiente non præfigatur cessabit ejus inquisitio; siquidem finis præsuppositio in scientia, adjuvat multum considerantem. Lib. 1, *Theolog.*, cap. 1.

85. Finis cujus gratia quidquam vel constat vel conditum est, boni honestique obtinet rationem. Lib. 1, *de Part. animal.*, cap. 5.

86. Finis operationis omnis est, qui accomodatur habitui. Lib. 3, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7.

87. Finis belli, pax : finis negotii, otium. Lib. 7, *Polit.*, cap. 15.

88. Perfectus finis nihil aliud, quam felicitas esse videtur. Lib. 1 *Magnor. moral.*, cap. 2.

89. Vita proposito fine carens, insignis stultitiæ argumentum est. Lib. 1, *Ethic. ad Eudomium.*

SENECA. 90. Optimus virtutis finis est, antequam deficias, desinere. Lib. 1, *Controvers.* 8.

91. Nullius rei meditatio tam necessaria est, quam sui finis. Epist. 70.

92. Prope est rerum omnium terminus, prope est, inquam, et illud unde felix ejicitur, et illud unde infelix emittitur. Epist. 110.

Vide etiam tit. *Error*, sent. 2; *Exercitium*, sent. 19, 20; *Incipere*, sent. 5, 8, 9, 17, 19, 22, 34, 37, 38, 42, 44, 53, 55, 56, 57, 58, 59, 60, 61, 62, 64, 65, 66, 70, 72; *Opus*, sent. 116; *Prosperitas*, sent. 63; *Sollicitudo*, sent. 3.



## FIRMITAS.

COLLECTOR. *Definitio.* Firmitas est virtus faciens constanter persistere in bono contra difficultatem, quæ provenit quibuscunque impedimentis exterioribus. *Vel*, Firmitas est stabilitas animi constantis, et in opere perseverans.

SENTENTIÆ PATRUM.

A. AUGUST. 1. O Domine Deus! firmitas nostra quando tu es, tunc est firmitas : cum autem nostra est, infirmitas est. Lib. 4 *Confess.*, cap. 16.

2. In tribulationibus, in angustiis, in tentationibus fortis esto, perdura : medici manus est, non latronis. Super *Psalm.* XXXIX, vers. 16.

3. Multos impedit a firmitate præsumptio firmitatis : nemo enim erit a Deo firmus, nisi qui se a seipso sentit infirmum. Serm. 13, *de Verbis Dom.*

4. Nemo tanta est firmitate suffultus, ut de stabilitate sua debeat esse securus. Serm. 2, *in Sabbat. post. Dominicam Quinquag.*

5. In cunctis semper idem sis, tam in prosperis quam in adversis. Serm. 4, *ad Fratr. in eremo.*

S. BERNARD. 6. Constantia nulli cedit, nec minis concutitur, nec donis corrumpitur, nec circumvenitur dolis. Epist. 130, *ad Pisanos.*

S. BONAV. 7. Vir justus in omnibus semper manet immobilis : nam ipsum humilitas non deprimit, ipsum honor non ambit, ipsum adversitas non frangit. Tit. 5, *Diætæ*, cap. 8.

S. CYPRIAN. 8. Adversus omnes diaboli terrores et minas mundi, animus firmus, et immobilis persiat, quem futurorum fides certa et solida corroborat. *De Exhort. martyr. ad Fortunat.*, cap. 12.

S. EPHRÆM. 9. Firmo ac stabili corde simus; nam virtuti adversatur segnities. *De Virtute*, cap. 4.

GILLEBERT. ANGLUS. 10. Melior est infirmitas monachi, quam sæcularis firmitas. Serm. 37, super *Cant.*

S. GREGOR. MAGNUS. 11. Nemo potest immobilis stare, qui mobilia diligit. Lib. 8 *Moral.*, cap. 24.

S. HIERON. 12. Nemo est tanta firmitate suffultus, ut de stabilitate debeat esse securus. In *Regula monachor.*, cap. 3, *de Castitate.*

HUGO A S. VICTORE. 13. Vir constans eligit pugnare, ut vincat; laborare, ut quiescat; mori, ut vivat. Lib. 3 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 19.

S. IGNATIUS MART. 14. Sta firmus velut incus quæ verberatur : magni athletæ est feriri, et vincere. Epist. 11, *ad Polycarp. episcop. Smyrn.*

LACT. FIRM. 15. Firmitas ubi fuerit, nec senectus locum potest habere, nec mors quæ sequitur senectutem. *De Opific. Dei*, cap. 4.

PHILO JUD. 16. Nihil est in rebus genitis firmum, sed omnia mortalia necessarias mutationes admittunt. *De Mundi opific.*

THOMAS A KEMPIS. 17. Maneas firmus in medio sanctæ Congregationis, et manebit tecum Dominus : si bonus es, mane, et alios ædifica : si peccator es et infirmus, mane ut ædificeris ab aliis. Serm. 2, *ad Novitios*, divis. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 18. Nullis in operibus humanis tanta est firmitas, quanta est in operationibus hisce, quæ a virtute proficiuntur. Lib. 1 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 19

SENECA. 19. Merito certissima firmitas habetur, quæ omnes incursus respuit. *De Constant. sapient.*, cap. 3.

20. Nihil firmi habet, qui in incerta propensus est. Lib. 7, *de Benefic.*, cap. 2.

21. Experimentum tui profectus capias, non oratione, nec scripto, sed animi firmitate. Epist. 20.

22. Non mirum est in tranquillitate non concuti : illud mirare: ibi extolli aliquem, ubi omnes deprimuntur : ibi stare, ubi omnes jacent. Epist. 71.

23. Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum et invictum est. Epist. 98.

## FLAGELLUM DEI.

COLLECTOR. *Definitio.* Flagellum Dei est punitio ejus, vel inflictio pœnæ temporalis, hominibus illata ad correptionem.

S. ISIDORUS HISPAL. *Divisio.* Gemina est percussio divina : una, qua percutimur in carne, ut emendemur; altera, ex qua vulneramur in conscientia ex charitate, ut ardentius diligamus. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 2, sentent. 1.

S. BONAV. *Differentia.* Percussionum Dei diversa sunt genera : aliquando peccator percutitur, ut absque retractatione puniatur; aliquando percutitur ut corrigatur; aliquando percutitur, pro futura culpa vitanda; aliquando percutitur, ut potentia divinæ virtutis monstretur. Super *Joan.*, cap. IX.

S. ISID. HISP. Trimoda ratione Deus quos voluerit percutit : scilicet, ad damnationem reprobos, ad purgationem electos, ad propagandam meritorum gloriam justos. Lib. 2, *de Summo bono.*, cap. 2, sent. 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Bonum est flagellari in delicto, ut cum hominibus flagellemur; ne cum diabolo flagellemur, qui cum hominibus noluit flagellari. *De Paradiso*, cap. 14.

ALERE FLAMMAM VERITATIS UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. Medicina Christi correptio est : corripit enim Deus, quem vult convertere. Super *Psalm.* xxxvii.

3. Ne neglexeris disciplinam Dei, severa quidem est in corripiendo, sed dulcis in corrigendo. Super *Psalm.* xliii.

S. ANTONIN. 4. Magnum est argumentum quod ad majora bona illos Deus conservat, quos præsentibus bonis privat. *Prosec.*

5. Quia nisi correptis hæreditatem Deus dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 9.

6. Vere Deus Pater est his, quos per flagella emendando castigat. *Prosec.*

7. Pater enim qui parcit virgæ, odit filium suum : qui autem diligit, instanter erudit. *Ibid.*

8. Consideratio præmii, minuit vim flagelli. *Ibid.*

9. Delicias flagella repellunt. Part. 4, tit. 3, cap. 7.

S. ATHANAS. PATRIARCH. 10. Hoc tuo judicio assequeris, puniri nos a Deo, non ut pereamus, sed ut convertamur. Epist. 6, *ad Imperat.*

S. AUGUST. 11. Malos et iniquos Deus flagellat pœnis temporalibus, quos voluerit : ipsis namque iniquis, si correcti non fuerint, servat æterna supplicia, qui eorum malitia juste utitur, ut aliis mala ingerat temporalia. Epist. 70, *ad Bonifac.*

12. Deus creaturam suam quam non vult perire, sæpe castigat, corripit atque flagellat, et flagellando ad se reducit. *De Essentia divinit.*, verbo *Zelare.*

13. Per severitatem et misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Lib. 2, *contra Litt. Petilianas*, cap. 83.

14. Cum punit Deus peccatores, non malum suum eis infert ; sed malis eorum eos dimittit. Super *Psalm.* v, vers. 9.

15. Flagellum Dei medicamentum est contra peccata. Super *Psalm.* xxxvii, vers. 19.

16. Quando parco, cantas et laudas; quando castigo, murmuras : quasi quando parco sim Deus tuus, et quando castigo non sim Deus tuus. Super *Psalm.* xlix, vers. 18.

17. Illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat. Super *Psalm.* xcviii, vers. 9.

18. Cum flagellat Deus filium, curat sub manu patris flagellantis : quia qui flagellat, ad hæreditatem erudit; ab hæreditate non repellit filium suum, quem castigat, sed ideo flagellat ut recipiat. Super *Psalm.* xciii, vers. 14.

19. Sæviat quantum vult Deus, pater est : sed flagellavit nos, et afflixit nos, et contrivit nos, pater est. *Prosec.*

20. Fili, si ploras, sub patre plora; noli cum indignatione, noli cum typho superbiæ : quod pateris, unde plangis, medicina est, non pœna; castigatio est, non damnatio.

21. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate : noli attendere quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in testamento. Super *Psalm.* cii, vers. 13.

22. Paterna judicia laudentur et in flagello, si promissa diligentur in præmio. Super *Psalm.* cxviii, conc. 3.

23. Laudas Deum, quando tibi bene est : blasphemas, quando tibi male est. Quod quidem male, si justum, non est male : justum est autem, quoniam ab illo fit, qui injuste facere nihil potest. *Prosec.*

24. Eris insulsus puer in domo patris, amans patrem si tibi blanditur, et odio habens quando te flagellat, quasi non et blandiens et flagellans hæreditatem paret. Super *Psalm.* xxxii, conc. 1, vers. 1 : *Rectos decet collaudatio.*

25. Tu si promissa patris bene agnovisti, non timeas flagellari, sed exhæredari. *Prosec.*

26. Peccator filius dedignatur flagellari, cum sine peccato videat unicum Filium Dei flagellatum. Super *Psalm.* lxxxviii, conc. 2.

27. Sive in Dei donis, sive in ejus flagellis laudas eum : laus flagellantis, medicina est vulneris. Super *Psalm* cxxxxiv. vers. 2.

28. Quod te Deus permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis : ad hæreditatem sempiternam erudimur, et flagellari dedignamur ? Tract. 7, super *Evang. Joannis*, cap. i.

29. Qui te flagellat in isto sæculo, ad emendationem, non ad damnationem facit : ferto patrem erudientem, ne sentias judicem punientem. *Ibid.*, tract. 12, cap. iii.

30. Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero filiorum : qui flagellat unicum sine peccato ; numquid relinquet adoptivum cum peccato ? *De Pastorib.*, cap. 5.

31. Si Deum diligis, quod facit Deus diligis : et si quod facit Deus diligis, disciplinam Dei flagellantem te diligis, flagellum Dei libenter sustines. *Prosec.*

32. Flagellum ergo Dei ne contemnas, sed flagellatus dic, Deo gratias. Dilige corripientem, dilige corrigentem, dilige arguentem. Lib. 1, *de Visitat. infirm.*, cap. 4.

33. Flagellum Dei gaudenter suscipe, flagellat in te quod nescis, nec injuste. *Ibid.*, cap. 6.

34. Si non vis in flagello Deum recognoscere, corpore et anima flagellaberis : non enim flagellat Deus bis in idipsum. *Ibid.*, cap. 6.



35. Melius est ut Deus flagellet te, et recipiat te, quam parcat tibi et deserat te. *Prosec.*

36. Bona dat Deus, blanditur ne fatigemur in via ; corripit, cædit, percutit, dirigit, ne aberremus in via. Sive ergo blanditur ne fatigemur in via, sive castiget ne aberremus in via, refugium factus est nobis. Serm. 4, *de Verbis Dom.*

37. Magnæ misericordiæ Dei est, nequitiæ impunitatem non relinquere : et ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modo flagello dignatur castigare. *Ibid.*, serm. 37.

38. Flagellantur boni simul cum malis, non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 9.

39. Deus nec justo, nec peccatori parcit ; illum flagellando ut filium, istum puniendo, ut impium. Lib. 22, *contra Faust.*, cap. 20.

40. Nemo flagellatus dicat indigne se accipere disciplinam. *Annotat. in Job*, cap. xxxviii.

41. Flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Lib. 1, *de Civ. Dei*, cap. 8.

42. Quod te permiserit pati Deus, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis. Tract. 7, super *Joan.*

43. Dominus dat disciplinam ad tempus, ne damnet in æternum. *Ibid.*, tract. 5.

V. BEDA. 44. Deus ideo dicitur creans mala, quia pro peccatis nostris immittit flagella. In suis *Prov.*, verbo *Deus.*

45. Pœnas gravissimas quandoque sunt passuri, qui pro sceleribus suis renuunt parva flagella pati. *Ibid.*, verbo *Pœnas.*

S. BERNARD. 46. Non eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Serm. 42, super *Cantica.*

47. Flagellantur aliqui non tam purgandi quam probandi, coronandique, ut major in eis patientia comprobatur et commendatur. Serm. *Fer.* 5, *hebdomadæ pænosæ.*

48. Illi irascitur Deus, quem peccantem non flagellat : nam quem flagellando non emendat, in futuro damnat. Lib. *Medit.*, cap. 6.

BOETIUS. 49. Talia sunt Dei flagella, ut degustata quidem mordeant, interius autem recepta dulcescant. Lib. 3, *de Consolat. philos.*, prosa 1.

S. BONAV. 50. Cum a Deo quis flagellatur, scrutari debet quod sit patris percussio, peccatorum purgatio, patientiæ remuneratio. Expos. 1, super *Psalm.* cxviii, in illud : *Ne calumnientur me superbi.*

51. Quos in præsenti flagella non corrigunt, ad futura transmittunt. Super *Sap.*, cap. xii.

52. Omnium flagellorum causa, et vita perversa. Super *Lament. Hierem.*, cap. i.

53. Homo decem de causis puniri consuevit : primo, ad purgationem, ut Maria soror Moysi ; secundo ad probationem, ut Job ; tertio, ad humiliationem, ut Paulus ; quarto, ad glorificationem divinæ potentiæ, ut cæcus natus ; quinto, ad commendationem divinæ clementiæ, ut pater Joannis Baptistæ ; sexto, ad manifestationem divinæ justitiæ, sicut Herodes ab Angelo percussus ; septimo, ad punitionem parentum, ut pueri Sodomitarum ; octavo, ad terrorem aliorum ; decimo, ad detestationem criminum. Super *Luc.*, cap. xiii.

54. Unumquemque electum, divina gratia tunc magis erudiendo custodit, cum eum quasi percutiens deserit. Lib. 2 *Pharetræ*, cap. 16.

55. Peccatori gravis manus est Dei, quæ flagellat ; et ponderosa, quæ vindicat. Super *Psalm.* xxxi. CASSIODOR.

56. Flagella Dei sunt, quæ nos celeriter sanant, quæ nos velociter liberant, et in viam veritatis adducunt. Super *Psalm.* xxxi, vers. 13 : *Multa flagella peccatoris.*

57. Frequenter emundat Deus quos flagellat : ut purgatum recipiat, quem peccatis sordidum respuebat. Super *Psalm.* lxxxviii, vers. 42.

58. Flagellat Deus, ut erudiat. Super *Psalm.* cii, vers. 2.

59. A Domino castigari, est tanquam a pædagogo erudiri, et a morte liberari. Lib. 1 *Pædagogi*, cap. 7. CLEMENS ALEX.

60. Amor Dei ingratos prosequitur, et revocat : neque tunc odit, cum corripit et flagellat. *De Baptismo Christi*, cap. 3. S. CYPRIAN.

61. Verberat Deus ut liberorum amans Pater traducens ad meliora, et abducens a turpioribus eos, qui iis sunt impliciti. Lib. 3, super *Isaiam*, cap. xxxvii. S. CYRILLUS ALEX.

62. Omne flagellum quod a Deo infligitur, utiliter infligitur, cum sit bonum, vel efficiens bonum, vel prohibens malum. Lib. *contra Manichæos.* DIDYM. ALEX.

63. Periculosissimum est, et maximum divini odii reprobationisque signum, non castigari, nec argui a Deo in hoc in sæculo. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. xii, art. 12, super illud : *Flagellat omnem filium.* DIONYSIUS CARTHUS.

64. Correptio et disciplina Domini, peculiare quoddam est amicitiæ et filiationis Dei symbolum. In *Elucid.* super cap. v, *Job* in illud : *Increpationem Domini ne reprobes.* FRANCISCUS TITELM.

65. Vix potest in finem perstare in numero filiorum, qui extra disciplinam Dei est, quique paterna Dei visitatione non aliquando corripitur. In *Elucid.*, super *Psalm.* xvii.

66. Corripere solitus est Deus homines, quemadmodum pius pater filium corripit peccantem : partim ut quod per iniquitatem justitiæ subtrac-

tum est, per vindictæ pœnalitatem restituatur. *Prosec.*

67. Partim vero ut correptus, offendisse se sciat, et quem offenderit agnoscat : agnoscens vero, emendare studeat ; ne iterum vel eadem, vel prioribus pejora non castigatus committat. In *Elucid.* super *Psalm.* XXXVIII, vers. 13 : *Propter iniquitatem corripuisti hominem.*

68. Melius est temporaliter affligi, quam æterna punitione a Deo feriri. *Ibid.*, super *Psalm.* XXXXIII, vers. 23.

GLOSS. ORD. 69. Sic bonos Deus occidit, ut vivos efficiat : et percutit, ut sanet. Super *Deuter.*, cap. XXXII, in illud : *Ego occidam.*

70. Deus arguit, ut servet, non ut perimat. Super *Job*, cap. V, in illud : *Beatus qui corripitur a Domino.*

71. Hæc Deus facit, ut tu erratorum cognitor constitutus, pristinum splendorem recipias. *Ibid.*

72. Non pro corrigenda culpa, sed pro augenda gratia justus percussus est. *Ibid.*, cap. XVII.

73. Flagella justorum, vel præterita purgant, vel futura peccata avertunt. *Ibid.*, cap. XXIII.

74. Sicut vitiis tentamur, ne intus extollamur : ita extra flagellis terimur, ne quid extra quæramus, et mundo blandiente seducamur. *Ibid.*, cap. XXXIII.

75. Tanto minus de flagello quo castigamur, murmurare debemus, quanto certius in eo paternæ dilectionis pignus tenemus. Super *Prov.*, cap. III.

76. Pauca sunt, quæ in hac vita Deus flagellat; quia si qua hic punit, plura reservat ; et aliquando ferire incipit, quod æterna damnatio consummat : quædam punit, ne videatur non curare humana : quædam reservat, ut judicium restare sentiamus. Super illud *Job* XXXV : *Nec ulciscitur scelus.*

GLOSS. INT. 77. Misericorditer corripis, qui flagellas omnem filium, quem recipis. Super *Tobiam*, cap. III.

78. Hæc es via veritatis, ut in flagellis animas nostras humiliemus, et patientiam habere studeamus. Super lib. *Judic.*, cap. 8.

79. Pia oratio, quæ optat malis flagella Dei, non ad pœnam est, sed ad correctionem. *Ibid.*, cap. XVI.

80. De manu ferientis Dei fugit, qui se corrigit. *Ibid.*, cap. XXVII, in illud : *De manu ejus fugiens.*

81. Flagellat Deus quem diligit. *Ibid.*, cap. XVI.

S. GREGOR. MAGNUS. 82. Peccatorem Deus quoties feriendo corrigit, ad hoc flagellum mittit, ut parcat. *Prosec.*

83. Cum Deus peccatoris vitam in peccato permanentem feriendo concludit, flagellum emittit, sed nequaquam parcit. Lib. 18 *Moral.*, cap. 13.

84. Cum perversum quemquam Deus omnipotens percutit, condolendum est miseriæ pereuntis, et congaudendum justitiæ judicis. *Ibid.*, lib. 22, cap. 6.

85. Ut electus quisque æterna supplicia evadat, et ad perennem gloriam pauper ascendat, debet hic assiduis flagellis atteri, quatenus in judicio valeat purgatus inveniri. *Ibid.*, lib. 6, cap. 13.

86. Flagellum tunc diluet culpam, cum mutaverit vitam : nam cujus mores non mutat, non expiat actiones. *Ibid.*, lib. 18, cap. 13.

87. Omnis divina percussio, aut purgatio in nobis vitæ præsentis est, aut initium pœnæ sequentis. *Ibid.*

88. Dum flagellatur iniquus, et corrigitur : audire præceptum noluit, audit dolorem. *Ibid.*

89. Quos damnant flagella, et non liberant, his flagella ab hac vita inchoant, et in æterna percussione perdurant. *Ibid.*

90. Transitorio hic verbere affliguntur electi, ut a pravitate flagella corrigant, quos paterna pietas ad hæreditatem servat. *Ibid.*, lib. 21, cap. 4.

91. In hac vita dum sumus, flagellis atteri necesse est : cum vero flagellis atterimur, malis increpantibus admonemur, ne mundo blandiente seducamur. *Prosec.*

92. Flagella dum tentant, surgentes in corde hujus mundi voluptates eradicant.

93. Per ferientia flagella cognoscimus quid de hoc mundo fugiamus ; per ista comprimimur, ne quid extrinsecus appetamus.

94. In laboribus flagellorum non solum nobis nostra infirmitas innotescit, sed etiam in quanta virtute profecerimus, agnoscimus. *Ibid.*, lib. 23, cap. 17, num. 17.

95. Unusquisque in flagello positus, minus adhuc peccata sua considerat, si vel tantum vel amplius se percussum quam merebatur existimat. *Prosec.*

96. Qui veraciter pœnitet, quanto se juste sub flagello feriri cogitat, tanto districtiori examinatione minus se percussum quam merebatur, agnoscit.

97. Quia conspicit quam gravis sibi culpa fuerit quod erravit : et idcirco hoc patitur, districtum esse non sentit, quia districte novit pensare quod fecit. *Ibid.*, lib. 24, cap. 6, num. 6.

98. Homo justus disciplinæ flagello percutitur, ut postmodum vitæ perfectione roboretur. *Ibid.*, lib. 35, cap. 15.

99. Per culpam discordes Deo extitimus, dignum ergo est, ut ad pacem illius per flagella redeamus. *Ibid.*, lib. 3, cap. 6, super illud *Job* II : *Si bona accepimus.*



100. Duobus modis flagella pensanda sunt, aut qualia sint, aut quanta : nam sæpe multa ex qualitate, sæpe gravia ex quantitate levigantur : si videlicet cum multa sint, non sint gravia : cum vero gravia, non sunt multa. *Ibid.*, cap. 3, num. 3, super illud *Job* II : *Percussit Job ulcere pessimo.*

101. Quisquis dona percipit, sed donorum tempore, nequaquam etiam flagella pertimescit, in elationem per lætitiam corruit. *Prosec.*

102. Quisquis autem flagellis atteritur, sed flagellorum tempore nequaquam se ex donis, quæ eum contigit accepisse, consolatur ; a statu mentis omnimoda desperatione destruitur. *Ibid.*, cap. 7.

103. Beatus homo, qui corripitur a Domino : quia per hoc quod peccator dolore correptionis premitur, quandoque ad beatitudinem, quæ sine interventu doloris est, eruditur. *Ibid.*, lib. 6, cap. 13.

104. Quisquis pro culpa percutitur, sed in querela suæ percussionis elevatur, increpationem Domini reprobat, quia homo injuste se perpeti accusat. *Ibid.*, cap. 14.

105. Humanum spiritum visitatio superna custodit, cum hunc virtutibus ditatum, vel flagello percutere, vel compungere amore non desinit. *Ibid.*, lib. 9, cap. 29, num. 38.

106. Dolor flagelli temperatur, cum culpa cognoscitur : quia tanto quisque patientius ferramentum medici tolerat, quanto putridum conspicit esse quod secit. *Ibid.*, lib. 10, cap. 5.

107. Flagella bonorum aut vita perpetrata purgant, aut ea quæ poterant perpetrari futura devitant. *Ibid.*, lib. 16, cap. 19, num. 20.

108. In hac vita cum Deus percutit, si percussionem correctio sequitur, disciplina patris est, non ira judicis : amor corrigentis est, non districtio punientis. *Ibid.*, lib. 21, cap. 17.

109. Qui in flagellis positus murmurat, justitiam ferientis accusat. *Ibid.*, lib. 32, cap. 5, num. 3.

110. Quisquis contra Dei flagella semetipsum defendere nititur, flagellantis judicium evacuare conatur. *Prosec.*

111. Nam cum culpa sua feriri se denegat, quid aliud quam justitiam ferientis accusat ? *Ibid.*, cap. 5, num. 3.

112. Magna satisfactio percussionis est, voluntas justa conditoris : quæ cum injustum facere nil solet, justa agnoscitur, etiamsi latet. *Ibid.*, num. 3.

113. Agit hæc divina misericordia, ut ex una eademque re, ex qua carnalibus dat flagellum, ex ea spiritualibus virtutis præstet incrementum. Homil. 1, super *Ezech.*

114. Si ipse hinc sine flagello non exiit, qui venit sine peccato : quomodo flagellis digni non erunt, qui huc cum peccato venerunt ? *Ibid.*, homil. 8, super illud : *Et super firmamentum.*

115. Quisquis in hac vita flagellis atteritur, in mansuetudine corripitur, quia correctionibus emendatur. Super *Psalm. Septem Pœnitent.* super *Psal.* 1, vers. 2 : *Ne arguas me in furore tuo.*

116. Sancti viri in hac vita flagellari desiderant, ut flagellis correcti, et imminentes culpas videant, et commissas ante oculos ponant. *Ibid.*, super *Psalm.* III, vers. 18.

117. Sæpe delinquentium oculos flagella aperiunt, quos inter vitia insolentiæ et securitatis tenebræ claudunt. *Ibid.*

118. Qui contra conditoris flagella murmurat, Dei accusat judicium, quia se æstimat injuste percussum. *Ibid.*, super *Psalm.* VII, vers. 2.

119. Flagella amoris sunt indicia. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 32, epist. 32, *ad Andræam.*

120. Percussiones Dei favente ejus gratia, non damnationis initium, sed beneficium purgationis existunt. *Ibid.*, lib. 8, indict. 3, cap. 41, epist. 41, *ad Dominic. epis. Carthag.*

121. Percutit Deus, et sanat : quia quos per compunctionem sauciat, per indulgentiæ securitatem curat. Lib. 3, in *Reg.* cap. IV, super illud *Deut.* XXXII *Percutiam : et ego sanabo.*

122. Qui in amore cœlestium fixus, sæculum perfecte despexerit, flagellis proficit. In *Septem Psalm. pœnit.* super *Psalm.* II, vers. 13 : *Sperantem autem in Domino.*

123. Quem divina disciplina conterit, ei humana flagella addi superfluum est. Lib. 12, in *Registro*, indict. 7, cap. 26, epist. 26, *ad Maximian. Episc.*

124. Necesse est, ut peccantes tunc consideremus amplius miseros, quando eos conspicimus in culpa sua sine flagello derelictos. Homil. 12, super *Ezech.*

125. Quisquis appetit plene vita vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare. Homil. 15, super *Evang.*

126. Facilis erit consolatio, si inter flagella quæ patimur, ad memoriam delicta quæ fecimus revocemus : atque hæc non flagella, sed dona cognoscemus. Lib. 7, in *Registr.*, indict. 2, cap. 25, epist. 125, *ad Leandrum episc.*

127. In flagellis positos, flagellis digna committere, contra ferientem est specialiter superbire, et ferientis acrius iracundiam provocare. *Ibid*, lib. 8, indict. 3, cap. 41, epist. 41, *ad Dominic. episc.*

HAYMO. 128. Quinque modis divina flagella homines in præsenti vita tangunt : alii propter solam probationem flagellantur ; alii ut curantis virtus glori-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ficetur ; alii ob humilitatis custodiam : alii propter enormitatem scelerum ; alii propter præterita peccata remittenda. Serm. *Dom.* 20, *post Pent.*

S. HIERON. 129. Quantos cernimus diversorum dogmatum homines, volutari in cœno libidinum, madere sanguine, feritate lupos, rapacitate milvos vincere, et nihilominus flagellum non appropinquare tabernaculis eorum, nec eos cum hominibus verberari? Epist. 32, *ad Castratium.*

130. Non corripit Deus, ut interficiat, atque disperdat sed ut corrigat, et emendet. Epist. 17, *ad Cyprian.*

131. Paterna flagella, exercitia sunt innoxiæ pietatis : ama medicum percussorem, cujus plaga mater est medicinæ. *Prosec.*

132. Nihil impium pietas parit, ut virtutibus amplexis fructum pietatis spiritaliter curatus includat.

133. Ferit pietas, ne impietas judicetur, si non corrigat delinquentem : cum enim non desit in homine quod curetur, ferit ut curet. Epist. 6, *ad Amicum.*

134. Felix est qui vapulat, ubi amoris est plaga. *Ibid.*

135. Vince, dum vapulas : sic enim potentia christiana alitur incommodis, malis promovetur adversis. *Prosec.*

136. Ipsius est ad portum perpetuæ felicitatis per furentia mundi discrimina navigare, et sub ictibus disciplinæ medicinalis potenter ipsa necessitate regnare. *Ibid.*

137. Nos urit Dominus, ut curet : tentat, ut liberet : vexat ut salvet. *Ibid.*

138. Dominus percutit delinquentes, ut percussos corrigat : et non tam pœna est, quam emendatio. Lib. 1, super *Isaiam*, cap. I, super illud : *In quo percutiam vos, etc.*

139. Deus quos placatus attenderit, corrigit : quos propitius intuetur, emendat. Lib. 1, super *Lament. Hierem.*, cap. II, super illud : *Confregit in ira furoris.*

140. Quod flagellatur quisque, agnoscimus : sed ex qua causa flagellum veniat, ignoramus. Lib. 2, super *Lament. Hierem.*, cap. III, super illud : *Misit in renibus meis.*

141. Famem et pestilentiam, et bestias pessimas, et quidquid aliud malorum sustinemus in sæculo, propter nostra venire peccata manifestum est. Lib. 2, super *Ezech.*, cap. V, super illud : *Quando misero sagittas famis.*

142. Quando propter peccata corripimur, vigilat super nos Deus, et visitat nos : quando vero indigni sumus correptione, a Deo deserimur, et tunc dormire dicitur. Super *Daniel.*, cap. IX, super illud : *Et vigilavit Dominus.*

143. Homo ad hoc punit, ut perdat : Deus ad hoc corripit, ut emendet. Lib. 3, super *Oseam*, cap. II, super illud : *Quomodo dabo te, Ephraim?*

144. Omnis correptio ad præsens non videtur esse gaudii, sed mœroris : et postea fructum pacificum justitiæ reddet his, qui per eam fuerint eruditi. Lib. 2, super *Michæam*, cap. VII, super illud *Luc.* 12 : *Sint lumbi vestri præcincti.*

145. Tanto minus de flagello quo castigamur murmurare debemus, quanto certius in eo paternæ dilectionis pignus tenemus. Lib. 1, super *Prov.*, cap. III, super illud ; *Quem diligit Dominus corripit.*

146. Infelix est, qui a Deo non corripitur. Super *Psalm.* LXXX, vers. 10.

HUGO A S. VICTORE. 147. Si quis peccans non percutitur, iste miser et infelix est. *Ibid.*

148. Peccator sub flagello positus, gratum Deo sacrificium immolat, si de sua tribulatione Deum laudat. Super *Thren.*, super illud II : *Consurge, lauda.*

149. Qui flagellum timent, quomodo pro Christo flagella sustinerent? Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 12.

150. Peccator, qui in hoc mundo flagellari non meretur, in inferno torquebitur. Lib. 4, *de Anima*, cap. 17.

HUGO CARD. 151. Clementia est, non severitas, quod peccator hic pro scelere visitatur. Super *Genes.*, cap. VI.

152. Multis de causis flagellat hic Deus : quandoque, ut ipse Dominus glorificetur ; quandoque, ut hominis meritum cumuletur ; quandoque, ut homo probetur ; quandoque, ut aliis in exemplum detur ; quandoque, ut homo humilietur ; quandoque, ut pœnis culpa expietur. Super *Levit.*, cap. XIX

153. Solum flagellum, quod pro culpa infertur, proprie pœna dicitur. *Ibid.*

154. Flagella sæpe iterat Deus ad timorem incutiendum : ut quos amor non provocat ad bonum, saltem timor revocet a malo. Super *Deut.*, in prolog.

155. Flagella viæ sunt ad Cœlum. Super *Job*, cap. VI.

156. Quasi ligatam habet manum Dominus, cum peccantem non corripit, quod est signum reprobationis. *Ibid.*

157. Flagella Domini vincula dicuntur, quia ligant nos, ne libere ad peccata effluamus. *Ibid.*, cap. 36.

158. Flagella signa sunt paternæ dilectionis : pœnas æternas in temporales commutant, et gaudia æterna donant. Super *Psalm.* XXII.

159. Quanto homo pronior est ad flagella toleranda, tanto Deus pronior est ad miserandum. Super *Psalm.* XXXVII.



160. Flagella signa sunt æternæ beatitudinis. *Ibid.*

161. Delinquentes non flagellare, hæc magna ira Dei est : flagellare autem, misericordia. Super *Psalm.* LXXX.

162. Justi hic flagellantur, ne in æternum damnentur : et ut si quid in eis purgandum est, per flagella purgetur. Super *Sapient.*, cap. 2.

163. Flagella bonorum et brevia sunt, et ad correctionem, et signa, sive argumenta salutis æternæ sunt : flagella vero malorum, signa æternæ damnationis sunt. *Ibid.*, cap. 16.

164. Illorum plaga insanabilis est, et pessima, qui in flagellis Dei non corriguntur, sed magis indurantur. Super *Hierem.*, cap. 30.

165. Dominus ut amicus, et ut pater corripit, et castigat quos amat. *Ibid.*

166. Dum Deus peccatores hic corripit, dolet diabolus, quia sic flagellatur a Domino. Super *Isai.*, cap. XIII.

167. Patientia pascitur flagellis. Super *Ezech.*, cap. XXII.

168. Genus divinæ castigationis, infirmitas corporis, vel damnum rerum, vel quælibet angustia et afflictio. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. XII.

IDIOTA. 169. Temporaliter, Domine Deus, tribulas et affligis peccatorem, ut de commissis criminibus puniatur : sed paterne hoc agis, ut deviantem reducas, et errantem corrigas, et de morte æterna eum eripias. Lib. 2, *de Contemplat. veræ patientiæ*, cap. 6.

170. Flagellas filium, quem diligis : das disciplinam, ut non auferas misericordiam : cædis contumacem, ut reddas promissam hæreditatem. *Prosec.*

171. Nec mirum, si hic flagellas parvulos, quos exinde grandes quæris hæredes.

172. Flagellas igitur, et erudis, et custodis, et illis ad tempus parcis, quos æternum damnabis. *Ibid.*, cap. 1.

173. Dum aliquos flagellas, ipsos eligis et erudis ad hæreditatem æternam : qui vero cum hominibus flagellari noluerit, cum dæmonibus flagellabitur. *Ibid.*, cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST. 174. Pœnæ et supplicia beneficia sunt, et Dei erga hominem providentia. Homil. 26, super *Gen.*

175. Tametsi flagella non gaudii sint occasiones, sed tristitiæ et mœroris : nihilominus flagella propter Deum, et causa propter quam flagellatur quis, gaudium pariunt. *Ibid.*, homil. 23.

176. Non punimur cum nos Deus flagellat, sed erudimur : illud enim admonitionis est magis, quam damnationis, medicinæ quam supplicii, correctionis quam pœnæ. Homil. 28, super I *Cor.*, in illud II : *Cum Judicamur, a Deo corripimur.*

177. Age, dic mihi, quid habent simile homines, propter Christum flagellari, et cum Deo colloqui? Homil. 1, super II *Cor.*

178. Non inferuntur verbera, ut animum frangant aut conterant, sed ut corrigant. Serm. 6, super *Epist. ad Philipp.*

JOAN. GERS. 179. Omnino impossibile est non flagellari, vel hic ad pœnitentiam, vel in futuro ad exterminationem. Lib. 3, *de Consolat. Theolog.*, prosa 4, part. 3.

JOAN. SAR. 180. Flagellum æternum declinate castigatione præsenti : nam certiores sumus de venia, quo gravius affligimur præsenti corporis pœna. Epist. 49.

JOAN. TRITH. 181. Frequenter misericors Deus eos, quos diligit, variis modis in hoc mundo percutit, quibus æterna præmia in cœlo præparavit. Lib. 1, homil. 10, *ad Monachos.*

182. Deus quos amat sic ferit, ut castiget, non occidat : ergo felix est, qui vapulat, ubi amoris est plaga. *Prosec.*

183. Beatus, quem superni verberis remedium curat, corrigit, emendat atque componit. Lib. 2, *de Tent. religios.*, cap. 1.

184. Qui vult esse in sorte filiorum, prius fiat de numero sub Dei verbere gaudentium. Epist. 3, *ad Quasdam moniales.*

S. ISID. HISP. 185. Miserere, Domine, misero Isidoro, indigna agenti et digna patienti : assidue peccanti, et tua flagella quotidie sustinenti. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 1, sent. 2.

186. Ordinata est miseratio Dei, quæ prius hic hominem per flagella a peccatis emendat, et postea ab æterno supplicio liberat. *Ibid.*, sent. 3.

187. Nequaquam Deus delinquenti parcit : quoniam peccatorem aut flagello temporali ad purgationem ferit, aut judicio æterno puniendum relinquit. *Ibid.*, sent. 4.

188. Justo temporalia flagella, ad æterna proficiunt gaudia. *Ibid.*, sent. 6.

189. In hac vita Deus parcit impiis, et tamen non parcit electis : in altera vero vita parcit electis, non tamen parcit impiis. *Ibid.*, sent. 6.

190. Quanto quisque aut in corpore, aut in mente flagella sustinet, tanto et in fine se remunerari speret. *Ibid.*, sent. 9.

191. Valde necessarium est, justum in hac vita, et vitiis tentari, et verberari flagello : ut dum vitiis pulsatur, de virtutibus non superbiat. *Ibid.*, sent. 12.

192. Durius circa suos electos in hac vita Deus agit ut dum fortioribus flagelli stimulis feriuntur,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nulla odlectamenta præsentis vitæ delectent, sed cœlestem patriam, ubi certa requies expectatur, indesinenter desiderent. *Ibid.*, sent. 13.

193. Electos suos Deus probat, dum in hac vita illos judicii flagello castigat. *Ibid.*, sent. 14.

194. Flagellatur homo plerumque a Deo ante peccatum, ne malus sit; flagellatur etiam et post peccatum, ut corrigatur. *Ibid.*, cap. 2, sent. 4.

195. Deus ideo plerumque justum flagellat, ne de justitia superbiens cadat. *Ibid.*, sent. 5.

196. In hac vita Deus tanto magis studet, ut parcat : quanto magis expectando flagellat. *Ibid.*, sent. 6.

197. Alios Deus feriendo corrigit, alios vero feriendo interficit. Feriendo namque corrigit, quos diligit : alios feriendo perimit, quos incorrigibiliter delinquentes aspicit. *Prosec.*

198. Quosque non jam sub disciplina, ut filios pater; sed districta damnatione, ut hostes et adversarios percutit.

199. Unde unusquisque festinet et timeat, ne simul feriatur vita ejus cum culpa.

200. Flagellum namque tunc delet culpam, cum mutaverit vitam : nam cujus mores non mutat, actiones non expiat. *Ibid.*

201. Omnis divina percussio, aut purgatio vitæ præsentis est, aut initium pœnæ sequentis : nam quibusdam flagella ab hac vita inchoant, et in æterna percussione perdurant. *Ibid.*, sent. 7.

202. Quamvis una culpa bis non percutitur, una tamen percussio intelligitur, quæ hic cœpit, illic perficitur : ut in his qui omnino non corriguntur præcedentium percussione flagellorum, sequentium sit initium tormentorum. *Ibid.*, sent. 8.

203. Quibusdam secreto Dei judicio hic male est, illic bene : ut dum hic castigati corriguntur, ab æterna damnatione liberentur. *Prosec.*

204. Quibusdam hic bene est, illic male, sicut diviti illi accidit, qui hic potentiæ claritate conspicuus, post mortem gehennæ incendiis traditur cruciandus.

205. Quibusdam vero et hic male et illic male est : quia corrigi nolentes, et flagellari in hac vita incipiunt, et in æterna percussione damnantur. *Ibid.*, sent. 9.

206. Quamvis flagella præsentia justum a peccatis absolvunt, adhuc tamen sub metu vindictæ turbatur, ne instantes ei plagæ non sufficiant ad purganda delicta. *Ibid.*, sent. 12.

207. Murmurare in flagellis Dei peccator homo non debet, quia maxime per hoc quod corripitur emendatur. *Ibid.*, cap. 4, sent. 1.

208. Sunt necessarii mali, ut quoties boni offendunt, flagellentur ab illis. *Prosec.*

209. Sed quoties ita fit, de Dei indignatione procedit : ut Deus per illos in eos sæviat, quos flagellando emendare desiderat. *Ibid.*, cap. 57, sent. 7.

210. Si hic flagellis atterimur, purgati in judicio inveniemur. *Prosec.*

211. Semper Deus hic vulnerat, quos ad salutem perpetuam parat. Lib. 1, *de Synonym.*

212. Conversum a peccatis flagella absolvunt : converso instantia flagella ad purgationem proficiunt. *Prosec.*

213. Qui enim hic castigatus corrigitur, illic liberabitur : qui vero nec sub flagello corriguntur, et temporali pœna et æterna damnabuntur.

214. His duplex damnatio est, gemina his percussio est : quia hic habent initium tormentorum, et illic perfectionem pœnarum. *Ibid.*

215. Debet unusquisque peccator temporalibus flagellis atteri, quatenus in judicio purgatus valeat inveniri. Super *Deuter.*, cap. XXII.

LACT. FIRM. 216. Bonos, quos diligit Deus castigat sæpius, et assiduis laboribus, ad usum virtutis exercet : nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac depravari sinit. *Prosec.*

217. Unde nemini mirum debet videri, si pro nostris sæpe delictis castigamur a Deo : imo vero cum vexamur ac premimur, tunc maxime gratias agimus indulgentissimo Patri, quod corruptelam nostram non patitur longius procedere, sed plagis ac vulneribus emendat. Lib. 5, *de Divin. inst.*, cap. 23.

S. LAURENT. JUSTIN. 218. Temporaliter Deus punit, ne in perpetuum damnet. *De Triumphali Christi agone*, cap. 5.

219. Optimum salutis præsidium sunt divinitus irrogata flagella. *Prosec.*

220. Purgantur enim electorum palmitum infœcundi rami, ut uberem agricolæ procreent fructum : nam qui inculti remanent, prorsus suo exciduntur tempore, et in ignem mittuntur. *De Interiori conflictu*, cap. 6.

221. Dignum profecto est, ut quos divina beneficia non corrigunt, hos varietates temporum, clades diversæ, asperitates bellorum, calamitatum pressuræ, ad sui provehant cognitionem erroris. *De Obedient.*, cap. 6.

222. Nullus, nisi sit attritus flagellis, fructum consummare potest germinatæ justitiæ. Serm. *de Vita solitar.*, cap. 11.

223. Si infirmetur caro, corpus ulceribus impleatur, caput doleat, hebetet visus, obturetur auditus, impediatur gressus, membraque singula contrahantur : nihilominus lætare et lauda, quoniam emendaris ut filius, flagellaris ut electus. *Ibid.*, cap. 12.

224. Quemadmodum continuus successus temporalis, indicium damnationis est : ita flagelli eruditio, indubium prædestinationis agnoscitur esse præsagium. *De Contemptu mundi*, cap. 19.



225. Divini flagelli quis valet enarrare præconia? Est manus Dei, filiorum præcipuum signum, lumen mentis, peccatorum venia, emendator scelerum, origo virtutum, concupiscentiarum interemptor, salus animarum, nutrimentum spei, robur fidei, charitatis augmentum, præcursor veritatis, additamentum sapientiæ, passionum carnalium antidotum. *Ibid.*, cap. 19.

226. Isto flagello deficiente, multiplicantur delicta, mentis densatur cæcitas, mundi inardescit cupiditas, et superbiæ accrescit tinea. *Ibid.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 227. Nuda fide, nudaque charitate Deo adhærens, permitte te tundi, et flagellari, sicut ipse voluerit, et quandiu ipse voluerit : purgat, expolit, et probat te Deus, non deserit. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 9.

S. MAXIMUS MART. 228. Flagellatio corporis, his qui perferunt, robur est animi. Centur. 1, *de Virt. et vitio*, cap. 17.

ORIGENES. 229. Nemo ita ineruditus divinæ sit disciplinæ, ut flagella divina perniciem putet, ut verbera Domini pœnalem credat interitum. Homil. 8, in cap. 1 *Exodi*.

PETR. BLES. 230. Animos electorum Deus flagellis interrogat. Epist. 138. *ad Gualter. Rothomag. archiep.*

231. Justum ideo flagellat Deus, ut se cognoscat, ut suos excessus corrigat, ut alios suo exemplo deterreat, ut virtus ejus innotescat, ut vexatio det intellectum ad cautelam, ut cautela ad coronam et gloriam cedat. *Ibid.*

232. Flagellis nos Dominus erudit ad salutem : dejicit enim ut erigat, vulnerat ut sanet, ut pressura vertatur in gratiam, et afflictio in coronam. *Ibid.*, epist. 142, *ad quemdam Prior.*

233. Qui inter flagella Dei murmurant et blasphemant, pœnis præsentibus pœnas gehennales accumulant. *Ibid.*, *de Charit.*, cap. 30.

PETR. CELL. 234. O quam pia manus Dei, quæ ideo verberat misericorditer, ne puniat crudeliter : ideo flagellat temporaliter, ne confiet æternaliter. *Prosec.*

235. Pie nunc sævit, ut impios ad pietatem convertat, et impietatem malorum ad justitiam bonorum reflectat. *De Panibus*, cap. 17.

S. PETRUS CHRYSOL. 236. *Domine ne in ira tua arguas me.* Hoc est dicere : argue me, sed non in ira : corripe me, sed non in furore. *Prosec.*

237. Argue me ut pater, non ut judex : corripe me non ut Dominus, sed ut parens.

238. Argue me non ut perdas, sed corripias : corripe me non ut interimas, sed emendes. Serm. 45.

S. PETRUS DAMIANUS. 239. Magna electis Dei est consolatio, ipsa divina percussio : quia per momentanea flagella, quæ perferunt, ad nanciscendam supernæ beatitudinis gloriam, firmæ spei gressibus convalescunt. Lib. 8, epist. 6.

240. Sicut duris et obstinatis flagella gehennalium sunt tantummodo primitiæ tormentorum : sic bonis et rectis eadem flagella, cœlestium sunt materia præmiorum. *Ibid.*

241. Laudanda est divina dispensatio, quæ ad hoc suos temporaliter verberat, ut perpetuis eos flagellis abscondat : ad hoc premit, ut elevet : ad hoc secat, ut sanet : ad hoc dejicit, ut exaltet. *Ibid.*

242. Dum verberibus cingeris, dum cœlestis disciplinæ tunsionibus castigaris, non mentem desperatio deprimat, non querela murmurationis erumpat, non tristitiæ mœror absorbeat, non impatientem pusillanimitas reddat : sed semper serenitas in vultu, hilaritas in mente, gratiarum actio exultet in ore. *Ibid.*

PHILO JUD. 243. Fili, cave contemnas disciplinam Domini, et castigatus ab eo noli despondere animum : quem enim diligit, arguit, et flagellat omnem charum filium. *De Congressu quærendæ*, etc.

244. Deus noster, cum sit optimus animarum medicus, unicum finem habet propositum, ut radicitus mentis infirmitates exsecet, nec ex reliquiis repullulet malum immedicabile. Lib. *Quod Deus sit immutabilis.*

245. Quicunque peccatorum sumus nobis conscii, precemur Deum ut puniat nos potius, quam incastigatos prætereat. Lib. *Quod deterius potiori.*

S. PROSPER. 246. Qui personam suscipere dignatus est patris, nihil circa filios non misericorditer facit : flagellat adoptatos potius, quam deserat abdicandos. Non ipse nos obliviscitur, sed ut gratiæ ejus non obliviscamur, facit. Super *Psalm.* CII, vers. 14.

RICHARD. A S. VICTORE 247. Quanto mundi malis justi acerbius urgentur : quanto gravioribus flagellis atteruntur, tanto ad Dei amorem vehementius accenduntur. Lib. 2, *de Contemplat.*, cap. 24.

ROBERTUS BELLARM. 248. Deus non minus bonus est, cum nos flagellat, quam cum parcit. Super *Psalm.* LXII, vers. 6.

SALVIANUS. 249. Ostendit nobis Deus per flagella quid mereamur, etsi non irrogat quæ mereamur. *Prosec.*

250. Clementissima enim ac benignissima castigatione mavult nos corrigere, quam perire : et nos clementis censuræ temperamento emendare, quam plaga justæ coercitionis occidere.

251. Quid miramur, si peccantes nos Deus verberat, cum ipsi peccantes servulos verberemus?

252. Homunculos nos flagellari a Deo nolumus,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cum ipsi conditionis nostræ homines flagellemus. Lib. 4, *de Gubern. Dei.*

253. Curare nos vult castigationibus suis Dominus, sed curam remedia non sequuntur : urimur et secamur, sed nec ferri desectione, nec cauteriorum adustione sanamur : imo quod est gravius, cura ipsa deteriores sumus. *Ibid.*, lib. 7.

254. Quid querimur quod dure agat nobiscum Deus, cum multo nos cum Deo durius agamus? *Ibid.*, lib. 4.

255. Perspicuum est cuncta quæ affliguntur, Judicio Dei percuti, sed tamen propter peccata subverti. *Ibid.*, lib. 7.

S. THEODOR. 256. Castigationes infligit peccatoribus Deus, ut pravitatis cursum abscindat. Lib. 4, super *Hierem.*, cap. XIV.

257. Puniens Deus, miseretur : et castigatione utens, consolatur. *Ibid.*, lib. 10, cap. LII.

258. Pœna, divinæ cognitionis est magistra. Sect. 2, super illud *Ezech.* : *Et scietis, quia ego sum Dominus.*

259. Utilis quæ a Deo adhibetur disciplina, pœnitentiæ est mater. *Ibid.*, in illud : *Et recordabuntur me.*

260. Maxima consolatio iis est, qui puniuntur, punientis Dei cognitio. *Ibid.*, super illud : *Et scietis quia ego Dominus.*

261. Correptio a Deo adhibita, beneficii mater est. Super *Zachar.*, cap. IX.

S. THOMAS AQUINAS. 262. Temporalia mala in pœnam infliguntur impiis, inquantum per ea non adjuvantur, ad consecutionem vitæ æternæ : justis autem, qui per hujusmodi mala juvantur, non sunt pœnæ, sed magis medicinæ. 1, 2, quæst. ult., art. ult.

263. Humiliatur anima et purgatur per flagella, confunditur superbia, et evanescit vana gloria. In *Valle lilior.*, cap. 3, sect. 2.

IN VIT. PATR. 264. Ut corpora nitro, vel aliis hujusmodi lenimentis abluuntur a sordibus : ita animæ languoribus, aliisque hujusmodi castigationibus purificantur. Lib. 2, cap. 1, *de Vita Joannis.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 265. Deus nos tentat, verberat, et lacerat, patiamur : non est sævitia, certamen est; quo sæpius adierimus, fortiores erimus. Lib. *de Divina provid.*, cap. 4.

266. Hos Deus, quos probat, amat, indurat, recognoscit, exercet : eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Afflictio*, sent. 24; *Correptio*, sent. 121; *Dilectio Dei*, sent. 60; *Ferire*, sent. 9, 16, 17, 27; *Judicium extrem.*, sent. 113; *Justificatio*, sent. 26; *Passio in genere*, sent. 58; *Patientia Dei*, sent 15; *Perfectio*, sent. 22; *Pœna*, sent. 55; *Prædestinatio*, sent. 42; *Prosperitas*, sent. 83; *Providentia Dei*, sent. 59; *Punitio*, sent. 48.

FŒMINA. *Vide* MULIER.

## FORNICATIO.

*Etymologia.* Fornicatio dicitur, quasi formæ necatio, id est, animæ ad similitudinem Dei formatæ mortificatio. Serm. *Dom.* 3, *post Pascha.* S. ANTONIUS DE PADUA.

Dicitur fornicatio a fornicibus, in quibus pagani turpitudinem exercebant. Super *Marc.*, cap. VII. HUGO CARD.

*Definitio.* Fornicatio est luxuria, qua solutus cognoscit solutam naturali usu. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 24. S. BONAV.

Fornicatio est omnis usus carnalis commixtionis, præter legitimum concubitum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. I. HUGO CARD.

Fornicatio est amor a legitimo connubio solutus et vagus, explendæ libidinis consectando licentiam. Super *Marc.*, cap. VII.

*Divisio.* Fornicatio alia est spiritus, alia est corporis : fornicatio spiritus est, deserto Deo adhærere diabolo; fornicatio corporis est, cum meretricibus, vel fœminis, a legitimis viris absolutis, sola libidinis explendæ causa commisceri. Serm. 4, super *Salve Regina.* S. BERNARD.

Fornicatio triplex est : humana fit illicito actu; mundana perverso affectu; divina scelerato cultu : prima peccatur in proximum; secunda in seipsum : tertia in Deum : prima facit carnis immunditiam; secunda mundi concupiscentiam; tertia idololatriam. Serm. *de B. M. Virg.*

Fornicatio triplex est : lubrica opere, phantastica cogitatione, apostatica discessione. Lib. 3 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 35. HUGO A S. VICTORE.

Fornicationis genera sunt tria : primum, quod per commixtionem sexus utriusque perficitur; secundum, quod absque fœmineo tactu, quod immunditia nuncupatur; tertium, quod animo et mente concipitur. Collat. *S. abbat. Serapionis*, cap. 11. JOAN. CASS.

*Differentia.* Tanta distantia est inter fornicantem et detrahentem, ut ille qui fornicatur, se tantum occidat : ille autem qui detrahit, et se et illum qui audit, demergat. Super *Psalm.* c, vers. 5. S. HIERON.

Hoc inter fornicationem carnis et fornicationem animæ distat; quod fornicatio carnis adulterium sit, fornicatio animæ servitus idolorum. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 39, sent. 18. S. ISIDORUS HISPAL.

*Productio.* De gastrimargia fornicationem necesse est pullulare; quamobrem ut fornicatio subruatur, gastrimargiæ vitium est castigandum. Collat. 5, *Abbat. Serapionis*, cap. 10. JOAN. CASS.



De fornicatione philargyriam necesse est pullulare : quare ut evellatur philargyria, fornicatio compescenda est. *Ibid.*

S. NILUS. Fornicatio, gulæ soboles est. Orat. 2, *de Fornicat.*

S. EPHRÆM. *Comparatio.* Cani similis est fornicatio : si blandiaris, manet apud te : si pellas, fugit. Cap. 9, super *Attende tibi.*

S. JOAN. CL. Qui ventri dum obsequitur, fornicationis spiritum vincere vult, is eis similis est, qui oleo incendium extinguere nititur. *Gradu* 14.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Fuge fornicationem tanquam furiosam dominam, quæ si te comprehenderit, nec die, nec nocte requiescere sinit, exagitat, urit, incendit. *De Fuga sæculi*, cap. 4.

S. ANSELM. 2. Jure debetis fornicationis malum fugere, quia nullum peccatum ita corpus lædit et deturpat, ut fornicatio. Super I *Cor.* VI, in illud : *Fugite fornicationem.*

S. AUGUST. 3. Longe minus peccat quilibet assiduus ad uxorem, quam vel rarissimus ad fornicationem. *De Bono conjugali*, cap. 11.

4. Vera non est castitas animi fornicantis. Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 3.

5. Fornicatio nulli impune conceditur. *De Conflictu Vitior. et virt.*, cap. 24.

6. Qui fornicans dicit se pœnitentiam acturum quare non timet non cum subitanea fabricula, vel aliquo usu subita mors superveniens rapiat, et pereat dilatio, et succedat æterna damnatio? *De Honest. mulier.*, cap. 4.

7. Fornicatio hominem demergit ad pœnam, in infernum profundat, dæmonibus jungit. Serm. 65, *ad Fratr. in eremo.*

8. Fornicari hominibus nunquam licet. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 50, can. *Fornicari.*

V. BEDA. 9. Recordare quia brevis voluptas fornicationis, sed perpetua est pœna fornicatoris. Lib. 1, super *Proverb.*, cap. VI : *Pretium scorti.*

S. BERNARD. 10. Fornicatio carnis, adulterium est : fornicatio animæ, servitus idolorum est. Serm. 23, *ad Sororem.*

11. Prima fornicationis tela, oculorum sunt; secunda, verborum; sed qui non capitur oculis, potest resistere verbis. *Ibid.*

12. Omnis immunda pollutio, fornicatio dicitur, quamvis quisque diversa turpitudinis voluptate perfruatur. *Ibid.*

13. Fornicatio inter cætera septem vitia maximum scelus est. *Ibid.*

14. Fornicatione coinquinari, deterius est omni peccato : fornicatio major est omnibus peccatis : fornicatio grande peccatum est : fornicatio omnia mala superat. *Prosec.*

15. Fornicatio gravior est morte; melius enim est mori, quam fornicatione maculari : melius est mori, quam per fornicationem animam perdere. *Ibid.*

16. Oculi nuntii sunt fornicationis, visio enim occasio est fornicationis. *Ibid.*

17. Visio impura oculorum sagittas mittit fornicationis in mentem : oculus enim prima est sagitta fornicationis. *Ibid.*

18. Appetitus fornicationis, anxietas est : satietas, pœnitentia. Lib. 2, *Pharetræ*, cap. 14. S. BONAV.

19. In fornicationis opere totus homo absorbetur a carne, qui fornicatur ut jam homo non possit animus suus esse : sed simul totus homo possit dici caro. *Ibid.*

20. Cum dæmones de omni peccato gaudeant, præcipue tamen gaudent de fornicatione, quia ibi corpus et anima maculatur, et ideo maxime cavendum. *Ibid.*

21. Ille qui fornicatur, a diabolo possidetur. Homil. 23. S. CÆSARIUS ARELAT.

22. Hostem fornicationis fugisse, vicisse est. Homil. 3, *de Pascha.* S. EUSEBIUS EMISSENUS.

23. Multo majoris opprobrii est, qui sub Evangelio, quam qui sub lege fornicatur. Super *Josue*, cap. V. GLOSS. ORD.

24. Brevis voluptas fornicationis, sed perpetua pœna fornicatoris. Super *Prov.*, cap. VI.

25. Vires fornicantium deficiunt, sed desiderium ardescit. Super *Oseam*, cap. IV. GLOSS. INT.

26. Etsi cætera peccata per corpus generantur, non tamen animam ita carnali concupiscentiæ faciunt obstrictam et obnoxiam, quemadmodum in solo opere fornicationis corporalis fit. Super I ad *Cor.*, cap. VII. GLOSS. ORD.

27. Libidinis vi mens in corpore carnalis fornicationis, in tantum captivatur, submergitur, et absorbetur, ut in ipso momento nihil aliud cogitare homini liceat. *Ibid.*, cap. 7.

28. Fornicatio quo fœdior cernitur, eo a reprobis studiosius occultatur. Lib. 6, in I *Reg.*, cap. II, super illud : *Impleri verbum Domini* S. GREGOR. MAGNUS.

29. Antiquus hostis maximam partem humani generis per robur carnis in fornicationem præcipitat. *Ibid.*, lib. 5, cap. 3.

30. Altum est fornicationis blandimentum, dum in hoc anima per desiderium mergitur, quasi in profundum radicibus tenetur. *Ibid.*, cap. 4, super illud II *Petr.* II : *A quo quis vincitur, ejus servus efficitur.*

31. Fornicationis spiritus, quem invaserit, ei nulla virtutum dona derelinquit. *Ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

32. Fornicationis pugna valde fortis et violenta est. *Ibid.*, lib. 6, cap. 1, super illud : *Quomodo restitit ei in via.*

33. Ad extinguendum fornicationis spiritum, virtus una non sufficit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 4, super illud : *Congregatoque exercitu percussit Amalech.*

34. Caste vivere volentibus contra fraudes fornicationis spiritus subtiliter vigilandum est. *Ibid.*, lib. 6, cap. 1.

S. GREGOR. NYS. — 35. Fornicator est in ædibus fugiendus, in congressibus abominandus, contumelia appropinquantibus, inimicis opprobrium, cognatis probrum, amicis dedecus, familiaribus execrandus, dolor parentibus, famulorum ludibrium, vicinis ridicula narratio. *De Fugienda fornicat.*

HAYMO. — 36. Concupiscere mulierem, humana tentatio est ; fornicationem vero perpetrare, diabolicum est. Serm. *Dom.* 10, *post Pentecost.*, in appendice.

S. HIERON. — 37. Fornicatio est cibus dæmonum. Epist. 24, *ad Damas. Pap.*

38. Vires in fornicatione deficiunt, et fornicandi desiderium non quiescit. Lib. 1, super *Oseam*, cap. IV, super illud : *Et non saturabuntur.*

39. Fornicatio pervertit sensum, animumque debilitat. *Ibid.*

40. Multi propter res venereas corpore debilitati, cum perditione animæ carnem quoque frangunt, cui serviunt. Super *Nahum*, cap. III, super illud : *Væ civitas sanguinum.*

41. Recordare quia brevis voluptas est fornicationis, et perpetua pœna fornicatoris. Lib. 1, super *Prov.*, cap. VI, super illud : *Pretium enim scorti.*

42. In fornicatione et adulterio, non idcirco diversa fornicatio, vel adulterium si pulchra vel dives, deformis aut pauper, meretrix vel adultera sit. Super *Epist. ad Tit.*, cap. II, in illud : *Non contradicentes.*

HUGO A S. VICTORE. — 43. Vitium fornicationis non melius vincitur, quam fugiendo; fuge materiam, fuge locum. In *Annot. super epist. ad Cor.*, in illud : *Fugite fornicationem.*

HUGO CARD. — 44. Cum omnia peccata fugienda sint, quæ non maculant nisi animam; multo magis fornicatio, quæ maculat corpus et animam. Super I *Cor.* VI.

S. INNOC. III — 45. Venter opipare satur, libenter venerem amplexatur. Lib. 2, *de Contemptu mundi*, cap. 21.

46. Semper fornicationem præcedunt ardor et petulantia, semper comitantur fœtor et immunditia, sequuntur semper dolor et pœnitentia. *Ibid.*

JOAN. CASS. — 47. Adversus spiritum fornicationis certamen est longum præ ceteris ac diuturnum, et perpaucis ad purum devictum, immane bellum. Lib. 1, *de Cœnob. inst.*, cap. 1.

48. Gastrimargiæ fornicatio peculiari commercio fœderatur. Collat. 5, *Abbat. Serapionis*, cap. 10.

49. Tanta huic passioni inest virtus, ut irruentem quempiam in fornicationis labem valeat refrænare : et ita eum quem semel sui peste corruperit, infatigabilem reddit, ut reparari aut non valeat, aut vix valeat post ruinam. *Ibid.*, cap. 12.

50. Unicuique adversus spiritum fornicationis totis viribus desudanti, victoria singularis est, de merito conatus sui remedium non sperare. Collat. 12, *Abbat. Chæremonis*, cap. 16.

51. Nullus in quo fornicationis dominatur affectus, spiritalem poterit scientiam possidere. Collat. 14, *Abbat. Nesterotis*, cap. 16.

S. JOANNES CHRYSOST. — 52. Fornicationes et adulteria non aliunde proveniunt, quam ex nimia juventutis licentia. Homil. 60, super *Matth. Oper. perfect.*

53. Fornicationis vitium facile ex vacantia et otio nascitur : nam definitio amoris, hæc est animæ vacantis passio. Homil. 40, super *Matth. Oper. imperf.*

54. Grave malum est fornicatio, et immortale afferens supplicium, et in hac vita innumera secum mala trahens. *Prosec.*

55. Cogitur vitam miseram et infelicem vivere, qui hoc morbo afficitur. Homil. 62, super *Joan.*

56. Nihil pejus fornicatore. Homil. 18, super *Cor.*

57. In fornicatione totum corpus coinquinatur; siquidem haud aliter sordescit, quam quid in lebetem immundum infusum cogitatione inficitur. *Ibid.*

58. Fornicatus est frater? ne vituperium fratris in vulgus spargas, neve illuseris ; si quæ facienda sunt admonueris, multum illi gratiæ contuleris. Serm. 14, super *Epist. ad Ephes.*

59. Omnia mulierum vitia, excepta fornicatione, ferenda sunt a viris. *Ibid.*, serm. 15.

60. Fornicatio homines probrosos reddit, pauperes, ridiculos, et omnibus contemptibiles. Serm. 14, super *Epist. ad Philipp.*

61. Nihil impudentius est fornicatoribus. *Ibid.*

62. Ex amicitia mundana fornicatio nascitur. Homil. 64, super I *Thess.*

63. Quid fornicatione putidius? non his tunc fœtor apparet, cum quis libidine continetur, verum post peccati perpetrationem. Homil. 2, super I *Tim.*



64. *Tollens membra Christi, faciam membra meretricis?* Nihil hoc verbo horribilius : inde quomodo fornicator ejusmodi fiat; his verbis confirmat Apostolus. Homil. 8, super I *Cor.*

S. JOAN. CL. — 65. Qui ventri dum obsequitur, fornicationis spiritum vincere vult, is ei similis est, qui oleo incendium extinguere nititur. *Gradu* 14.

S. JOANNES DAMASC. — 66. Facile ille fornicationis aquis demergitur, qui formas pulchritudine præstantes minime fugit, sed libenter eas intuetur. Lib. 3 *Parall.*, cap. 28.

JOAN. SAR. — 67. Non est dolor, sicut dolor ille, quo corpus suum quis videt aliena libidine pollui. Lib. 3, *de Nugis curial.*, cap. 3.

JOAN. TRITH. — 68. O quam raro ad interni amoris dulcedinem convertitur, quisquis in lacum fornicationis semel præcipitatur. Lib. 1, homil. 22, *ad Monachos.*

S. ISIDORUS HISPAL. — 69. Fornicationis insolens dæmonium, nunquam melius vincitur, quam si vera cordis humilitas in plenitudine virtutum omnium conservetur. *Ibid.*

70. Nonnunquam electi lapsu carnali corruunt, ut a vitio superbiæ, qua de virtutibus tument sanentur. *Prosec.*

71. Et qui de virtutum effectibus existunt superbi, ut cadant : fornicationis vitio humiliantur, ut surgant. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 39, sent. 13.

72. Dum se vitiosus animus in explenda fornicatione, carne luxuriante laxaverit, ad alia nefanda scelera suadentibus dæmonibus transit. *Ibid.*, sent. 15.

73. Inter cætera septem vitia, fornicatio maximi sceleris est; quia per carnis immunditiam templum Dei violat, et tollens membrum Christi, facit membrum meretricis. *Ibid.*, sent. 18.

74. Custodi a fornicatione corpus tuum, vide ne unquam ea cogitatione inquineris : fornicatione enim contaminari, deterius peccatum puta. *Prosec.*

75. Omnibus peccatis fornicatio major est : grave peccatum fornicatio est.

76. Fornicatio universa antecedit mala, fornicatio gravior est morte : melius est enim mori, quam fornicari. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 1.

77. Si vis esse a fornicatione tutus, esto corpore et visione discretus. *Ibid.*, cap. 4.

78. Tolle occasionem peccandi, aufer materiam delinquendi, si vis a fornicatione esse tutus. *Ibid.*

S. NILUS. — 79. Gravis est fornicationis dæmon, ac vehementer iis imminet, qui adversus hujusmodi affectum dimicant. Orat. 2, *de Fornicat.*

SALVIANUS. — 80. Cunctis fornicatio interdicitur, sed gravius multo est, si de clero aliquis quasi de populo fornicetur. Lib. 4, *de Gubern. Dei.*

S. THOMAS AQUINAS. — 81. Hæresis est, dicere fornicationem simplicem non esse mortale peccatum. Opusc. 9, *de Decem præcept.*, præcept. 6, verbo *Non mœchaberis.*

IN VITIS PATR. — 82. Fornicatio naturaliter mors est. Lib. 5, *libell.* 5, *de Fornicat.*, num. 7.

## FORTITUDO.

S. AUGUST. — *Definitio.* Fortitudo est animæ affectio, qua omnia incommoda, et damna, rerum non in nostra potestate constitutarum, contemnimus. Lib. 1, *de Lib. arbit.*, cap. 13.

Fortitudo est amor, omnia propter Deum facile perferens. *De Moribus Eccles.*, cap. 15.

S. BONAV. — Fortitudo est firmitas contra molestias sæculi. Part. 3, *Centiloquii*, sect. 43.

HUGO A S. VICTORE. — Fortitudo est immobilis inter adversa animi laborum et periculorum susceptio. *De Fructibus carnis et spirit.*, cap. 14.

PHILO JUD. — Fortitudo est scientia sustinendorum, non sustinendorumque, et neutrorum. Lib. 1, *Legis allegor.*

S. PROSPER. — Fortitudo ea est, quæ non solum diversis pulsata molestiis inconcussa permanet, sed etiam nullis voluptatum illecebris resoluta succumbit. Lib. 3, *de Vita contempl.*, cap. 20.

ARISTOTEL. — Fortis proprie dici potest is, qui nec morte honesta, nec iis impendentibus atque instantibus, quæ mortem afferunt, perterretur. Lib. 3, *de Moribus*, cap. 6.

CICERO. — Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Lib. 2, *de Invent. rhetor.*

Fortitudo est animi affectio legi summæ in perpetiendis rebus obtemperans. Lib. 4, *Tusc. quæst.*

Fortitudo est conservatio stabilis judicii in iis rebus quæ formidolosæ videntur subeundis et repellendis. *Ibid.*

Fortitudo est scientia rerum formidolosarum, contrariarumque perferendarum, aut omnino negligendarum, conservans earum rerum stabile judicium. *Ibid.*

Fortitudo est affectio animi in patiendo ac perferendo, summæ legi parens sine timore. *Ibid.*

Fortitudo est virtus propugnans pro æquitate. Lib. 1, *de Offic.*, num. 62.

Fortitudo est contentio laboris et periculi cum ratione utilitatis et compensatione commodorum. Lib. 4, *de Arte rhetor.*

SENECA. — Fortitudo est virtus pericula justa contemnens, aut scientia periculorum repellendorum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

excipiendorum, provocandorum. Lib. 2 *Quæst.*, cap. 38.

S. BONAV. *Productio.* De fortitudine oritur magnanimitas, fiducia securitas, perseverantia, longanimitas, humilitas, et mansuetudo. *De Quatuor virt. cardin.*

HUGO A S. VICTORE. Fortitudinis comites sunt, magnanimitas, fiducia, tolerantia, requies, stabilitas, constantia, perseverantia. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 14.

*Comparatio.* -Fortitudo comparatur virgæ, quæ non incurvatur; ferro quod non superatur, et petræ, quæ non perforatur. Tit. 5, *Dietæ*, cap. 7.

S. HIERON. Sicut rami et flagella vitium illico contabescunt, cum fuerint a matrice præcisa; ita omnis hominum fortitudo marcescit, et deperit, si a Dei auxilio deseratur. Lib. 3 *Dialog., advers. Pelag.*

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Fortitudine stat homo in adversis inconcussus, in repentinis imperterritus. Part. 3, serm. 4, regula 10, cap. 23.

S. AMBROS. 2. Fortitudo quæ vel in bello tuetur a Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena sit justitiæ. Lib. 1 *Offic.*, cap. 27.

3. Fortitudo est velut excelsior cæteris, sed nunquam incomitata virtus: non enim seipsam committit sibi; alioquin fortitudo sine justitia, iniquitatis materia est. *Prosec.*

4. Quo enim validior est fortitudo, eo promptior est ut inferiorem opprimat. *Ibid.*, cap. 35.

5. Non in viribus corporis et lacertis tantummodo fortitudinis gloria est, sed magis in virtute animi. *Ibid.*, cap. 36.

6. Jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, non adversis turbatur, non extollitur secundis. *Ibid.*

7. Non est mediocris animi fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, et justitiam custodit. *Prosec.*

8. Quæ inexpiabili prælio adversus omnia vitia decerta, invicta ad labores, fortis pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras.

9. Quæ pecuniam negligit, avaritiam fugit tanquam labem quamdam quæ virtutem effeminat.

10. Nihil enim tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci. *Ibid.*, cap. 30.

11. Fortitudo tam immanem pestem repellat et proterat, scilicet cupiditatem: nec tentetur desideriis, nec frangatur metu: quia virtus sibi constat, ut fortiter omnia persequatur vitia tanquam virtutis venena. *Prosec.*

12. Iracundiam velut quibusdam propulset armis, quæ tollit consilium, et tanquam ægritudinem vitet.

13. Gloriæ quoque caveat appetentiam, quæ frequenter nocuit immoderatius appetita, semper autem usurpata. *Ibid.*, cap. 39.

14. Fortitudo non solum secundis rebus, sed etiam adversis probatur. *Ibid.*, cap. 41

15. Fortitudo vim quamdam ferocientis virtutis habet, mortisque contemptum. Lib. 3, *de Virginibus.*

16. Fortitudo in præliis eminet, in otio friget: cujus opus in tempore necessarium, in voto adversum est. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 16, vers. 1.

17. Fortitudo animum corpusque confirmat, nec perturbari sinit timore aliquo vel dolore. Lib. 5, super *Luc.*, cap. VI, in illud: *Beati eritis.*

S. ANTONIN. 18. Fortitudo cohibet timorem, ne quis timendo retrahatur ab eo quod ratio dictat: et moderatur audaciam, ne quis audendo aggrediatur quod ratio vetat. Part. 4, tit. 3, cap. 2.

S. AUGUST. 19. Qui vera virtute fortis est, nec temere audet, nec inconsulte timet. Epist. 29, *ad D. Hieronym.*

20. Omnis sapiens fortis est, nullus autem fortis aliquid metuit. *De Beata vita*, in disput. 3, diei.

21. Sunt in hominibus fortes reprehensibili et damnabili fortitudine, qui præsumunt quidem, sed de temporali felicitate. Super *Psalm.* LVIII, enarrat. prima, vers. 3.

22. *Fortitudinem meam ad te custodiam, Deus*, quia si recedo, cado: si accedo, fortior fio. Super *Psalm.* LVIII, vers. 10.

23. Fortior fuit Job in doloribus, quam Adam in nemoribus: iste non cessit tormentis, ille superatus est in deliciis. *De Tempore barbarico*, cap. 6.

24. Hypocritæ fortitudo, non virtus est, sed vitium; non magnanimitas, sed infirmitas; non bonitas, sed imbecillitas appellatur. Serm. 13, *ad Fratr. in eremo.*

25. Est quædam fortitudo philosophorum, qui calcaverunt divitias, honores, pompas, dignitates, et aliquando membra propriorum corporum: sed hæc fortitudo insufficiens erat ad æternæ vitæ meritum, quia carebant charitate et timore Dei. *Prosec.*

26. O quantus rigor fortitudinis fuit in Platone! quot et quanta patiebatur contraria! sed quia fundamento fidei caruit, propterea spes eam fortitudinem non erexit. *Ibid.*



27. Hæc est vera fortitudo, quæ mortem spernit: hæc est clavis, qua domus Dei patescit et aperitur: hæc est quæ habenas voluptatis sub fræno rationis jacere cogit. *Ibid.*

28. Fortitudo est eremitarum baculus, cœnobitarum cingulus, monachorum omnium sacramentum. *Ibid.*

29. Fortitudo omnem crudelitatem evacuat, carcerem respuit, crucem non metuit, equuleum amplectitur, optat vincula, spontanea semper currit ad mortem. *Ibid.*

30. Nihil absurdius quam fortitudine fieri segniorem. Epist. 34.

31. Nihil valet cursus bravii, nihil qualiscunque operatio, nisi columna fortitudinis roboretur. *Ibid.*

V. BEDA. 32. Fortitudo justorum est, carnem vincere, delectationem vitæ præsentis extinguere. *Prosec.*

33. Fortitudo vero reproborum est, transitoria sine cessatione diligere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare. In suis *Proverb.*, verbo *Fortitudo.*

34. Fortior est qui cupiditates, quam qui hostes vincit. *Ibid.*, verbo *Fortior.*

35. Militis cujuslibet fortitudo non agnoscitur, nisi in bello. *Ibid.*, verbo *Militis.*

36. Robusti corpore nisi Deo, a quo vires habent, devote famulentur, pro hoc pœnas patientur. *Ibid.*, verbo *Robusti.*

S. BERNARD. 37. Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Epist. 256, *ad Eugen. Pap.*

38. Fortitudo est animi magnitudo, contemptus honorum, vel divitiarum: hæc adversis aut patienter cedit, aut resistit fortiter. *Prosec.*

39. Nullis illecebris edomatur, malis et adversis non frangitur, non elevatur secundis, invicta ad labores, fortis ad pericula.

40. Pecuniam negligit, avaritiam fugit, contra universa pericula animum præparat, molestiis nullis cedit, gloriæ cavet appetitum. *De Ordine vitæ.*

41. Fortitudo in arce constantiæ virtutes collocat, et eo vallo munit, quo furentis impetus aspirare non possit: virtus est virtutes servans ac muniens. Serm. *de Virt. obed.*

S. BONAV. 42. Fortitudo spiritum armat, armatum animat, animatum associat, associatum adjuvat. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 1, vers. 8, art. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 43. Tanto quisque se ad fortitudinem profecisse verius demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat. Lib. 5 *Moral.*, cap. 13.

44. Justorum fortitudo est, carnem vincere, Propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare. Lib. 7 *Moral.*, cap. 8.

45. Reproborum fortitudo est, transitoria fortiter diligere, contra flagella Conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec in adversitate quiescere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento pervenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam impugnare, iniquitatem quotidie perpetrare. *Ibid.*

46. Vir fortis robore est, qui virtutem, quam monstrat in opere bono, habet a Spiritu sancto. Lib. 4, in 1, *Reg.*, cap. IV, super illud: *Fortis robore.*

S. HIERON. 47. Quid necesse est viro sapienti, et philosopho Christi, tantam habere fortitudinem, quæ athletis et militibus necessaria est; quam cum habuerit, ad vitia provocetur? Lib. 2, *advers. Jovian.*

48. Ubi fortia fortibus imperantur, fortiorem fortior muneris sequitur census. Epist. 8, *ad Amicum.*

49. Fortitudo corporis, imbecillitas animæ est. In *Regula monachor.*, cap. 21, *de Patient.*

50. Fortitudo via regia est, a qua declinat ad dextram, qui temerarius et pertinax est: ad sinistram, qui formidolosus et pavidus. Lib. 16, super *Isaiam*, cap. LVII, super illud: *In multitudine viæ.*

51. Omnis hominum fortitudo sine Dei virtute quæ Christus est, imbecilla reputatur, et nihili. Lib. 3, super *Hierem.*, cap. XVI, super illud: *Domine, fortitudo mea.*

52. Fortitudo corporis, imbecillitas animæ est; et rursum animæ fortitudo, imbecillitas corporis est. Lib. 2, super *Amos*, cap. V, super illud II *Cor.* XII: *Quando infirmus sum.*

53. Omnis angelorum et hominum fortitudo, si non habuerit auxilium Salvatoris, imbecilla probatur et fragilis. Lib. 1, super *Zachar.*, cap. IV, super illud: *Quis despexit dies parvos?*

S. JOANNES CHRYSOST. 54. Impossibile est, ut rem fortem, et egregiam quis unquam faciat, nisi antea adversus omnia, quæ obsistere possunt, se armet et instruat. Homil. 31.

55. Fortem virum talem esse oportet, ut in periculis ne ira, et inani gloria, sed fortitudine sua vincatur. Homil. 18, super 1 *Cor.* in *Morali.*

56. Animi virilis fortitudo est, quando contra pericula quis mortem audet, et tam amicitiam quam inimicitiam eorum gratia quæ Deo placent contemnit. Serm. 5, super *Epist. ad Philip.*, in *Moral.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

JOAN. TRITH. 57. Fortitudo in prosperis latet, in adversitate ostenditur, et manifeste per patientiam declaratur. Lib. 2, *ad Monachos*, serm. 1.

LACT. FIRM. 58. Fortitudo, si nulla necessitate cogente, aut non pro causa honesta certum periculum subierit, in temeritatem convertitur. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 14.

59. Malorum victrix est fortitudo. *Ibid.*, lib. 7, cap. 5.

LAURENT. JUSTIN. 60. Fortitudinis virtus est, supra periculi meritum agere, nihil nisi turpia timere, tolerareque fortiter adversa. *De Casto connubio*, cap. 13.

61. Ille est animo fortis, qui se in dolore positus, consolatur, qui seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur et flectitur. *Ibid.*

MINUT. FEL. 62. Fortitudo infirmitatibus roboratur, et calamitas sæpius disciplina virtutis est. *Prosec.*

63. Vires et mentis et corporis, laboris exercitatione torpescunt. In suo *Octavio*.

PETR. CELL. 64. Commendabilis est illa solum fortitudo, quæ fatigata robustior, oppressa liberior consurgit. *Prosec.*

65. Levat namque fortunæ importunas, sive molestas sarcinas, portat sine pondere, deponit sine lassitudine : accrescit forte cumulus ponderis, sed et virtutis. Lib. 2, epist. 9, *ad Robert. abbat.*

66. Fortitudo in multis nundinis non invenitur : sed quo rarior, nisi studiosius conservetur, eo ad rapiendum amabilior. *De Panibus*, cap. 14.

S. PROSPER. 67. Non ille fortis haberi solet, qui in adeundis laboribus periculisque claruerit, aut frænandis voluptatibus ac domandis institerit : sed ille magnus et sublimis, ille potens atque dignus fortitudinis appellatione censendus est, qui nihil sibi vitii rebellare aut dominari permiserit. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 20.

68. Fortitudinem Gentilium, mundana cupiditas : fortitudinem autem christianorum Dei charitas facit. Apud *D. August.*, sent. 295.

SALVIANUS. 69. Te jure nunc tanto fortiorem spiritu judico, quanto imbecillior carne esse cœpisti. Epist. 55, *ad Catturam sororem*.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 70. Qui et ea quæ oportet, et gratia cujus oportet, et ut oportet, et quando oportet, fert et metuit, et identidem confidit, is homo fortis est. Lib. 3 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7.

71. Viro etiam forti honestum est ipsa fortitudo. *Ibid.*

72. Fortis honestatis causa subit et agit ea, quæ ad ipsam fortitudinem pertinent. *Ibid.*

73. Fortitudo potentiam habens superbia est. Lib. 5 *Polit.*, cap. 10.

CICERO. 74. Appellata est a viro virtus : viri autem proprium maxime est fortitudo, cujus munera sunt maxime duo, scilicet mortis dolorisque contemptio. Lib. 2, *Tusc. quæst.*

75. Nulla est fortitudo, quæ rationis expers est. *Ibid.*, lib. 4.

PLATO. 76. Fortis hic est, qui in acie stans cum hostibus generose decertat. In *dialogo Lachetis*.

77. Si vir fortis est bonus, etiam peritus est atque intelligens. *Ibid.*

SENECA. 78. Illum fortem virum dicam, quem bella non subigunt, nec admota vis hostilis exterret. *De Const. sapient.*, cap. 3.

79. Non est vir fortis et strenuus, qui laborem fugit : verum ubi crescit illi animus ipsa rerum difficultate. Epist. 22.

80. Pulcherrima pars fortitudinis, maximeque mirabilis illa est, non cedere ignibus, obviam ire vulneribus. Epist. 67.

81. Perit fortitudo, quæ periculum facere debet sui. Epist. 74.

82. Fortitudo contemptrix timendorum est, terribilia et sub jugum libertatem nostram mittentia, despicit, provocat, frangit. Epist. 88.

83. Fortitudo est munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile : quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perseverat. Epist. 113.

84. Satis natura homini dedit roboris, si illo utamur, si vires nostras colligamus, ac totas pro nobis, certe non contra nos concitemus. Epist. 116.

Vide etiam tit. *Desertio Dei*, sent. 72; *Firmitas*, sent. 2; *Injuria*, sent. 100; *Ira Dei*, sent. 24; *Militia*, sent. 35; *Probatio*, sent. 22; *Tribulatio*, sent. 32; *Virtutes Cardinales*, per totum; *Virtutum connexio in genere*, sent. 5, 39.

## FORTUNA.

S. JOANNES DAMASC. *Definitio.* Fortuna est duarum una incidentium causarum concursus, quæ ab electione ortum habentes aliud quiddam quam quod natura comparatum est, efficiant. Lib. 2, *de Fide orthod.*, cap. 25.

LACT. FIRM. Fortuna est accidentium rerum subitus atque inopinatus eventus. *De Divinis instit.* lib. 4, *de Falsa sapientia*, cap. 25.

PLATO. Fortuna est motus ex obscuro ad obscurum, causa felicis aut infelicis successus. Syzygia 6, *de Definition.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Nullus est tam compositæ felicitatis, qui non aliqua ex parte cum sua fortuna rixetur. Part. 1, tit. 8, cap. 6, § 1.



2. Bona fortunæ sine amicis conservari non possunt, quia fortuna quanto est major, tanto est minus secura. Part. 2, tit. 8, *de Invidia*, cap. 5, § 3.

3. Fortuna quanto est major, tanto est minus secura, quia plures habet insidiatores. *Ibid.*

S. AUGUST. 4. Fortuna quæ dicitur bona sine ullo examine meritorum fortuitu accidit hominibus et bonis et malis, unde etiam fortuna nominatur. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 18.

5. Divinum animum mortalibus inhærentem, nequaquam sapientiæ portus accipit, nisi fortuna perducat. Lib. 1, *contra Academ.*, cap. 1.

6. Nulla mihi videtur prospera fortuna, nisi quæ otium philosophandi dat. *Ibid.*, lib. 2, cap. 2.

7. A causis fortuitis fortuna nomen accepit. Lib. 5, *de Civit. Dei.*, cap. 18.

S. BERNARDIN. SEN. 8. Utriusque fortunæ, prosperæ scilicet et adversæ, dispensator est Christus. Serm. 2, *Fer.* 2, *post Dom.* 1, *Quadr.*, art. 2, cap. 1.

BOETIUS. 9. Existimatio plurimorum non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum. Lib. 1, *de Consolat. philos.*, *prosa* 4.

10. Fortuna calamitosos fugiens facit : quid est aliud fugax, quam futuræ quoddam calamitatis indicium? *Ibid.*, lib. 2, prosa 1.

11. Æquo animo toleres oportet, quidquid intra fortunæ aleam geritur, cum semel jugo ejus colla submiseris. *Ibid.*

12. Etsi rara est fortuitis manendi fides, ultimus tamen vitæ dies, mors quædam fortunæ est, etiam manentis. *Ibid.*

13. In omni adversitate fortunæ, infelicissimum genus est infortunii, fuisse felicem. *Ibid.*, lib. 2, prosa. 4.

14. Nemo facile cum fortunæ suæ conditione concordat, inest enim singulis quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat. *Ibid.*

15. Nihil est miserum in fortuna, nisi cum putes : contraque beata sors, omnis est æquanimitate tolerantis. *Ibid.*

16. In his fortuitis rebus, beatitudo constare non potest. *Ibid.*

17. In fortuna nihil expetendum, nihil naturæ bonitatis inesse manifestum est : quæ nec se bonis semper adjungit, et bonos, quibus fuerit adjuncta, non efficit. *Ibid.*, lib. 2, prosa 6.

18. Nunquam tua faciet esse fortuna quæ natura rerum a te fecit aliena. *Ibid.*, lib. 2, prosa 5.

19. Si quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quod fortunæ affluentiam petas. *Ibid.*

20. Plus hominibus reor adversam, quam prosperam prodesse fortunam. *Ibid.*, lib. 2, prosa 8.

21. Cum omnis fortuna vel jucunda, vel aspera, tum remunerandi exercendive bonos, tum puniendi corrigendique improbos causa deferatur : patet quod omnis bona est, quam vel justum constat esse, vel utilem. *Ibid.*, lib. 4, prosa 7.

22. Felix fortuna a vero bono devios blanditiis trahit, adversa plerumque ad vera bona reducens, unco retrahit. *Ibid.*, lib. 2, prosa 8.

23. Vir sapiens moleste ferre non debet, quoties in fortunæ certamen adducitur : sicut virum fortem non decet indignari, quoties increpuit bellicus tumultus. *Ibid.*

24. Omnis fortuna, quæ videtur aspera, aut exercet, aut corrigit. *Ibid.*

S. BONAV. 25. Nec in prosperis est gaudendum, nec in adversis est desperandum : quia cum fortunæ rota stare non possit, sæpe qui imus est, ascendit : et qui summus est, usque ad ima descendit. Unde versus :

Glorior elatus, descendo mortificatus.
Infimus ecce premor, rursus ad astra vehor.

Serm. 2, *S. Barthol.*

S. CYRILLUS ALEX. 26. Ubi fortunæ majores, ibi superbia. Super *Cant. Abachuc.*

S. HIERON. 27. Justi et fortis viri est, nec adversis frangi, nec prosperis sublevari, sed in utroque esse moderatum. Super *Joel*, cap. 1, super illud : *Residuum erucæ.*

HUGO A S. VICTORE. 28. Arridenti fortunæ non nimium credas, in adversis fiduciam non amittas, et quidquid finem habiturum est, sive bonum sit, sive malum, æque despicias. Lib. 3, *de Arca Noe, Morali*, cap. 10.

IDIOTA. 29. Quamvis omnis fortuna sit timenda, tamen magis timenda est prospera, quam adversa : quia hæc quidem sæviendo erudit, illa autem blandiendo seducit : hæc illuminat hominem, illa cæcat : ista mentis oculos aperit, illa claudit. Lib. 2, *Contemplat. de Vera patient.*

S. INNOC. III. 30. Proh dolor! secundum fortunam æstimatur persona; cum potius secundum personam æstimanda sit fortuna. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 14.

31. Subito cum non suspicatur, infortunium accidit, calamitas irruit, morbus invadit, mors intercidit, quam nullus evadit. *Ibid.*, cap. 25.

JOAN. GERS. 32. Fortuna moderate adversa, securior est regulariter, et optabilior, quam multum prospera. Serm. 2, *de Omnibus sanctis*, verbo *Fuge*, considerat. 3.

33. Fortuna omnis bona est, et sæpe plus adversa, quam prospera prodest. Lib. 3, *de Consolat. theolog.*, prosa 4, part. 3.

34. Venit interdum fortuna mala citius, quam petatur. Serm. *de Quærendo Domino.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

JOAN. TRITH. — 57. Fortitudo in prosperis latet, in adversitate ostenditur, et manifeste per patientiam declaratur. Lib. 2, *ad Monachos*, serm. 1.

LACT. FIRM. — 58. Fortitudo, si nulla necessitate cogente, aut non pro causa honesta certum periculum subierit, in temeritatem convertitur. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 14.

59. Malorum victrix est fortitudo. *Ibid.*, lib. 7, cap. 5.

L. LAURENT. JUSTIN. — 60. Fortitudinis virtus est, supra periculi meritum agere, nihil nisi turpia timere, tolerareque fortiter adversa. *De Casto connubio*, cap. 13.

61. Ille est animo fortis, qui se in dolore positus, consolatur, qui seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur et flectitur. *Ibid.*

MINUT. FEL. — 62. Fortitudo infirmitatibus roboratur, et calamitas sæpius disciplina virtutis est. *Prosec.*

63. Vires et mentis et corporis, laboris exercitatione torpescunt. In suo *Octavio*.

PETR. CELL. — 64. Commendabilis est illa solum fortitudo, quæ fatigata robustior, oppressa liberior consurgit. *Prosec.*

65. Levat namque fortunæ importunas, sive molestas sarcinas, portat sine pondere, deponit sine lassitudine : accrescit forte cumulus ponderis, sed et virtutis. Lib. 2, epist. 9, *ad Robert. abbat.*

66. Fortitudo in multis nundinis non invenitur : sed quo rarior, nisi studiosius conservetur, eo ad rapiendum amabilior. *De Panibus*, cap. 14.

S. PROSPER. — 67. Non ille fortis haberi solet, qui in adeundis laboribus periculisque claruerit, aut frænandis voluptatibus ac domandis institerit : sed ille magnus et sublimis, ille potens atque dignus fortitudinis appellatione censendus est, qui nihil sibi vitii rebellare aut dominari permiserit. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 20.

68. Fortitudinem Gentilium, mundana cupiditas : fortitudinem autem christianorum Dei charitas facit. Apud *D. August.*, sent. 205.

SALVIANUS. — 69. Te jure nunc tanto fortiorem spiritu judico, quanto imbecillior carne esse cœpisti. Epist. 55, *ad Catturam sororem*.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. — 70. Qui et ea quæ oportet, et gratia cujus oportet, et ut oportet, et quando oportet, fert et metuit, et identidem confidit, is homo fortis est. Lib. 3 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7.

71. Viro etiam forti honestum est ipsa fortitudo. *Ibid.*

72. Fortis honestatis causa subit et agit ea, quæ ad ipsam fortitudinem pertinent. *Ibid.*

73. Fortitudo potentiam habens superbia est. Lib. 5 *Polit.*, cap. 10.

CICERO. — 74. Appellata est a viro virtus : viri autem proprium maxime est fortitudo, cujus munera sunt maxime duo, scilicet mortis dolorisque contemptio. Lib. 2, *Tusc. quæst.*

75. Nulla est fortitudo, quæ rationis expers est. *Ibid.*, lib. 4.

PLATO. — 76. Fortis hic est, qui in acie stans cum hostibus generose decertat. In *dialogo Lachetis*.

77. Si vir fortis est bonus, etiam peritus est atque intelligens. *Ibid.*

SENECA. — 78. Illum fortem virum dicam, quem bella non subigunt, nec admota vis hostilis exterret. *De Const. sapient.*, cap. 3.

79. Non est vir fortis et strenuus, qui laborem fugit : verum ubi crescit illi animus ipsa rerum difficultate. Epist. 22.

80. Pulcherrima pars fortitudinis, maximeque mirabilis illa est, non cedere ignibus, obviam ire vulneribus. Epist. 67.

81. Perit fortitudo, quæ periculum facere debet sui. Epist. 74.

82. Fortitudo contemptrix timendorum est, terribilia et sub jugum libertatem nostram mittentia, despicit, provocat, frangit. Epist. 88.

83. Fortitudo est munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile : quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perseverat. Epist. 113.

84. Satis natura homini dedit roboris, si illo utamur, si vires nostras colligamus, ac totas pro nobis, certe non contra nos concitemus. Epist. 116.

Vide etiam tit. *Desertio Dei*, sent. 72; *Firmitas*, sent. 2; *Injuria*, sent. 100; *Ira Dei*, sent. 24; *Militia*, sent. 35; *Probatio*, sent. 22; *Tribulatio*, sent. 32; *Virtutes Cardinales*, per totum; *Virtutum connexio in genere*, sent. 5, 39.

## FORTUNA.

S. JOANNES DAMASC. — *Definitio.* Fortuna est duarum una incidentium causarum concursus, quæ ab electione ortum habentes aliud quiddam quam quod natura comparatum est, efficiant. Lib. 2, *de Fide orthod.*, cap. 25.

LACT. FIRM. — Fortuna est accidentium rerum subitus atque inopinatus eventus. *De Divinis instit.* lib. 4, *de Falsa sapientia*, cap. 25.

PLATO. — Fortuna est motus ex obscuro ad obscurum, causa felicis aut infelicis successus. Syzygia 6, *de Definition.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. — 1. Nullus est tam compositæ felicitatis, qui non aliqua ex parte cum sua fortuna rixetur. Part. 1, tit. 8, cap. 6, § 1.



2. Bona fortunæ sine amicis conservari non possunt, quia fortuna quanto est major, tanto est minus secura. Part. 2, tit. 8, *de Invidia*, cap. 5, § 3.

3. Fortuna quanto est major, tanto est minus secura, quia plures habet insidiatores. *Ibid.*

S. AUGUST. — 4. Fortuna quæ dicitur bona sine ullo examine meritorum fortuitu accidit hominibus et bonis et malis, unde etiam fortuna nominatur. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 18.

5. Divinum animum mortalibus inhærentem, nequaquam sapientiæ portus accipit, nisi fortuna perducat. Lib. 1, *contra Academ.*, cap. 1.

6. Nulla mihi videtur prospera fortuna, nisi quæ otium philosophandi dat. *Ibid.*, lib. 2, cap. 2.

7. A causis fortuitis fortuna nomen accepit. Lib. 5, *de Civit. Dei.*, cap. 18.

S. BERNARDIN. SEN. — 8. Utriusque fortunæ, prosperæ scilicet et adversæ, dispensator est Christus. Serm. 2, *Fer.* 2, *post Dom.* 1, *Quadr.*, art. 2, cap. 1.

BOETIUS. — 9. Existimatio plurimorum non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum. Lib. 1, *de Consolat. philos.*, *prosa* 4.

10. Fortuna calamitosos fugiens facit : quid est aliud fugax, quam futuræ quoddam calamitatis indicium? *Ibid.*, lib. 2, prosa 1.

11. Æquo animo toleres oportet, quidquid intra fortunæ aleam geritur, cum semel jugo ejus colla submiseris. *Ibid.*

12. Etsi rara est fortuitis manendi fides, ultimus tamen vitæ dies, mors quædam fortunæ est, etiam manentis. *Ibid.*

13. In omni adversitate fortunæ, infelicissimum genus est infortunii, fuisse felicem. *Ibid.*, lib. 2, prosa. 4.

14. Nemo facile cum fortunæ suæ conditione concordat, inest enim singulis quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat. *Ibid.*

15. Nihil est miserum in fortuna, nisi cum putes : contraque beata sors, omnis est æquanimitate tolerantis. *Ibid.*

16. In his fortuitis rebus, beatitudo constare non potest. *Ibid.*

17. In fortuna nihil expetendum, nihil naturæ bonitatis inesse manifestum est : quæ nec se bonis semper adjungit, et bonos, quibus fuerit adjuncta, non efficit. *Ibid.*, lib. 2, prosa 6.

18. Nunquam tua faciet esse fortuna quæ natura rerum a te fecit aliena. *Ibid.*, lib. 2, prosa 5.

19. Si quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quod fortunæ affluentiam petas. *Ibid.*

20. Plus hominibus reor adversam, quam prosperam prodesse fortunam. *Ibid.*, lib. 2, prosa 8.

21. Cum omnis fortuna vel jucunda, vel aspera, tum remunerandi exercendive bonos, tum puniendi corrigendique improbos causa deferatur : patet quod omnis bona est, quam vel justum constat esse, vel utilem. *Ibid.*, lib. 4, prosa 7.

22. Felix fortuna a vero bono devios blanditiis trahit, adversa plerumque ad vera bona reducens, unco retrahit. *Ibid.*, lib. 2, prosa 8.

23. Vir sapiens moleste ferre non debet, quoties in fortunæ certamen adducitur : sicut virum fortem non decet indignari, quoties increpuit bellicus tumultus. *Ibid.*

24. Omnis fortuna, quæ videtur aspera, aut exercet, aut corrigit. *Ibid.*

S. BONAV. — 25. Nec in prosperis est gaudendum, nec in adversis est desperandum : quia cum fortunæ rota stare non possit, sæpe qui imus est, ascendit : et qui summus est, usque ad ima descendit. Unde versus :

Glorior elatus, descendo mortificatus.
Infimus ecce premor, rursus ad astra vehor.

Serm. 2, *S. Barthol.*

S. CYRILLUS ALEX. — 26. Ubi fortunæ majores, ibi superbia. Super *Cant. Abachuc.*

S. HIERON. — 27. Justi et fortis viri est, nec adversis frangi, nec prosperis sublevari, sed in utroque esse moderatum. Super *Joel*, cap. 1, super illud : *Residuum erucæ.*

HUGO A S. VICTORE. — 28. Arridenti fortunæ non nimium credas, in adversis fiduciam non amittas, et quidquid finem habiturum est, sive bonum sit, sive malum, æque despicias. Lib. 3, *de Arca Noe, Morali*, cap. 10.

IDIOTA. — 29. Quamvis omnis fortuna sit timenda, tamen magis timenda est prospera, quam adversa : quia hæc quidem sæviendo erudit, illa autem blandiendo seducit : hæc illuminat hominem, illa cæcat : ista mentis oculos aperit, illa claudit. Lib. 2, *Contemplat. de Vera patient.*

S. INNOC. III. — 30. Proh dolor! secundum fortunam existimatur persona; cum potius secundum personam æstimanda sit fortuna. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 14.

31. Subito cum non suspicatur, infortunium accidit, calamitas irruit, morbus invadit, mors intercidit, quam nullus evadit. *Ibid.*, cap. 25.

JOAN. GERS. — 32. Fortuna moderate adversa, securior est regulariter, et optabilior, quam multum prospera. Serm. 2, *de Omnibus sanctis*, verbo *Fuge*, considerat. 3.

33. Fortuna omnis bona est, et sæpe plus adversa, quam prospera prodest. Lib. 3, *de Consolat. theolog.*, prosa 4, part. 3.

34. Venit interdum fortuna mala citius, quam petatur. Serm. *de Quærendo Domino.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

JOAN. SAR. 35. Non amari potest ab aliquo, quem mala fortuna premit. Lib. 5, *de Nugis curial.*, cap. 17.

36. Fortuna hominis miserrima est, cui non invidetur. *Ibid.*, lib. 7, cap. 24.

JOAN. TRITH. 37. Sæpe fortuna videtur in principio prospera nuntiare, sed medium et finem multis replet adversitatibus. In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Per diem.*

PETR. CELL. 38. Fortuna si utrinque et undique versata discutiatur, plus mœroris, et minus lætitiæ refert. Lib. 2, epist. 2, *ad Hugon. abbat. choziacens.*

39. Fortuna non subjacet humano arbitrio, frequenter tamen eludit sollicitudinem nostram, et elidit intentionem. *Ibid.*, lib. 7, epist. 11.

PHILO JUD. 40. Nihil fortuna mutabilius, susque deque versante rerum humanarum aleam : adeo ut sana sæpe dies alium affligat, extollat alium. Lib. 1, *De Vita Mosis.*

41. Fortuna postquam populosam aliquam gentem inundavit magnis felicitatibus, flexu averso ne guttam quidem sinit reliquam, deletis etiam vestigiis opulentiæ pristinæ. Lib. *Quod Deus sit immutabilis.*

42. Anceps est fortuna, rebus humanis tanquam in statera pendendibus, et inæquali pondere nunc huc, nunc illuc vergentibus. Lib. *de Joseph.*

S. SYNESIUS. EPISCOPUS. 43. Non quemadmodum homini secundus fortunæ successus advenit, ita sine labore ac sollicitudine conservatur. *De Regno ad Arcadium imperat.*

44. Mediocris domus magnitudinem calamitatis non capit, neque infortuniorum gravitati mendicorum vita obnoxia est : qui vero lautiore utitur successu, is in periculis et altera fortunæ conditione esse solet illustris. *Ibid.*

45. Fortuna virtutis causa esse nequit. *Ibid.*

46. Medio in itinere fortuna gradum referre assolet. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 47. Fortuna indefinita causa esse videtur, et immanifesta homini, atque aliquo modo nihil a fortuna videbitur proficisci. Lib. 2 *Physic.*, cap. 5, text. 53.

48. Fortuna cæca est, discernere enim sibi, atque seligere quod melius, non potest. Sect. 29, *Problem.*, quæst. 8.

49. Id quod maximum atque pulcherrimum est fortunæ adscribere, absurdum videtur. Lib. 1 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 9.

50. Fortunam sequi nullo modo est rectum : non est enim in ipsa bene vel male vivere suum. *Ibid.*, cap. 10.

51. Externorum quidem bonorum causa est, fortuna, et casus : at justus et temperatus nemo a fortuna est, neque per fortunam. Lib. 7 *Polit.*, cap. 1.

52. Fortunæ prosperæ fruitio, et otium cum pace, petulantes. *Ibid.* cap. 15.

53 Fortunæ prosperæ facile est reperire participes, adversæ vero participes esse renuunt. Lib. 2 *Œconomic.*, cap. 1.

54. Fortuna in eis esse dicitur, ubi neque mens ulla, neque recta ratio est : idcirco ubi mens plurima, ac ratio, ibi fortuna minima : ubi plurima fortuna, ibi mens perexigua. Lib. 2 *Magnor. moral.*, cap. 8.

55. Fortuna et prosperitas est in his, quæ in nobis non sunt : neque eorum, quorum ipsi sumus domini, quæque possumus efficere. *Ibid.*

56. Secunda fortuna est, cum omnis, vel plurima, vel maxima bona eorum, quorum ipsa fortuna est, forte eveniant, atque permaneant. Lib. 1, *Rhetor.*, cap. 5.

57. Fortuna sæpe sese identidem convertens, atque in orbem volvens eosdem homines ferit. Lib. 1 *Moral.*, cap. 10.

58. Indignum atque iniquum est, fortunæ varietatem et mobilitatem sequi. *Ibid.*

59. Fortuna cum favet, quid amicis est opus? *Ibid.*, lib. 9, cap. 9.

CATO POET 60. Noli successus indignos ferre moleste :
Indulget fortuna malis, ut lædere possit.
Lib. 2, *Distich.*, metr. 53.

CICERO. 61. Difficile est plurimum virtutem revereri, qui semper secunda fortuna sit usus. Lib. 4, *de Arte Rhetor. ad Herenn.*

62. Omnia præter virtutem subjecta sunt fortunæ dominationi. *Ibid.*

63. Ei non multum potest obesse fortuna, qui sibi firmius in virtute, quam in casu præsidium collocavit. *Prosec.*

64. Nam si quis spei non multum collocarit in fortunæ casu, quid est quod ei magnopere casus obesse possit?

65. Quod si in eos plurimum fortuna potest, qui suas rationes omnes in casum contulerunt, non sunt omnia committenda fortunæ, ne nimis magnam in nos habeat dominationem. *Ibid.*

66. Nosce te esse hominem, fer mansuete fortunam. *Ibid.*

67. Fortunam laudare, stultitia est : vituperare superbia. Lib. 2, *de Invent. rhetor.*

68. O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam! quæ in medio spatio sæpe frangitur et corruit : et ante in ipso cursu obruitur, quam portum conspicere possit! Lib. 3, *de Oratore*, num. 7.

69. Plus tibi virtus tua dedit, quam fortuna abstulit. Lib. 5, epist. 18, *ad Fabium.*



70. Ea natura rerum est, et is temporum cursus; ut nulli possit fortuna esse diuturna. Lib. 6, epist. 5, *ad Cæcinam.*

71. Nihil est tam contrarium rationi, et constantiæ, quam fortuna. Lib. *de Divinat.*, num. 18.

72. Multo firmior est et constantior natura, quam fortuna. Lib. 1 *Offic.*

73. Non solum ipsa fortuna cæca est, sed eo, etiam plerumque cæcos efficit, quos complexa est. *De Amicit.*

74. Cui spes omnis et ratio et cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, nihilque quod exploratum habeat permansurum sibi, ne unum quidem diem. *De Paradox.*, cap. 2.

75. Injurias fortunæ, quas ferre nequeas, diffugiendo relinquas. Lib. 5 *Tuscul. quæst.*

MIMUS PUB. 76. Fortuna cum blanditur, ad captandum venit. In suis *Sent.* sent. 121.

77. Fortunam citius reperias, quam retineas. *Ibid.*, sent. 122.

78. Fortuna nimium cui favet, stultum facit. *Ibid.*, sent. 126.

79. Fortuna vitrea est, quæ cum splendet, frangitur. *Ibid.*, sent. 114.

80. Levis est fortuna, cito reposcit quæ dedit. *Ibid.*, sent. 213.

81. Miserrima est fortuna, quæ inimico caret. *Ibid.*, sent. 225.

82. Male geritur, quidquid geritur fortunæ fide. *Ibid.*, sent. 230.

83. Nulla tam bona est fortuna, de qua nil possis queri. *Ibid.*, sent. 258.

PERIANDER CORINTH. 84. Si fortuna juvat, caveto tolli : si fortuna tonat, caveto mergi. In *Dictis. Sapient. ex Ausonio*, dict. 6.

PLINIUS II. 85. Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. In *Panegyr. de Trajano augusto.*

SENECA. 86. Sine potius rerum naturam, quam fortunam tuam deficere. Lib. *Suasor.*, suasor. 1.

87. Fortunæ est lex, præstare quæ exegeris : mutabilis est casus, dederunt victis terga victores : et quos provexerat fortuna, destituit. Lib. 1 *Controvers.*, controvers. 1.

88. Ludit de suis fortuna muneribus; et quæ dedit aufert : et quæ abstulit reddit. Nec unquam tutius est illam reperiri, quam cum locum injuriæ non habet. Lib. 5, *Declamat.*, cap. 1.

89. Quid est indignius, quam florere quosdam, et eos indulgentia fortunæ abuti, quibus potest satis mala inveniri fortuna? Lib. *de Divina provid.* cap. 16.

90. Lætiores videbis, quos nunquam fortuna respexit, quam quos deseruit. *De Tranquillit. animi*, cap. 8.

91. Omnes cum fortuna copulati sumus : aliorum aurea catena est et laxa, aliorum arcta et sordida. *Ibid.*, cap. 10.

92. Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest. *Ibid.*, cap. 11.

93. Scito omnem conditionem fortunæ versabilem esse : et quidquid in ullum incurrit, posse in te quoque incurrere. *Ibid.*

94. Qui multa agit, sæpe fortunæ potestatem sui facit. *Ibid.*, cap. 13.

95. Nihil eripit fortuna, nisi quod dedit : virtutem autem non dat, ideo nec detrahit. *De Constantia sapient.*, cap. 5.

96. Vicit fortuna tua fortunam meam : sed quod ad res meas pertinet, mecum sunt, mecum erunt. *Ibid.*, cap. 6.

97. Ut nihil extra lacessat, aut quatiat, in seipsa fortuna ruit. *De Brevit. vitæ*, cap. 4.

98. Magna servitus est, magna fortuna. *De Consolat. ad Polybium*, cap. 6.

99. Crede mihi, is beatior est, cui fortuna supervacua est; quam is, cui parta est. *Ibid.*, cap. 28.

100. Secunda sapientem non evehunt, nec adversa demittunt. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 5.

101. Nunquam ego fortunæ credidi, etiamsi videretur pacem habere. *Ibid.*

102. Neminem adversa fortuna comminuit, nisi quem secunda decepit. *Ibid.*

103. Quidquid dat fortuna, corrumpit. Lib. 2, *de Benef.*, cap. 3.

104. Ita fato placuit, nullius rei eodem semper loco stare fortunam. *De Consolat. ad Helviam.*

105. Munera ista fortunæ putatis? insidiæ sunt. Epist. 8.

106. Non est tuum, fortuna quod fecit tuum : dari bonum quod potuit, auferri potest. Epist. 8.

107. In mores fortuna jus non habet. Epist. 36.

108. Ego cogitem in eo qui vivit omnia posse fortunam; potius quam cogitem in eo, qui scit mori, nihil posse fortunam. Epist. 70.

109. Quisquis se multum fortuitis dedit, ingentem sibi materiam perturbationis, et inexplicabilem fecit. Epist. 74.

110. Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, et in hunc mortalium cœtum honores, divitias, gratiam excutere. *Ibid.*

111. Tene hoc mordicus, adversis non succumbere, lætis non credere, omnem fortunæ licentiam irridere. Epist. 78.

112. Illustrat fortuna, dum vexat. Epist. 79.

113. Nihil est eo locupletius, cui quod donet fortuna, non invenit. Epist. 81.

114. Non habet, ut putamus, fortuna longas

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

manus, neminem occupat, nisi hærentem sibi. Epist. 82.

115. Quid quod non fortuna cum voluit, et florentissimo detrahat? quod non eo magis aggrediatur, et quatiat, quo speciosius fulget? quid illi arduum, quidve difficile est? non una semper, ne tota quidem occurrit. Epist. 91.

116. Scias nihil inausum esse fortunæ, adversus imperia illam idem habere juris, quod adversus imperantes, adversus urbes idem posse, quod adversus homines. Epist. 91.

117. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Epist. 97.

118. Omnia, quæ fortuna intuetur, ita fructifera ac jucunda fiunt, si quis habens illa, se quoque habet, nec in rerum suarum potestate est. Epist. 98.

119. Errant, qui aut boni aliquid nobis, aut mali judicant tribuere fortunam : materiam dat bonorum ac malorum, et initia rerum apud nos in malum bonumve exiturarum. *Ibid.*

120. Non est quod unquam fortunæ armis putes esse te tutum. Epist. 113.

121. Quid tam volubile est, quam fortuitorum expectatio? *De Beata vita*, cap. 15.

122. Aberrare a fortuna tua non potes, obsidet te. In *Proverb. alphabetice positis.*

123. Magnam fortunam, magnus animus decet. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Amicitia in genere*, sent. 354; *Cadere*, sent. 100; *Gratiarum actio*, sent. 41; *Monasterium*, sent. 49; *Prosperitas*, sent. 107.

## FORUM.

HUGO CARD. *Etymologia*. Forum dicitur locus in quo jura dictantur, sic dictum a Foroneo, qui primus instituit hujusmodi locum. *Prosec.*

Improprie autem, est locus publicus civitatis, in quo mercimonia ad communem utilitatem exponuntur. Super *Lucam*, cap. VII.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. In foro sunt lites, in foro iniquitas, in foro inane otium, in foro obtrectatio, in foro fraus atque perfidia. Lib. 1, *de Virginibus.*

S. ANTONIUS DE PADUA. 2. Difficile lupi a cadavere, formicæ a grano, a melle muscæ, meretrices a prostibulo, mercatores a foro separantur. Serm. *Dom. infra octav. Nativit. Domini.*

S. BASILIUS MAGNUS. 3. Fori stabilimentum jejunium est. Conc. 1, *de Jejun.*

V. BEDA. 4. Non vivas aliter in solitudine, aliter in foro. In suis *Prov.*, verbo *Non.*

S. BONAV. 5. Nemo ad forum purgatorii admittitur, qui forum Ecclesiæ contempsit. Super lib. 4, *Sent.*, dist. 17, part. 1, art. 2, quæst. 4.

6. Magna abusio est, habere os in choro, et cor in foro. In *Regula novit.*, cap. 1.

S. EPHRÆM. 7. Tu talis in foro esto, qualis et in Ecclesiis. *De Pœnit.*

S. JOANNES CHRYSOST. 8. Fuge forum, ut nec patiaris, nec facias fraudem. Homil. 34, super *Matth. Oper. imperf.*

9. Prima laus est christiano alienum esse a foro, nullamque causam habere cum illo : quia si in foro permanseris, quod habes, perdes. *Ibid.*

10. Forum et prætoria publica homines reddunt impudentes. Homil. 8, super *Acta Apost.*

11. Multa homines, qui in foro versantur, contrahunt mala : vel inimicus irritat, vel judex aliquid parum decorum facere compellit, vel amicus offenditur, et alia. Serm. 3, *de Verbis Apost.*, *Habentes eumdem spiritum.*

12. In foro, quæso, consistas, percontare eos qui ultro citroque commeant, neminem videbis ad spirituale negotium, sed omnes ad carnalia festinantes. Homil. 8, super 1, *Cor.*

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 13. Nihil illo videtur turpius, qui magnam vitæ partem in foro detriverit, atque consumpserit. Syzygia 4, lib. 3, *de Republ.*

14. Quicunque aliquid in foro adulterat, is mentitur et decipit. Syzygia 4, lib. 11, *de Legibus.*

SENECA. 15. A foro et publico recedendum est, si prodesse velis et singulis et universis, ingenio, voce, consilio. *De Tranquillit. Animi*, cap. 3.

16. Periculosum, etiam ingressu, forum est. *Ibid.*

## FRATERNITAS.

COLLECTOR. *Etymologia*. Fraternitas dicitur, quasi fratrum unitas.

HUGO CARD. Frater idem est, quod ferens alterum, unde quasi nomen est amoris. Super *Epist. B. Jacobi*, cap. I.

COLLECTOR. *Definitio*. Fraternitas est propinquitas alicujus legitime et ex eodem patre et matre nascentis, cum naturalibus filiis constituta.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Acquirit filium, qui fratrem acquirit amore. Habetur apud Bedam, in *Scintillis*, cap. 3.

S. ATHANAS. MAGNUS. 2. Mutua fratres fratribus ob naturæ affinitatem specula sunt, invicemque similitudine referunt.

S. AUGUST. 3. Nullo modo poterunt separari, quos divina charitas sociavit. In *Regula prima ad clericos.*

4. Sanguinis fraternitas similitudinem tantum corporis refert, Christi autem fraternitas unanimitatem cordis animæque demonstrat. *Prosec.*



5. Melior est fraternitate sanguinis, Christi fraternitas : quoniam interdum illa sibi inimica est; Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. *De Verbis Apostoli*, serm. 25.

6. Vere frater ille est, qui tam corpore quam unanimitate germanus est. *Prosec.*

7. Vere frater ille est, cujus idem spiritus et voluntas in fratre est. *Ibid.*

8. Modo abundat iniquitas, et refrigescit charitas fraternitatis, quæ prius Christi amore fervebat. *Prosec.*

9. Tanta sub Apostolis fraternitatis dilectio fuit, ut tunc in conventu suo non inveniretur indigentia. *Ibid.*

10. Per iram homicidii, fraternitas periit. Serm. 2, *in Sabbato post 3 Dom. Quadr.*

11. Concordia fratrum voluntas Dei est, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis, justitiæ regula, materia doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Serm. *Dom. Rogationum.*

*12. Teneat se profundæ pacis nexibus colligata fraternitas, et salutari vinculo charitatis mutua se dilectione constringat; quia dilectio magnanimum facit. *Ibid.*

13. O quam bonum, o quam jucundum, o quam divinum est habitare fratres in unum, ut unum sit cor, una voluntas, una omnium anima, et una forma vivendi. Serm. 2, *ad Fratr. in eremo.*

V. BEDA. 14. Qui societatem fraternitatis aliqua discordiæ peste commaculant, Christum produnt ut Judas. Lib. 2, super *Marc.*, cap. 14, in illud : *Promiserunt ei pecuniam.*

S. BERNARD. 15. Omnis in vobis, qui fraternas infirmitates tam corporum, quam animorum non solum patienter supportat, sed insuper si licet, et si valet, juvat obsequiis, confortat alloquiis, consiliis informat, hic est fratrum amator. Serm. 12, super *Cant.*

S. CLEMENS PAPA. 16. Amor fraternus, et charitas, totius boni fastigium tenet. Epist. 1.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 17. Qui fratrem suum paululum ab aliquo contristatum, non tantum solatii porrecta manu sublevat, sed magis titubantem, sicut parietem inclinatum, multiloquiorum impulsu adjuvat ad ruinam; et pro disciplinæ ratione correptum per sinistra consilia sic incitat, ut illidat, sic armat ut perimat, ille pessimus est frater. Homil. 7, *ad Monach.*

FRANCISCUS TITELM. 18. Singularis fratrum concordia, in magnorum potissimum filiis, tam rara solet inveniri, ut non immerito cecinerit Poeta : Fratrum quoque gratia rara est. In *Annotat. super* 1, *Joh.*

S. BONAV. 19. Nullus frater est puro nomine appellandus, sed proprio nomini apponendum est semper religiosæ prænominationis insigne. In *Speculo discip.*, part. 1, cap. 6.

20. Quadruplicem fratrem habemus : Christum, angelum, hominem, diabolum : Christum, cui reconciliamur pœnitendo; angelum cui reconciliamur acquiescendo; hominem cui reconciliamur indulgendo; diabolum, cui nunquam reconciliari debemus. Frater noster Christus est : tu trepidas ad Christum accedere, frater tuus est, et caro tua. Frater noster Angelus est : quia homo angelum, Tobias Raphaelem fratrem appellat. Frater noster homo est : O christiani, quare non invicem diligitis, qui de eodem patre, et de eodem sanguine estis? omnes enim fratres sumus, unius patris potestate, et sanguine redempti. Frater noster diabolus est, quia Creatorem unum patrem habemus; sed iniquissimus ille diabolus frater est. Serm. 4, *Dom. 5, post Pent.*

GLOSS. INT. 21. Non est fraternus amor, nisi mutuis se præveniant obsequiis. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 12.

22. Indicium fraterni amoris, est omnia possidere, et nihil proprium habere. Super *Acta Apost.*, cap. II.

S. GREGOR. MAGNUS. 23. Cum in fraterna dilectione unum cor, unus sit animus, sicut in alterius prosperis mens lætatur, ita in adversis affligitur : qui in utroque particeps esse lege charitatis astringitur. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 51, epist. 51, *ad Aregium episc. Galliæ.*

HAYMO. 24. Fraternitatis unanimitas veluti urbs inexpugnabilis, hostium non patet insidiis. Serm. 1, *Dom. 6 post Pent.*

S. HIERON. 25. Quatuor modis in Scripturis divinis fratres dicuntur : natura, gente, cognatione, affectu. *Prosec.*

26. Affectus in duo scinditur, in spiritale et in commune : in spiritale, quia omnes christiani, fratres vocantur : in commune, quia omnes homines ex uno patre nati, pari germanitate inter se conjunguntur. Epist. 1, *adversus Helvidium.*

27. Quidquid separat inter fratres, inferius dicendus est. In *Regula monachorum.*

HUGO CARD. 28. Fratres se invicem adjuvant auxilio, consilio, consolatione, oratione, subsidio. Super II, *Cor.*

JOAN. CASS. 29. Non sunt deserenda fratrum consortia, ut perfectio conquiratur, sed patientia jugiter excolenda. Lib. 9, *de Cœnob. inst.*, cap. 7.

30. Unum genus est insolubile fraternitatis, quod nec commendationis gratia, nec officii, vel munerum magnitudo contractusque cujusquam ratio, vel naturæ necessitas jungit, sed sola similitudo virtutum. *Prosec.*

31. Hæc est, quæ in nullis unquam casibus scinditur, quam non solum dissociare vel delere,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

locorum, vel temporum intervalla non prævalent, sed ne mors quidem ipsa divellit.

32. Hæc est vera et indirupta dilectio, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute concrescit.

33. Cujus semel initum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum.

34. Hæc est amicitiæ fida indissolubilisque conjunctio, quæ sola virtutum parilitate fœderatur.

35. In his tantum indirupta potest dilectio permanere, in quibus unum propositum ac voluntas, unum velle ac nolle consistit.

36. Nihil prodest, si moribus ac proposito dissidentes una habitatione jugantur : nec obest parili virtute fundatis per locorum intervalla disjungi.

37. Apud Deum namque morum cohabitatio, non locorum unita fratres habitatione conjungit : nec potest nunquam pacis integritas custodiri, ubi voluntatum diversitas invenitur. Collat. 16, *Abbat. Joseph.* cap. 3.

38. Injustum atque impium est, si post abrenuntiatam mundi, et omnium quæ in eo sunt vanitatem, pretiosissimæ fratris dilectioni suppellex vilissima præferatur. *Ibid.*, cap. 6.

39. Qua ratione aliquid, quo frater mœstificetur, admittet, qui nil bono pacis judicat esse pretiosius? *Ibid.*

40. Quomodo poterit vel tenuem contra fratrem retinere tristitiam, qui se credit quotidie, imo continuo, ab hoc sæculo migraturum? *Ibid.*

41. Quemadmodum carnales et imbecilles fratres ob vilem terrenamque substantiam, cito inimicus ille disjungit; ita etiam inter spiritales gignit pro intellectuum diversitate discordiam. *Ibid.*, cap. 8.

42. Divortia inter unanimes fratres, hostis invidus ac malignus interserit. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 43. Cura fratrum, summa vitæ christianæ est : hoc signo noscitur, quis an christianus sit : hoc maximum indicium est fidei, hæc est germana charitas. Homil. *de Habenda cura salutis proximi.*

44. Ubi conventus fratrum et germanæ charitatis vinculum, ibi est festa celebritas. Homil. 5, *de Fide Annæ.*

45. Fraternitas separata a semetipsa consumitur. Homil. 26, super *Matth. Oper. imperf.*

46. Qui fratribus suis non invidet, qui super hæreditate non certat, qui propter lucrum non rumpit fraternitatis affectum, nihil ei minuitur de hæreditate. *Ibid.*, homil. 33.

47. Nemo adversarium fratri, familiarem sibi arrogat, nisi qui germanitatis jura violare desideret. Serm. 1, *de Martyrib.*

48. Frater, qui a fratre adjuvatur, est sicut civitas fortis : et magis tanto vinculo charitatis inter se juncti, omnibus dæmonum resistunt insidiis. Homil. in *Dictum Apost. Sive oratione.*

49. Quidquid in fratrem feceris, in Dominum tuum pertingit : et quasi ipse bene abs te affectus esset, ita tibi mercedem rependet. Serm. 21, super *Epist. ad Rom.*

50. Fratris contemptus, fortissimus est diaboli laqueus. *Ibid.*, serm. 27, in *Morali.*

51. Si fratrem despicis, teipsum neglexisti. Homil. 7, super II *Timoth.*

52. Quid est quod facit fraternitatem, nisi lavacrum regenerationis, quod facit posse vocari Deum, Patrem? proinde qui catechumenus est, etiamsi monachus sit, non est frater : qui vero fidelis est, etiamsi sæcularis sit, frater est. Homil. 25, super *Epist. ad Hebr.*, in *Moral.*

JOAN. TRITH. 53. Pulchrum ornamentum est, dilectio fraternitatis. In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Secundum.*

54. Hæc vera est fraternitas, ut major honore, et inferior habeatur sincera dilectione. *Ibid.*, verbo *Seniores.*

55. Sine pace et concordia fraternitatis, nihil prodest maceratio carnis. Homil. 3, *ad Monach.*

S. MAXIMUS MART. 56. Attende tibi ipsi, cavens ne improbitas a fratre te segregans : non in fratre, sed in teipso inveniatur. Centur. 4, *de Charit.*, cap. 19.

S. MAXIMUS EP. TAURIN. 57. Vere frater ille est, qui tam corpore, quam unanimitate germanus est. *Prosec.*

58. Verus, inquam, frater est, cujus idem spiritus et voluntas in fratre est.

59. Major est fraternitas Christi, quam sanguinis : sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert : Christi autem fraternitas, unanimitatem cordis animæque demonstrat.

60. Melior est fraternitas Christi, quam sanguinis fraternitas interdum sibi inimica est, Christi autem fraternitas semper pacifica est.

61. Illa inter se communia cum æmulatione dividit, hæc etiam propria cum gratulatione communicat.

62. Illa in consortio despicit sæpe germanum, hæc assumit frequenter alienum. Homil. 1, *de Avarit.*

S. PETRUS CHRYSOL. 63. Fratris invidus animus gratus esse non potest patri : et paternæ largitatis memor non est, qui est fraternæ immemor charitatis. Serm. 4, *de Prodigo.*



64. Frater est in febre, cum lædit : est infidus proximo, cum delinquit, est sui nescius, est humanitatis extraneus. *Prosec.*

65. Huic, qui per compassionem non subvenit, hunc qui per patientiam non curat, non per veniam sanat, sanus non est, sed ægrotat, infirmatur, viscera non habet.

66. Furit frater, adscribe ægritudini, tu illum adjuva ut frater : adscribe tu, quod sic geritur, febri, et fratri non poteris imputare commissum. *Ibid.*, serm. CXXXIX.

S. THEODOR. 67. Nihil fraterna concordia jucundius. Super *Psalm.* CXXXII, vers. 1.

THEOPHYLACTUS. 68. Fraternitas ex amicitia nobilior, notiorque evadit, quam ex sanguinitate. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XII, in illud : *Fraterna charitate.*

THOMAS A KEMPIS. 69. Ubi fratrum concordia, ibi dulcis melodia. *In Hortulo rosarum*, cap. 16, sect. 2.

70. Qui fratri indigenti subvenit, Jesum per manum retinet. *Ibid.*, cap. 17.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ANTISTHEN. PHILOSOPH. 71. Fratrum concordia quovis muro tutior. In *Sent.*

ARISTOTEL. 72. Fratrum societas, similis est censu potestati : sunt enim pares, et omnes æquales. Lib. 8, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 10.

VALERIUS MAXIMUS. 73. Fraterno charitatis æquo animo, et libenter fratri cedit. Lib. 5 *Dictor. memorabil.*, cap. 6.

Vide etiam tit. *Amor Dei*, sent. 187. 188; *Maledictio*, sentent. 88; *Pax*, sentent. 61, *Zelus*, sentent. 57.

## FRAUS ET DOLUS.

CASSIODOR. *Etymologia.* Fraus dicitur quasi fracta fides. Super *Psalm.* LXXVII, vers. 33.

S. ANSELM. *Definitio.* Dolus est occulta malitia blandis sermonibus adornata, cum aliud sonat in ore, et aliud latet in corde. Super *Epist. ad Rom.* cap. I, in illud : *Dolo malignitate.*

S. BONAV. Fraus est voluntas profectum proximi decipiens propter terrenum emolumentum. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 22.

HUGO A S. VICTORE. Fraus est per quam familiari rei, inopinæ vel malitiæ causa, clandestina surreptione consulitur. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 8.

JOAN. GERS. Fraus est vitium intellectuale, inclinans hominem invenire media sophistica ad inferendum proximo injustum nocumentum. Part. 4, in *Descript. terminorum*, cap. *Virtus.*

S. ANTONIN. *Differentia.* Differentia est inter dolum et fraudem : dolus enim fit per verba et facta deceptoria, fraus autem proprie per facta. Part. 2, tit. 1, cap. 17, § 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Omne quod fraude compositum est, caret merito simplicitatis. Lib. 3 *Offic.*, cap. 9. S. AMBROS.

2. Turpis est omnis fraus, etiam in rebus vilibus : execrabilis est stateræ fallacia, et fraudulenta mensura. *Ibid.*, cap. 9.

3. Per fraudes et scelera ad divitias honoresque pervenitur. Super *Psalm.* IX. S. AUGUST.

4. In fraude dolositas, in simulatione, in seductione est. Super *Psalm.* LIV.

5. Tu desiderio tuo facis locum diabolo. Ecce enim diabolus proposuit lucrum, et invitavit ad fraudem : lucrum habere non potes, nisi fraudem feceris; sed lucrum esca est, fraus laqueus. Sic attende escam ut videas et laqueum, quia lucrum non potes adipisci, nisi fraudem feceris, fraudem autem si feceris, capieris. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 9.

6. Melius est pauperem et sufficientem esse, nullique ex dato placere, quam aliquem lædere fraude. *De Conflictu vitiorum et virt.*, cap. 18.

7. Fraus res est contraria omni christiano. *De Substant.* V. BEDA.

8. Non tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit. Epist. 68, *ad Clerum et plebem Hispaniæ.* S. CYPRIAN.

9. Dolus est occultus gladius. Super *Levit.*, cap. XIX. GLOSS. ORD.

10. Ad sumendam justam de inimicis ultionem, sæpe doli sunt probati. Super *Lib. Judic.*, cap. 4.

11. Fraude acquisita pecunia, animæ damnum, non lucrum addit : imo plus damni est in anima, quam lucri in arca. Super *Prov.*, cap. XII.

12. Qui Deum quasi semper præsentem pertimescit, neminem fraudare intendit. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXIX.

13. Dolus in ore quanto apud homines prudentius calet, tanto apud Deum stultius desipit. Lib. 2 *Moral.*, cap. 24, super illud I, *Petr.* II : *Nec dolus inventus est in ore ejus.* S. GREGOR. MAGNUS.

14. Fraudibus ii omnes patent, qui ad voluptatem propensi sunt. Hab. apud *D. Joan. Damasc.* lib. 1, *Parall.*, cap. 27. S. GREGOR. NAZ.

15. Turpe tibi est hostem dolis ferire, non viribus. Epist. 2, *ad Pammach.* S. HIERON.

16. Nihil ita a christiano repellendum est, quam fraus et dolus. Epist. 22, *ad Rufin.*

17. Fraus fit tribus modis : cum tacita hominum gratia, vel favoris aura, vel commodum aliquod temporale desideratur. Super *Job*, cap. IX. HUGO CARD.

18. Majus damnum, et majorem fraudem

in se patitur, qui aliis fraudem facit. Super *Prov.*, cap. XII.

S. JOANNES CHRYSOST. 19. In omni actu carnali diabolus fraudem facere potest, in sola conscientia non potest fieri dolus. Homil. 13, super *Matth. Oper. imperfect.*

20. Fraus quovis latrocinio pejor est, ac gravior. Homil. 5, super *Epist.* 1, *ad Thess.*

21. Nihil nos ita degenerare a spirituali nobilitate facit, ut fraus atque dolus. Homil. 2, super 1, *Tim.*

PETR. BLES. 22. Omnis fraus in se reversa colliditur : de dolo non colliges, nisi fructum doloris; et orditus es telam, ut diploide vestiaris. Epist. 89, *ad Hugonem episc.*

PRUDENT. POETA. 23. Fraus detestandis vitiorum e pestibus una,
Fallendi versuta opifex.

In *Psychomach.* sect. 5, *de super humil. pugna*, vers. 81.

RICHARD. A S. VICTORE. 24. Fraus procul dubio in fraudulentiam excrescit, quando ex multa jam malitia menti accidit, ut libenter omnino decipere velit cum possit. Part. 1, lib. 3, *de Erudit. hom. inter.*, cap. 11.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 25. Fraudes et doli imbecillum decent. *De Quatuor virtut.*

THALES PHILOSOPH. 26. Ne quæras fraude ditescere. In suis *Sent.*, sent., 5.

Vide etiam tit. *Acquirere*, sent. 53, 83, 84; *Crimen*, sent. 29; *Præsentia Dei*, sent. 82; *Vita æterna*, sent. 156.

## FRUCTUS, FRUI.

S. AUGUST. *Definitio.* Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Lib. 1, *de Doctr. Christiana*, cap. 4.

Quid est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis? *De Moribus Ecclesiæ*, cap. 3.

HUGO A S. VICTORE. Frui est cum delectatione uti. Super *Epist. ad Rom.*

S. THOMAS AQUINAS. Frui est uti fructu; et sicut est uti ad utile, sic frui ad fructum. Super *Epist. ad Philemon.*, cap. 1, lect. 2.

Frui non est actus potentiæ pervenientis ad finem sicut exequentis, sed potentiæ imperantis executionem. Prima secundæ, quæst. 11, art. 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quorum difficilis possessio, eorum grata fruitio. *De Helia et jejun.*, cap. 9.

S. ANSELM. 2. Plus dat, qui arborem simul cum fructibus, quam qui solos fructus dat. *De Similitud.*, cap. 84.

S. ANTONIN. 3. Solo Deo fruendum est : frui autem est amare et inhærere rei propter se. Part. 4, tit. 6, *de Charit.*, cap. 6, § 1.

S. AUGUST. 4. Nulla re fruitur anima cum libertate, nisi qua fruitur cum securitate. Lib. 2, *de Libero arbit.*, cap. 14.

5. Non seipso quisquam frui debet, quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illud, quo fruendum est. Lib. 1, *de Doctrina christiana*, cap. 22.

6. Deo perfrui, beate vivere est. *Ibid.*, cap. 29.

7. Hæc merces summa est, ut Deo perfruamur; et omnes qui eo fruimur, nobis etiam invicem in ipso perfruamur. *Ibid.*

8. Cum homine in Deo frueris, Deo potius quam homine frueris : illo enim frueris, quo efficieris beatus. *Ibid.*

9. Si propter se diligendus est homo, fruimur eo : si propter aliud, utimur eo. *Ibid.*, cap. 22.

10. Omnis qui fruitur, utitur : assumit enim aliquid in facultatem voluntatis cum fine delectationis : non autem omnis qui utitur, fruitur. Lib. 10, *de Trinit.*, cap. 11.

11. Non fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit. *De Spiritu et littera*, cap. 14.

12. Centesimus fructus, martyrum est : sexagesimus, virginum : trigesimus, conjugatorum. Lib. 1, *Quæst. Evang.*, quæst. 9, super illud *Matth.* XIII : *Aliud centesimum.*

13. Omnis humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, et utendis frui. *Prosec.*

14. Omnis autem ordinatio est, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, et utendis uti. *De* LXXXIII, *Quæst.*, quæst. 30.

15. Temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis. Lib. 11, *de Civit. Dei*, cap. 25.

16. Perversi frui volunt nummo, uti autem Deo : quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. *Ibid.*

17. Vile est valde elementis frui, et visibilibus delectari, in comparatione fruendi et congaudendi ipso Deo. *De Triplici habitac.*, cap. 4.

18. Nemo dat fructum bonum, si præcisus est de vite. In *Psalmo contra partem Donati.*

19. Botrum caute lege, ne dum quæris fructum, laceres manum. Tract. 46, super *Joan.*

S. BASILIUS MAGNUS. 20. Nihil tam jucundum est, ut non per fruitionis assiduitatem despicabile fiat : quorum vero rara est adeptio, eorum grata est fruitio. Conc. 1, *de Jejunio.*

21. Uniuscujusque fructus multa quidem est



gratia, major autem delectatione utilitas. *De Paradiso.*

S. BERNARD. 22. Fruitio Dei in sapore quodam divino est, unde et a sapore sapientia. Lib. *De Natura dignitat. amoris*, cap. 10.

S. BONAV. 23. Deo est fruendum, mundo est utendum : Christi Dei felicitate est fruendum, Christi hominis conformatione est utendum. In *Centiloq.*, part. 3, sect. 1.

24. Fruimur cognitis, in quibus ipsa voluntas delectata quiescit, utimur eis quæ ad illud referimus, quo fruendum est. *Ibid.*

CASSIODOR. 25. Nullus in sua radice manens proficuos generat fructus. Super *Psalm.* XXVIII, vers. 5.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 26. Ipsius quidem est, qui lucem omnibus affert plantare et rigare : tuum vero, fructum facere. *Cateches.* 1.

S. EVAGRIUS 27. Planta quæ assidue transfertur, fructum nunquam edet. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, Lib. 2 *Parall.*, cap. 1.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 28. Quantum serimus in operibus, tantum metemus in fructibus. Homil. *de S. Maximo.*

GLOSSA DECR. 29. Fructus diu expectatus, gratissimus est : nam gratior est fructus, quem spes productior edit. In *Decret. Gratian.*

GLOSS. ORD. 30. Vere humilis, quamvis pariat fructum magni meriti, nullam tamen inde gloriam tribuit sibi, sed totum divinæ virtuti. Super 1 *Reg.*, cap. IV.

31. Sicut oliva cum in flore est, si immoderata nebula tangitur, a fructu vacuatur : sic bona inchoantes, si laudibus cœperint delectari, fructum operum perdunt. Super *Job*, cap. 15, in illud : *Quasi oliva projiciens florem.*

GLOSS. INT. 32. Ibi est summa lætitia, ubi Deo fruimur. Super *Psalm.* CXXXVIII.

GLOSS. ORD. 33. Quo nondum potiti sumus, ardentius appetimus. Super *Hierem.*, cap. 2.

34. Fructus bonos, nonnisi bona voluntas parturit : sic malos mala intentio nutrit. Super *Matth.*, cap. VII.

35. Nemo de mala intentione, fructum bonum percipit : nec de bona, nisi bonum metit. *Ibid.*

S. GREGOR. MAGNUS. 36. Cum blandum est quod in foliis redolet, cognoscamus quam dulce sit quod in fructibus sapit. Lib. 23 *Moral.*, cap. 1.

37. Sunt nonnulli, qui ut fruantur Deo, dispensatorie utuntur hoc sæculo : et sunt nonnulli qui ut fruantur hoc sæculo, transitorie uti volunt Deo. *Ibid.*, lib. 2, cap. 5, num. 9.

38. Fructus mundi, ruina est : ad hoc enim crescit, ut cadat ; ad hoc cadit, ut germinet ; ad hoc germinat, ut quodcunque germinaverit cladibus consumat. Homil. 1, super *Evang.*

S. HIERON. 39. Illic major fructus gignitur, ubi onerosæ acerbitatis causa præcesserit. Epist. 5, *ad Virginem in exilium missam.*

40. Nihil injustius est quam alterius labore alterum perfrui : et hoc justissimum est, ut suo quis labore frueretur. Super *Ecclesiasten*, cap. II, super illud : *Non est bonum homini.*

41. Sic bonis hujus sæculi fruere, ne aut desiderio, aut carne delinquas. *Ibid.*, cap. 13, super illud : *Quia adolescentia.*

S. HILARIUS 42. Plus metit conscientia, quam gesta : hæc manum replent, manipulos vero illa sinu colligit. Super *Psalm.* CXXVIII.

HUGO A S. VICTORE. 43. Fructus odore mulcet, gustu reficit, naturam arboris ostendit, calore solis coloratur, maturus decidit, directe jaculatur. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 6.

HUGO CARD. 44. Ubi nullum est fastidium in fruendo, ibi fruuntur ; nec fastidiunt, qui frui magis sitiunt. Super *Cant.*, cap. VIII.

45. Charitate fruimur Deo, gaudio nobismetipsis, pace proximo amico, patientia proximo inimico. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 5.

S. JOANNES CHRYSOST. 46. Job ante tentationem trigesimum habuit fructum in facultatibus suis, juste vivendo : post damna substantiæ et filiorum, sexagesimum : post plagam autem corporis, centesimum fecit. Homil. 31, super *Matth. Oper. imperf.*, in illud XIII : *Quædam super terram bonam.*

S. LEO I. 47. Ubi oblectatio fruendi constituitur, ibi cura cordis obstringitur. Serm. 7, *de Jejun. septimi mensis.*

S. PETRUS DAMIAN. 48. Non potest ex amara radice, dulcis fructus afferri. Opusc. 25, cap. 1.

PHILO JUD. 49. Non cujusvis, sed solius sapientis est, nosse mentis fructus cujus sit. *De Plant. Noe.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 50. Stultus est, qui nullum fructum esse putat bonorum, nisi præsentium. Epist. 29.

## FRUGALITAS.

S. AUGUST. *Etymologia.* Frugalitas a fruge dicitur, id est, a fructu propter quamdam animorum fœcunditatem. *De Beata vita*, in disput. primæ diei.

CICERO. Frugalitas a fruge dicitur, quia nihil melius a terra oritur. Lib. 3 *Tusc. quæst.*, num. 18.

COLLECTOR. *Definitio.* Frugalitas est virtus, quæ motus animi regit, et sedat, moderatamque in omni re novit servare constantiam.

JOAN. SAR. Frugalitas est virtus moderatrix utendi, et abutendi ignara. Lib. 8, *de Nugis curial.*, cap. 13.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas. Lib. 1, *de Cain. et Abel*, cap. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. Plus amat caro moderatam frugalitatem, qua exuitur onere, induitur salubritate, qua sollicitudinem deponit, assumit tranquillitatem. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellensem Ecclesiam.*

S. AUGUST. 3. Ornet mores tuos sobrietas et frugalitas. Epist. 182, *ad Bonifac.*

4. Vitio intemperantiæ contraria virtus est, quæ frugalitas nominatur. *De Beata vita*, in disput. primæ diei.

S. BERNARD. 5. Frugalitas solliciti et diligentis hominis solatium est. Epist. *de Cura et regim. rei familiaris.*

S. BONAV. 6. Religiosos decet religiosa frugalitas. Lib. 2, *de Profect. religiosor.*, cap. 49.

S. HIERON. 7. Ubi pudicitiæ sanctitas, ibi frugalitas est. Epist. 10, *ad Furiam.*

8. Ubi frugalitas est, ibi damna servulorum : quidquid enim non tulerint, sibi ablatum putant nec considerant de quanto, sed quantum accipiant. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 9. Parca vita occidit vitia, libidinem extinguit, virtutes nutrit, animam roborat, mentem ad cœlestia sublevat. Super *Regul. D. August.*, cap. 4.

JOAN. CASS. 10. Tantum debet unusquisque sibi frugalitatis indicere, quantum corporeæ obluctationis pugna deposcit. Lib. 5, *de Cœnob. inst.*, cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST. 11. Parcitas salutis est mater. Homil. *de Jona propheta.*

12. Numquid voluptatem quæris, amice? hanc a frugalitate parabis : num sanitatem? etiam hanc inde : num securitatem? etiam hanc : num libertatem? num valetudinem? num animæ sobrietatem? num alacritatem? ista bona omnia ex frugalitate summatur. Homil. 27, super *Acta Apost.*, in *Moral.*

13. Anima frugalitati dedita, firmior est quam quæ in deliciis. *Ibid.*

14. Si frugalis esses, nihil timeres, non invidiam, non latrunculos, non insidiatores. Serm. 3, super *Epist. ad Ephes.*

JOAN. SAR. 15. Frugalitas nihil gelide ministrat aut timide, sed ei tamen ratio constat impensæ : rebus quidem, sed sibi magis parcit. *Prosec.*

16. Nihil autem minimum subtrahit usui, sed luxuriæ nihil omnino indulget ; siquidem diligentissima est. Lib. 8, *de Nugis curial.*, cap. 13.

LUDOVICUS BLOSIUS. 17. Paucis contentus esto, et simplicibus delectare. Lib. 1, *Enchiridii parvulorum*, document. 12.

S. NILUS. 18. Frugalis vitæ degendæ ratio, ubi longius processerit, libidinis incentiva delet. *Parænes.* 18.

PHILO JUD. 19. Tormentum est insatiabilis cupiditatis frugalitas. *De Abrahamo.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 20. Disruptum ganea stomachum, nulla farcire res melius, quam parcimonia solet. Lib. 2, epist. 9, *ad Donidium.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET. 21. Ne tibi quid desit, quæsitis utere parce :
Utque quod est serves, semper tibi deesse putato.
Lib. 1, *Distich.*, metr. 46.

22. Utere quæsitis modice, cum sumptus abundat :
Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.
Lib. 2, *Distich.*, metr. 42.

CICERO. 23. Frugalitatem virtutum esse maximam judico. Orat. 42, *pro Rege Dejotaro*, num. 26.

24. O dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parcimonia. *De Paradox.*, cap. 6.

25. Homo frugi, omnia recte facit. Lib. 4, *Tusc. quæst.*

EPICTETU. 26. Si corpus frugaliter curare didicisti, ne ob id tibi placeas. In suo *Enchirid.*, cap. 70.

SENECA. 27. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura : frugalitas autem, paupertas voluntaria est. Epist. 17.

28. Luxurioso frugalitas pœna est. Epist. 74.

VALERIU MAXIMU. 29. Bonæ valetudinis mater est frugalitas, inimica luxuriosis epulis, et aliena nimiæ vini abundantiæ, et ab omni immoderato veneris usu aversa. Lib. 2 *Dictor. memorabil.*, cap. 1.

30. Grata frugalitatis consuetudo in cujusvis generæ vitæ, summam dulcedinem continet. *Ibid.*, lib. 4, cap. 3.

## FUCUS.

COLLECTI. *Definitio.* Fucus est fictio per pigmentum et peregrinum ornatum, ad mentiendum pulchritudinem.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBRO. 1. Mulier de adulterio vultus meditantur adulterium castitatis. *Prosec.*

2. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere, et dum verentur maritale judicium, prodere suum?

3. Prior enim de se pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata est, ita dum alii studet placere, prius sibi ipsa displicet.

4. Quem judicem, mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quam teipsam, quæ videri times?

5. Si pulchra es, quid absconderis si deformis, cur te formosam esse mentiris? nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura.

6. Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere et irasceris si amet aliam, qui adulterare in te docetur.

7. Male magistra es injuriæ tuæ ; tolerabiliora enim propemodum in adultero crimina sunt : ibi



enim pudicitia, hic natura adulteratur. Lib. 1, *de Virgin.*

8. Deles picturam Dei mulier, si vultum tuum materiali candore oblinias, si acquisito rubore perfundas. *Prosec.*

9. Illa pictura vitii, non decoris est : illa pictura fraudis, non simplicitatis est. Noli itaque picturam Dei tollere, et picturam meretricis assumere. Lib. 6, *Hexameron.*, cap. 8.

S. ANTONIN. 10. Certe magna nimis præsumptio et superbia est, velle aliam formare effigiem, quam Deus non dedit. Part. 2, tit. 4, cap. 5, § 6.

S. AUGUST. 11. Fucari pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior mulier appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito ipsos maritos se nolle etiam decipi, quibus solis permittendæ sunt fœminæ ornari secundum veniam, non secundum imperium. Epist. 73, *ad Possidium.*

12. Verus ornatus maxime christianorum et christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum jam ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt. *Ibid.*

13. Non amat Christus fallaciarum fucos, veris veritas delectatur. *De Bono viduit.*, cap. 19.

S. BERNARD. 14. Deus non delectatur in compositione vultus, sed in bonis moribus. Serm. 64, *ad Sororem.*

CLEMENS ALEX. 15. Fuci, tincturæ, unguenta et colores illiti, animam intrinsecus ægrotare significant. Lib. 3 *Pædag.*, cap. 2.

16. Ornantur ut aliis placeant, quæ in facie, non in corde gloriantur. *Ibid.*

17. Etsi oculos tuos ungas stibio, frustra est pulchritudo tua. *Ibid.*

18. Si mulieres sint pulchræ, sufficit natura, non contendat ars contra naturam : sin autem sint natura turpes, seipsas arguunt, ex eo quod sibi applicant quod non habent. Lib. 2 *Pædagog.*, cap. 12.

19. Qui fœminas, meretrices vocaverit, quæ ex vultibus suis personas faciunt, non aberravit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 2.

S. CYPRIAN. 20. Pulchritudo fucis non ornatur, sed prostituitur. *De Bono pudicit.*, cap. 6.

21. Sollicitudo de ornatu pulchritudinis, malæ mentis indicium, et deformitatis est. *Ibid.*

22. Semper est misera, quæ sibi non placet qualis est. *Ibid.*

23. Quid capillorum mutatur color? quid oculorum extremitates suffocantur? quid facies artibus in diversam formam convertitur? quid postremo speculum consulitur? nisi quia, ne ipsa sit, timetur. *Ibid.*

24. Non fucis ornatur mulier, sed vitia mulieris ostenduntur. *Ibid.*

25. Lenocinia formarum, nonnisi prostitutis et impudicis fœminis congruunt : et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. *De Discipl. et habit. virg.*, cap. 6.

26. Opus hoc meum non est, inquit Dominus, nec hæc imago nostra est; cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti. *Prosec.*

27. Expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est.

28. Deum videre non poteris, cum oculi tibi non sint, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit.

29. Illum tu sectata es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter arsura. *Ibid.*, cap. 7.

30. Estote tales, quales vos artifex Deus fecit : estote, tales, quales vos manus Patris instituit; maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma sincera. *Ibid.*, cap. 9.

31. Non virgines tantum aut viduas, sed et nuptas puto, et omnes omnino fœminas admonendas, quod opus Dei et factura ejus et plasma adulterari nullomodo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine. *Ibid.*, cap. 7.

32. Mulierculæ cum pulchritudine careant naturali, ad colorum fucos confugere solent : sunt tunc theatrales ornatissimæ, propter verecundiam inverecundissimæ, et propter turpitudinem turpissimæ. Orat. 9, in *Funere Patris sui.* S. GREGOR. NAZ.

33. Pulchritudinem fucis ornatam infernus facit artifex, qui Dei figmentum fraudulentis abscondit coloribus, et honoris gratiam dedecorat, divinamque formam, meretricum idolum avidis exponit oculis, quo pulchritudo velamine obfuscetur, idque imaginem suffuretur naturalem. *Prosec.*

34. Cæterum multos, imo omnes, externus mulierum oblectat ornatus, cum nullus pretiosior existat, quam mores illarum honesti, et splendor internus. Orat. 7, *de Funere Gorgoniæ sororis suæ.*

35. Quid facit in facie christianæ purpurissus et cerussa? quorum alterum ruborem genarum, labiarumque mentitur, alterum candorem oris et colli, ignis juvenum, fomenta libidinum, et impudicæ mentis sunt indicia. *Prosec.* S. HIERON.

36. Quomodo flere potest pro peccatis, quæ lacrymis cutem nudat, et sulcos ducit in facie? ornatus iste non Domini est, velamen istud antichristi est : qua fiducia erigit ad cœlum vultus, quos conditor non agnoscit? Epist. 10, *ad Furiam.*

37. Erubescat mulier christiana, si naturæ cogit decorem, si carnis curam facit ad concupis-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

centiam, in qua Christo placere non potest. Epist. 23, *ad Marcellam.*

38. Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso et cerussa et stibio sæpe depinxit. Epist. 27, *ad Eustoch.*

39. Crimen est, caput post chrismatis sanctificationem, pulvere aut alterius cujuslibet pigmenti fuco sordidari. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

S. INNOC. III 40. Artificialis species superducitur, et facies obducitur naturalis, tanquam artificium hominis artem superet creatoris. *Prosec.*

41. Absit quod adulterinus color comparabilis sit nativo, quoniam cum facies adulterino colore fucatur, os abominabili fœtore corrumpitur.

42. Quid vanius, quam pectere crines, planare cæsariem, tingere genas, ungere faciem, producere supercilia? Lib. 2, *de Contemptu mundi*, cap. 40.

S. JOANNES CHRYSOST. 43. Mulier ornatum corporis nimium adamans, meretricis similis est, quæ fuco perfusa, quotidie lascivia, deliciis, et loquacitate diffunditur. Homil. 31, super *Matth. Oper. perf.*

44. Mulieris vanæ facies figmentis est deformata, labia quasi rubore perlincta, os ursæ ori cruentato simillimum, atra supercilia quasi ad ollam attrita, albatæ sunt genæ, quasi sepulcri parietes : quæ omnia fuligo, cinis, et calx sunt, et extremæ spurcitiæ et fœtoris indicia, summamque deformitatem efficiunt. *Ibid.*

45. Quidnam dicendum est de fucis corrumpentibus facies fœminarum, in perditionem juvenum lascivorum? *Ibid.*, homil. 21.

46. Cum fucis formosa videri studeas, hac te certe difformis appares, Deum offendis, modestiam suffodis, suspicionum flammam incendis, prostituta scorta imitaris. *Ibid.*, homil. 31.

47. Quid studium tuum, quid artem consummato a Deo opificio admovere præsumis? Non tibi sufficit divina formatio? an vero veluti excellentior opifex, divinum opificem corrigere impia moliris audacia, atque ad auctoris injuriam ornaris, ut post te greges juvenum trahas? Homil. 4, super I *Tim.*

48. Speciosam te creavit Deus, quid igitur teipsam deformem facis? velut enim si quis auream statuæ illiniat lutum; ita sunt quæ fucis utuntur: terram tibi illinis partim candidam, partim rubicundam. *Ibid.*

49. Vis pulchra et honesta videri? contenta sis Creatoris tui figmento. Serm. 10, super *Epist. ad Coloss.*

JOAN. SAR. 50. Meretricantium mulierum fucus, dum argui veretur a lumine, petit umbras, et timet, ne scipsis deformiores sint, si immediata luce videntium obtutibus pateant. Lib. 3, *de Nugis curial.*, cap. 12.

S. LAURENT. JUSTIN. 51. Unguentis se et aromatibus delinire, fucatis coloribus facies deturpare, scelus est nefandissimum, temeritas maxima, detestanda præsumptio, et delictum pene inexpiabile. Quasi qui universa creavit, nescierit putrescenti humano corpusculo et vilissimo stercori, congruentem tribuere formam? *De Humilit.*, cap. 11.

S. NILUS. 52. Facies mulieris exornata, quavis procella perniciosior est. Orat. 2, *de Luxur.*

53. Forma fucata intemperantium exitium et naufragium est. Orat. 2, *de Fornicat.*

PHILO JUD. 54. Meretrices deformes videre licet fucantes pingentesque faciem, ut tegant suam deformitatem. Lib. 2, *Legis allegoric.*

TERTULL. 55. Quod nascitur, opus Dei est : quod fingitur, diaboli negotium est : divino operi Satanæ ingenia superducere, scelestum est. *De Cultu fœminar.*, cap. 5.

56. Quantum a nostris disciplinis et professionibus aliena sunt, quam indigna nomine christiano, faciem fictam gestare, effigiem mentiri! *Ibid.*

## FUGA.

*Definitio.* **Fuga est actus appetitus, malum absens aversantis, et ab eo resilientis.** COLLECTOR.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Hæc vera est seculi fuga, abdicatio domesticorum, et *quædam* alienatio charissimorum. *De Fuga seculi*, cap. 2.

2. Non erubescamus fugere; gloriosa enim hic fuga est, fugere a facie peccati. *Ibid.*, cap. 4.

3. Fugiamus hinc, ubi nihil est, ubi inane est omne quod magnificum putatur esse : ubi et qui se putat aliquid esse, nihil est, et omnino non est. *Ibid.*, cap. 5.

4. Potes animo fugere, etsi retineris corpore. *Ibid.*, cap. 8.

S. ATHAN. MAGNUS. 5. Si malum est fugere, multo deterius est persequi fugientem : ille enim ne moriatur sese abdit, iste autem persequitur ut occidat. *Prosec.*

6. De fuga quod licita sit, in Scripturis constat : qui autem ideo quærit ut interficiat, legem prævaricatur, aliisque fugiendi necessitatem affert.

7. Si igitur fugam pro re pudenda objiciunt, qui persequuntur : pudeat eos sui, quod sint persecutores : si enim quiescerent insidiatores, quiescerent et fugientes.

8. Utilis ergo et non infructuosa populis est fuga Sanctorum, quia fugientes Sancti, quemadmodum sese occultant, ita per dispensationem ut medici, in usus indigentium reservantur. In *Apolog. de fuga sua.*



S. AUGUST. 9. Fugiant de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia. *Prosec.*

10. Cum autem omnium; id est episcoporum et clericorum est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent.

11. Nam qui fugiunt, vel suis devincti necessitatibus fugere non possunt, si comprehensi patiuntur pro se ipsis, non pro fratribus utique patiuntur.

12. Qui vero propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad christianam salutem indigebant, deserere noluerunt, sine dubio suas animas pro fratribus ponunt. Epist. 180, *ad Honoratum.*

13. Cum plebs manet et ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? *Ibid.*

14. Quando est commune periculum, magisque timendum ne quisquam fugere credatur, non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo, quam vivendo prosit officio, nulla ratione fugiendum est. *Ibid.*

15. Iram ratio provocavit, culpa veniam suasit ad fugam : sed felix fuga est, quæ currit ad vitam. Epist. 189, *ad Bonifac.*

16. Necesse est ut qui metuit aliquid, fugiat : quisquis itaque metuere metuit, est profecto absurdissimus, quia fugiendo habet idipsum quod fugit. *De* LXXXIII *Quæstion.*, quæst. 33.

17. Paulus Apostolus, non in Deum non credendo sic fugit manus inimicorum : sed Deum tentasset, si fugere noluisset cum fugere potuisset. Lib. 22, *contra Faustum*, cap. 36.

18. Ab illo periit fuga, qui non fugit : qui autem non fugit patitur quidquid potest pro Christo, id est, non fugit, animo; nam corpore fugere licet concessum est, permissum est, Domino dicente: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Super *Psalm.* CXXXXI, vers. 6 : *Periit fuga a me.*

19. Fuga animi timor est. Tract. 47, super *Evang. Joan.*

20. Christus tanquam homo a lapidibus fugit, sed væ illis a quorum lapideis cordibus Deus fugit. *Ibid.*, tract. 43, cap 8, super illud : *Tulerunt lapides, ut jacerent in eum.*

21. Fugientis dorsa persequitur, qui faciem redeuntis illuminat, quo enim fugies a Deo? fugiens quo fugies? fugiens ab illo, qui nullo loco continetur, et nusquam absens est : qui conversum liberat, punit aversum. *De Verb. Dom.*, serm. 54.

22. Nemo recte fugit a Deo, nisi ad illum : ab ejus severitate, ad ejus bonitatem. Homil. 50, *ex Quinquaginta Homil.*

S. BERNARD. 23. Fuge, quæso : in via peccatorum ne steteris. Quomodo vivere potes, ubi mori non audes? Epist. 105, *ad Roman. subdiaconum.*

24. Puer Jesus inter cognatos et notos a parentibus quæritur, nec tamen invenitur : fuge fratres tuos et tu, si tuam vis invenire salutem; fuge, inquam de medio Babylonis, fuge a facie gladii aquilonis. Epist. 107, *ad Thomam præposit. de Beverla.*

25. Quid stultius homine cognoscente sua mala et ea effugere non curante, cum bruta animalia fugiant omnia suæ saluti contraria? Serm. 9, *de SS. Apostolis.*

CASSIODOR. 26. Ubi fuga perit, mortis periculum nullatenus evitatur. Super *Psalm.* CXXXXI, vers. 6, *Periit fuga a me.*

GLOSS. ORD. 27. Fugiat minister Christi, sicut ipse Christus in Ægyptum fugit : fugiat et qui spiritualiter quæritur, dum per alios firma est Ecclesiæ salus. Super II, *ad Cor.* II.

S. GREGOR. MAGNUS. 28. Hostis insequens eo facilius fugientem interficit, quo is qui fugiendo percutitur, imminentis victoris sui gladio non resistit. Lib. 3, in I *Reg.*, cap. II, super illud : *Egressus est Israel.*

S. HIERON. 29. Fuga non infidelitatis, sed prudentiæ indicium est; ne frustra nos offeramus periculis. In *Regula monachorum*, cap. 8, *de Laudibus eremi.*

S. JOAN. CL. 30. Fuge Ægyptum, atque ita fuge, ut nunquam illuc revertaris. *Gradu* 3.

JOAN. TRITH. 31. Nihil tutius in periculo fuga. Orat. 1, *in Conventu Abbat.*, habita.

S. LAURENT. JUSTIN. 32. Omnis tibi fuga interdicta est, et pugnandi indicta necessitas. *De discipl. monast. conversat.*, cap. 4.

S. PETRUS CHRYSOL. 33. Christus fugit, ut nostras fugas in persecutionibus temperaret. *Prosec.*

34. Martyr comprehensus debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persequentem : ut et persecutori indulgeat resipiscendi tempus, et sibi tempus non auferat supplicandi.

35. Fugere ergo debemus persecutorem, provocare non debemus, si salvari persecutores nostros velimus. Persecutorem enim qui provocat, facit; corrigit, qui declinat.

36. Orandum est, fugiendum est, ut et ille, qui per ignorantiam furit, sanetur, et ille patitur, de patientia palmam subeat, non subeat de temeritate discrimen.

37. Si Saulum martyres non fugissent, Paulum non fecissent.

38. Hoc faciendum docuit Christus, hoc nobis reliquit exemplum : ut fugiente Domino, fugere indignum non putet servus. Serm. 151.

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

39. Bellicosus quod in bello fugit, artis est, non timoris : Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pavoris. *Ibid.*, serm. 150, *de Fuga Christi, in Ægypt.*

PHILO JUD. 40. Quisquis a Deo fugit, confugit ad seipsum. Lib. 2, *Legis allegor.*

TERTULL. 41. Sicut fuga, redemptio gratuita est, ita redemptio nummaria fuga est. *De Fuga*, cap. 12.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 42. Turpe cuilibet viro fugisse. Lib. *Suasor.*, suasor. 2.

43. Minus turpe est a bello inermem reverti, quam armatum fugere. *Ibid.*

44. Non est honestum fugere, etiamsi tutum esset. *Ibid.*

45. Periculosum est fugere pugnantibus, hostes timendo ; fugientibus et hostes et suos. *Ibid.*

46. Patet exitus, si pugnare non vultis, licet fugere. Lib. *de Divina Provid.*

47. Nihil adhuc consecutus es, si multa effugisti, te nondum. Lib. 1, *Quæst.* in præfat.

48. Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum. Epist. 10

49. Quæ dementia est fugere, cum retro ire non possis ? Epist. 82.

50. Malis hominibus tutissimum est, cito fu-

SIXT. PHIL. gere. *De Moribus.*

51. Anima mala Deum fugit. *Sent.* 301.

Vide etiam tit. *Certamen*, sent. 29, 35, 36, 38 ; *Fornicatio*, sent. 1 ; *Libido*, sent. 17 ; *Persecutio*, sent. 46 ; *Præsentia Dei*, sent. 23, 24, 25.

## FUROR.

S. AMBROS. *Etymologia*. Furor græce Θυμὸς dicitur, quod est iræ impetus. Super *Psalm.* XXXXII.

HUGO A S. VICTORE. *Definitio*. Furor est motus, qui omnino extra rationem fervens, solo impetu fertur passionis. In caput 2, *Cœlesti Hierarchiæ*, lib. 3.

Furor est effrænata conceptis intrinsecus adversis, animi impatientis et impotentis rabies. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 6.

S. JOAN. CL. Furor est morum inconstans motus, animique turpitudo. *Gradu* 8.

S. LAURENT. JUSTIN. Furor est motus animi concitatus ad pœnam, atque ulciscendi libido. Part. 2, lib. 1, *de Spirituali interitu*, cap. 24.

S. PETRUS CHRYSOL. Furor est quod ratione non frænatur. Serm. 109.

CASSIODOR. *Differentia*. Ira et furor inter se differunt : ira longa indignatio est, furor repentina mentis accensio. Super *Psalm.* VI, vers. 2.

ORIGENES. Iracundia et furor inter se differunt : iracundia inebriat animam, furor vero eam plusquam ebriam facit, si quid tamen esse ebrietate amplius potest. Homil. 7, in cap. X : *Levitici.*

RICHARD. A S. VICTORE. Furor et ira inter se differunt : furor est perturbatio mentis totius expers rationis, ira vero est mentis perturbatio magna, sed a ratione non penitus aliena, part. 1, lib. 1, *de Erudit. hominis interioris*, cap. 7.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Hominis est temperare iracundiam, non leonino raptari furore. Lib. 10, Epist. 82, *ad Vercellens. Eccles.*

S. AUGUST. 2. Vir invidus semper furore plenus, particeps dæmoniorum efficitur. *De Salutar. Docum.*, cap. 22.

3. Nihil fœdius, nihil damnosius, nihil levius, nihil turpius in pastore, furiositate. Serm. 6, *ad Fratr. in eremo.*

V. BEDA. 4. Repentinus furor nil rationis recipit. In suis *Prov.*, verbo *Repentinus.*

S. BONAV. 5. Principes furiosi comparantur ursis esurientibus, leonibus rugientibus, et lupis rapientibus. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 2, vers. 7, art. 2.

6. Sicut virtutum omnium incrementum pendet a charitate, sic omnia vitia sumunt incitamentum ex furore. Serm. 1, *Dom.* 5, *post Pent.*

S. GREGOR. MAGNUS. 7. Menti furore ebriæ, omne rectum quod dicitur, perversum videtur. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 17.

8. Præceps furor usitatusque despicitur. Lib. 8, in *Registro*, indict. 12, cap. 1, epist. 1, *ad Constantium episc. mediolan.*

9. Furor commotionis tempore justum omne putat quod fecerit. *Ibid.*, lib. 8, indict. 3, cap. 12, epist. 12, *ad Gudiscalum ducem.*

10. Mentem impellit furor, quo non trahit desiderium, et agit commota velut nesciens. Part. 3 *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 10.

S. GREGOR. THAUMAT. 11. Animi furorem summo studio frænare, et coercere necesse est, cui stulti serviunt. Super *Eccles.*, cap. 7.

S. HIERON. 12. Amaritudo et furor, species sunt iræ. Lib. 3, super *Epist. ad Ephes.*, cap. IV.

13. Furor desiderat ultionem, et eum quem nocuisse putat, vult lædere. *Ibid.*

S. HILARIUS. 14. Quam dedecorosus est furentium motus ; quanta perturbatio eorum est, quanta calamitas ? Super *Psalm.* CXXV.

HUGO CARD. 15. Nihil tantum movet hominem ad furorem, sicut zelus, quando vult punire injuriam factam sponsæ suæ. Super *Ezech.*, cap. XXXVI.

16. Furiosus, qui propter peccata in furiam incidit, nunquam sanabitur, cum non possit pœnitere, nisi a furia liberatus. Super *Marc.*, cap. 2.

JOAN. CASS. 17. Ubi furoris insidet virus, libidinis necesse est incendium penetrare. Lib. 6, *de Cœnob. instit.*, cap. 23.



18. Sicut nihil præponendum est charitati, ita furori nihil est e contrario postponendum. Collat. 16, *Abb. Joseph*, cap. 7.

S. JOANNES CHRYSOST. 19. Furor et ira tela sunt diaboli. Homil. 3, super *Gen.*

20. Vincit furorem pietas, affectus insaniam superat. Serm. *de Absalom.*

21. O homo, leonem mitigas, reddisque tractabilem ; furorem vero animi tui omni prorsus efficis leone sæviorem : ille naturaliter sævit, et tamen arte illum mansuescis ; tu autem naturaliter mansuetus, in ferarum rabiem natura repugnante te perducis. Homil. 5, super *Matth. Oper. perf.*

22. Est ebrietas furoris, et multo deterior illa, quæ ex vino contingit. *Ibid.*, homil. 15.

23. Quis lictor latera sic confringere poterit ; quæ verua ignita sic transfigunt et explorant corpus ; quæ insania sic stupida reddit naturalia præcordia sicut furor ? Homil. 6, super *Acta Apost.*

24. Nihil intempestivo furore deterius ; non fert longam moram, quia acutus morbus est. *Ibid.*

25. Sæpe verbum quis per furorem effudit, et aliquid facit, quod totam ejus vitam subvertit.

26. Molestum est, quod furor in brevi tempore, et sæpe uno opere et unico verbo nobis æterna bona aufert, et innumeros labores elargitur. *Ibid.*

27. Nihil fœdius furore, nihil vilius, nihil gravius, nihil insuavius, nihil nocentius. *Ibid.*, homil. 15.

28. Non habitat Spiritus sanctus, ubi est furor : et nihil sani potest ingredi, ubi egreditur furor. *Ibid.*, homil. 17.

29. Maledictus est furibundus. *Ibid.*

30. Ignis est furor, flamma acris est indiga materiæ : ne suggeras igni materiam, et statim malum extinxeris. *Ibid.*, homil. 31.

31. Furor cæcus est, qui digno præcipitio jactatur in insaniam. Serm. 3, *in feria quinta Passionis.*

32. Furor excæcatio est pertinacissimæ mentis : quæ ut alium perdat, prior ipse malit perire. *Ibid.*

33. Furiosus quavis bestia est sævior. Homil. 4, super *Matth. Oper. perf.*

S. JOAN. CL. 34. Furibundus est caducus voluntarius, qui dum anticipatur, invitus cadens colliditur, atque disrumpitur. *Gradu* 8.

35. Grave est, oculum cordis præ furore turbare : longe vero gravius labiis etiam impetum exprimere : gravissimum autem, manibus furori satisfacere. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 36. Furor verum discernere nescit. In cap. IV, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Ira.*

S. ISIDORUS HISPAL. 37. Furor in judice investigationem veri non valet attingere : quia mens ejus turbata furore ab investigatione alienatur justitiæ. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 52, sent. 13.

S. LAURENT. JUSTIN. 38. Nil prorsus sic mentis statum evertit, velut conturbans furor. *De Casto connubio*, cap. 11.

39. Furor est animi passio, subversio naturæ, dehonestatio hominis, opprobrium servorum Christi, repulsio gratiæ, fraternitatis dissipator, dæmoniaca imitatio, fugator Paracleti, omnisque sanctitatis inimicus. *Ibid.*

40. Furore dominante, periclitatur ratio, inebriatur cor, incomposita verba prosiliunt, immutatur facies, lumen oculorum caligat. *Ibid.*

S. PETRUS CHRYSOL. 41. Ira si pervenerit ad totum furoris incendium, sine sanguine non sedatur. Serm. 38.

42. Carere dementia furor nescit, in se namque sævit quoties in alterum tendit. *Ibid.*, serm. 173.

S. PETRUS DAMIANUS. 43. Dum perturbata mens judicium suæ rationis exasperat : non quod Deus præcipit, sed quod furor suggerit, rectum putat. Opusc. 40, cap. 2.

SALVIANUS. 44. Voluntas crimen non habet, ubi furore peccatur. Lib. 6, *de Gubern. Dei.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 45. Nullum aliud est in rerum natura, nec esse potest gravius malum, aut ad profligandum genus humanum efficacius, quam vecordia cum furore conjuncta. *De Provid.*, sect 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 46. Muliebre est, furere in ira. Lib. 1, *de Clement.*, cap. 5.

47. Hoc habet omnis affectus, ut in quod ipse insanit, in id putet etiam cæteros furere. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Fraternitas*, sent. 66 ; *Ira*, sent. 100 ; *Monachus*, sent. 106 ; *Punitio*, sent. 53, 54.

## FURTUM.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia*. Fur dicitur a furvo, id est, nigro : fur est qui furva, id est, obscura nocte subripit aliena. Serm. *Dom.* 2, *post Pascha.*

Latro dicitur a latitando vel latendo : latro est qui latet, ut incautos spoliet et occidat. *Ibid.*

S. ANTONIN. *Definitio*. Furtum est contrectatio rei alienæ mobilis et corporalis fraudulosa, invito domino, lucri faciendi gratia, sive ipsius rei, sive usus possessionis rei. Part. 2, tit. 1, cap. 15.

S. BONAV. Furtum est occulta, et ignorante domino, et invito alienæ rei contrectatio. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 31.

S. GREGOR. THAUMAT. Fur est, qui rem alienam contrectat præter domini voluntatem, sciens id illi molestum esse. *Epist. Canonica*, can. 9.



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. HIERON. Furtum est omne, quod alterius damno acquiritur. Lib. 2, super *Epist. ad Ephes.*, cap. 4, in illud : *Qui furabatur.*

S. ISIDORUS HISPALENS. Furtum est rei alienæ clandestina contractio. Lib. 5, *Etymolg.*, cap. 26, verbo *Furtum.*

S. ANTONIN. *Differentia.* Differt furtum a rapina ; quia furtum occultam, rapina vero violentam usurpationem importat. Part. 2, tit. 1, cap. 12, § 8.

S. THOMAS AQUINAS. Furari et rapere inter se differunt ; quia primum latenter, secundum hostiliter. Super II, *ad Cor.*, cap. XII, lect. 1.

Furtum et rapina inter se sunt distincta : nam furtum est, quando dolo et clanculum ; rapina vero, quando aperta et manifesta vi, sua cuipiam bona nulla premente necessitate per injuriam auferuntur. 2, 2, quæst. 66, art. 1. *in Axiomate.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Qui furtum facit, dignus est suspendio. Part. 2, tit. 1, cap. 23, § 6.

S. AUGUST. 2. Furtum in paupere et divite, unum peccatum est furti, sed divitem plus facit reum : quia pauper inopiam, dives autem, cum abundet, facit furtum. *De quæst. Vet. et Novi Testamenti*, quæst. 124.

3. Eleganter et veraciter Alexandro illi magno quidam comprehensus pirata respondit : nam cum idem rex hominem interrogasset, quid ei videtur, ut mare haberet infestum ? ille libera contumacia : Quod tibi, inquit, ut orbem terrarum. Sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor : quia tu magna classe imperator. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 4.

4. Ecce inter sanctos est Judas, ecce fur est Judas, et non contemnitur, fur sacrilegus, non qualiscunque fur, et toleratur, fur loculorum, sed Dominicorum ; loculorum, sed sacrorum. *Prosec.*

5. Si crimina discernuntur in foro qualiscunque furti et peculatus, et non sic judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ, quanto vehementius judicandus est fur sacrilegus? Tract. 50, super *Joan.*, cap. XII.

6. Melius est pauperem et sufficientem esse, nullique ex dato placere, quam aliquem lædere furto. *De Conflictu vitior. et virt.*, cap. 18.

7. Latro timet malum, et ubi non potest non facit, et tamen latro est : Deus enim cor interrogat, non manum. Homil. 9, *ex Quinquaginta homil.*

8. Quod per furtum subducis, ne cœlo perdes : nemo enim habet injustum lucrum, sine justo damno. *Prosec.*

9. Qui furatur, verbi gratia, acquiret vestem, sed cœlesti judicio perdet fidem : ubi lucrum, ibi damnum. Serm. 2, *Sabbat. post* 3, *Dom. Quadrag.*

10. Cum quæsitum fuisset a Socrate ridente cur sic fortiter rideret, respondit : Video magnos latrones ad suspendium duci facere parvos. *Prosec.*

11. Et alta voce clamasse refertur : O quam digniores estis suspendi, qui in cathedris et domibus habitatis, latrocinia majora committentes, quam qui in silvis cum tremore quotidie demorari videntur. Serm. 31, *ad Fratr. in eremo.*

12. Si propterea non facis furtum, quia times ne judiceris, intus in corde fecisti : reus furti teneris, et nil tulisti. Hab. in *Decretis Gratiani*, part. 2, *de Pœnit.*, dist. 1, can. *Si.*

13. Quis fur æquo animo furem patitur? Lib. 2 *Conf.*, cap. 4.

14. Non est aliud cum fure concurrere, nisi vel furari cum eo, vel furtum ejus cordis placito accipere. Epist. 164.

15. Dominus fures punit, si non se correxerint. Epist. 166.

16. Qui furantur, alienum auferunt. Lib. 4, *de Doctr. Christ.*, cap. 29.

17. Pejor est qui concupiscendo, quam qui miserando furatur. *Contra Mendac.*, cap. 8.

18. Quamvis gravius sit homicidium quam furtum, pejus est tamen facere furtum, quam pati homicidium. *De Mendac.*, cap. 9.

19. Si furtum omne peccatum est, ab omni furto est abstinendum. *Contra Mendac.*, cap. 8.

20. Non æquandus est fur quilibet ei furi, qui misericordiæ voluntate furatur. *Prosec.*

21. Gravius est avaritia, quam misericordia furtum facere : et gravius est adulterare misericordia, quam furari avaritia. *Ibid.*

GLOSS. DECR. 22. Furem nocturnum, sed non diurnum nisi telo se defendat, licet occidere. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. ORD. 23. Non fur solum, sed et ille reus tenetur, qui furti conscius, quærente possessore non indicat. Super *Prov.*, cap. XXIX.

S. HIERON. 24. Furtum quasi sacrilegium a virgine detestandum est. Epist. 27, *ad Eustoch.*

25. Non fur solummodo, sed etiam ille reus tenetur, qui conscius furti, non vult quærenti indicare, cum valet. Lib. 3, super *Prov.*, cap. XXIX, super illud : *Qui cum fure.*

26. Fur non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur : non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. Super *Epist. ad Tit.*, cap. II, in illud : *Non furantes.*

27. In furto quantumcunque quis abstulerit, furti crimen incurrit. *Prosec.*

28. Quomodo potest fidelis esse in substantia Dei, qui carnali domino fidem exhibere non potuit? *Ibid.*



HUGO A S. VICTORE. 29. Fur de nocte venit, spoliat, subito invadit, et perimit incautos, aucupatur, domum suffodit, latet, immisericors est, secretos introitus quærit, ad omnem strepitum pavet. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 6.

HUGO CARD. 30. Fures in suis viribus non confidunt, sed potius in insidiis. Super *Levit.*, cap. 2.

31. Sunt multi, qui se reges et prælatos æstimant, cum revera non sint, nisi nomine tenus, re autem piratæ, vel latrones. *Prosec.*

32. Unde Alexandro quærenti a quodam pirata, quare devastaret mare ? dicitur respondisse : Ego quia parva scapha mare devasto, dicor pirata, tu vero quia classe magna totum orbem devastas, diceris imperator.

33. Et Socrates videns præpositos cujusdam principis ducere quemdam latronem ad patibulum, dixit : Magni fures parvum latronem suspendunt. Super *Prov.*, cap. XVI.

S. JOANNES CHRYSOST. 34. Quid latrone scelestius ? nonne hoc summum malitiæ genus ? Post med. prologi super *Joan.*

35. Latrocinii merces est voluptas. Homil. 18, super I, *Cor.*, in *Morali.*

36. Furi lux inimica, molestus est justus. Homil. 28, super II, *Cor.*

37. Furtum segnitiei est ; non ad furtum impellit penuria, sed ad laborem. Serm. 2, super *Epist. ad Ephes.*, in *Morali.*

JOAN. TRITH. 38. Furem facit prava hominis voluntas : et dum ei consuetudini non resistitur, quasi furandi quædam necessitas generatur. Epist. 15, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

S. PETRUS DAM. 39. Qui non corripit puerum ova furantem, magnum postea latronem patitur, equorum stabula perfringentem. Lib. 1, epist. 20, *ad Cadaloum antipap.*

PHILO JUD. 40. Ne furtum facias ; qui enim alienis inhiat, hostis publicus, voluntate omnes, vi quotquot valet, spoliat. *De Decalogo.*

SALVIANUS. 41. Excusabilis furti reus est, qui ad furtum cogi videtur invitus. Lib. 4, *de Guberm. Dei.*

42. Furtum, ut putas, servile vitium est : et tu furtum dives facis, quando a Deo vetita præsumis ; omnes siquidem furta faciunt, qui illicita committunt. *Ibid.*

43. Furtum in omni quidem est homine malum facinus, sed damnabilius absque dubio si senator furatur aliquando. *Ibid.*

44. Latrones hoc proverbio uti solent : ut quibus non auferant vitam, dedisse se dicant. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. 45. Nullum peccatum est ita periculosum, sicut furtum : nullum enim remittitur sine satisfactione et pœnitentia. Opusc. 9, *de Decem præcept.*, præcept. 7, verbo *Non furtum.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 46. Damnis merito gravioribus is punitur, qui locis publicis, quam qui privatis furtum egit. Sect. 29, *Problem.*, quæst. 14.

PLATO. 47. Si quis rem furto sublatam volens, sciens receperit ; eamdem pœnam, quam ille furatus est, subeat. Syzygia 4, lib. 12, *de Legibus.*

SENECA. 48. Multi furto non erubescunt ; furta minuta puniuntur, magna triumphis feruntur. Epist. 87.

Vide etiam tit. *Crimen*, sent. 14 ; *Eleemosyna*, sent. 13 ; *Invenire*, sent. 20 ; *Pecunia*, sent. 133 ; *Proprietas*, sent. 3 ; *Restitutio*, sent. 3, 4.

## GAUDIUM.

S. HIERON. *Definitio.* Gaudium est elatio animi super his, quæ digna sunt exultantis. *Prosec.*

Lætitia vero est effrænata animi elatio, quæ modum. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. V, in illud : *Gaudium, pax.*

HUGO A S. VICTORE. Gaudium verum est ex contemptu præsentium veniens festivæ mentis jucunditas spiritalis. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 17.

S. JOANNES CHRYSOST. Gaudium est eorum, quæ desiderat animus, expletio, rerumque jucundarum fruitio, ac molestarum oblivio. Homil. 1, *de Verb. Isaiæ.*

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Quadruplex est gaudium : est gaudium iniquitatis ; est gaudium vanitatis ; est gaudium charitatis ; est gaudium felicitatis. Super *Joelem.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quando mens sibi recti est conscia, gratulatur, vel infusione quadam spiritali repletur animus gaudio. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 6.

S. ANSELM. 2. Gaudium in vita æterna erit justo intus et extra : gaudium sursum atque deorsum ; gaudium circumcirca, ubique gaudium plenum. *De Similitud.*, cap. 17.

S. ANTONIN. 3. Diversa sunt gaudia : quidam gaudent in vanitate mundi ; alii, in voluptate peccati ; tertii, in voluptate boni ; quarti, in visione Dei : primum gaudium est periculosum, et vanum ; secundum, perniciosum et insanum ; tertium, gratiosum et vanum ; quartum, gloriosum et verum. Part. 4, tit. 6, cap. 5, § 3.

4. Gaudium est species delectationis. *Ibid.*, cap. 6.

5. Singula gaudia tristitiis permixta sunt. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 2.

S. AUGUST. 6. Est gaudium, quod non datur impiis, sed iis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es. *Prosec.*

7. Et ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te : ipsa est, et non est altera : qui au-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. HIERON. Furtum est omne, quod alterius damno acquiritur. Lib. 2, super *Epist. ad Ephes.*, cap. 4, in illud : *Qui furabatur.*

S. ISIDORUS HISPALENS. Furtum est rei alienæ clandestina contractio. Lib. 5, *Etymolg.*, cap. 26, verbo *Furtum.*

S. ANTONIN. *Differentia.* Differt furtum a rapina ; quia furtum occultam, rapina vero violentam usurpationem importat. Part. 2, tit. 1, cap. 12, § 8.

S. THOMAS AQUINAS. Furari et rapere inter se differunt ; quia primum latenter, secundum hostiliter. Super II, *ad Cor.*, cap. XII, lect. 1.

Furtum et rapina inter se sunt distincta : nam furtum est, quando dolo et clanculum ; rapina vero, quando aperta et manifesta vi, sua cuipiam bona nulla premente necessitate per injuriam auferuntur. 2, 2, quæst. 66, art. 1. *in Axiomate.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Qui furtum facit, dignus est suspendio. Part. 2, tit. 1, cap. 23, § 6.

S. AUGUST. 2. Furtum in paupere et divite, unum peccatum est furti, sed divitem plus facit reum : quia pauper inopiam, dives autem, cum abundet, facit furtum. *De quæst. Vet. et Novi Testamenti*, quæst. 124.

3. Eleganter et veraciter Alexandro illi magno quidam comprehensus pirata respondit : nam cum idem rex hominem interrogasset, quid ei videtur, ut mare haberet infestum ? ille libera contumacia : Quod tibi, inquit, ut orbem terrarum. Sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor : quia tu magna classe imperator. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 4.

4. Ecce inter sanctos est Judas, ecce fur est Judas, et non contemnitur, fur sacrilegus, non qualiscunque fur, et toleratur, fur loculorum, sed Dominicorum ; loculorum, sed sacrorum. *Prosec.*

5. Si crimina discernuntur in foro qualiscunque furti et peculatus, et non sic judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ, quanto vehementius judicandus est fur sacrilegus? Tract. 50, super *Joan.*, cap. XII.

6. Melius est pauperem et sufficientem esse, nullique ex dato placere, quam aliquem lædere furto. *De Conflictu vitior. et virt.*, cap. 18.

7. Latro timet malum, et ubi non potest non facit, et tamen latro est : Deus enim cor interrogat, non manum. Homil. 9, *ex Quinquaginta homil.*

8. Quod per furtum subducis, ne cœlo perdes : nemo enim habet injustum lucrum, sine justo damno. *Prosec.*

9. Qui furatur, verbi gratia, acquiret vestem, sed cœlesti judicio perdet fidem : ubi lucrum, ibi damnum. Serm. 2, *Sabbat. post* 3, *Dom. Quadrag.*

10. Cum quæsitum fuisset a Socrate ridente cur sic fortiter rideret, respondit : Video magnos latrones ad suspendium duci facere parvos. *Prosec.*

11. Et alta voce clamasse refertur : O quam digniores estis suspendi, qui in cathedris et domibus habitatis, latrocinia majora committentes, quam qui in silvis cum tremore quotidie demorari videntur. Serm. 31, *ad Fratr. in eremo.*

12. Si propterea non facis furtum, quia times ne judiceris, intus in corde fecisti : reus furti teneris, et nil tulisti. Hab. in *Decretis Gratiani*, part. 2, *de Pœnit.*, dist. 1, can. *Si.*

13. Quis fur æquo animo furem patitur ? Lib. 2 *Conf.*, cap. 4.

14. Non est aliud cum fure concurrere, nisi vel furari cum eo, vel furtum ejus cordis placito accipere. Epist. 164.

15. Dominus fures punit, si non se correxerint. Epist. 166.

16. Qui furantur, alienum auferunt. Lib. 4, *de Doctr. Christ.*, cap. 29.

17. Pejor est qui concupiscendo, quam qui miserando furatur. *Contra Mendac.*, cap. 8.

18. Quamvis gravius sit homicidium quam furtum, pejus est tamen facere furtum, quam pati homicidium. *De Mendac.*, cap. 9.

19. Si furtum omne peccatum est, ab omni furto est abstinendum. *Contra Mendac.*, cap. 8.

20. Non æquandus est fur quilibet ei furi, qui misericordiæ voluntate furatur. *Prosec.*

21. Gravius est avaritia, quam misericordia furtum facere : et gravius est adulterare misericordia, quam furari avaritia. *Ibid.*

GLOSS. DECR. 22. Furem nocturnum, sed non diurnum nisi telo se defendat, licet occidere. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. ORD. 23. Non fur solum, sed et ille reus tenetur, qui furti conscius, quærente possessore non indicat. Super *Prov.*, cap. XXIX.

S. HIERON. 24. Furtum quasi sacrilegium a virgine detestandum est. Epist. 27, *ad Eustoch.*

25. Non fur solummodo, sed etiam ille reus tenetur, qui conscius furti, non vult quærenti indicare, cum valet. Lib. 3, super *Prov.*, cap. XXIX, super illud : *Qui cum fure.*

26. Fur non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur : non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. Super *Epist. ad Tit.*, cap. II, in illud : *Non furantes.*

27. In furto quantumcunque quis abstulerit, furti crimen incurrit. *Prosec.*

28. Quomodo potest fidelis esse in substantia Dei, qui carnali domino fidem exhibere non potuit? *Ibid.*



HUGO A S. VICTORE. 29. Fur de nocte venit, spoliat, subito invadit, et perimit incautos, aucupatur, domum suffodit, latet, immisericors est, secretos introitus quærit, ad omnem strepitum pavet. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 6.

HUGO CARD. 30. Fures in suis viribus non confidunt, sed potius in insidiis. Super *Levit.*, cap. 2.

31. Sunt multi, qui se reges et prælatos æstimant, cum revera non sint, nisi nomine tenus, re autem piratæ, vel latrones. *Prosec.*

32. Unde Alexandro quærenti a quodam pirata, quare devastaret mare ? dicitur respondisse : Ego quia parva scapha mare devasto, dicor pirata, tu vero quia classe magna totum orbem devastas, diceris imperator.

33. Et Socrates videns præpositos cujusdam principis ducere quemdam latronem ad patibulum, dixit : Magni fures parvum latronem suspendunt. Super *Prov.*, cap. XVI.

S. JOANNES CHRYSOST. 34. Quid latrone scelestius ? nonne hoc summum malitiæ genus ? Post med. prologi super *Joan.*

35. Latrocinii merces est voluptas. Homil. 18, super I, *Cor.*, in *Morali.*

36. Furi lux inimica, molestus est justus. Homil. 28, super II, *Cor.*

37. Furtum segnitiei est ; non ad furtum impellit penuria, sed ad laborem. Serm. 2, super *Epist. ad Ephes.*, in *Morali.*

JOAN. TRITH. 38. Furem facit prava hominis voluntas : et dum ei consuetudini non resistitur, quasi furandi quædam necessitas generatur. Epist. 15, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

S. PETRUS DAM. 39. Qui non corripit puerum ova furantem, magnum postea latronem patitur, equorum stabula perfringentem. Lib. 1, epist. 20, *ad Cadaloum antipap.*

PHILO JUD. 40. Ne furtum facias ; qui enim alienis inhiat, hostis publicus, voluntate omnes, vi quotquot valet, spoliat. *De Decalogo.*

SALVIANUS. 41. Excusabilis furti reus est, qui ad furtum cogi videtur invitus. Lib. 4, *de Gubern. Dei.*

42. Furtum, ut putas, servile vitium est : et tu furtum dives facis, quando a Deo vetita præsumis ; omnes siquidem furta faciunt, qui illicita committunt. *Ibid.*

43. Furtum in omni quidem est homine malum facinus, sed damnabilius absque dubio si senator furatur aliquando. *Ibid.*

44. Latrones hoc proverbio uti solent : ut quibus non auferant vitam, dedisse se dicant. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. 45. Nullum peccatum est ita periculosum, sicut furtum : nullum enim remittitur sine satisfactione et pœnitentia. Opusc. 9, *de Decem præcept.*, præcept. 7, verbo *Non furtum.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

46. Damnis merito gravioribus is punitur, qui locis publicis, quam qui privatis furtum egit. Sect. 29, *Problem.*, quæst. 14. ARISTOTEL.

47. Si quis rem furto sublatam volens, sciens receperit ; eamdem pœnam, quam ille furatus est, subeat. Syzygia 4, lib. 12, *de Legibus.* PLATO.

48. Multi furto non erubescunt ; furta minuta puniuntur, magna triumphis feruntur. Epist. 87. SENECA.

Vide etiam tit. *Crimen*, sent. 14 ; *Eleemosyna*, sent. 13 ; *Invenire*, sent. 20 ; *Pecunia*, sent. 134 ; *Proprietas*, sent. 3 ; *Restitutio*, sent. 3, 4.

## GAUDIUM.

*Definitio.* Gaudium est elatio animi super his, quæ digna sunt exultantis. *Prosec.* S. HIERON.

Lætitia vero est effrænata animi elatio, quæ modum. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. V, in illud : *Gaudium, pax.*

Gaudium verum est ex contemptu præsentium veniens festivæ mentis jucunditas spiritalis. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 17. HUGO A S. VICTORE.

Gaudium est eorum, quæ desiderat animus, expletio, rerumque jucundarum fruitio, ac molestarum oblivio. Homil. 1, *de Verb. Isaiæ.* S. JOANNES CHRYSOST.

*Divisio.* Quadruplex est gaudium : est gaudium iniquitatis ; est gaudium vanitatis ; est gaudium charitatis ; est gaudium felicitatis. Super *Joelem.* HUGO A S. VICTORE.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Quando mens sibi recti est conscia, gratulatur, vel infusione quadam spiritali repletur animus gaudio. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 6. S. AMBROS.

2. Gaudium in vita æterna erit justo intus et extra : gaudium sursum atque deorsum ; gaudium circumcirca, ubique gaudium plenum. *De Similitud.*, cap. 17. S. ANSELM.

3. Diversa sunt gaudia : quidam gaudent in vanitate mundi ; alii, in voluptate peccati ; tertii, in voluptate boni ; quarti, in visione Dei : primum gaudium est periculosum, et vanum ; secundum, perniciosum et insanum ; tertium, gratiosum et vanum ; quartum, gloriosum et verum. Part. 4, tit. 6, cap. 5, § 3. S. ANTONIN.

4. Gaudium est species delectationis. *Ibid.*, cap. 6.

5. Singula gaudia tristitiis permixta sunt. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 2.

6. Est gaudium, quod non datur impiis, sed iis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es. *Prosec.* S. AUGUST.

7. Et ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te : ipsa est, et non est altera : qui au-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tem aliam putant esse, aliud sectantur gaudium, neque ipsum verum ; aliqua tamen imagine gaudii voluntas eorum non avertitur. Lib. 10 *Conf.*, cap. 22.

8. Gaudere bonum est, sed qui gaudet, si non inde gaudet unde debet, non potest bonum esse quod gaudet. *De Salutar. document.*, cap. 11.

9. Totum gaudium nostrum Deus est : qui vult securus gaudere, in illo gaudeat, qui non potest perire. Super *Psalm.* LXXXIV, vers. 6.

10. Magnum gaudium spes gaudentis. Gaudium nostrum, fratres, nondum est in re, sed jam in spe. Super *Psalm.* CXXIII, in præfat. Super *Psalm.* CXXVII, vers. 5.

11. Lætitia sæculi vanitas est, cum magna expectatione speratur, ut veniat, et non potest teneri cum venerit ; quia transeunt omnia, et evolant omnia, et sicut fumus evanescunt. Tract. 7, super *Evang. Joan.*, cap. I.

12. Nemo gaudeat quasi in re præsenti, ne hæreat in via : totum gaudium de spe futura sit. *Ibid.*, tract. 10, cap. II.

13. Qui vult gaudere de se, tristis erit : quiautem de Deo vult gaudere, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est : vis habere gaudium sempiternum? adhære illi qui sempiternus est. *Ibid.*, tract. 12, cap. III.

14. O gaudium super gaudium ! gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium ! In *Soliloq. animæ*, cap. 35.

15. Nemo in hoc sæculo potest gaudere, et in Domino : multum inter se hæc duo gaudia differunt, suntque omnino contraria. *Prosec.*

16. Quando gaudetur in hoc sæculo, non gaudetur in Domino : quando gaudetur in Domino, non gaudetur in sæculo.

17. Vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in sæculo : gaudium in Domino semper augeatur, gaudium in sæculo semper minuatur, donec finiatur. *De Verbis Dom.*, serm. 37.

18. Nemo se credat aliquod verum gaudium in hoc sæculo possidere : verum in hoc mundo gaudium, nec fuit, nec est, nec esse poterit. *Prosec.*

19. Duo sibi tempora ordine suo succedunt, tempus flendi et tempus ridendi : nemo se circumveniat, non est in hoc mundo tempus ridendi.

20. Scimus quod omnis homo gaudere desiderat, sed non toti ibi quærunt, ubi oportet inquiri. Serm. 1, *de S. Laurent.*

21. Justi in Domino lætantur, injusti vero non noverunt lætari, nisi in sæculo. Serm. 50, *de Sanctis.*

22. Nullus bene gaudet, qui bonum non diligit unde gaudet. Tract. 87, super *Joan.*

23. Gaudium quod veri boni adeptione gignitur, beata vita dicitur. Lib. 1, *de Lib. arbit.*, cap. 13.

24. Insana gaudia non sunt gaudia. *De Catechiz. rud.*, cap. 16.

25. Gaudium de bono adepto est, quod ubique adipiscitur sapiens. Lib. 14, *de Civit. Dei*, cap. 8.

26. Gaudium proprie bonorum et piorum est. *Ibid.*

27. Quanto majus periculum fuit in prælio, tanto majus est gaudium in triumpho. Lib. 8 *Conf.*, cap. 3.

28. Ubique majus gaudium, molestia majori præceditur. *Ibid.*

29. Ab aliqua imagine gaudii, voluntas impiorum non avertitur. *Ibid.*, lib. 10, cap. 22.

S. BASILIUS MAGNUS.

30. Virtutis et bonitatis comes est lætitia. In *Constit.*, cap. 2.

V. BEDA.

31. Gaudia integra nusquam sunt in terra. In suis *Proverb.*, verbo *Gaudia.*

S. BERNARD.

32. Futura gaudia non satis concupiscis, si non quotidie satis postulas ea cum lacrymis. Serm. 2 *Septuages.*

33. Illum verum et solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, et quod cum possederis, nemo tollet a te, cui comparata omnis aliunde jucunditas, mœror est. Epist. 114, *ad quemdam Sanctimonialem.*

34. Nulla verior miseria, quam falsa lætitia. *De Gratia et lib. arb.*

35. Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in divitiis, gaudent et in vitiis homines : sed luctus extrema occupat ejusmodi gaudiorum. Serm. *de Nimia fallacia præsentis vitæ.*

S. BONAV.

36. Lætitia si afficit, non proficit, ubi gratia deficit. *Expos.* 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 3, vers. 5, art. 1.

37. Quisquis in se gaudere appetit, eo ipso in luctu est, quia a vera lætitia recessit. *Collat.* 34, super cap. VI *Joan.*

38. Gaudium humanum cum duobus est admixtum, scilicet remorsu conscientiæ et sollicitudine cruciante. Tit. 8, *Diætæ*, cap. 1.

39. Gaudium sæculi est luxuriari, in spectaculum vagari, ebriositate impinguari, turpitudine fœtere, et mali nihil pati. *Ibid.*

40. Animus spirituali gaudio plenus, quietus est et jucundus, et quasi quidam lectus mollissimus. *Ibid.*

S. CÆSARIUS ARELAT.

41. Post breve gaudium, succedit sine fine supplicium. Homil. 15.

42. Verum gaudium non possidetur, nisi pax et justitia teneatur. Homil. 19.

CASSIODOR.

43. Tunc veraciter lætamur, quando adjutorio Domini probabili nos conversatione tractamus.



Super *Psalm.* IV, vers. 7 : *Dedisti lætitiam in corde meo.*

44. Non est in hoc sæculo gaudendum, ubi lætifera lætitia est : non in ambitionibus mundi, ubi peccata amara, suavia sunt; sed in Deo, ubi securum gaudium semper sumit augmentum. Super *Psalm.* IX, vers. 2 : *Lætabor ego.*

45. Manifestum est nulla æterna reperiri gaudia, nisi quæ Domini fuerint timore præparata. Super *Psalm.* II.

46. Si mensura desit lætitiæ, non est gaudium, sed ruina. Super *Psalm.* CXIX, vers. 5.

S. EUCHER.

47. Non longis dilatatur gaudiis, quidquid arcto fine concluditur. In *Epist. parænetica ad Valerian.*

S. EUSEBIUS EMISSEN.

48. Quid errando per hujus seculi invia, petis gaudia? non invenies hic, quia non hic sunt : sed si vera quæris gaudia, ad illam cœlestem gloriam propera, ad quam factus es, ibi certe gaudia illa sunt vera. *Epist. ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

49. Diabolo se tradidisse captivum constat, qui de hominum vitiis et passionibus atque perditione lætatur. Homil. 3, *ad Monach.*

50. Intolerabilis dolor erit, si inde causas mortis quisquam incurrat, unde vitæ gaudia comparare potuisset. *Ibid.*

S. FRANCIS. ASSISIAS.

51. Lætitia spiritualis provenit ex munditia cordis, et acquiritur per devotionem orationis. In suis *Opusc.*, collat. 11.

FRANCISCUS TITELM.

52. Debet nostra, cum gaudemus, non esse inepta exultatio : sed cum debita ex intimo cordis affectu, reverentia, omnique gravitate, maturitate, et morum honestate. In *Annot.* super *Psalm.* II, vers. 11 : *Exultate ei cum tremore*, cap. 17, sect. 1.

53. In gaudio interiori, spiritus intra sese dilatari debet, quemadmodum tristitia constringitur, et coangustatur. In *Annot.* super *Psalm.* IV, vers. 1.

GILLEBERT. ANGLUS.

54. Sæpe festiva gaudia vertuntur in fastidium, et hilarem mentis faciem tristitia commutat. Apud S. Bernard. num. 5, serm. 38, super *Cant.*

GLOSS. ORD.

55. Non foris in vanis, sed intus ubi habitat Deus, quærenda est lætitia. Super *Psalm.* IV, in illud : *Dedisti lætitiam in corde meo.*

GLOSS. INT.

56. Ibi est summa lætitia, ubi Deo fruimur. Super *Psalm.* CXXXVI.

S. GREGOR. MAGNUS.

57. Quo se interius gaudiis animus robustius inserit, eo minus exterius dolores sentit. Lib. 10 *Moral.*, cap. 12.

58. Iniquorum mentem terrena gaudia possident; sicque eam in voluptatibus absorbent, ut super ipsam sint, non apud ipsam. *Ibid.*, lib. 14, cap. 4, num. 4.

59. Arrogantes nusquam suum gaudium, nisi in ore hominum ponunt. *Ibid.*, lib. 23, cap. 4, num. 10.

60. Quisquis gaudere in se appetit, eo ipso jam in luctu est, quo a vera lætitia recessit. *Prosec.*

61. Vera lætitia mentis creator est : dignum itaque est ut in se semper homo mœrores inveniat, qui derelicto creatore in se gaudium quærit. *Ibid.*, lib. 12, cap. 14.

62. Vana sunt gaudia sæculi, quæ quasi manentia blandiuntur ; sed amatores suos, cito transeundo decipiunt. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. II, super illud : *Et servite Domino.*

63. Risus fletum sequitur, gaudium tristitia comitatur. In *Septem Psalm. Pœnit.*, in prologo.

64. Veritatis discipulis esse gaudium non debet, nisi de eo bono, quod commune cum omnibus habent, et in quo finem lætitiæ non habent. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 58, *ad August. episc. Anglor.*

65. Si qua est præsentis temporis, ita agenda est lætitia, ut nunquam amaritudo sequentis judicii recedat a memoria. Homil. 39, super *Evang.*

66. Nemo potest et hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Christo. *Ibid.*, homil. 11.

67. Sæpe præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta. *Prosec.*

68. Sicut per fletus ad gaudia ducitur, ita per gaudia ad fletum pervenitur. In *Septem Psalm. pœnit.* super *Psalm.* IV, in prolog.

S. GREGOR. THAUMAT.

69. Stultorum animæ lætitia elatæ diffunditur. Super *Ecclesiast.*, cap. VII.

S. HIERON.

70. Dum credis gaudium te habere quod majus est, desinis de eo quod minus est gloriari. Epist. 1, *ad Demetriad.*

71. In omnibus pene rebus humanis difficile potest esse lætitia, nisi tristitia ante præcesserit, et amaritudo præeuntis doloris commendat amplius gaudia secutura. Epist. 5, *ad Virginem in exilium missam.*

HUGO A S. VICTORE.

72. In hac vita mortali aliquando lætari possumus, impleri lætitia non possumus : quia etsi quædam sunt quæ lætificant, multa sunt quæ contristant. Super *Psalm.* XV.

73. Exultatio sine tristitia, mater nonnunquam est delictorum : tristitia sine exultatione, quædam amaritudo est. Serm. 74, *divers. de S. Joan. Bapt.*

HUGO CARD.

74. Tunc est perfecta lætitia, quando gaudium quod conceptum est in corde, profertur in ore. Super *Psalm.* XV.

75. Cum mens inepte gaudium suum foras fundit, quasi ad sinistram pergens, rectum iter, quos in Deum gaudendo pergere debuerat, derelinquit. Super *Ecclesiasten*, cap. II.

76. Fallacis boni gaudia tantis amaritudinibus admixta sunt, ut jure displicere debeant, etiamsi debeant semper manere. *Ibid.*

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

77. Præsens jucunditas futuræ desolationis indicium est. Super *Sapient.*, cap. XI.

78. Gaudium diaboli est impietas contra Dominum, gaudium mundi est vanitas contra proximum, gaudium carnis est voluptas contra seipsum. Super *Epist. ad Philipp.*, cap. IV.

79. Si gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam argente; quanto magis eis est gaudium de totius generis humani redemptione, et omnium electorum salvatione? Super *Apoc.*, cap. V.

80. Septem sunt gaudia Sanctorum : Primum, est copiosa et magna societas salvatorum; secundum, immortalitas; tertium, æternitas; quartum, soliditas æternitatis; quintum, pax et tranquillitas soliditatis; sextum, tranquillitatis securitas; septimum, securitatis communitas. *Ibid.*, cap. 22.

81. Semper mundanæ lætitiæ, tristitia repentina succedit : et quod incipit a gaudio, desinit in mœrore. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 23.

82. Sicut de magno gaudio, fletus sæpe procedit : ita de magno fletu, sæpe nascitur gaudium. Serm. 1, *Dom.* 3, *Advent.*

S. JOANNES CHRISOST. 83. Omnis qui juxta mundum gaudet, in divitiis gaudet, in deliciis, in vana gloria, in potentia, in arrogantia. *Prosec.*

84. Qui autem secundum Deum gaudet, in ignominia gaudet, in paupertate, in opum carentia, in jejunio, in humilitate. Homil. 16, super *Acta Apost.* in *Morali.*

85. Sicut quædam sunt turpia gaudia, ita qui in Domino vult gaudere, flagitiosa oportet gaudia non requirat. Serm. 8, *de Resurrect.*

86. Mundi hujus gaudium inane est : confestim extinguitur, et mille tristitias parturit. Serm. 15, super *Epist. ad Philipp.*

87. Tristemur tristitia, quæ gaudii sit mater : et non lætemur gaudio quod tristitiam pariat. *Ibid.*

88. Ex tentationibus, ex afflictionibus, ex paupertate, ex tristitia, verum gaudium nascitur. Homil. 10, super I *Thess.*

89. Sicut qui vero gaudet gaudio, non potest animi perturbatione vinci : ita qui hoc non tenetur gaudio, a quibuslibet facile capi vincique potest. Homil. 1, super II *Cor.*

90. Nullum armaturæ genus validius, quam gaudere secundum Deum : neque quidquam est, quod hominem ejusmodi dejectum aut tristem reddere queat : sed omnia erecto fortique animo perpetitur. *Ibid.*

91. Mundano gaudio omnibus modis etiam tristitia permixta sunt, et nunquam purum inveniri potest. Homil. 15, super *Epist. ad Hebr.*

S. ISIDORUS. HISPALENS. 92. Justus in pœnis gaudere debet, et impius in prosperitatibus timere. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 1, sent. 5.

93. Nullus mœroris locus esse debet, ubi magna lætitia succedit. *De Conflict. vitior. et virt.*

S. LEO I. 94. Brevia et caduca sunt terrenarum gaudia voluptatum, quæ ad æternitatem vocatos, a semitis vitæ conantur avertere. Serm. 2, *de Anniversr. die Assumpt. suæ ad Pontific.*

95. Fugiantur noxiæ voluptates, et inimica gaudia jam jamque peritura. Serm. 5 *Epiph.*

S. NILUS. 96. Adversare in vita gaudium, ipsum enim lubricum est, et præcipitat exultantes. *Parænes.* 51.

PETR. CELL. 97. Sine gaudio est, qui eum non habet, sine quo gaudere non potest. Lib. 3, epist. 9.

PHILO JUD. 98. Gaudia vigilantium sunt imaginationes somniis simillimæ : veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, prinsquam comprehendantur, avolant. *De Joseph.*

99. Gaudium soli Deo est proprium, nam humanum genus mœrori timorique est obnoxium. *de Abraham.*

100. Non est cur aliquis putet meram et nullo dolore mixtam lætitiam cœlitus in terram descendere. *Ibid.*

S. PROSPER. 101. Gaudere quidem bonum est ; sed qui gaudet, si non inde gaudeat, unde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 13.

S. THOMAS AQUINAS. 102. Nullus vere gaudium habet, nisi existens in charitate. Opusc. 9, *de Decem præceptis*, verbo *Sicut.*

THOMAS A KEMPIS. 103. Omne carnale gaudium blande intrat, sed in fine mordet et perimit. *De Imit. Christi*, cap. 7.

104. Vere fallax et amarissimum poculum est hujus vitæ decurrens gaudium : bibant qui volunt, quia solutionem duram postea luent : et quanto quis eo fuerit plus inebriatus, tanto acrius sentiet ejus cruciatus. In *Solitoq. animæ*, cap. 5, sect. 2.

105. Multos gaudium hujus vitæ trahit et decipit, sed in fine eos relinquit et submergit. *Ibid.*

106. Luctus pœna, post carnis gaudia fœda. In *Hortulo rosar.*, cap. 3.

107. Omne gaudium quod de Deo non est, cito perit, maculat, et lædit. *Ibid.*, cap. 5.

108. Justorum lætitia de Deo et in Deo est, et gaudium eorum de veritate. Lib. 2, *de Imit. Chr.*, cap. 6, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 109. Virtutis est, et quibus rebus, et quomodo lætandum, et dolendum est, lætari ac dolere. Lib. 4, cap. 1.



CICERO. 110. Quid inani lætitia exultans et temere gestiens? nonne tanto miserior, quanto sibi videtur beatior? Lib. 5 *Tusc. quæst.*

PLINIUS II. 111. Nullum gaudium, ubi nulla necessitas gaudendi est. In *Panegyr. de Trajano August.*

SENECA. 112. Ubi maxime gaudebis, ibi maxime metues. Lib. 2 *de Ira*, cap. 31.

113. Justa causa lætitiæ est, lætum amicum videre. Lib. 2, *de Benefic.*, cap. 22.

114. Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum, etiamsi quid obstat. Epist. 27.

115. Disce gaudere, antequam gaudeas : ad summa pervenit, qui scit quod gaudeat. Epist. 23.

116. Res severa est, verum gaudium : sed solida et quod plus pateat introrsus. *Ibid.*

117. Quodcunque invectitium gaudium est, fundamento caret. *Ibid.*

118. Effœminat animos amœnitas nimia. Epist. 51.

119. Sapiens nunquam sine gaudio est : gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia. Epist. 59.

120. Non potest gaudere, nisi sapiens, nisi fortis, nisi justus, nisi temperans. Epist. 59.

121. Si sapis, omnia humana conditione metire : simul et quod gaudes, et quod times contrahe : est tanti, diu nihil gaudere, ne quid diu timeas. Epist. 110.

SIXT. PHIL. 122. Illis insuesce animam tuam gaudens, in quibus recte gaudeat : anima quæ iniquis rebus gaudet, indigna est apud Deum. *Sent.* 400.

Vide etiam tit. *Egredi*, sent. 50 ; *Instabilitas*, sent. 47 ; *Laus Dei*, sent. 5 ; *Luctus*, sent. 40 ; *Molestia*, sent. 13 : *Passio Christi*, sent. 38 ; *Sæculum*, sent. 59 ; *Tristitia*, sent. 4, 11, 21, 56 ; *Voluptas*, sent. 21.

## GEHENNA.

S. HIERON. *Definitio.* Gehenna quædam perpetua incorruptio, et æterna perseverantia tormentorum est. Super *Job*, cap. XX, super illud : *Luet quæ fecit omnia.*

HUGO CARD. Gehenna est illatio pœnæ. Super *Matth.*, cap. V.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere : ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit. Epist. 144, *ad Anastas.*

2. Quisquis vivere ita incipit, ut ante finiat vitam quam ab originalis peccati obligatione solvatur ; et si unius horæ diei, vel unius horæ spatio anima illa vixerit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennæ sustinere supplicia, ubi diabolus cum angelis suis in æternum arsurus est. *De Fide ad Petrum*, cap. 2.

3. Vere diabolo est præparata gehenna, et omnibus hominibus facientibus opera diaboli. *De Salut. Document.*, cap. 49.

4. Gehenna ignis nec damnationem habet dubiam, sicut judicium ; nec damnati pœnam, sicut concilium : in gehenna quippe ignis certa est et damnatio et pœna damnati. Lib. 1, *de Serm. Domini in monte*, cap. 9, super illud : *Reus erit gehennæ ignis.*

5. Quid tam magnum in suppliciis, quam gehenna ignis? Lib. 1. *contra advers. legis*, cap. 16.

6. Propterea judex torquet accusatum, ne occidat nesciens innocentem. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 6.

S. BERNARD. 7. Homo in gehenna uri poterit, non autem exuri; ardere, sed non deleri. Serm. 1, *Annunt. B. M.*

S. DOROTH. 8. Habitus peccati statui gehennæ proximus est : quia omne peccatum, cum ad actum venerit, gehennam parit. Doctrina 10.

S. EUSEBIUS CÆSAR. 9. Est gehennalis pœna paganorum infinito minor, quam malorum christianorum. Epist. *ad Damas. Pap. D. Hieronymi.*

GLOSS. ORD. 10. Propter diabolum facta est gehenna : sicut gehenna semper ardet, sic diabolus ubicunque sit, vel in aere, vel sub terra, secum fert tormenta suarum flammarum. Super *Epist. Jacobi*, cap. III.

S. GREGOR. MAGNUS. 11. Damnatis una est gehenna, quæ afficit, et tamen non una omnes qualitate comburit : quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. Lib. 9 *Moral.*, cap. 39.

12. Gehennæ flamma reprobis nequaquam lucet ad consolationis gratiam, et tamen lucet ad pœnam : ut damnatorum oculis ignis supplicii et nulla claritate candeat, et ad doloris cumulum clarescat. *Ibid.*

13. Unus est gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores, uniuscujusque enim quantum exigit culpa, tanta illic sentitur pœna. Lib. 4, *Dialogi*, cap. 43 verbo *Unus.*

14. Peccata, quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ verbere sunt corrigenda. Homil. 19, super *Ezech.*

S. HIERON. 15. Gehennæ nutrimentum et fomes, ignis est, flamma perpetua, et supplicia peccatorum. Lib. 10, super *Isaiam*, cap. XXX, super illud *Matth.* XXV : *Ite in ignem æternum.*

HUGO CARD. 16. Non sequitur, iste meruit gehennam, ergo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

quamlibet minorem pœnam : fornicatione enim meretur quis gehennæ incendium, non tamen suspendium. Super *Genes.*, cap. xv.

17. Melius est non esse, quam in gehenna esse. Super *Psalm.* LVII.

S. INNOC. III. 18. Ignis gehennæ, nec lignis nutritur, nec flatu succenditur : sed a Deo creatus est inextinguibilis ab origine mundi. Lib. 3, *de Contemptu mundi*, cap. 6.

19. Ignis gehennæ semper ardebit, et nunquam lucebit : semper exuret, et nunquam consumet : semper afficiet, et nunquam deficiet. *Ibid.*

20. In gehennalibus suppliciis tria sunt præcipue prævidenda : obscuritas, acerbitas, diuturnitas : obscuritas tenebrarum, acerbitas pœnarum, diuturnitas miseriarum. Serm. 2, *de Martyrib.*

21. Mors gehennalis non consumit hominem, sed affligit, ut semper vivat ad mortem. Super *Psalm.* VI, vers. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 22. Intolerabilis res est gehenna, supplicium illud horribile : in gehenna enim uritur, sed nihil tale, quale est a beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo. Homil. 24, super *Matth. Oper. perf.*

23. Gehenna nullo fine comprehenditur. Homil. 9, super I *ad Cor.*

24. Gehennæ memoria, remedium est amoris. Homil. 7, super II *Cor.*

25. Intolerabilis gehenna, et vehementer intolerabilis : verumtamen intolerabilius est e regno Dei excidere. Serm. 13, super *Epist. ad Philip.*

26. Si quis gehennam futuram non credit, Sodomam cogitet, et Gomorrhæ meminerit, id quod indicium est æternam fore gehennam. Homil. 8, super I *Thess.*

27. Gehennæ recordatio quasi salutare quoddam pharmacum animis impositum, multa bona potest efficere. Homil. 2, super II *Thess.*

28. Non potest fieri ut anima de gehenna sollicite cogitans, cito peccet. *Ibid.*

29. Nemo eorum, qui gehennam serio ob oculos habent, in gehennam incidet. *Ibid.*

30. Nemo gehennam contemnentium, gehennam effugiet. *Ibid.*

31. Nihil ita est utile, quam de gehenna sermocinari, quia quovis argento mundiores animas facit. *Ibid.*

32. Quid gehenna gravius? sed hujus metu nihil utilius : gehennæ namque timor regni affert coronam. Homil. 15, *ad Popul. Antioch.*

33. Intolerabilis est gehenna, tamen licet quis innumeras ponat gehennas, tale nil dicet, quale illa, felici excidere gloria. *Ibid.*, homil. 47.

34. Etsi multi gehennam omnium malorum supremum atque ultimum putant; ego tamen sic censeo, sic assidue prædicabo, multo acerbius esse Christum offendere, quam gehennæ malis vexari. Homil. 37, super *Matth. Oper. perf.*

35. Multi sunt homines, qui gehennam esse non credunt, neque esse supplicium. Serm. in *Dictum Pauli : Nolo vos ignorare, fratres.*

36. Non sinet in gehennam incidere, gehennæ meminisse. Serm. 31, super *Epist. ad Rom.*

37. Mentem tuam persuade, ne vane nugetur, ne per experientiam discas esse gehennam. *Ibid.*

38. Si perpetuo gehennam recogitaremus, non statim in illam incideremus. Homil. 2, super II, *ad Thess.*

39. Gehenna non videtur incredulis, nam credentibus est perspicua manifestaque. Conc. 4, *de Lazaro.*

40. Quanto magis gehennæ rationem confirmari video, tanto magis contremisco, et dissolvor : verum necessarium est hanc habere orationem, ne in gehennam incidamus. Homil. 9, super I, *Cor.*

41. Multo plures ingrediuntur gehennam quam regnum. Homil. 84, super *Acta Apost.*

42. Gehennam continue timens, nunquam in gehennæ ignem decidet. Homil. 5, *ad Popul. Antioch.*

43. Intolerabilis est gehenna, confiteor et multum intolerabilis, tamen intolerabilior hæc regni amissio. *Ibid.*, homil. 48.

44. Tam misere nos habemus, quod nisi gehennæ timor esset, non eligeremus boni quid facere : propterea si non ex quoquam alio, ex hoc certe gehenna digni essemus, gehennam plusquam Deum timentes. *Ibid.*

45. Quid, non esse gehennam dicis? gehennæ, inquis, expectatione animam non conficiam : licet gehenna sit, ei persuadebo gehennam non esse. *Ibid.*, homil. 50.

46. Minatur gehennam Deus, non quo gehennam inducat, sed quo a gehenna liberet. Homil. 5, *de Pœnit.*

S. ISIDORUS HISPAL. 47. Duplex damnatorum pœna est in gehenna, quorum et mentem urit tristitia, et corpus flamma, justa vicissitudine : ut qui mente tractaverunt quod perficerent corpore simul et animæ puniantur et corpore. Lib. 1, *de Sum. bono*, cap. 28, sent. 1.

48. Ignem gehennæ ad aliquid lumen habere, et ad aliquid non habere, hoc est habere lumen ad damnationem, ut videant impii, unde doleant, et non habere ad consolationem, ne videant unde gaudeant. *Prosec.*

49. Ignis gehennæ et lucebit miseris ad augmentationem pœnarum ut videant unde doleant : et non lucebit ad consolationem, ne videant unde gaudeant. *Ibid.*, sent. 2.



ROBERTUS BELLARM. 50. Qui decidunt in gehennam, perpetuo moriuntur : vivunt enim semper in pœnis, ut semper moriantur, et mortis finem quem cupiunt, nunquam inveniant. Super *Psalm.* LIV, vers. 26.

S. VALER. EPISCOPUS. 51. Expectat reum suum gehenna debitis armata suppliciis. Homil. 1, *de Bono disciplinæ.*

IN VITIS PATR. 52. Omnis labor totius temporis, quo quis hic degit, nondum unius horræ tormentorum æternorum gehennæ spatium habet. Lib. 3, num. 3.

SIXTUS PHILOSOPH. 53. Male viventes, cum e corpore excesserint, cruciabit malus dæmon. *Sent.* 34.

Vide etiam tit. *Judicium extrem.* sent. 21, 22; *Misericordia in genere*, sent. 19; *Vocatio Dei*, sent. 58; *Voluptas*, sent. 27.

## GEMMA.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Etymologia.* Gemmæ vocantur, quod instar gummi transluceant. Lib. 16, *Etymol.*, cap. 6, verbo *Gemmæ.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Gemma nisi auro non convenit, margarita nisi pretiosis monilibus non aptatur. Serm. 6, *de Margarita.*

S. AUGUST. 2. In frontibus regum pretiosius est signum Crucis, quam gemma diadematis. Super *Psalm.* LXXIII, vers. 4.

S. BERNARD. 3. Filiæ Babylonis fulgent monilibus, moribus sordent. Epist. 113, *ad Sophiam virg.*

4. Nulla splendidior gemma in omni ornatu, quam humilitas. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

CLEMENS ALEX. 5. Gemmas fuscas, aut virides, quæ ab externi maris æstu expelluntur, et quæ ex terræ ramentis deteruntur, admirari et stupere, puerile est. Lib. 2, *Pædag.*, cap. 12.

6. Magni pretii est, non gemma, sed virtus. *Ibid.*, lib. 3, cap. 6.

S. CYPRIAN. 7. Auro te licet et margaritis gemmisque condecores, sine Christi decore deformis es. Serm. 5, *de Lapsis.*

S. HIERON. 8. Gemmæ, et sericæ vestes fœminarum, jactantiæ seminarium est. Epist. 13, *ad Paulin.*

9. Gemmis codices vestiuntur, et nudus ante fores Christus moritur. Epist. 22, *ad Eustoch.*

10. Lucet margarita in sordibus, et fulgor gemmæ purissimæ, etiam in luto radiat. Epist. *ad Pammach.*

11. Difficilius caremus arrogantia, quam auro et gemmis. Epist. 30, *ad Oceanum.*

12. Crimen est, caput post chrismatis sanctificationem, aut auro, aut gemmis comi. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

S. HILARIUS. 13. Humanus error, pretiosius nihil auro et gemmis opinatur : hæc sunt, quæ hominum cupiditates dominatui pretii sui et honoris subdiderunt. Super *Psalm.* CXVIII, in illud : *Feci judicium et justitiam.*

14. Per gemmas humani corporis præstantior species ut putatur, ad naturæ contumeliam expolitur. *Ibid.*

15. Nihil habet sexus uterque pretiosius auro et gemmis : dum viri posse omnia auro volunt, mulieres vero per gemmas fieri se existimant pulchriores. *Ibid.*

16. Sicut præstat cæteris metallis aurum, ita et aliis lapidibus pretiosis topazius : est enim ipse rarissimus, et speciosissimus omnium et maximus. *Ibid.*

17. Gemma pretiosa est et clara, virtute pollet, plana et tota speciosa est. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 7. HUGO A S. VICTORE.

18. Aurum et argentum, lapides et gemmæ, in luto sordescunt. Lib. 2, *de Contemptu mundi*, cap. 37. S. INNOC. III.

19. Gemma avaritiæ materia est, et fornacem cupiditatis succendit, captorumque animam expugnat. Homil. 14, super *Genes.* S. JOANNES CHRYSOST.

20. Qui pretiosos lapides in mari invenire cupiunt, magnum laborem et molestiam ferunt, periculoque indomitarum aquarum se exponunt, quo desideratis potiantur. *Ibid.*

21. Gemmas invenisse, inventori non multum prodest : sæpe autem nocuit, et innumerorum naufragiorum occasio fuit. *Ibid.*

22. Aliquid magnæ utilitatis vitæ huic affert, pretiosorum lapidum inventio. *Ibid.*, homil. 9.

23. Tu ipse corpus auro et gemmis exornas, animam vero in turpitudine sedentem negligis. Homil. 70, super *Matth. Oper. perf.*

24. Gemmæ non in corporis mole, sed naturæ pulchritudine pretium habent. Homil. 1, *ad Popul. Antioch.*

25. Circa margaritarum cultum insania est, et pompa satanica. *Ibid.*, homil. 21.

26. Omnium gemmarum virentium, smaragdus principatum habet : cui veteres tertiam post margaritas et uniones tribuunt dignitatem. Lib. 16 *Etymol.*, cap. 7. S. ISIDORUS HISPAL.

27. Fulgentibus margaritis ac gemmis se componere, scelus est nefandissimum. *De Humilit.*, cap. 2. LACT. FIRM.

28. Gemma est pretiosa, quæ non potest corrumpi. *De Doctrina christ.* S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

29. Eo deliciarum pervenimus, ut nisi gemmas calcare nolimus. Epist. 86. SENECA.

## GENERATIO IN GENERE.

*Definitio.* Generatio est productio viventis a prin- COLLECTOR.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cipio vivente conjuncto, secundum similitudinem in natura vi productionis.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Ab adolescentia incipit homo posse generare. Lib. 16, *de Civit. Dei*, cap. 43.

2. Terrena civitas generatione tantummodo, cœlestis autem etiam regeneratione opus habet, ut noxam generationis evadat. *Ibid.*, lib. 15, cap. 16.

3. In cœlo non erit generatio, cum illuc perduxerit regeneratio. *Ibid.*, cap. 17.

4. Generatio disperdet, nisi regeneratio liberet. *Ibid.*, lib. 16, cap. 17.

5. Generatio carnalis una est. Tract. 12, super *Joan.*

6. Nemo est qui non hunc ordinem in domo sua vel optet, vel speret, ut generatores filiorum cedant, et generati succedant. *De Utilit. jejunii*, cap. 10.

7. Deus per Christum regenerat hominem generatum. Lib. 2, *contra Julian.*, cap. 4.

8. Parvuli eo volente regenerantur, quo creante generantur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 8.

9. Quod Deus creat et homo generat, profecto bonum est, in quantum homo est. *Ibid.*, lib. 6, cap. 14.

10. Quod generatione contrahitur, nonnisi regeneratione solvitur. *Ibid.*, lib. 2, cap. 4.

11. Concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit, quem generatio trahit. Lib. 1, *de Nuptiis*, cap. 19.

12. Potens est Deus sine tempore generare. Homil. 43, *ex Quinquag. homil.*, cap. 3.

13. Generat per uxorem filium pater moriturus successurum : generat Deus de Ecclesia filios non successuros, sed secum mansuros. *Ibid.*, homil. 50, cap. 3.

14. Nobilior est generatio spiritalis, quam carnalis. Serm. 1, *Dom. Quinquag.*

S. GREGOR. MAGNUS. 15. Sæpe ad avaritiam cor parentis allicit fœcunditas prolis. Lib. 1, *Moral.*, cap. 4.

HUGO CARD. 16. Delectatio solet esse in concipiendo, dolor est in pariendo. Super *Epist. ad Rom.* III.

S. JOANNES CHRYSOST. 17. Qui prodest ei quem sordidant mores generatio clara ? aut quid nocet ei generatio vilis, quem mores adornant ? Homil. 3, super *Matth. Oper. imperf.*

JOAN. TRITH. 18. Generatio clara non liberat, quem vita maculata ligat. In cap. 2, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Caput.*

S. PETRUS DAMIANUS. 19. Bestia quælibet ad hoc solummodo coit, ut gignat : homo solus ad hoc gignit, ut coeat. Lib. 1, epist. 15, *ad Alexandr. Pap.*

S. ZENO EP. ET MART. 20. Lætatur Pater in alio se, quem genuit ex se. Serm. 3, *de Filii Dei generat.*

## GENERATIO VERBI.

S. JOAN. DAMASC. *Definitio.* Generatio verbi, est consubstantialis Filii ex solo Patre progressio. Lib. 4, *de Fide orthod.*, cap. 7.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Scrutari non licet superna mysteria. Licet scire quod Filius natus sit, non licet discutere quomodo natus sit : illud negare mihi non licet, hoc quærere metus est. Lib. 1, *de Fide ad Gratianum*, cap. 5.

2. Incomprehensibiliter generatur Filius, impassibiliter generat Pater, et tamen ex se generavit, et ante omnem intellectum generavit. Deus verus Deum verum. *Ibid.*

3. Non solum admirabilis ex Patre generatio Christi, sed admirabilis etiam ipsa generatio ejus ex Virgine. *Ibid.*

4. Generatio paternæ proprietatis est, non potentiæ : et pietas æquat, non separat. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4.

5. Qui tam evidens, quo unius naturæ Filius Dei cum Patre esse doceatur ? *De Benedict. patriarch.*, cap. 4.

S. ANSELM. 6. In Trinitate non dicitur Verbum, nisi Filius, quia nec ille cujus est Verbum potest esse Verbum suum, nec verbum potest esse cujus est verbum. In *Monologio*, cap. 37.

S. ATHANAS. MAGNUS. 7. Divinus character Filii substantiæ Patris incommutabile sigillum est. Serm. *de Sanctiss. Deipara.*

8. Generat Pater Deus ex se, id est de seipso, Filium hoc genuit quod est ipse, non aliquid aliud. *Prosec.*

9. Ergo non extrinsecus, neque ex nihilo, neque ex aliqua præcedente aut subsequente materia, sed ex ipso genuit, et non aliud, quam id quod ipse est, genuit. *Disputat. contra Arium.*

S. AUGUST. 10. Pater ut haberet Filium de seipso, non minuit seipsum : sed ita genuit de se alterum se, ut totus maneret in se, et esset in Filio tantus, quantus et solus. Epist. 66, *ad Maximum.*

11. Deus cum Verbum genuit, id quod est ipse genuit, neque de nihilo neque de aliqua facta conditaque materia, sed de seipso id quod est ipse. *De Fide et symbolo*, cap. 3.

12. Deus Pater, qui verissime se indicare animis cogituris, et voluit et potuit : hoc ad seipsum indicandum genuit, quod est ipse, qui genuit. *Ibid.*

13. Æternum sine initio est, quod Filius de natura Patris natus existit. *De Fide ad Petrum*, cap. 1.

14. Secundum illam divinitatem, qua unum



sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, neque Patrem natum credimus, neque Spiritum sanctum, sed solum Filium. *Ibid.*, cap. 2.

15. Pater Deus de nullo genitus Deo, semel de sua natura sine initio genuit Filium, Deum sibi æqualem, et eadem qua ipse naturaliter æternus est, divinitate coæternum. *Ibid.*

16. Unigenitus Dei, natus est semel ex Patre, semel ex Matre : natus est enim de Patre Deus Verbum, natus est de Matre Verbum caro factum. *Prosec.*

17. Unus est ergo atque idem Deus Dei Filius, natus ante secula, et natus in sæculo : et utraque nativitas, unius est Filii Dei. *Ibid.*

18. Sic Christum Dei Filium, id est unam ex Trinitate personam, Deum verum crede, ut divinitatem ejus de natura Patris natam esse non dubites. *Ibid.*

19. Pater ipsa sapientia est, et ita dicitur Filius sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, id est, ut quemadmodum lumen de lumine, et utrumque unum lumen : sic intelligatur sapientia de sapientia, et utrumque una sapientia, ergo et una essentia. *Ibid.*, lib. 7, cap. 1.

20. Filio præstat essentiam sine initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de Patre generatio. *Ibid.*, lib. 15, cap. 26.

21. Quis ignorat quod Deus Deum genuit, quod Dominus Dominum genuit, quod Rex Regem genuit, quod Creator Creatorem genuit, quod bonus bonum genuit, quod sapiens sapientem genuit, quod clemens clementem genuit, quod potens potentem genuit ? *Contra Maximum*, lib. 1.

22. Absit ut ideo sit potentior Pater Filio, quia Creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit Creatorem : neque enim non potuit, sed non oportuit. Immoderata enim esset divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri. *Ibid.*, lib. 3, cap. 12.

23. Si vultis Dei Filium verum confiteri, prius illum ac præcipue dicite unius ejusdemque substantiæ, ut tanquam verum Filium, et Dei Filium per omnia similem Patri esse dicatis. *Ibid.*, cap. 15.

24. Verus Dei Filius, et unius cum Patre substantiæ est, quia verus Filius est, et per omnia est Patri similis, quia Dei Filius est. *Ibid.*

25. Deus ejusdem naturæ, sive substantiæ Deum genuit. *Ibid.*

S. BASILIUS MAGNUS. 26. Generat Deus, non ut homo : generat autem vere, et genitura ex ipso Verbum est, non humanum, sed divinum. Lib. 5, *Eversor.*

S. BERNARD. 27. Quod dicitur ex Patre, ineffabilis est nativitas : quod in Patre, consubstantialis unitas : quod cum Patre, æqualitas Majestatis. Serm. 5, *de Verbis Isai.*

BOETIUS. 28. Non cœpit unquam esse Pater, eo quod substantialis ei est productio Filii : nihil enim aliud gigni potuit ex Deo, nisi Deus. *De Trinitate.*

S. BONAV. 29. Generatio in divinis, est omnimodæ perfectionis. Super lib. 1, *Sent.*, dist. 9, art. 1, quæst. 1.

30. Generatio Filii in divinis est terminata, si perfectionem ejus respiciamus : si durationem intueamur, cum semper duret, interminata dici debet. *Ibid.*, dist. 9, art. 1, quæst. 4.

CASSIODOR. 31. Dicendo, *hodie*, coæternitatem suæ Majestatis ostendit : *hodie* enim apud Deum nullo initio incipit, nullo fine concluditur. Non est ibi fuit, neque erit ; sed semper manet, semper est. Super *Psalm.* II.

32. Proprium est Patri, quod naturaliter sine initio ante sæcula genuit Filium : proprium est Filio, quod naturaliter a Patre generatus est. Super *Psalm.* L, vers. 13.

33. Genitus est Deus verus de Deo vero, lumen de lumine, immortalis de immortali, invisibilis de invisibili, omnipotens de omnipotente. Super *Psalm* LXI.

S. CYPRIAN. 34. Quomodo sane Deus Pater genuerit Filium, nolo discutias, nec te curiosius inseras in profundi hujus arcanum, ne forte dum inaccessæ lucis fulgorem pertinacius perscrutaris, exiguum ipsum qui mortalibus divino munere concessus est, perdas aspectum. Super *Symbol. Apostolor.*, in illud : *Credo in Deum.*

35. Est Deus Pater, verus veritatis Pater, non extrinsecus creans, sed ex eo quod ipse est Filium generans : id est, quasi sapiens sapientiam, quasi justus justitiam, quasi sempiternus sempiternum, quasi immortalis immortalem, quasi invisibilis invisibilem, quasi lux splendorem, quasi mens Verbum. *Ibid.*, super illud *Joan.*, cap. XIV : *Videt et Patrem.*

S. CYRILLUS ALEX. 36. Christi generationem nulla creata res omnino aut dicendo, aut cogitando assequi potest : sed velut in speculo contemplantes, et genitum esse dicimus, et existere ipsum Patri coæternum. Homil. 12, *de Festis Paschal.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 37. Filius non in temporibus esse cœpit, sed ante sæcula sempiternus, incomprehensibiliter ex Patre genitus. Cateches. 4, *de Christo.*

38. Pater perfectus perfectum genuit Filium omniaque tradit genito. *Ibid.*, cateches. 7.

39. Filius est Dei, non adoptione, sed natura genitus ex Patre. *Prosec.*

40. Qui diligit generantem, diligit et genitum ex eo : qui autem non respicit genitum contumelia afficit genitorem. *Ibid.*, catecheS. 11.

41. Deo Patre generante, neque ignorantia intercedit, neque deliberatio. *Prosec.*

42. Dicere enim quod natum ex se ignorat,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

maxima est impietas : dicere vero quod in tempore considerans, deinceps Pater est factus, ejusdem est impietatis.

43. Non enim prius erat Deus sine prole, successu vero temporis factus est Pater ; sed semper habet Filium, quem genuit, Deum verum. *Ibid.*

44. Genuit Deus unum solum, et qui genuit ille solus novit : et qui ab illo genitus est, novit genitorem. *Prosec.*

45. Neque generans aliquo privatur, neque deest quidquam genito.

46. Neque genitor habet Patrem, neque genitus fratrem, neque generans in Filium mutatus est, neque natus Pater factus.

47. Ex uno solo Patre, unus unigenitus Filius : neque duo ingeniti, neque duo unigeniti.

48. Sed unus est Pater ingenitus, qui Patrem non habet : et unus est Filius æternus, ex Patre natus : non tempore factus, sed ante sæcula genitus : non prosperitate aliqua auctus, sed idem semper, qui et nunc. *Ibid.*

49. Verus Deus non generat falsum, neque deliberans deinceps genuit : sed perpetuo genuit, et verbis cogitationibusque nostris multo celerius genuit. *Ibid.*

50. Similis in omnibus Filius est genitori, vita ex vita genitus, lumen de lumine, et Deus de Deo. *Ibid.*

51. Pater generans Filium mansit Pater, et non alteratur : Sapientiam genuit, sed non insipiens ipse factus : et virtutem generans, ipse non est infirmatus. Deum generans, ipse non est aliquo privatus, neque diminutus quidquam ipse perdidit, neque genitus aliquem defectum habet. *Prosec.*

52. Perfectus genitor, perfectus genitus : Deus genitor, Deus et genitus. *Ibid.*

S. EPIPHAN. 53. Quomodo tu putas majorem esse Patrem Filio? circumferentia, aut mole, aut tempore, aut temporis parte, aut dignitate, aut Deitate, aut immortalitate, aut æternitate ? *Prosec.*

54. Ne putes hæc. Nihil enim in Deitate inæquale est ad Filium : sed prout Pater est, et prout Filius genuinus, honorat suum Patrem.

55. Neque enim mole fertur Deus, ut mole excedat Filium Pater, neque tempori subjacet, ut tempore Pater Filium excedat : neque juxta mensuram in alto locum habet Pater (omnia enim ipse continet, et a nullo continetur) ut Filius inferior intelligatur. In lib. *Ancorato.*

S. FULGENT. 56. Filii generatio inenarrabilis non est, ignorabilis non est, neque enim consequens est, ut quod non potest enarrari, non possit sciri. *Contra Arianos*, resp. 2.

57. Vera et æterna substantia, de qua vera Nativitas extitit, sicut generando minui dividique non potest ita in se tota permanens, totam se coæternæ veritati Nativitatis indulsit. *Prosec.*

58. Ut scilicet gignentis genitique non solum æqualitas absque diversitate consisteret : sed etiam si confusione detrimentoque naturalis unitas permaneret.

59. Divinæ quippe Nativitatis et nomen, et veritas, sicut discretam monstrat gignentis genitique personam ; sic diversam non sinit putari substantiam. *Ibid.*, respons. 7.

60. Deus Filius non discrepat a Patre, immensus non caret Patris æqualitate, nec celsitudine privatur Altissimus, nec est origine posterior sempiternus. *Prosec.*

61. Nam quia in Deo Patre nihil potest esse mutabile, ex Deo natus est Deus : quia nihil locale, ex immenso processit immensus : quia in Deo humile aliquid non est, Altissimum generavit Altissimus ; quia initiatum nihil in Deo poterit reperiri, sempiternum protulit sempiternus.

62. Talis ergo est illa divina inenarrabilisque nativitas, ut quem Pater genuit ex se, haberet in se. Lib. 2, *ad Trasimundum regem*, cap. 3.

63. Natus est de Patre Deo, filius Deus : alter in persona, non alius in natura : semper apud Patrem, semper cum Patre, semper de Patre, semper in Patre. *Prosec.*

64. Semper apud Patrem, cum quo illi est una et naturalis æternitas.

65. Semper de Patre, de quo illi est naturaliter æterna Nativitas.

66. Semper in Patre, cum quo illi est una naturaliter æqualisque divinitas.

67. Et alter quidem ille, qui Pater est ; alter ille, qui Filius est : neuter tamen alter Deus, quia Pater et Filius unus est Deus. Serm. 1, *de Nativit.*

68. Hæc humana generatio Verbi, ex magna parte est inenarrabilis : sed illa divina, tota inenarrabilis est. *Prosec.* GLOSS. ORD.

69. Quia et si dicitur Filius a Patre genitus, tamen qualiter nec apostolus, nec propheta novit, nec Angelus. Super *Matth.*, cap. 1.

70. Christus in eo quod virtus et sapientia Dei est, de Patre ante tempore natus est : vel potius quia nec cœpit nasci, nec desiit ; dicamus verius, semper natus. Lib. 29 *Moral.*, cap. 1. S. GREGOR. MAGNUS.

71. Audis generationem Verbi ; quomodo autem sit, noli nimis curiose inquirere, noli nimis anxie indagare. Orat. 18, *de Statu episcopali.* S. GREGOR. NAZ.

72. Perfecta fides est, Deum de Deo credere. Epist. 12, *advers. Luciferianos.* S. HIERON.

73. Pater ante omne tempus sæcula unigenitum ex iis quæ ingenita ex se erant, procreavit. Lib. 3, *de Trin.*, verbo *Hic ergo.* S. HILARIUS.



74. Ipso quo Pater dicitur, ejus quem genuit auctor ostenditur ; id habens nomen, quod neque profectum ex alio intelligatur, et ex quo is qui genitus est substitisse doceatur. *Ibid.*, lib. 4.

75. Nihil nisi natum habet Filius, et geniti honoris admiratio in honore generantis est. *Ibid.*

76. Non per defectionem, aut protensionem, aut per derivationem ex Deo Deus est : sed ex virtute naturæ in naturam eamdem nativitate substitit Filius. *Ibid.*, lib. 6.

77. Nativitas Dei non potest non eam ex qua profecta est, tenere naturam : neque enim aliud quam Deus substitit, quod non aliunde quam ex Deo Deus substitit. *Ibid.*

78. Eamdem naturam habet genitus, quam ille qui genuit. *Ibid.*

79. Unigenitus Deus, cum natus sit, Patrem testatur auctorem, cum ex manente natus sit, non est natus ex nihilo : et cum ante tempora æterna natus sit, omnem sensum necesse est nascendo præveniat. Lib. 12, *de Trinit.*

80. Natus ex Deo Deus est, ut in eo veræ nativitatis, et perfectæ generationis, et non ambigua divinitas sit. *Prosec.*

81. Nihil enim in rebus Dei, nisi natum æternumque confitemur. Natum autem non post aliquid, sed ante omnia, ut nativitas tantum testetur auctorem, non præposterum aliquid in se auctore significet. *Ibid.*

82. Non naturali necessitate ductus Pater genuit Filium, sed mox ut voluit, sine tempore et impassibiliter ex se eum genitum demonstravit. *De Synodis*, verbo *Consequens*, art. 24.

83. Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit sed naturam Filio dedit ex impassibili nec non nata substantia perfecta nativitas. *De Synodis*, art. 25.

84. Sicut in Patre et Filio credere duos Deos, impium est : ita Patrem et Filium singularem prædicare, sacrilegum est : nihil in eis novum est, nihil alienum, nihil separabile. *Prosec.*

85. Deum ex Deo quod in similitudine generis unum sint negare, blasphemum est. Lib. 7, *de Trin.*

HUGO A S. VICTORE. 86. Sicut Pater natura est Deus, ita natura genuit Filium, et hæc genitura æterna, ineffabilis est. In *Summa sent.*, tract. 1, cap. 7.

87. Quomodo Filius sit genitus impossibile est scire, mens deficit, vox silet, non hominis tantum, sed et angelorum. Credere jubemur, discutere non permittitur. *Ibid.*

HUGO CARD. 88. Christus nec finem habet, nec principium : sed et sine Patre fuit in terris, et sine Matre in cœlis. Super *Genes.*, cap. 14.

S. JOANNES CHRISOST. 89. Non ex tempore aliquod initium habet, qui est ante sæcula : non aliqua factura est, quæ temporibus excludatur : sed in Patris natura manens semper, absque initio invenitur, qui coæternus est Genitori initium non habenti. Homil. *de Fide in Christo.*

90. Dei Filius semper cum Patre et in Patre erat sempiterne, ac sine ullo principio ex ipso genitus. *Prosec.* S. JOANNES DAMASCEN.

91. Neque enim Pater unquam fuit, quin Filius quoque esset : verum simul Pater, simul Filius qui ex ipso genitus est.

92. Neque etiam Pater vocari potest, qui Filio caret : nam si Filio aliquando caruit, Pater certe non erat : Et si postea Filium habuit, postea quoque Pater factus est : cum ante Pater non esset, qua blasphemia nulla gravior excogitari potest. Lib. 1, *de Fide orthodoxa*, cap. 8.

93. Nefas est dicere Deum naturali fœcunditate caruisse, cum fœcunditas in eo posita sit, ut ex seipso, id est, ex propria essentia prolem natura similem edat. *Ibid.*

94. Cum de Filii generatione agitur, tempus intercessisse dicere, impium est, aut Filii substantiam Patre posteriorem constituere. *Ibid.*

95. Unigenitus dicitur Filius, quia solus ex solo Patre singulari modo genitus est. *Prosec.*

96. Neque enim ulla alia generatio est, quæ Filii Dei generationi comparari possit, cum nec alius Dei Filius est. *Ibid.*

97. Filii Dei perfecta nativitas nec cœpit esse, nec desiit ; ne præterita sit, si desiit : et ne imperfecta sit, si adhuc fit. Sed sic æterna est et perfecta, quatenus in ea nativitate æternitas et perfectio habeatur. Lib. 1. *de Summo bono*, cap. 14, sent. 1. S. ISIDORUS HISPALENS.

98. Sicut Mater sine exemplo, genuit auctorem suum : sic ineffabiliter Pater genuisse credendus est coæternum. *Prosec.* LACT. FIRM.

99. De Matre natus est, qui ante jam fuit : de Patre, qui aliquando non fuit. Hoc fides credat, intelligentia non requirat ; ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare. Lib. 2, *de Divin. inst.*, cap. 9.

100. Filius Dei bis natus est : primum in spiritu, postea in carne : æternaliter de Patre, temporaliter de Virgine Matre, sed nativitate inexcogitabili et ineffabili. *Ibid.*, lib. 4, cap. 8.

101. Verus Deus est Filius Dei, totum habens ex Patre quod Pater est, nullo exordio temporalis, nulla varietate mutabilis : nec ab uno divisus nec ab Omnipotente diversus, sempiterni Genitoris unigenitus sempiternus. Serm. 2, *De Resurr. Dom.* S. LEO I.

102. Pater gignit Filium, et spirat Spiritum sanctum : filius gignitur a Patre, et una cum Patre spirat Spiritum sanctum ; et sic Spiritus sanc- LUDOVICUS BLOSIUS.

tus spiratur a Patre et Filio. Lib. 2, *Enchirid. parvulor.*, cap. 10.

103. Pater qui genuit Filium, non potest esse ipse Filius, quem genuit : et Filius qui genitus est a Patre, non potest esse ipse Pater, a quo genitus est. *Ibid.*

104. Generatio Filii Dei de Deo Patre, exemplar et veritas est cujuslibet hujuscemodi productionis naturalis. *Ibid.*

S. MAXIMUS EP. TAURIN.

105. Bis natus est Dei Filius, sed ex duabus nativitatibus, Dei scilicet et hominis, seipsum unigenitus Patris, atque sese hominem unum esse voluit Deum. Homil. 1, *in Natali Dom.*

106. Generatio Christi si enarrari non potest, credi potest : si lingua deficit, fides proficit : magnus enim profectus est fidei, cum tantum de Deo suo concipit, quantum sermo non potest parturire. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST.

107. Generatio Dei initium non habet, nescit finem, non admittit excessum; sed in genitore genitus permanere persistit. Serm. 61.

108. Non conceptione temporum, non passione viscerum : sed Pater Filium generat nobis, dum revelat. Serm. 62.

PETRUS LOMBARDUS MAG. SENT.

109. Filius, qui est divinitas, natus est de Patre, qui est natura divina. Lib. 1, *Sent.*, dist. 5.

110. Nihil habet Filius, nisi natum, id est, nihil habet secundum quod Deus est, nisi quod nascendo accepit, et ipse nascendo Patris in se subsistentem naturam habuit. *Ibid.*

111. Certum est Christum esse filium substantiæ Patris, et de substantia Patris genitum. *Ibid.*

112. Generatio Filii semper est, nec præterit, nec futura est, quia æterna est. *Ibid.*, distinct. 9.

ROBERTUS BELLARM.

113. Nihil lucidius, nihil clarius, nihil splendidius generatione divina, qua lumen de lumine, Deus verus de Deo vero generatur. Conc. 2, *de Nat. Dom.*, part. 2.

RUPERT. ABB.

114. Dei Verbi generationem geminam esse constat : alteram quæ divinitatis, alteram quæ humanitatis est. Lib. 1, super *Genes.*, cap. 2.

S. THOMAS AQUINAS.

115. Filius Dei proprie et vere filius, non est ex nihilo, sed ex tota substantia Patris genitus. Part. 1, quæst. 41, art. 3.

116. Necesse est quod Pater generando Filium, non naturæ in ipsum transfuderit, sed totam naturam ei communicaverit, partem remanente distinctione solum secundum originem. *Ibid.*

117. Nullus modus processionis alicujus creaturæ perfecte repræsentat divinam generationem. *Ibid.*

118. Anima cogitando generat verbum suum, sic, et Filius Dei nihil est aliud quam verbum Dei : non sicut verbum exterius prolatum, quia illud transit : sed sicut verbum interius conceptum, et ideo ipsum Verbum Dei est unius naturæ cum Deo et æquale Deo. Opusc. 6, super *Symbol. Apost.*, art. 2.

S. VINCENT. FERRAR.

119. Impossibile est divinæ Generationis scire secretum : mens deficit, vox silet. Serm. 7, *Dom.* 1, *Advent.*

S. ZENO EP. ET MART.

120. De Deo nascitur Deus, de ingenito unigenitus, de solo solus, de toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus. Serm. 1, *de Filii Dei generat.*

121. De Deo nascitur Deũs, totum Patris habens, nihil derogans Patri, alter retinet in altero, cujusvis gloria communis est honor, quia quod et filii, Patris est, quod Patris, amborum. *Ibid.*, serm. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.

122. Non convenit quod Deus existat solus neque non producat aliud ens nobile receptaculum suæ lucis, intellectum videlicet : sic etiam non decet quod solus intellectus extet, et non subsit opus recipiens ejus luminis splendorem. Lib. 7 *Theolog.*, cap. 2.

TRISMEGIS.

123. Pater omnium intellectus, vita et fulgor existens hominem sibi similem procreavit, atque ei tanquam filio suo congratulatus est : pulcher enim erat, Patrisque sui ferebat imaginem. Lib. *de Potest. et Sap. Dei*, cui titulus *Pimander*, cap. 1.

## GLORIA BONA.

S. ANTONIN. & S. THOMAS AQUINAS.

*Definitio.* Gloria est effectus honoris et laudis; quia ex hoc quod testificamur de bonitate alicujus, clarescit bonitas ejus in notitia plurimorum, et hoc est gloria. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 10, § 1, *Thomas Aquinas.* 2, 2, quæst. 103, art. 2, ad 3.

S. AUGUST.

Gloria est judicium hominum bene de hominibus opinantium. Lib. 5, *de Civit. Dei*, cap. 12.

CASSIODOR.

Gloria est celebre præconium, et frequentata laudatio. Super *Psalm.* XXIII, vers. ultimo.

Gloria est laus facta, celebratione multorum. Super *Psalm.*, vers. 8.

Gloria est multorum ore celebrata laudatio. Super *Psalm.*, vers. 3.

Gloria est bonorum actuum frequentata laudatio. Super *Psalm.* CXLIX, vers. 5.

HUGO CARD.

Gloria est alicujus magnifici late patens præconium; ore multorum celebrata laudatio; clara cum laude notitia. Super *Luc.*, cap. II, *Mystice.*

CICERO.

Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Lib. 2, *de Invent. rhetor.*



*Divisio.* Triplex est gloria : prima temporalis, secunda spiritualis, tertia æternalis : prima est vana, et ideo fugienda; secunda bona, ideo tenenda; tertia optima, ideo appetenda. Serm. 1 *de Uno mart.*

SENECA.

*Differentia.* Quid intersit inter gloriam et claritatem, dicam : Gloria multorum judiciis constat, claritas bonorum tantum. Epist. 102.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS.

1. Impiusipse sibi pœna est : justus autem ipse sibi gloria. Lib. 1 *Offic.*, cap. 12.

2. Quos manet gloria, expectat injuria. *Ibid.*, cap. 16.

3. Isti qui in deliciis, qui in luxuriis, rapinis, quæstibus, honoribus studia posuerunt sua, spectatores magis gloriæ, quam præliatores sunt. *Prosec.*

4. Habent enim lucrum laboris, fructum vero virtutis aut gloriæ non habent. *Ibid.*

S. AUGUST.

5. Gloriam et honorem boni non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem. Lib. 5, *de Civit. Dei*, cap. 12.

6. Paucorum virtus ad gloriam et honorem vera via est. *Ibid.*

7. Non est in bonis gloria temporalis hominum vana quærentium, sed æterna gloria est brevi tempore patientium et sine fine regnantium. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 23.

8. Non est vera gloria, nisi in Ecclesia sancta catholica : alibi enim, id est, vel apud hæreticos, vel apud paganos vera gloria esse non potest. Tract. 100, super *Evang. Joan.*, cap. XVI.

9. Quid stultius, quid insanius quam umbra et imagine et similitudine veræ gloriæ, more infantium decipi et superari, et ipsam gloriam non quærere, non desiderare? *De Triplici habitaculo*, cap. 3.

V. BEDA.

10. Illos expectat gloria, qui gloriosa gerunt certamina. In suis *Proverb.*, verbo *Illos.*

S. BERNARD.

11. Gloria quam ab invicem accipiunt, qui gloriam (quæ est a solo Deo) non requirunt, vana est : sed hæc est vera gloria, quæ est a spiritu veritatis. Serm. 5, *in Adventu.*

12. Non recti, sed perversi est animi, ante quærere gloriam, quam exercere virtutem. *Prosec.*

13. Quæ sine virtute est gloria, profecto indebita venit : præpropere affectatur, et periculose captatur.

14. Virtus gradus est ad gloriam, virtus mater gloriæ est, sola est cui gloria jure debetur, et secure impenditur. Serm. 1, *de S. Victore.*

15. Tutior sua cuique gloria, dum habet eam in semetipso et non in altero. Serm. 25, super *Cant.*

16. Non est quod confundatur in verbo gloriæ, cui multa materies gloriandi est. *Ibid.* serm. 68.

17. Omnis gloria Sanctorum intus, non foris est : hoc est, non in flore fœni, aut in ore vulgi, sed in Domino. *Ibid.*, Serm. 68.

18. Genus clarum, corpus aptum, forma elegans, ingenium velox, eruditionis utilitas, et honestas morum, gloriosa sunt. Epist. 104. *ad Magistr. Galterum.*

19. Duæ sunt gloriæ : est gloria prima, est gloria secunda. Prima virtutis, secunda beatitudinis : una in via, alia in patria. Epist. *ad Quemdam.*

S. BONAV.

20. Non est gloriandum in mundi gloria, quæ est vilissima et mendacissima et malignissima : sed in divina gloria quæ est nobilissima et stabilissima et veracissima. Serm. 1, *de S. Andrea.*

21. Gloria sicut umbra sequitur fugientem, et fugit insequentem. Lib. 1, *de Profectu religios.*, cap. 9.

22. Non potest gloriari veraciter, nisi qui extrinsecas gloriolas perfecte respuerit. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 6.

S. EPHRÆM.

23. Gloria christianorum, Dei præceptum est. *Prosec.*

24. Gloria christianorum, apostolorum est atque prophetarum doctrina.

25. Gloria christianorum, humilitas animi est, spiritalis paupertas atque obedientia.

26. Gloria christianorum, est psalmodia cum compunctione.

27. Gloria christianorum, est pœnitentia cum lacrymis.

28. Gloria christianorum, advenarum est et peregrinorum receptaculum atque compassio.

29. Gloria christianorum, est tribulationes sufferre et non indignari. *De Amore pauper.*

S. EUSEBIUS EMISSEN.

30. Quid diffugis gloriam, quæ plus additur, dum timetur? Homil. *de S. Maximo.*

S. FRANCIS. ASSISIAS.

31. Tanta est gloria, quam expecto, ut omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis, mortificatio omnis. In suis *Opusc.*, apophthegm. 57.

GILLEBERT. ANGLUS.

32. Soli vere gloriosi sunt, qui divinæ dispositioni supponunt studium, solliciti primæ conditionis integram servare gratiam, vel relevare et restaurare corruptam. Serm. 4, super *Cant* Apud., S. Bernard., num. 3.

GLOSS. INT.

33. Gloria perfectorum est principium, et in perfectione Sanctorum, imperfectio est. Super *Num.*, cap. I.

S. GREGOR. MAGNUS.

34. Ipse vere gloriosus est, qui dum seipso perfruitur, accedentis laudis indigens non est. Lib. 32 *Moral.*, cap. 7.

35. Illa sine dubio est vera gloria, quam nul-

lius mœstitiæ obtenebrat pœna. In *Septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* II, vers. 14.

36. Ille vere gloriosus est, qui non de temporali potentia, sed pro Christi nomine de sua passione gloriatur. Lib. 6, in *Registro*, indict. 15, cap. 169, epist. 5, *ad Cyriacum episcopum Constantinopolit.*

S. HIERON. — 37. Difficile, imo impossibile est, ut et in cœlo, et in terra appareat quis gloriosus. Epist. 34, *ad Julian.*

38. Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

39. In usu debet esse quod præmium generat, et optabile quod gloriam parit. Epist. 6, *ad Amicum.*

40. Magna gloria est, de imis ad summa crescere, de nihilo ad maxima pervenire, de limo ad cœlum, de servitute ad regnum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. V, in illud : *Sed et gloriamur.*

HUGO A S. VICTORE. — 41. Duo quædam sunt omnibus necessaria : justitia et gloria. Justitia in mundo, gloria in cœlo : justitia in merito, gloria in præmio. Serm. 58, *de Divers.*

HUGO CARD. — 42. Melior est gloria propriæ conscientiæ, quam vana gloria laudis humanæ. Super *Ecclesiasten*, cap. X.

43. Revera non erunt socii in gloria, qui noluerunt esse socii in miseria. Super I *Cor.* I.

IDIOTA. — 44. Gloria cujuslibet hominis est sanctitas vitæ. Lib. 5, *de Contemplat. mortis*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. — 45. Quanta gloriæ magnitudine feruntur virtutis asseclæ! Homil. 25, super *Genes.*

46. Gloria quæ ab hominibus imitatur, brevi subvertitur : gloria autem Dei immobilis manet in perpetuum. Homil. 4, *de Fide Annæ.*

47. Multi a periculis liberantur, gloriosam tamen vitam non habent : alii e contra, gloria quidem et claritate fruuntur, periculis tamen ob hanc gloriam non carent. *Ibid.*

48. Si glorificari cupis, gloriam despice, et omnes antecelles gloria. Homil. 4, super *Matth. Oper. perf.*

49. Ad acquirendam gloriam, contraria est omnino ostentatio : nam ad quod festinanter pergimus, ad illud impedimento solet esse maximo. *Ibid.*, homil. 72.

50. Gloria cœlestis, gloria est vera, quæ non homines, sed angelos, et archangelos, et angelorum Dominum, imo et cum his etiam homines laudatores habet. Homil. 28, super *Joan.*

51. Plus gloriæ ex fide, quam ex operibus ad Deum redit : qui enim ex operibus gloriatur, proprios labores ostendit : qui vero in eo gloriatur quod Deo fidem habeat, multo majorem gloriandi occasionem ostentare potest, quia Deum et glorificat et magnificat. Serm. 8, super *Epist. ad Rom.*

52. Si vis gloria fulgere, gloriam contemne : sin gloriam sectaberis, gloria excides. Homil. 29, super II, *Cor.*

53. Quemadmodum dives est, non qui multis, sed qui nullo eget : ita gloriosus est, non is qui gloriæ amans est, sed illius contemptor. *Ibid.*

54. Gloria illa sola permanet, quæ naturalis est, quæ in intimis conditur. Homil. 2, super *Epist. ad Tit.*

55. Non prohibeo gloriam appeti, sed illa volo ambiatur gloria, quæ vera est, quæ ex Deo est. *Ibid.*

56. Nihil vera gloria felicius, nihil beatius nihil cui majori desiderio studendum sit. Homil. 5, super *Epist ad Titum.*

57. Hominis gloria est fides recta, zelus in Deum, charitas, humilitas, mansuetudo, assidua oratio, eleemosynæ, et cætera universa virtutis membra. Homil. 7, *de Pœnit.*

58. Quanto quis acerbiora passus fuerit, tanto magis gloria excrescit. Homil. 22, super *Epist. ad Hebr.*

59. Contemne gloriam, et eris gloriosus. *Ibid.*, homil. 25.

60. Nequit alio pacto acquiri gloria, quam gloriam fugiendo. Nam donec eam persequimur, fugit nos : quando vero eam fugimus, persequitur ipsa nos. Serm. 7, super *Epist. ad Philip.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. — 61. Sola virtus præclaram, et nunquam intermorituram gloriam obtinet : quæ nec vetustati cedit, nec oblivione conteritur, nec marcescit : verum recentem semper ac vegetam et florentem habeat propaginem. Lib. 2, epist. 286, *ad Philoxen.*

62. Bona gloria est ei, qui ad laborantium et oppressorum subsidium et defensionem ea utitur. *Ibid.*, lib. 3, epist. 172, *ad Arsenuphium.*

PHILO JUD. — 63. Gloria insipientis, malitiam reddit illustriorem : sicut gloria justi, virtutem nobiliorem. Lib. *de Plant. Noe.*

S. PROSPER. — 64. Hæc est verissima gloria, si non in se, sed in Domino quique glorientur. Epist. *ad Rufin.*, cap. 2, *de Lib. arbit.*

PRUDENT. POETA. — 65. Probitate coacta,
Gloria nulla venit, sordetque ingloria virtus.
In *Amartigenia adversus Marcionitas.*

ROBERTUS BELLARM. — 66. Is apud homines gloriam adipisci dicitur, cujus nomen fama deferente multis innotescit. Conc. 12, super *Psalm.* XC, part. 2.

S. THOMAS AQUINAS. — 67. De Catone Salustius dicit, quod quo magis gloriam fugiebat, eo magis eum gloria sequebatur. 2, 2, quæst. 32, art. 3.



68. Gloria corporis resultat ex gloria animæ. Part. 3, quæst. 49, art. 6.

THOMAS A KEMPIS. — 69. Qui veram gloriam desiderat, temporalem non curat : et qui temporalem requirit gloriam, minus amare convincitur cœlestem. Lib. 2, *de Imit. Christi*, cap. 6, sect. 2.

70. Omnes Sancti quanto altiores in gloria, tanto humiliores in seipsis, et Deo viciniores existunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 58, sect. 8.

S. VALER. EPISCOPUS. — 71. Quicunque movetur aliena bona gloria, currat post bonos, et elaboret ut apprehendat, et ut præcedat, tantum ut sine livore contendat. Homil. 13.

IN VITIS PATR. — 72. Nisi Deus glorificaverit hominem, gloria hominum nunquam stat. Lib. 5 libell. 8, num. 15.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. — 73. Gloria est cum virtuosus a cunctis existimatur. Lib. 1 *Rhetoric.*, cap. 5.

CICERO. — 74. Nihil vera gloria dulcius, nihil charius, nihil optatius. Orat. 47, *Philipp.* 5, num. 50.

75. Decus veræ gloriæ in virtute positum est. Lib. 10, epist. 12, *ad Plancum.*

76. Gloria est solida quædam res et expressa, non adumbrata ; sed virtuti consona. Lib. 3, *Tusc. quæst.* num. 3.

77. Ex omnibus præmiis virtutis, amplissimum est præmium, gloria hæc una, cujus gradibus homines in cœlum ascendere videntur. Orat. 38, *pro Milone*, num. 97.

78. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur : ficta vero omnia celeriter tanquam flosculi decidunt : qui igitur adipisci veram gloriam volet, justitiæ fungatur officiis. Lib. 2, *de Offic.*

PLINIUS II. — 79. Sequi gloria, non appeti debet : nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum est. Lib. 1, epist. 8, *ad Pompeium Saturnin.*

80. Honor et gloria satietate languescit. Lib. 1, epist. 16, *ad Septitium Clarum.*

81. Patet omnibus honoris et gloriæ campus. In *Panegyr. de Trajano augusto.*

SENECA. — 82. Gloria umbra virtutis est, etiam invitos comitatur. *Protec.*

83. Quemadmodum umbra aliquando antecedit, aliquando sequitur : ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se præbet : aliquando in averso est, majorque quo serior, ubi invidia secessit. Epist. 79.

84. Nihil per se gloriosum, sed quidquid virtus tractat, gloriosum facit. Epist. 82.

85. Heu quam difficile est gloriæ custodia! In suis *Prov.*

SIXT. PHIL. — 86. Sapientis viventis quidem parva est apud homines opinio, defuncti vero gloria prædicatur. *Sent.* 56.

VALERIUS MAXIMUS. — 87. Virtutis uberrimum alimentum est verus honor et gloria. Lib. 2, *Dictor. memorabil.*, cap. 1.

Vide etiam tit. *Gloria vana*, sent. 5, 136, 146 ; *Virtus*, sent. 238.

## GLORIA VANA.

HUGO CARD. — *Etymologia.* Gloria mundana non habet substantiam, et ideo inanis et vana dicitur, quia cito evanescit. Super II *ad Cor.* cap. 11.

S. BERNARD. — *Definitio.* Inanis gloria nihil aliud est quam aurium inflatio vana, quæ haberi vix potest sine invidia. Serm. *de Quinque negotiat.*

S. BONAV. — Inanis gloria est amor laudis propriæ, propter excellentiam apparentem. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 18.

HUGO A S. VICTORE. — Vana gloria est placendi desiderio mota utriusque hominis incompetens agitatio. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 4.

HUGO CARD. — Inanis gloria est, quæ de bono quod non habet quærit laudes hominum. Super III *Reg.*, cap. XI.

S. JOAN. CLIM. — Cenodoxia est simplicitatis amissio, fictaque institutio. *Gradu* 21.

JOAN. GERS. — Vana gloria est vitium, quo quis solum aut principaliter quærit in actibus suis vane laudari. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Temperantia.*

S. MAXIMUS MART. — Vana gloria est recessus a scopo divino, et ad alium scopum quam divinum transitus. Centuria 3, *de virtute et vitio*, cap. 65.

S. NILUS. — Inanis gloria est animi perturbatio rationi contraria, quæ omnibus virtutis operibus facile implicatur. Orat. 7, *de Inani gloria.*

SENECA. — Gloria mundana, vanum et volatile quiddam est, auraque mobilius. Epist. 123.

S. AMBROS. — *Productio.* Inanis gloria, cum plene mentem ceperit, mox septiformem in illa nequitiam gignit inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, ac novitatis præsumptionem. Precat. 2, *ante Missam.*

S. EPHRÆM. — Vana gloria voluptatis, iræ, et mœroris procreatrix est. *Adhortat.* 1.

S. GREGOR. MAGNUS. — De inani gloria, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia, et novitatum præsumptiones oriuntur. Lib. 31, *Moral.*, cap. 17, super illud : *Job.*, XXXIX : *Exhortationem ducum.*

HUGO A S. VICTORE. — In vanæ gloriæ comitatu, sunt hypocrisis, inobedientia, jactantia, novitatum præsumptio, arrogantia, loquacitas, pertinacia. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 4.

S. JOAN. CLIM. — Vermis dum excreverit, natis alis in sublime subvectus est ; et consummata inanis gloria, superbiam parit, quæ malorum omnium dux, princeps, et consummatio est. *Gradu* 21.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lius mœstitiæ obtenebrat pœna. In *Septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* II, vers. 14.

36. Ille vere gloriosus est, qui non de temporali potentia, sed pro Christi nomine de sua passione gloriatur. Lib. 6, in *Registro*, indict. 15, cap. 169, epist. 5, *ad Cyriacum episcopum Constantinopolit.*

S. HIERON. 37. Difficile, imo impossibile est, ut et in cœlo, et in terra appareat quis gloriosus. Epist. 34, *ad Julian.*

38. Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

39. In usu debet esse quod præmium generat, et optabile quod gloriam parit. Epist. 6, *ad Amicum.*

40. Magna gloria est, de imis ad summa crescere, de nihilo ad maxima pervenire, de limo ad cœlum, de servitute ad regnum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. V, in illud : *Sed et gloriamur.*

HUGO A S. VICTORE. 41. Duo quædam sunt omnibus necessaria : justitia et gloria. Justitia in mundo, gloria in cœlo : justitia in merito, gloria in præmio. Serm. 58, *de Divers.*

HUGO CARD. 42. Melior est gloria propriæ conscientiæ, quam vana gloria laudis humanæ. Super *Ecclesiasten*, cap. X.

43. Revera non erunt socii in gloria, qui noluerunt esse socii in miseria. Super I *Cor.* I.

IDIOTA. 44. Gloria cujuslibet hominis est sanctitas vitæ. Lib. 5, *de Contemplat. mortis*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 45. Quanta gloriæ magnitudine feruntur virtutis asseclæ! Homil. 25, super *Genes.*

46. Gloria quæ ab hominibus imitatur, brevi subvertitur : gloria autem Dei immobilis manet in perpetuum. Homil. 4, *de Fide Annæ.*

47. Multi a periculis liberantur, gloriosam tamen vitam non habent : alii e contra, gloria quidem et claritate fruuntur, periculis tamen ob hanc gloriam non carent. *Ibid.*

48. Si glorificari cupis, gloriam despice, et omnes antecelles gloria. Homil. 4, super *Matth. Oper. perf.*

49. Ad acquirendam gloriam, contraria est omnino ostentatio : nam ad quod festinanter pergimus, ad illud impedimento solet esse maximo. *Ibid.*, homil. 72.

50. Gloria cœlestis, gloria est vera, quæ non homines, sed angelos, et archangelos, et angelorum Dominum, imo et cum his etiam homines laudatores habet. Homil. 28, super *Joan.*

51. Plus gloriæ ex fide, quam ex operibus ad Deum redit : qui enim ex operibus gloriatur, proprios labores ostendit : qui vero in eo gloriatur quod Deo fidem habeat, multo majorem gloriandi occasionem ostentare potest, quia Deum et glorificat et magnificat. Serm. 8, super *Epist. ad Rom.*

52. Si vis gloria fulgere, gloriam contemne : sin gloriam sectaberis, gloria excides. Homil. 29, super II, *Cor.*

53. Quemadmodum dives est, non qui multis, sed qui nullo eget : ita gloriosus est, non is qui gloriæ amans est, sed illius contemptor. *Ibid.*

54. Gloria illa sola permanet, quæ naturalis est, quæ in intimis conditur. Homil. 2, super *Epist. ad Tit.*

55. Non prohibeo gloriam appeti, sed illa volo ambiatur gloria, quæ vera est, quæ ex Deo est. *Ibid.*

56. Nihil vera gloria felicius, nihil beatius nihil cui majori desiderio studendum sit. Homil. 5, super *Epist ad Titum.*

57. Hominis gloria est fides recta, zelus in Deum, charitas, humilitas, mansuetudo, assidua oratio, eleemosynæ, et cætera universa virtutis membra. Homil. 7, *de Pœnit.*

58. Quanto quis acerbiora passus fuerit, tanto magis gloria excrescit. Homil. 22, super *Epist. ad Hebr.*

59. Contemne gloriam, et eris gloriosus. *Ibid.*, homil. 25.

60. Nequit alio pacto acquiri gloria, quam gloriam fugiendo. Nam donec eam persequimur, fugit nos : quando vero eam fugimus, persequitur ipsa nos. Serm. 7, super *Epist. ad Philip.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 61. Sola virtus præclaram, et nunquam intermorituram gloriam obtinet : quæ nec vetustati cedit, nec oblivione conteritur, nec marcescit : verum recentem semper ac vegetam et florentem habeat propaginem. Lib. 2, epist. 286, *ad Philoxen.*

62. Bona gloria est ei, qui ad laborantium et oppressorum subsidium et defensionem ea utitur. *Ibid.*, lib. 3, epist. 172, *ad Arsenuphium.*

PHILO JUD. 63. Gloria insipientis, malitiam reddit illustriorem : sicut gloria justi, virtutem nobiliorem. Lib. *de Plant. Noe.*

S. PROSPER. 64. Hæc est verissima gloria, si non in se, sed in Domino quique glorientur. Epist. *ad Rufin.*, cap. 2, *de Lib. arbit.*

PRUDENT. POETA. 65. Probitate coacta,

Gloria nulla venit, sordetque ingloria virtus.

In *Amartigenia adversus Marcionitas.*

ROBERTUS BELLARM. 66. Is apud homines gloriam adipisci dicitur, cujus nomen fama deferente multis innotescit. Conc. 12, super *Psalm.* XC, part. 2.

S. THOMAS AQUINAS. 67. De Catone Salustius dicit, quod quo magis gloriam fugiebat, eo magis eum gloria sequebatur. 2, 2, quæst. 32, art. 3.



68. Gloria corporis resultat ex gloria animæ. Part. 3, quæst. 49, art. 6.

THOMAS A KEMPIS. 69. Qui veram gloriam desiderat, temporalem non curat : et qui temporalem requirit gloriam, minus amare convincitur cœlestem. Lib. 2, *de Imit. Christi*, cap. 6, sect. 2.

70. Omnes Sancti quanto altiores in gloria, tanto humiliores in seipsis, et Deo viciniores existunt. *Ibid.*, lib. 3, cap 58, sect. 8.

S. VALER. EPISCOPUS. 71. Quicunque movetur aliena bona gloria, currat post bonos, et elaboret ut apprehendat, et ut præcedat, tantum ut sine livore contendat. Homil. 13.

IN VITIS PATR. 72. Nisi Deus glorificaverit hominem, gloria hominum nunquam stat. Lib. 5 libell. 8, num. 15.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 73. Gloria est cum virtuosus a cunctis existimatur. Lib. 1 *Rhetoric.*, cap. 5.

CICERO. 74. Nihil vera gloria dulcius, nihil charius, nihil optatius. Orat. 47, *Philipp.* 5, num. 50.

75. Decus veræ gloriæ in virtute positum est. Lib. 10, epist. 12, *ad Plancum.*

76. Gloria est solida quædam res et expressa, non adumbrata ; sed virtuti consona. Lib. 3, *Tusc. quæst.* num. 3.

77. Ex omnibus præmiis virtutis, amplissimum est præmium, gloria hæc una, cujus gradibus homines in cœlum ascendere videntur. Orat. 38, *pro Milone*, num. 97.

78. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur : ficta vero omnia celeriter tanquam flosculi decidunt : qui igitur adipisci veram gloriam volet, justitiæ fungatur officiis. Lib. 2, *de Offic.*

PLINIUS II. 79. Sequi gloria, non appeti debet : nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum est. Lib. 1, epist. 8, *ad Pompeium Saturnin.*

80. Honor et gloria satietate languescit. Lib. 1, epist. 16, *ad Septitium Clarum.*

81. Patet omnibus honoris et gloriæ campus. In *Panegyr. de Trajano augusto.*

SENECA. 82. Gloria umbra virtutis est, etiam invitos comitatur. *Protec.*

83. Quemadmodum umbra aliquando antecedit, aliquando sequitur : ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se præbet : aliquando in averso est, majorque quo serior, ubi invidia secessit. Epist. 79.

84. Nihil per se gloriosum, sed quidquid virtus tractat, gloriosum facit. Epist. 82.

85. Heu quam difficile est gloriæ custodia! In suis *Prov.*

SIXT. PHIL. 86. Sapientis viventis quidem parva est apud homines opinio, defuncti vero gloria prædicatur. *Sent.* 56.

VALERIUS MAXIMUS. 87. Virtutis uberrimum alimentum est verus honor et gloria. Lib. 2, *Dictor. memorabil.*, cap. 1.

Vide etiam tit. *Gloria vana*, sent. 5, 136, 146; *Virtus*, sent. 238.

## GLORIA VANA.

HUGO CARD. *Etymologia.* Gloria mundana non habet substantiam, et ideo inanis et vana dicitur, quia cito evanescit. Super II *ad Cor.* cap. 11.

S. BERNARD. *Definitio.* Inanis gloria nihil aliud est quam aurium inflatio vana, quæ haberi vix potest sine invidia. Serm. *de Quinque negotiat.*

S. BONAV. Inanis gloria est amor laudis propriæ, propter excellentiam apparentem. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 18.

HUGO A S. VICTORE. Vana gloria est placendi desiderio mota utriusque hominis incompetens agitatio. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 4.

HUGO CARD. Inanis gloria est, quæ de bono quod non habet quærit laudes hominum. Super III *Reg.*, cap. XI.

S. JOAN. CLIM. Cenodoxia est simplicitatis amissio, fictaque institutio. *Gradu* 21.

JOAN. GERS. Vana gloria est vitium, quo quis solum aut principaliter quærit in actibus suis vane laudari. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Temperantiæ.*

S. MAXIMUS MART. Vana gloria est recessus a scopo divino, et ad alium scopum quam divinum transitus. Centuria 3, *de virtute et vitio*, cap. 65.

S. NILUS. Inanis gloria est animi perturbatio rationi contraria, quæ omnibus virtutis operibus facile implicatur. Orat. 7, *de Inani gloria.*

SENECA. Gloria mundana, vanum et volatile quiddam est, auraque mobilius. Epist. 123.

S. AMBROS. *Productio.* Inanis gloria, cum plene mentem ceperit, mox septiformem in illa nequitiam gignit inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, ac novitatis præsumptionem. Precat. 2, *ante Missam.*

S. EPHRÆM. Vana gloria voluptatis, iræ, et mœroris procreatrix est. *Adhortat.* 1.

S. GREGOR. MAGNUS. De inani gloria, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia, et novitatum præsumptiones oriuntur. Lib. 31, *Moral.*, cap. 17, super illud : *Job.*, XXXIX : *Exhortationem ducum.*

HUGO A S. VICTORE. In vanæ gloriæ comitatu, sunt hypocrisis, inobedientia, jactantia, novitatum præsumptio, arrogantia, loquacitas, pertinacia. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 4.

S. JOAN. CLIM. Vermis dum excreverit, natis alis in sublime subvectus est ; et consummata inanis gloria, superbiam parit, quæ malorum omnium dux, princeps, et consummatio est. *Gradu* 21.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. NILUS. *Comparatio.* Inanis gloria est veluti scopulus sub aqua latitans, ad quem si navem illiseris, peristi. Orat. 7, *de Inani gloria.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non desidiosis et tepidis, neque inertibus et incultis, sed magis quibusdam animis sedulis, et bonorum actuum probitate luculentis, diabolus per gloriam irrepsit humanam; et quos pulsione non movit, elatione dejecit. Quanto elatiores erant meritis, tanto eos aptiores suis invenit insidiis. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriad.*.

2. Vigilant tentatoris insidiæ, ut ubi proficit devotio, subrepat elatio : et ut homo de bono opere in se potius quam in Domino glorietur. *Ibid.*

3. Nihil magis fugiendum est, quam appetitus gloriæ, quæ virtutem negat divini operis, amore propriæ dignitatis. *Prosec.*

4. Et cum aliæ cupiditates ea tantum bona, quibus adversantur, imminuant : hæc dum omnia ad se trahit, simul universa corrumpit. Lib. 10, epist. *ad Demetriad.*

S. ANSELM. 5. Gloriatio christiani non est, nisi in nomine crucifixi Jesu Christi. In *Speculo Evangelici sermonis*, cap. 2.

S. ANTONIN. 6. Primogenita superbiæ filia, est vana gloria. Part. 2, tit. 4, cap. 1.

7. Nulla est tam excelsa virtus, quæ dulcedine vanæ gloriæ non tangatur. *Ibid.*

8. Inanis gloria prima est, quæ campum intrat contra virtuosos pugnatura, ultima est in recessu : nullus enim evadit, quin ab ea aliquando non feriatur. *Ibid.*

9. Finis inanis gloriæ, est manifestatio propriæ excellentiæ . *Ibid.*, cap. 1, § 3.

S. ANTONIUS DE PADUA. 10. Filia tua est operatio tua, quam tunc in prostibulo ponis, cum ipsam in lupanari mundi pro denario vanæ gloriæ vendis. Serm. *Dom.* 3, *post Epiphan.*, super illud *Levit.* XIX : *Filiam tuam ne prostituas.*

11. O infelix commercium ! prò vento humani oris, vendere præmium regni cœlestis. Serm. *Dom.* 3, *post Pascha.*

12. Semina sunt bona opera, quæ sole vanæ gloriæ arescunt : quidquid enim propter vanam gloriam facis, totum amittis. *Ibid.*

S. AUGUST. 13. Sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur, ideoque non jam de ipso gloriæ contemptu gloriatur : non enim eam contemnit, cum gloriatur intus. Lib. 10 *Confess.*, cap. 38.

14. Vanitas laudis humanæ, nihil ad cibandum affert, nisi inane et inflatum. Epist. 56, *ad Dioscor.*

15. Quid ista cæcitate tenebrosius, ad obtinendam inanissimam gloriam, errorem hominis aucupari, et Deum testem in corde contemnere? De Exposit. super *Epist. ad Galat.*, cap. VI.

16. Hoc vitium inimicum est piæ fidei, si major in corde sit cupiditas gloriæ, quam Dei timor et amor. Lib. 5, *de Civit. Dei*, cap. 14.

17. Non fore quisquam est, qui humanam non appetat gloriam. Super *Psalm.* I, vers. 1 : *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.*

18. Qui bene didicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit hoc vitium inanis gloriæ, vel solum, vel maxime cavendum esse perfectis : quo primo enim vitio lapsa est anima hoc ultimum vicit. Super *Psalm.* VII, vers. 5.

S. BASILIUS MAGNUS. 19. Multi pro misera gloriola vitam suam exponunt, ac amittunt. Conc. 26, *de S. Mamante.*

20. Vanam gloriam quam maxime fugere convenit, quæ non ante labores a laborando abducit, sed post labores coronis spoliat, et tanquam insidiatrix salutis nostræ virtutes dejicere contendit. In *Const.*, cap. 10.

21. Vana gloria ubi viderit pietatis mercatorem, omnibus virtutum mercibus onerariam mentis navem implevisse, tunc commota sua procella, evertere ac submergere navem conatur. *Ibid.*

22. Fugiamus vanam gloriam, dulcem illum spiritualium divitiarum prædonem, jucundum animarum nostrarum hostem, virtutum vermem, cum voluptate nostra deprædantem. *Prosec.*

23. Qui propriæ fraudis venenum melle colorat, et menti hominum perniciosum poculum porrigit, ut vitia inexplebiliter exsatientur. *Ibid.*

24. Dulcis res est humana gloria ineruditis, et alias captos ab ipsa a recto judicio facile aberrare facit. *Ibid.*

V. BEDA. 25. Virtutis fructum, sapiens in conscientia, minus perfectus ponit in gloria. In suis *Proverb.*, verbo *Virtutis.*

S. BERNARD. 26. Infelix homo, qui sæcularis colit gloriæ vanitatem. Serm. 3 *Adventus.*

27. Vana gloria immanis est bestia, flatu igneo quidquid attigerit, necat. Serm. 13, super *Qui habitat.*

28. Omnis qui de virtutum eminentia ad inanis gloriæ sese dimittit et dejicit appetitum, haud dubium quin Domino virtutum, qui tanta inter nos toleravit, ut nobis formam hujus imprimeret sanctitas, pro gratia contumeliam reddat. Serm. 14, super *Qui habitat.*

29. Vana gloria basiliscus est. *Ibid.*

30. Time sagittam, leviter volat, leviter penetrat ; sed dico tibi, non leve infligit vulnus, cito interficit : nimirum sagitta hæc, vana gloria est. Serm. 6, super *Qui habitat.*



31. Non videntes necat inanis gloria, cæcos et negligentes, qui se ei ostentant, qui se exponunt, et non potius ipsi inspiciunt, non attendunt, non discutiunt illam, non vident denique quam sit frivola, quam sit caduci, quam vana, quam inutilis. *Ibid.*, serm. 14.

32. Si propriam gloriam quæris, florenti invides, absenti detrahis, reponis lædenti. Serm. 24, super *Cant.*

33. Quo gloria plus affectatur, eo minus apprehenditur, ubi deprehenditur affectari : quid tam inglorium, quam gloriæ cupidum deprehendi? Epist. 26, *ad Episcopos Aquitaniæ.*

34. O stulti filii Adam, qui contemnentes pacem, et gloriam appetentes, et pacem perdunt, et gloriam ! *Ibid.*

35. Amator vanæ gloriæ, verba sanctorum habet, vitam non habet : unde possit laudari, agere non quiescit. *De Ordine vitæ.*

36. Vana est gloria hujus mundi, brevis est, modica hujus sæculi gloria, caduca, fragilis. Serm. 8, *ad Sororem.*

37. Sicut ex alto aquila ad escam descendit, sic homo de alto bonæ conversationis per vanæ gloriæ appetitum ad inferiora demergitur. *Ibid.*, serm. 38.

BONAV. 38. Quanto minus quis gloriam terrenorum æstimat, tanto magis calcat : et quanto magis eam calcat, tanto ab sublimiora surripitur, et ita tanto major efficitur. Super *Lucam*, cap. 14.

39. Quid est gloria vana, nisi lignum putridum de nocte lucens? Serm. 11, *de S. Andrea.*

40. Ubi nunc gloria Assueri, qui centum et viginti septem provinciis imperavit? ubi nunc gloria illius maximi Alexandri, in cujus conspectu omnis terra siluit? ubi nunc gloria totius Romani imperii, quod ad modum ferri omnia regna terræ perdomuit? deperiit, et quasi flos fœni decidit atque exaruit. *Ibid.*

41. Humana gloria propter quatuor ab homine est fugienda : primo, quia vilissima ex sua conditione ; secundo, quia vanissima, sive fragilissima in duratione ; tertio, quia falsissima in promissione; quarto, quia malignissima in retributione. *Ibid.*

42. Gloria vana homines fallit : nomina unum solum, si poteris, quem ipsa non fefellit. Quem enim regum vel cæsarum non decepit? longam et honorabilem vitam, pacificam et securam potentiam suis amatoribus promittit, cum unum momentum temporis addere vitæ non possit. *Prosec.*

43. Quis in gloria Alexandro similis? qui nullum unquam bellum perdidit, sed cum paucis multitudinem sæpe vicit : nullam civitatem obsedit, quam non ceperit : nullam provinciam invasit, quam non suæ ditioni submiserit? Et tamen quando se omnia subjugasse credidit, et pacifice ducere vitam speravit, tunc in momento admodum aquæ torrentis deperiit. *Ibid.*

44. Fluit mundana gloria ad modum navis mare sulcantis, ad modum avis per aera velociter transeuntis, et ad modum torrentis velocissime currentis, et plus vanescentis. *Ibid.*

45. Non est gloriandum in mundi gloria, quæ est vilissima, et mendacissima, et malignissima : sed in divina gloria, quæ est nobilissima et stabilissima et veracissima. *Ibid.*

46. Gloriam vanam cupere, ingloriatio est. Lib. 2, *Pharetræ*, cap. 7.

47. Vana gloria pingit sibi quoslibet ornatus, ut inde possit laus hominum acquiri. Lib. 2 *de Profectu relig.*, caq. 15.

S. CYPRIAN. 48. Laus importuna subtilissimis aculeis penetrans animam, dum extolit, emollit : et pungit cum ungit. *De Jejunio et tent.*, cap. 1.

49. Inanis gloria virtutem in hypocrisim vertit, et simpliciter inchoata pervertit. *Ibid.*

50. Inanis gloria, quasi tinea, quod integrum erat, rodit et occupat, et sanctitatis fundamenta evellit et dissipat. *Ibid.*

51. Inanis gloria subtilissimum malum est, proprio laqueo hypocritam jugulat, et propriis armis sanctitatem impugnat. *Ibid.*

52. Mens veneno inanis gloriæ imbuta, in miseriis deliciatur, et occupata hac scabie, in ulceribus gloriatur. *Ibid.*

DIONYSIUS CARTHUS. 53. Vitanda est vana gloria, quæ est vitium periculosum et inquietum, quod vere devotos solet multum vexare ; et quo magis dejicitur, magis insurgit. *De Profess. monast.*, art. 18.

S. EUSEBIUS CÆSAR. 54. Multi bona faciunt, quorum fructus surripit humanæ laudis appetitus. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

S. FRANC. ASSISIAS. 55. Levi mercede vanæ gloriæ rem impretiabilem sæpe contingit amitti ; et illum qui dedit, ad non dandum iterum, facile provocari. In suis *Opusc.*, apophtegm. 28.

GLOSS. ORD. 56. Cavendum est ne forte expulsis peccatis a carne insurgat spiritalis bestia, id est vana gloria quæ difficilius extirpatur, quam carnalia vitia. Super *Deuter.*, cap. VII.

GLOSS. INT. 57. Non debet extolli in his quæ agit, qui nescit quomodo huc venit, vel quomodo, vel quando exhibit. Super *Job*, cap. 38.

GLOSS. ORD. 58. Inanis gloria suggerit præesse, ut pluribus prosit. *Ibid.*, cap. 39.

GLOSS. INT. 59. Quo altius homines eriguntur in gloria terrena; quæ est in imo, eo profundius in barathrum merguntur. *Ibid.*, cap. 40.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

GLOSS. ORD. 60. Duplici ratione jubemur attendere a vanæ gloriæ cupidis, ne vel eorum simulatione decipiamur, vel eorum exemplo ad amorem temporalium inflammemur. Super *Lucam*, cap. 20,

61. Inanis gloriæ est, velle vincere ubi præmium non est. Super *Epist. ad Galat.*, cap. v, in illud : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.*

S. GREGOR. MAGNUS. 62. Cuncti vanæ gloriæ sectatores, dum se hominibus præferunt, alios quidem de fatuis sensibus, alios autem de indignis meritis judicant, alios censent nihil scire, alios non bene vivere. Liv. 23, *Moral.*, cap. 3.

63. Auget reatum culpæ sequentis, præconium gloriæ præcedentis. *Ibid.*, lib. 18, cap. 19.

64. Qui gloriosos quosque subito dejectos, aut fortasse morientes aspiciunt, quia humana gloria omnino nihil sit, cum gemitu fatentur. *Prosec.*

65. Tunc est humana elatio pensanda quam nihil sit, cum sese super cæteros successibus extollit. *Ibid.*, lib. 6, cap. 4.

66. Cum transit quod extollitur, permanet quod punitur. *Ibid.*

67. Gravis labor est hanc ipsam præsentis vitæ gloriam quærere, quæsitam quandoque percipere, et perceptam cum gravi circumspectione custodire. *Ibid.*, cap. 7.

68. Cum bene vivitur, valde cavendum est, ne mens despectis cæteris, de gloria singularitatis elevetur. *Ibid.*, cap. 16, num. 21.

69. Iniquorum gloria cum plerumque in annorum multitudinem tenditur, ab infirmorum mentibus esse longa, et quasi stabilis æstimatur : sed postea brevem fuisse innotescit. *Ibid.*, lib. 17, cap. 5, num. 4, super illud *Job* XXIV : *Elevati sunt ad modicum.*

70. Præsens vitæ gloria quasi in alto cernitur, sed nulla stabilitate solidatur. *Ibid.*, lib. 20, cap. 24.

71. Inanis gloria dum oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit : qui nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. *Ibid.*, lib. 31, cap. 17, num. 31.

72. Inanis gloria dicit : Debes majora appetere, ut quo potestate valueris multos excedere, eo etiam valeas multis prodesse. *Ibid.*, num. 32.

73. Cor carnale dum hujus vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit. Homil. 32, super *Evang.*

74. Semper hæc ad memoriam revoces, ut surgentem cordis gloriam memoria reatus premat. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 58, epist. 58, *ad Augustin. episc. Anglor.*

75. Qui in hac vita gloriam percipit, quam reliquit, ab illa cadit quæ post hanc venit. Lib. 1, in *Regist*, indict. 9, cap. 5, epist. 5, *ad Theotistam.*

76. Qui gloriosa falsa subnixi sunt, a gloria vera evacuantur. *Ibid.*

S. GREGOR. NAZ. 77. Inanis gloriæ studium hominibus magnum affert virtutis impedimentum. De sua fuga, in medio, pagina 13.

78. Omnis gloria humana tanquam gravis domina, et ægritudo molesta, abjicienda est. Orat. 6, *in Funere Cæsarii fratris sui.*

HESYCHIUS. 79. Laudibus vana crescit gloria. Lib. 4, super *Levit.*, cap. XIII.

S. HIERON. 80. Quam rarum est fidelem animam inveniri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat! Epist. 12, *advers. Vigilant.*

81. Nihil tam periculosum est, quam gloriæ cupiditas. Epist. 5, *ad Fabiolam*, mansione. 41.

82. Ne quæras gloriam, et non dolebis cum inglorius fueris. Lib. 1. super *Matth.* cap. v, can. 10, num. 35, super illud : *Gaudete et exultate.*

83. Opinionem vulgi, et laudem hominum favore quæsitam, gloriæ nomen sonat. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. v, in illud : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.*

HUGO A S. VICTORE. 84. Quisquis in eo quod bene agit, intumescit, eo ipso tramite, quo proficit, cadit. *Prosec.*

85. Bona actio cum elatione non elevat, sed gravat. Super *Regul. D. August.*, cap. 2, in illud : *Nec extollantur.*

HUGO CARD. 86. Vana gloria sæpe hominem post victoriam vitiorum sub specie humilitatis dejicit : unde fit quod qui multa et magna evaserat, ibi succumbat. Super *Gen.* cap. XIV.

87. Sicut Basiliscus, si prius videatur, occiditur, si prius videat, occidit : sic inanis gloria, si prius videatur, occiditur, si prius videat, occidit. *Prosec.*

88. Ille primo videtur ab inani gloria, qui ideo facit opera, ut ab hominibus videatur : ille autem primo videt, qui intentionem operis tutam ad Deum refert. *Ibid.*

89. Inanis gloria vult, ut boni sibi commisceantur : sed non debet tangi gloria in præsenti. in futuro secure poterit amplexari. *Ibid.*

90. Qui gloriam hic quærit, alienum usurpat, et quod Domini est, injuste sibi vindicat. *Ibid.*

91. Vipera manum invadit, cum vana gloria ex bono opere procedit. Super IV *Reg.* V.

92. Vana gloria est quasi meretrix quæ spoliat, amatorem suum. *Ibid.*

93. Tales miserrimi sunt, qui de labore suo pascunt et potant dæmones, cum bonam operationem convertunt in inanem gloriam. Super *Isai.*, cap. LXII.

94. Hæc est magna insania, gloriam hominum, quæ stercus et vermis est, quærere, et gloriam Dei repellere. Super *Joan.* cap. V.



95. Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit, nisi qui ei bellum indixerit. Super I *Thessal.*, II.

IDIOTA. 96. Vana gloria sicut ventus impedit viatorem, et impellit in chaos inferni. Lib. 1, *de Contemplat. amor.*, cap. 17.

JOAN. CASS. 97. Vana gloria est quæ delectabili esca mentem permulcet ad tempus, postea vero vacuam omnique virtute spoliatam reddet ac nudam, cunctis eam spiritalibus fructibus sterilem inanemque dimittens. Lib. 5, *de Cænob. inst.*, cap. 21.

98. Vana gloria non solum immanium laborum facit merita deperire, verum etiam supplicia majora conquirit. *Ibid.*

99. Cenodoxia tanto est perniciosior ad conflictum, quanto obscurior ad cavendum. Lib. 11 *Cænob. inst.*, cap. 2.

100. Omnia vitia superata marcescunt, et devicta per singulos dies infirmiora redduntur : hoc vero dejectum acrius resurgit ad lucem, et cum putatur extinctum, sua morte vivacius convalescit. *Prosec.*

101. Cætera genera vitiorum eos tantum impugnare solent, quos in certamine superarint : hoc vero suos victores acrius insectatur, quantoque fuerit validius elisum, tanto vehementius victoriæ ipsius elatione congreditur.

102. Hæc est subtilis inimici versutia, ut militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis superare non potuit. *Ibid.*, cap. 7.

103. Gloria vana non aliunde quam virtutum ejus quem impetit, successibus animatur. *Ibid.*, cap. 8.

104. Sæpe qui in conflictu atque acie mortis evaserunt discrimina, trophæis propriis, triumphisque succumbunt. *Ibid.*, cap. 11.

105. Ea quæ bono initio fecerimus, observatione simili custodire nitamur, ne omnes laborum nostrorum fructus postea irrepens cenodoxiæ morbus evacuet. *Ibid.*, cap. 18.

106. Qui passione vanæ gloriæ devinctus est, necesse est ut aliis quoque, et maxime superbiæ, vitiis obligetur. Collat. 14, *Abbat. Nestoretis*, cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST. 107. Is, qui ut ab hominibus gloriam venetur, aliquid boni operatur, sive ea potiatur, sive non, satis hic retributionis accepit, et alibi nihil accipiet præmiorum. Homil. 5, super *Genes.*

108. Sæpe qui propter inanem gloriam multa facit, etiam ipsa gloria frustratur. *Ibid.*

109. Spirituales philosophi vanam gloriam despiciunt, et illos qui humanæ gloriæ inhiant, maxime contemnunt. *Ibid.*

110. Malorum omnium causa est vana gloria, quæ vult nomen suum inscribi agris et ædibus. *Ibid.*, homil. 22.

111. Quid vana et inani gloria fallacius? idcirco vana dicitur, quia evanida est, et nihil habet stabile neque firmum : sed solum est deceptio, et priusquam appareat, avolat. *Ibid.*

112. Qui gloria inflatur, nihil stabile et solidum habet, quæ fluminibus ipsis ocius præterlabitur. *Ibid.*, homil. 28.

113. Nihil est quod sic hominem faciat insignem et conspicuum, etiamsi magno ambitu optet latere, ut gloriam fugere. Homil. 14, super *Matth. Oper. perf.*

114. Nihil ita ad amorem divitiarum inflammat, ut gloriæ vanæ cupiditas. *Ibid.*, homil. 21.

115. Inanis gloriæ cupidus est, qui vel minimarum rerum gloriam aucupatur. *Ibid.*, homil. 50.

116. Sicut avaritia acquisitioni pecuniarum contraria est, sic cupiditas gloriæ ad acquirendam gloriam parum conducit. *Ibid.*, homil. 63.

117. Cupido inanis gloriæ dehonorationis causa esse invenitur; neque enim solum gloriosi dedecore sordidantur, verum etiam multa illiberalia et servilia facere coguntur. *Ibid.*

118. Non est mirabile inani gloria propter alias res commoveri : de jejunio autem atque oratione se jactare, mirabile simul et lacrymis dignum est. *Ibid.*, homil. 72.

119. Nemo majore odio multitudini est, quam qui falsam gloriam a bono opere quovis modo aucupatur. *Ibid.*

120. Ubi ac semper inanis gloria vituperatur : illa vero turpissima est, quæ nimium inflatur. *Ibid.*

121. O novæ calamitatis genus! o furiosam bestiam! quæ tinea corrodere non potest, nec fur violare, ea inanis gloria omnino dispergit. *Ibid.*

122. Inanis gloria, tinea cœlestis thesauri est; ille est fur, qui æterna regna furatur, qui immarcescibiles ab hominibus divitias aufert, qui tanquam contagiosus morbus omnia corrumpit. *Ibid.*

123. Prospexit diabolus tam latronibus et vermibus, quam aliis machinis inexpugnabile thesauri cœlestis esse præsidium, per inanem gloriam illud expugnat. *Ibid.*

124. Omnia pene mala servos diaboli vexant; concupiscentia autem vanæ gloriæ, non solum servos diaboli, sed etiam servos Dei impugnat, magis autem servos Dei, quam servos diaboli. *Prosec.*

125. Ubi res agitur gloriosa, ibi facilius locum invenit gloriationis occasio. Homil. 13, super *Matth. Oper. imperfect.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

126. Qui in corde propter vanam gloriam agit, est vanæ gloriæ mercator. *Ibid.*

127. Amittit meritum justitiæ, qui juste vult vivere, ut gloriam humanæ laudis acquirat. Homil. 8, *ex Divers. in Matth.*

128. Nullo modo fieri potest, ut is qui tanto studio seculari gloriæ serviat, divinam unquam assequatur. Homil. 2, super *Joan.*

129. Intolerabilis quædam ebrietas est, inanis gloria : et quem semel suæ subjecit ditioni, is ægre in sanitatem restituitur. *Ibid.*

130. Qui sub dominii inanis gloriæ servitio premitur, omnium est sane miserrimus; et omni privatus voluptate, vitam vivit quam miserrimam. *Ibid.*

131. Fieri non potest, ut qui gloriæ dulcedine capitur, magnum aliquid et egregium sapiat : sed ignominia illico ipsum notari necesse est, et animi abjecti, infamis, atque exigui existimari. *Ibid.*

132. Gloriæ cupiditas omnia commiscuit, avaritiam, invidiam, calumniam, insidias peperit : et qui nulla affecti sunt injuria, in illos qui nihil de ipsis male meriti sunt, et armat et efferat. *Ibid.*

133. Inanis gloria amicitiæ et consuetudinis obliviscitur : nihil se pudet, sed omni abjecta virtute, omnibus bellum indicit, semper inconstans, semper invisa. *Ibid.*

134. Inanis gloria omni tempore pestifera est, quia nihil risu dignius, nihil turpius, nihil ignominiosius. *Ibid.*

135. Vera gloria est, inanem gloriam contemnere, et nullius momenti æstimare. *Ibid.*

136. Qui inani gloria mulcetur, jejuniorum, orationum, et misericordiæ omnem mercedem amittit, et a superna gloria excidit. Homil. 27, super *Joan.*

137. Vana gloria est bestia varia et multiformis, quæ ubique proprium virus disseminat, et pecuniis, et deliciis, et corporis pulchritudine, et vestimentorum copia. *Ibid.*, homil. 68.

138. Inanis gloria per se gravis morbus est, et longe gravior : qui radix est, et mater omnium malorum. *Ibid.*

139. Affectus inanis gloriæ, maxime ignem gehennæ accendit : hic diaboli undique ditionem propagat, hic ætatem et dignitatem omnem sævissimo premit imperio, hic Ecclesias huc illuc distrahit, hic civilia opera corrumpit, domus funditus, civitates, populos, gentes evertit, et si in solitudinem venerit, nullam ei perniciei suæ vim ostendit. *Ibid.*, homil. 28.

140. Gloria vana, inanis et stulta est : et nomine tantum, non re est gloria. *Ibid.*

141. Grave quiddam gloriæ inanis amor, grave inquam; et multarum ipsa spinarum plena gloria, et velut fera, et multorum capitum bestia, difficile tolli potest, quæ in eos quibus fovetur armata est. *Ibid.*, homil. 29.

142. Quemadmodum vermis ligna, ex quibus nascitur, et rubigo ferrum consumit : ita inanis gloria altricem sui animam perdit. *Ibid.*

143. Ubi quid gloriæ causa geritur, omnia manent vilia. Homil. 4, super *Acta Apost.*

144. Ubique vana gloria, et amor principatus, causæ sunt malorum. *Ibid.*, homil. 28.

145. Si gloriam quæris, veram gloriam quære et concupisce : si gloriam amas, magis ama eam, quæ a Deo est : si illam amaveris, hanc vanam despicies, et ignobilem esse videbis, quam sit fœda, quam ridicula. *Ibid.*

146. Mater gehennæ est inanis gloria, ignemque illum vehementer accendit, vermemque pestiferum confovet. Serm. 17, super *Epist. ad Rom.*

147. Nihil est inani gloria pejus, nihil sumptuosius, nihil turpius, nihilque vilius. *Ibid.*

148. Barbari non talia captivis suis imperant, qualia subditis suis inanis gloria jubendo mandat. *Ibid.*

149. Præcepta inanis gloriæ, primo : Omnium, inquit, servus esto, sintque qui in officinis agunt vilissimi, te multo præclariores. Secundo : Animam contemnito, virtutem negligito, libertatem rideto, salutem tuam devoveto. Tertio : Si bonum quid feceris, non ad hoc facito ut Deo placeas, sed ut multis ostentes, et coronam quæ benefacientes manet, perdas. Quarto : Si eleemosynam dederis, aut jejunaveris, laborem quidem sustineto, lucrum vero perdere studeto. *Ibid.*

150. Vanæ gloriæ cupidus similis illis est, qui tempestatibus jactantur, semper tremens, semper timens, innumerosque dominos observans. *Ibid.*

151. Gloria vana, crudelis est bellua, dæmon horrendus, communis totius orbis terrarum pestis, et vipera venenata. Homil. 35, super I *Cor.*

152. Sicut vipera parturientis uterum rumpit, sic vana gloria dilaniat obnoxios sibi. *Ibid.*

153. Omnibus servis servilius est vanæ gloriæ mancipium. Homil. 9, super II, *Cor.*

154. Vana gloria quando contemnitur, mansuescit : quando autem colitur, efferatur et se armat contra se colentem. *Ibid.*, homil. 29.

155. Umbra gloriæ est vana gloria, non gloria. *Ibid.*

156. O rem amaris lacrymis dignam : omnia bona opera incendit vanæ gloriæ tyrannis, flamma illa nihil non vorans. Serm. 10, super *Epist. ad Ephes.*



157. Gloriæ contemptor, vehementer sapiens est : novit enim res humanas. Homil. 9, super *Epist. ad Coloss.*

158. Nihil humana gloria vilius, nihil abjectius, nihilque in se habet solidi atque veri. Homil. 2, super *Epist. ad Tit.*

159. Gloria inanis imitatur gloriam, non vera gloria est : illa quippe sola permanet, quæ naturalis est, quæ in intimis conditur. *Ibid.*

160. Diabolica hæc ars est, quod plures eo quod inanem gloriam vicerunt, gloriantur inanius. Homil. 2, super *Epist. ad Philem.*

161. Inanis gloria venti instar ingressa, thesauros omnes virtutis exsufflat. *De Provident.*, lib. 1.

162. Quid inanis gloriæ cupiditate sumptuosius, quid turpius vel toleratu difficilius fieri potest? Serm. *de Inani gloriæ cupiditate.*

163. Vana gloria innumera bona opera pessumdat. Serm. 13, super I, *Cor.*

164. Fieri non potest, ut qui non est purus vana gloria, sublimis, magnus, et strenuus fiat. *Ibid.*, homil. 29.

165. Nihil magis e jugo justitiæ subducere collum solet, quam inanis conflatus gloriæ : quæ tumidos, remissos, adulatores, simulatores homines reddit. Homil. 41, super *Matth. Oper. perfect.*

166. Vana gloria invisibilis est serpens et lubricus, qui latenter in sensus ingreditur et seducit. Homil. 13, super *Matth. Oper. imperf.*

167. Quantavis bona feceris, volens compescere vanam gloriam, tanto magis excitas eam : et causa est, quia omne malum ex malo nascitur, sola autem vana gloria de bono procedit : et ideo non extinguitur per bonum, sed magis nutritur. *Ibid.*, homil. 15.

168. Illi tentationem vanæ gloriæ patiuntur, qui tale aliquid faciunt, unde glorientur. *Ibid.*

S. JOANNES DAM. 169. Magno quidem animo sum in Deo : at meipsum tamen metior, ne in gloriatione peream. Lib. 2, *Parall.*, cap. 73.

JOAN. TRITH. 170. Dum gloria de bono opere quæritur, virtus in manus inimici traditur. In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Jactantiam.*

171. Quanto quique gloriam in rebus exterioribus venari cupiunt, tanto a vera gloria recedunt. Part. 1, *de Regione claustral.*, tract. 1, reg. 1, art. 7.

172. Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. Lib. 2, *de Tent. relig.*, cap. 5.

173. Vanæ gloriæ tentatio vinci quidem potest, sed totaliter extirpari vix potest, nisi quis desierit esse virtuosus. *Ibid.*

174. Vanæ gloriæ vitium dejectum, acrius resurgit ad luctam, et cum putatur extinctum, sua morte vivacius convalescit. *Ibid.*

175. Nulla major iniquitas est, quam non in Deo, sed in se velle quempiam gloriari. Lib. 1, *de Sum. bono*, cap. 10, sent. 16. S. ISIDORUS HISPAL.

176. Maxime per cenodoxiam, subjicit sibi diabolus monachum : ut quem per sæculi amorem retinere non potuit, ab humilitatis culmine subtrahat, et superbiæ tumore sibi subditum faciat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 22, sent. 8.

177. Dei servus in bonis operibus cordis debet adhibere cautelam, ne per vanam gloriam perdat semetipsum, ac pereat. *Ibid.*, sent. 9.

178. Amator vanæ gloriæ unde possit semper laudari, agere non quiescit, et subinde vires illi vanitatis pravus appetitus auget. *Ibid.*, cap. 23, sent. 7.

179. Boni operis inchoatio, non debet citius palam ad hominum cognitionem venire : ne virtute perfectionis inanescat per vanam gloriam intentio sanctitatis. *Ibid.*, sent. 8.

180. Quamvis quisque in sæculi gloria refulgeat, quamvis purpura auroque resplendeat, quamvis cultu pretioso redimitus emineat, quamvis sit multitudine præmunitus, quamvis excubantium armis protectus, quamvis innumeris obsequentium cuneis obstipatus : semper tamen in pœna est, semper in angustia, semper in mœrore, semper in discrimine. *Prosec.*

181. In sericis stratis cubat, sed turbidus : in pluma jacet, sed pallidus : in lectis aureis, sed turbatus.

182. Brevis est hujus sæculi gloria, et modica caduca, et fragilis temporalis potentia. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 17.

183. Falsam gloriam sequuntur ii, qui hominum laudem auramque popularem aucupantes S. JUSTIN. MART.
proximis consulunt. Epist. *ad Zenam.*

184. Vana gloria in recte factis cavenda est. S. LEO I.
Serm. 7, *de Jejun. septimi mensis.*

185. Vanæ gloriæ cupido, aut cum vincitur, aut cum remanet, parit superbiam : cum vincitur, opinionem in animo generat; manens vero, insolentiam. Centur. 3, *de Charit.*, cap. 61. S. MAXIMUS MART.

186. Qui inanis gloriæ cupiditate inductus, studet virtutibus, certum est eumdem cognitionem quoque ob vanam gloriam exercere. *Ibid.*, cap. 74.

187. Qui propriæ gloriæ causa sectatur quod honestum est, Deo seipsum anteponit, vanæ gloriæ clavo trajectus. Centur. 3, *de Virt. et vitio*, cap. 68.

188. Inanis gloria sic juxta virtutes nascitur, ut non recedat priusquam vim illarum exciderit. Orat. 7, *de Inani gloria.* S. NILUS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

189. Inanis gloriæ studiosus, est operarius sine mercede. *Ibid.*

190. Dolium pertusum non retinet quæ sunt infusa, et inanis gloria profundit virtutis præmia. *Ibid.*

191. Inanis gloria est veluti scopulus sub aqua latitans, ad quem si navem illiseris, periisti. *Ibid.*

192. Vana gloria est mentis erroris initium, qua mens incitata, id quod divinum est, formis et figuris circumscribere conatur. *Ibid.*, in tract. parænet.

193. Inani gloria laborans, operarius est mercedis expers : laborem subiit, et laboris mercedem perdidit. *Ibid.*, orat. 7, *de Inani gloria.*

194. Quisquis inanis gloriæ levitati insidet, nunquam ad veræ gloriæ amorem pennas proferet. *Ibid.*

195. Tribulus vere est inanis gloria, nam in quamcunque partem ceciderit, rectum semper stimulum statuit. *Ibid.*

196. Inanis gloriæ medicina, gloriæ contemptio est. *Ibid.*, orat. 8, *de Superbia.*

197. Inanis gloriæ præsentia, superbiæ nuntius est. *Ibid.*

PETR. BLES. 198. Gloria mundi fallax et seductoria decipit amatores suos : quidquid enim vel in futurum promittit, vel in præsenti prætendit, totum ad nihilum deveniet. Epist. 14, *ad Quemdam cleric.*

299. Quid est inanis gloria, nisi musca vilissima, murmurosa, sordida, pungitiva : quam miseri venantur, figuram araneæ gerentes, quæ de suis visceribus telam texit, ut capiat muscam vilissimam? *Ibid.*, epist. 4, *ad Sacellan. regis Angliæ.*

200. O quam fallax et vana est gloria, quam homines ab invicem petunt et accipiunt : et gloriam, quæ a solo Deo est, non quærunt! *Ibid.*, Epist. 102, *ad Radingens. abbat.*

201. Infelix, qui ob inanis gloriæ ventum, suam animam jugulat. *Ibid.*, epist. 20, *ad Decan. Turonens.*

202. Inanis gloriæ cupidus, si totum sorbeat aerem, nullum sustinebit remedium. *Ibid.*, serm. 34, *in Festo omn. Sanctorum.*

PETR. CELL. 203. Nunquam opus vanæ gloriæ numerabitur in remuneratione veræ gloriæ. Lib. 2, epist. 13.

S. PETRUS DAMIAN. 204. Ecce unde gloriosus esse volebas, inglorius esse convinceris. Serm. 59, *de S. Nicolao.*

PHILO JUD. 205. Sit solus Deus tua gloriatio : non divitiis, non honoribus, non principatu, non pulchritudine corporis, vel robore, aut similibus rebus, quibus homines vesani extolluntur, tibi placeas. Libro 2, *de Victimis.*

S. PROSPER. 206. Vigilant tentatoris insidiæ, ut ubi proficit devotio, surrepat elatio : et ut homo de bono opere in se potius, quam in Domino glorietur. Epist. *ad Demetriad.*

207. Quanto excellentius quique proficiunt, tanto majores habent causas formidinis et tremoris, ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi conscia et laudis avida in vanæ gloriæ rapiatur excessus : et fiat immunda vanitate dum sibi videtur clara virtute. *Ibid.*

SALVIANUS. 208. Præcipimur vitare omnibus modis terrestris gloriæ vanitatem, ne dum humanæ laudis auralam quærimus, præmium cœleste perdamus. Epist. *ad Salonium episc.*

THOMAS A KEMPIS. 209. Si cupis vanam gloriam vincere, attende singulos defectus tuos, quasi omnibus notos, et cessabit vanæ gloriæ motus. Serm. 14, *ad Novitios*, divis. 10.

210. Vere inanis est gloria, mala pestis, vanitas maxima, quia a vera trahit gloria, et cœlesti spoliat gratia. Lib. 3 *de Imit. Christi*, cap. 40, sect. 4.

211. Aperta confusio sæpe est extinctio vanæ gloriæ. *In Hortulo rosarum*, cap. 11.

212. Pleni veritate et gloria cœlesti, non sunt vanæ gloriæ cupidi. Libro 2 *de Imit. Christi*, cap. 10, sect. 4.

IN VITIS PATR. 213. Quæ inanis gloriæ causa obeuntur, mercede carent. Lib. 1, in *Vita SS. Barlaam et Josaphat*, cap. 12.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 214. Gloriosus est, qui plura quam adsint, sibi arrogat, aut scire fingit, quæ non noverit. Lib. 1 *Magnor. Moral.*, cap. 32.

CATO POET. 215. Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse :
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.
Lib. 2 *Distich.*, metr. 40.

CICERO. 216. Levitatis est, inanem aucupari rumorem, et omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari. Orat. 37, *in Pisonem*, num. 57.

217. Quæ habent speciem gloriæ, collectum ex inanissimis splendoris insignibus, contemne : brevia, fugacia, et caduca existima. Lib. 10, epist. 12, *ad Plancum.*

218. Vix invenitur, qui laboribus susceptis, periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum, desideret gloriam. Lib. 1 *de Offic.*, num. 65.

219. Cavenda est gloriæ cupiditas, eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris, omnis debet esse contentio. *Ibid.*

SENECA. 220. Vanum gloriæ genus, odium divitiarum. Lib. 5 *Declamat.*, controvers. 2.

221. Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed vanæ gloriæ. Epist. 113.

222. Sis vanæ gloriæ contemptor, et honorum, quibus præditus es, non acerbus exactor. *De Quatuor virt.*



SIXT. PHIL. 223. Quidquid egeris causa gloriæ, merces facti tui erit. Sent. 331.

VALERIUS. MAXIMUS. 224. Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. Lib. 8 *Dictor. memorabil.*, cap. 15.

225. Nimiæ gloriæ cupiditas, perfidum existere cogit. *Ibid.*, lib. 9, cap. 6.

Vide etiam tit. *Domare*, sent. 44; *Eleemosyna*, sent. 34; *Fructus*, sent. 30; *Gloria bona*, sent. 11; *Honor*, sent. 109; *Infernus*, sent. 59; *Mundus*, sent. 4; *Nihilum*, sent. 21; *Oblatio*, sent. 60; *Profectus*, sent. 2; *Servire Deo*, sent. 8; *Superbia*, sent. 118, 119; *Virtus*, sent. 49.

## GRATIA DEI.

S. BONAV. *Definitio.* Gratia est quidam nitor animæ ad conciliandum sanctum amorem. Parte 3 *Centiloquii*, sect. 35.

Gratia est sanitas mentis, et dilectio cordis. *Ibid.*

DIONYSIUS CARTHUS. Gratia proprie sumpta est habitus supernaturalis menti per creationem infusus, esse spiritale, deiforme atque idoneum ad promerendam vitam æternam. Super *Apocal.*, cap. 1, in illud : *Gratia vobis et pax.*

S. HIERON. Gratia est qua nullo merito nec opere salvamur. Super *Epist. ad Philemonem*, cap. I : *Gratia vobis et pax.*

S. ISIDORUS HISPALENS. Gratia est Dei donum gratuitum; per quod bonæ voluntatis initium et operis promeretur affectum. Lib. 2, *de Different.*, verbo *Inter gratiam.*

JOAN. GERS. Gratia est donum aliquod a Deo gratuite, hoc est sine meritis collatum. Part. 4, in *Descript. terminor.*

Gratia est habitus aliquis animæ supernaturaliter infusus, ad finem beatitudinis mediate vel immediate consequendum. *Ibid.*

S. LAURENT. JUSTIN. Gratia est quædam lux divina divinitus infusa, gratis data, quæ interioris hominis illuminat oculos, et excitat affectum ut videat quæ agenda sunt, et quæcunque viderit, opere perficiat. Part. 1, *de Ligno vitæ*, tract. 3, *de Justitia*, cap. 1.

S. THOMAS AQUINAS. Gratia est quædam lux animæ. Prima secundæ, quæst. 110, art. 1.

Gratia nihil aliud est quam quædam participatio divinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam naturam. *Ibid.*, quæst. 112, art. 1.

Gratia nihil est aliud, quam quædam inchoatio gloriæ in nobis. Secunda secundæ, quæst. 24, art. 3.

Gratia est quædam similitudo divinitatis participata in homine. Part. 3 *Summæ*, quæst. 2, art. 10.

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Tres sunt gratiæ benefaciendi : præveniens, cooperans, subsequens : prima dat voluntatem, secunda facultatem, tertia perseverantiam. Lib. 2 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 137.

HUGO CARD. *Productio.* Tres sunt effectus gratiæ : primus, suiipsius consideratio; secundus, vitæ præteritæ abominatio; tertius, peccatorum confessio. Super I *Regum*, cap. I.

S. LEO I. Gratia principium justitiæ, et bonorum fons, atque origo meritorum est. Epist. 86, *ad Nicetam Aquileiensem, episc.* super illud *Ephes.* II : *Gratia salvi facti estis.*

S. THOMAS AQUINAS. Gratiæ origo, est Dei dilectio, vocatio, et interior inspiratio. Super *Epist. ad Rom.*, cap. I, lect. 4.

S. DIADOCH. *Comparatio.* Sicut mare cum turbatur, oleo infuso cedit natura sua tempestas, lenitate olei procellam extinguente : sic anima nostra cum lenitur gratia Spiritus sancti, jucunde tranquillatur. *De Perfect. spirit.*, cap. 35.

RICHARD. A S. VICTORE. Sicut corpus nihil potest sine anima, sic interior homo nihil boni potest sine divina gratia. Part. 1, *de Erudit. hom. interior.*, cap. 3.

ROBERTUS BELLARM. Sicut terra sine aqua, inanis est et vacua : sic anima sine gratia Dei nullos producit fructus. Super *Psalm.* CXLII, vers. 6.

S. THOMAS AQUINAS. Terra si non colitur, spinas et tribulos germinat : sic anima nisi colatur per gratiam, non germinat nisi tribulos et punctiones peccatorum. *Opusc.* 7, super *Pater noster*, petit. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Minimam habere gratiam majus est, quam philosophorum omnium scientiam acquisisse. Part. 4, serm. 4, regina 8.

S. ALBERTUS MAGNUS. 2. Gratia Dei non nisi per merita conservatur, meritis autem sine gratia nemo salvatur. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtutibus*, cap. 21.

S. AMBROS. 3. Judicium Dei magis inscrutabile est in electione gratiæ, quam in retributione justitiæ. Lib. 1, *de Vocat. gent.*, cap. 9.

4. Tanto quisque est beatior, Deoque conjunctior, quanto plus in eo fuerit gratiæ divinæ, quam actionis humanæ. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriad.*

5. Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia. Lib. 2 super *Luc.*, cap I, in illud : *Exurgens autem Maria.*

6. Non vehementior est natura ad diligendum, quam gratia. Lib. 2 *Offic.*, cap. 7.

7. Non pretio taxatur Dei gratia. Lib. 4, super *Luc.*, cap. IV, in illud : *Multi leprosi erant.*

8. Majoris est virtutis gratia, quam natura. *De Myster. initiandorum*, cap. 9.

9. Uberior est gratia, quam precatio : semper enim plus tribuit, quam rogatur. Lib. 10, super

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Luc.*, cap. XXIII, in illud : *Hodie mecum eris in paradiso.*

S. ANSELM. 10. Non ideo homo non accepit gratiam, quia non debet : sed ideo Deus non dedit, quia ille non accepit. In *Dialogo de casu diaboli*, cap. 3.

11. Omnia bona divinæ gratiæ, non humanis meritis sunt adscribenda. Super *Epist. ad Rom.*, cap. I.

12. Nullus Deum meritis antecessit, ut tenere eum quasi debitorem possit : sed ipse potius omnes sua gratia prævenit, ut subsequi possint eorum bona opera. *Ibid.*, cap. 2.

13. Omne bonum a gratia Dei sumit originem. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 2.

S. ANTONIN. 14. Principalis causa meritorum, est gratia. Part. 2, tit. 3, cap. 2, § 2.

S. AUGUST. 15. Nemo a malo liberatur quisquam, nisi Dei gratia. Lib. 1, *Retract.*, cap. 9.

16. Gratiæ tuæ deputo, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti : gratiæ tuæ deputo, et quæcunque non feci mala. Lib. 2 *Conf.*, cap. 3.

17. Hæc est lex divinæ providentiæ, ut nemo a superioribus adjuvetur ad cognoscendam et percipiendam gratiam Dei, qui non ad eamdem puro affectu inferiores adjuverit. *De Vera relig.*, cap. 28.

18. Ipsa gratia Dei meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pedissequa non prævia voluntate. Epist. 106, *ad Bonifac.*

19. Quid debet esse jucundius vel infirmis, gratia qua sanatur : vel pigris, gratia qua excitantur : vel nolentibus, gratia qua juvantur? *Ibid.*

20. Gratiæ, qua justificatur impius, quisquis ingratus de suis viribus fidit, justitiæ Dei non est subjectus. Epist. 144, *ad Anastas.*

21. Quid nobis gratia Dei utilius confert in hoc præsenti sæculo maligno, nisi ut moriamur peccato? ac per hoc ipsi gratiæ invenietur ingratus si propter illam vult vivere in peccato, per quam morimur peccato. Epist. 47, *ad Valentin.*

22. Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis, et mundani corporis vincere conamur errores. Epist. 91.

23. Gratia non solum adjuvat justum, verum etiam justificat impium. *De Patient.*, cap. 20.

24. Præsto semper est gratia, quæ nunquam defuit, nisi prius expulsa : continue et necessario quod suum est inspirat, si est qui recipiat. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 16.

25. Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes, salvi fieri possunt : non enim meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. *De Nat. et grat.*, cap. 4.

26. Sanat Deus per gratiam, non solum ut deleat quod peccavimus; sed ut præstet etiam auxilium, ne peccemus. *Ibid.*, cap. 26.

27. Prævenit Deus ut sanemur, subsequitur ut glorificemur, prævenit ut pie vivamus, subsequitur ut cum illo semper vivamus. *Ibid.*, cap. 32.

28. O ingrati gratiæ Dei! o inimici gratiæ Christi, et solo vocabulo christiani! Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 3.

29. Deus præparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operando incipit : quoniam ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. *De Gratia et libero arbit.*, cap. 17.

30. Gratia nos facit legis dilectores, lex vero ipsa sine gratia non nisi prævaricatores facit. *Ibid.*, cap. 18.

31. Gratia sola homines liberantur a malo, et sine qua nullum prorsus, sive cogitando, sive volendo et amando, sive agendo faciunt bonum. *De Corrept. et gratia*, cap. 2.

32. Gratia Dei cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest, injusta non potest. Lib. 1, *de Peccator. meritis et remiss.*, cap. 21.

33. Vita nostra bona nihil aliud est, quam Dei gratia : sine dubio et vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est; et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. *De Gratia et lib. arb.*, cap. 8.

34. Gratia Dei semper est bona, et per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis, malæ. *Ibid.*, cap. 15.

35. Gratia non secundum merita hominum datur, et alioquin gratia jam non est gratia : ideo gratia vocatur, quia gratis datur. *Ibid.*, cap. 21.

36. Desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est. *De Correptione et gratia*, cap. 1.

37. Nemo nisi Dei gratia erigitur, nemo nisi gratia stabilitur. *Ad articulos sibi falso impositos*, respons. 7.

38. Si vis esse alienus a gratia jacta merita tua. Super *Psalm.* III.

39. Nemo facit aliquid bene, nisi gratia Dei : quod facit homo male, ipsius est hominis; quod facit bene, de beneficio Dei facit. Super *Psalm.* XCIII, vers. 13.

40. Quid est gratia? gratis data : quid est gratia? gratis donata, non reddita; si tibi debebatur



merces reddita est, non gratia donata : si vere debebatur, bonus fuisti : si autem non merito tuo, ut verum est, malus fuisti. Tract. 3, in cap. I, *Evang. Joan.*

41. Si gratiam tibi dedit Deus, gratis dedit, gratis ama. *Ibid.*

42. Cave, christiane, cave superbiam : licet imitator Sanctorum sis, totum gratiæ semper reputa, quia ut esset aliquid reliquum, gratia in te Dei, non tuum meritum fuit. *Prosec.*

43. Totum reputa quod justus es, Dei pietati : quod autem peccator es, adscribe iniquitati.

44. Esto accusator tuus, et Deus erit indultor tuus : omne enim crimen, facinus, vel peccatum, nostræ est negligentiæ; omnis vero virtus et sanctitas, Dei est indulgentia. *De Verb. Dom.*, serm. 7.

45. Gratia pluvia est, vallem facite, imbrem suscipite, depressa implentur, alta siccantur. *De Verb. Apost.*, serm. 2.

46. Communis est omnibus natura, non gratia : natura non putetur gratia sed etsi putetur gratia, ideo putetur gratia, quia et ipsa gratis concessa est. *Ibid.*, serm. 2.

47. Contradictor gratiæ, non est arbiter conscientiæ. *Ibid.*, serm. 12.

S. BASILIUS MAGNUS. 48. Fieri nequit, ut nos divinæ gratiæ capaces simus, nisi prius contractas a vitio perturbationes, quibus animi nostri occupati sunt, ejecerimus. *Prosec.*

49. Nam nec vasculum, quod fœtor quidam ante invasit, unguenti infusionem capere potest, nisi prius elutum fuerit. Apud *D. Joan. Damascen.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 30.

V. BEDA. 50. Gratia sola Dei, quos vult facit alta mereri. In suis *Proverb.*, verbo *Gratia.*

51. Nihil prodest littera jubens, nisi adfuerit gratia juvans. Lib. 1, super *Luc.*, cap. II, in illud : *Lex per Moysen.*

S. BERNARD. 52. Profecto nec avarus, nec inops est gratiæ distributor, sed ubi vacua vasa desunt, stare oleum necesse est. Serm. 6, *de Ascens.*

53. Gratia non solum peccata lavat, sed et merita donat. Serm. 1, *post. octav. Epiph.*

54. Gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit : nec modo nihil augetur ingrato, sed et quod acceperat, vertitur ei in perniciem. Serm. 1 *Quadr.*

55. Cibus animæ gratia Dei est, dulcissimus sane, qui non modo delectat, sed et reficit et medetur. Serm. 3, *de Annunt.*

56. Gratia balsamum purissimum est, et ideo purum, solidum, et profundum vas requirit. *Ibid.*

57. Nihil tam evidenter gratia adversatur, quam ingratitudo perniciosa. *Ibid.*

58. Spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens sæcularibus non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Serm. 6 *Ascens.*

59. Ubi magnitudo gratiarum est, ibi etiam magnitudo discriminis est. Serm. 60, *de Parvis sermonibus.*

60. Quantum crescis in gratia, tantum et in fiducia dilataris. Serm. 3, super *Cant.*

61. In veritate didici nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. *Prosec.*

62. Beatus homo, qui semper est pavidus : time cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo revertetur, et hoc est semper pavidum esse. *Ibid.*, serm. 54.

63. Argumentum superbiæ, privatio est gratiæ; quanquam tamen interdum subtrahitur gratia, sive retrahitur, non pro superbia, quæ jam est, sed quæ futura est nisi subtrahatur. *Ibid.*

64. Non est quo gratia intret ubi jam meritum occupavit : nam quidquid de proprio inest, inquantum est, gratiam credere illi necesse est. *Ibid.*, serm. 67.

65. Plena confessio gratiæ, ipsius gratiæ plenitudinem signat in anima confitentis. *Ibid.*

66. Deest gratiæ quidquid meritis deputas; nolo meritum quod gratiam excludat. *Ibid.*

67. Gratia liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum, sanat cum immutat affectum, roborat ut perducat ad actum, servat ne sentiat defectum. *De Gratia et lib. arb.*

68. Qui gratiam Dei suscipit, necesse est, ut Deo gratiam et gloriam reddat. Serm. 2, in *Hexam.* S. BONAV.

69. Gratiam naturam perficit, et confirmat. Super lib. 2, *Sent.*, dist. 7, part. 1, art. 2, quæst. 1.

70. Gratia nobis procedit a Deo, sicut radius a sole, sicut germen a radice, sicut mel a flore, sicut rivus a fonte. Lib. 5, *Compend. theolog. verit.*, cap. 2.

71. Sine gratia nullus potest mereri, nec in bono proficere, nec ad gloriam pervenire. *Ibid.*, cap. 3.

72. Deus sicut est potentissimus in constitutione naturarum, ita est clementissimus in collatione gratiarum. Lib. 7, *Compend. theolog. verit.*, cap. 16.

73. Maximum inhabitantis gratiæ signum, spiritualis est lætitia, ac alacritas. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 2.

74. In gratia fidelis vivit, per quam omnis re- CASSIODOR.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ficitur christianus. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Confige timore tuo.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 75. Sicut calamus scriptorius, aut telum, ut ab aliquo impellatur necesse est : sic et gratia indiget credentibus. *Cateches.* 16.

76. Dei est gratiam conferre, tuum vero acceptare et custodire : non ideo spernas gratiam, quod gratis datur ; sed religiose potius, cum eam acceperis, custodito. *Ibid.*

77. Tanto sit pejor brutis animalibus vir in peccatis, quanto eisdem præstat cum divina gratia est fulcitus. Epist. *ad August. de Miraculis D. Hieronymi.*

S. DIADOCH. 78. Cum non habitat gratia in homine, tunc in profundo cordis instar serpentium dæmones delitescunt, non sinentes omnino animam ad cupiditatem boni aspicere. *Prosec.*

79. Cum vero gratia in mente est abdita, tunc tanquam nubes quædam caliginosæ per partes corporis in passiones peccati discurrunt induti in varias formas distractionum, ut mentem ab usu et familiarite gratiæ divellant. *De Perfect. spirit.* cap. 81.

DIONYSIUS CARTHUS. 80. Magna spiritalisque gratia solet esset elationis occasio. Super epist. I, *ad Cor.*, cap. XII, art. 12.

81. Tanto perfectius bona aguntur ac mala vitantur, quanto amplius cor in gratia stabilitur. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. XIII, art. 13.

82. Minimum bonum gratiæ prestantius est cunctis terrenis divitiis. Super *Apocal.*, cap. II, art. 3.

83. Totum tuæ gratiæ debetur, o admirandæ dulcedinis pietas ! quod homo proficiendo te meretur. *Prosec.*

84. O voluntariæ gratiæ admiranda suavitas ! lege tua non erudis, implendæ legis virtutem tribuis, meritum in nobis cumulas, et quod das, remuneras.

85. Totum igitur das quod boni habemus, qui dedisti ut essemus : nec aliquid a nobis recipis nisi quod dederis.

86. Dormientes ut surgant, excitas : tardos ut currant, acriter stimulas : et ne deficiant, lassos relevas, cibas et potas. *De Mortificat. vivifica.* cap. 7.

S. EPHRÆM. 87. Gratiæ præsentia, simul cum cordis compunctione, animi dulcedinem et tranquillitatem affert. *De Timore animi.*

88. Exhilarant undæ divinæ gratiæ nostra pectora, faciuntque ut anima repente omnium rerum terrenarum, cupiditatumque carnalium ac noxiarum obliviscatur. *Ibid.*

89. Semper Dei gratia corda nostra visitat, et si locum sibi paratum invenerit, ingreditur, semperque in anima quiescit : sed si cor immundum offenderit, illico recedit. Serm. 1, *de Compunct.*

S. EUCHER. 90. Tanto nolentibus gratia est perniciosior, quanto volentibus promptior. In *Epist. parænet. ad Valerian.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 91. Gratia de gratia nascitur, ut quanto plus quis acquirere cœperit, tanto plus conetur et delectetur acquirere, ut acquisitionis lucrum, acquirendi nutriat appetitum. Homil. 3, *ad Monachos.*

92. Adoptivus gratiæ, perit diabolo, et acquiritur Deo. *Ibid.*, homil. *de Trinit.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 93. Spiritualibus non es dignus, qui nihil spiritualiter sapis. In suis *Opusc.*, collat. 18.

S. FULGENT. 94. Gratia Dei humanum non aufertur, sed sanatur : non adimitur, sed corrigitur ; non removetur, sed illuminatur ; non evacuatur, sed adjuvatur atque servatur arbitrium. *De Incarnat.*, cap. 20.

95. Gratia Dei, sicut nonnisi humilibus datur ; sic humilis homo esse non potest, nisi detur : datur enim ut humiles esse incipiant, et datur ut humiles esse non desinant. *Prosec.*

96. Gratia igitur Dei facit et ut humiles simus, et humiles perseverare possimus : qui enim potuit, quod non habuimus, dare ; ipse potest, quod accepimus, custodire. Epist. 3, *ad Probam*, cap. 22.

GILLEBERT. ANGLUS. 97. Efficax est ad incrementa gratiarum tranquillitas mentis. Serm. 15, super *Cant.*, apud S. Bernard. num. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 98. Quanto quis majoris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se esse cognoscit. Lib. 35 *Moral.*, cap. 5.

99. Ut firmitatis animus dona habeat, et infirmitatem suam humiliter agnoscat, per accessum gratiæ ad alta sustollitur, et per recessum, quid ex semetipso sit, probatur. *Ibid.*, lib. 8, cap. 17.

100. Si superna gratia nocentem non prævenit, nunquam profecto inveniet quem remuneret innocentem. *Prosec.*

101. Prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod appetimus agat nobiscum. *Ibid.*, lib. 16, cap. 10, super illud *Job* 22 : *Salvabitur innocens.*

102. Punitione magna dignus est, qui sæpius Dei gratiam contempsit. Homil. 37, super *Evang.*

103. Quo pensamus, quia nihil est quod restat, eo debemus pertimescere, ne tempus gratiæ, quod præsto est, pereat. *Ibid.*, homil. 36.

104. Ad sublimitatem divinæ gratiæ cito perveniunt, qui omnipotentem Deum, et bono opere, et ferventibus desideriis inquirere non desistunt. Lib. 5, in 1 *Reg.*, cap. 2.



S. GREGOR. NAZ. 105. Indignos nequaquam gratia tangit, nec organum improbum, et plane dissonum. Orat. 3, *præsente Basilio.*

106. Gratia non est in arctum coacta, nec locis circumscripta, sed tam pusillis quam magnis datur. Epist. 18, *ad Cæsarienses.*

S. GREGOR. NYSS. 107. Una cujusque hominis justi magistra, ac doctrinæ, gratia sancti Spiritus est. Orat., *de S. Stephano.*

S. HIERON. 108. Gratia nisi scientiam comitata fuerit, et concessa a Deo, quamvis eruditus vir, non poterit invenire. Super *Ecclesiasten*, cap. IX, super illud : *Converti me, et vidi.*

S. HILARIUS. 109. Gratia neminem nisi sibi obnitentem repellit, neminem nisi negligentem rejicit. Super *Psalm.* CXVIII, in illud : *In quo corrigit adolescentior.*

HUGO A S. VICTORE. 110. Sine gratia operari, vanum est. Lib. 4, super cap. 3, *Cœlestis hierach.*

111. Divina gratia ita est libera, ut nullis hominum meritis, vel officiis sit adstricta : sed quando vult, quomodo vult, ubicunque vult, semetipsam infundat. Lib. 3, *de Anima*, cap. 50.

HUGO CARD. 112. Gratia est stabilimentum cordis, et robur spiritus, si cor ea fuerit repletum. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. XIII.

S. INNOC. III 113. Promereri nemo gratiam potest, sed demereri gratiam quisque potest. Serm. 2, *de Convers. S. Pauli.*

114. Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis, et mundani corporis vincere conamur errores. Apud *D. Augustinum.*

JOAN. CASS. 115. Nullus posset insidias inimici sufferre, seu carnales æstus naturali quodammodo igne flagrantes, vel extinguere, vel reprimere, nisi gratia Dei vel juvaret fragilitatem nostram, vel protegeret ac muniret. Collat. 2, *Abbat. Moysis*, cap. 13.

S. JOANNES CHRYSOST. 116. Adamante solidiores, et omnino inexpugnabiles Dei gratia nos facit. Homil. 4, super *Gen.*

117. Gratia est parata, quærens eos qui se cum largitate suscipiant. *Ibid.*, homil. 9.

118. Gratia non solum salvat justum, sed et laborum retributiones dat, et virtutum præmia. *Ibid.*, homil. 24.

119. Impossibile est bonum aliquod quempiam recte agere, non habita superna gratia. *Ibid.*, homil. 25.

120. Dei gratia homini concessa, corporis sensus firmiores reddit. *Ibid.*, homil. 56.

121. Maxima est securitas, et inexpugnabilis murus, gratia Dei. *Ibid.*, homil. 46.

122. Nihil fortius est munito superna gratia, et nihil infirmius eo, qui hac privatus est, etiamsi innumeris circumdetur exercitibus. *Ibid.*

123. Quando quis divina gratia munitur, non solum effugit inimicorum insidias, sed etsi in bestias ipsas incidat, nihil patitur grave. *Ibid.*, homil. 57.

124. Nihil prorsus agere possumus, nisi superna gratia sumus adjuti. *Ibid.*, homil. 58.

125. Vere nihil beatius eo, qui Dei gratiam possidet. *Ibid.*, homil. 62.

126. Accepta gratia, crescit compunctus : demonstrante gratia ex lumine sapientiæ efficitur homo castus. Homil. *de Adam et Eva.*

127. Omnis accipiens gratiam, jam in eadem gratia accipit et lumen. *Ibid.*

128. Naturalem effectum vincit interveniens gratia. Homil. 3, *de Fide Annæ.*

129. Gratia Dei nunquam consumitur, nunquam evacuatur, continue fons hic emanat, et a plenitudine ipsius, corpus et anima curantur. Homil. 68, super *Matth. Oper. perfect.*

130. Omnis gratia per exercitationem additur, et per desidiam minoratur. Homil. 3, super *Matth. Oper. imperf., Vox clamantis in deserto.*

131. Sicut nec terra sine semine, nec semen sine terra fructificat : sic nec homo sine Deo, nec Deus sine homine gratiam operatur in homine. *Ibid.*, homil. 14.

132. Gratia Dei adjutorium est infirmitatis humanæ : adjutorium autem non datur dormientibus, sed festinantibus, et prævalentibus. *Ibid.*, homil. 18.

133. Sine gratiæ auxilio, omnis justitia hominibus gravis est : quia lex præceptum est nudum, gratia autem virtus est Dei. *Ibid.*, homil. 28.

134. Nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia : nam terra non germinat nisi pluviam susceperit, nec pluvia fructificat sine terra. *Ibid.*, homil. 82.

135. Gratia Dei non venditur, sed donatur. Infelix est qui vendit, infelix est qui emit : gratia enim Christi auro et argento non potest comparari. Homil. 13, super *Marc.*

136. Gratia Dei in omnes diffusa est ; non Judæum, non Græcum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem effugit, aut dedignatur. Homil. 7, super *Joan.*

137. Talis est gratia, ut mœrorem solvat, malas cupidates consumat, formidinem pellat, non sinat amplius hominem esse quem afflat. *Ibid.*, homil. 74.

138. Abusus gratiæ Dei, tremere facit. Serm. 19, super Epist. *ad Rom.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
FLAMMAM VERITATIS

139. Quanto major gratia, tanto amplior postea peccantibus pœna. Homil. 21, *ad Popul. Antioch.*

140. Gratia rectas mentes diligit, et sine fuco propositum. Lib. 1, *de Compunct. cordis.*

141. Sedes gratiæ nunc est, non sedes judicii. Homil. 7, super *Epist. ad Hebr.*

142. Quid est gratia ? Remissio videlicet, et purgatio peccatorum : hæc nobiscum est, si benegegerimus. *Ibid.*, homil. 34.

JOAN. GERS. 143. Divina gratia tribuitur exercentibus se ad eam ; tanto abundantius, quanto citius ac diutius hoc egerint. *Prosec.*

144. Ubi vero major est gratia in anima, magis est ipsius fotrix, nutrix, conservatrix atque roboratrix.

145. Et e regione plerumque fit justo Dei judicio : ut qui gratiam Dei vel neglexerit, vel repulerit, postmodum ad eam veniendi nequaquam recursus habeatur.

146. Sed absque Dei gratia quis salvabitur ? quis subsistet ? quis non potius in præceps vel in damnum ruet ? *De Parvulis trahendis ad Christ.*, *consider.* 1.

147. Plus abhorret gratia otium, quam natura vacuum. Serm. *de Dominio Evangelico.*

JOAN. TRITH. 148. Gratia non salvat, nisi volentem : nec deserit, nisi spernentem. Epist. 8, *ad Monach. laps.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 149. Hominis meritum superna gratia, non ut venias, invenit : sed postquam venerit, facit ; atque ad indignam mentem veniens, facit in ea meritum quod remuneret, quæ solum invenerat quod puniret. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 5, sent. 5.

150. Multi cupiunt convolare ad gratiam Dei, sed timent carere oblectamento mundi : provocat quidem eos amor Christi, sed revocat cupiditas seculi. *Ibid.*, lib. 3, cap. 22, sent. 1.

LACT. FIRM. 151. Ii, qui se corpori rebusque terrenis addixerunt, premuntur in terram, nec assequi possunt divini Numinis gratiam. *De ira Dei*, cap. 19.

S. LAURENT. JUSTIN. 152. Sine gratia nullus infertur cœlo, et Sanctorum consortio efficitur dignus. *De Contemptu mundi*, cap. 19.

S. LEO I. 153. Sicut non est de misericordia Dei desperandum, ita nec de gratia præsumendum. Lib. 1, *de Spirituali interitu*, cap. 5.

154. Sublimitas gratiæ Dei tanta est, ut omne desiderium quod operatur in cordibus, a terrenis ad cœlestia transferatur. Serm. 5, *de Jejun. decimi mensis.*

155. Dulcius munera gratiæ divinæ proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur. Epist. 63, *ad Theodoret. episc. Cyri.*

156. Gratia nisi gratis detur, non est gratia, sed merces, retributioque meritorum. Epist. 86, *ad Nicetam Aquileiens. episc.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 157. Ut adsit Deus per gratiam, vide ne tibi desis per socordiam. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 6.

S. MACHAR. ÆGYP. SEN. 158. Qui gratiam Dei sunt adepti, humiliter de se sentiunt. Homil. 15.

159. Gratia dilectionem secreto in cordibus exercet ; et quod amarum est, mutat in dulce ; quod autem asperum, in planum. *Ibid.*, homil. 16.

S. METHOD. 160. Non comburit ignis gratiæ Domini, sed illuminat. *De Purific. B. M.*

ORIGENES. 161. Si humilis et quietus non fueris, non potes habere gratiam Spiritus sancti. Habetur apud *Bedam*, in suis *Scintill.*, cap. 4.

PETR. BLES. 162. Gratia Dei obest, si non alii prodest. Tract. *de Instit. episcopi.*

163. Gratia Dei homini data est in creditum, et in causam mutui transit. *Prosec.*

164. Accipientem enim obligat Deo, et proximo : Deo ad exhibendam gloriam, proximo ad gratiam communicandam. *Ibid.*, *de Charitate*, cap. 35.

PETR. CELL. 165. O gratia gratiosa ! sine te omnia mala, tecum omnia bona : sine te, inquam, inanis universa creatura, et a te repletur angelica cum humana creatura. *Prosec.*

166. Tu reformas deformia, lapsa reparas, confirmas debilia, clausa reseras, congregas dispersa, et obscura illuminas.

167. Tuum est quod sum, quod vivo, quod sapio, quod Sanctorum vestigia devotus assequor.

168. Nihil est visceribus virgineis charius, acceptabilius nihil, cum æthere nitidius, firmamento reluceant jucundius, cœloque sublimius. Lib. 2, epist. 10, *ad Abbatiss. quamdam.*

169. Anima ! si esuris gratiam, pulsa ad januam : si pulsaveris, aperietur : si petieris, dabitur. *Prosec.*

170. Non se abscondit gratia, non latitando fugit, non in fossis se recondit.

171. Præsto est : ne quærens fatigeris, occurrit ; ne tædio afficiaris, præoccupat ; ne conscientiæ pudore verecunderis, excitat ; ne pigriteris, portat ; ne labaris, gressus regit ; ne exorbites, pascit ; ne in via deficiens præ inopia ægrotes, providet.

172. Docet stultum, quia sapiens ; dat intellectum, quia intelligens ; præbet consilium, quia novit mysteria omnium ; confert fortitudinem, quia omnipotens ; illuminat scientiam, quia mater est omnium scientiarum ; exhibet pietatem, quia mel est omnium affectionum ; adhibet timorem, quia conservatrix est omnium bonorum. *De Panibus*, cap. 14.



S. PETRUS DAMIANUS. 173. Ut animus, firmitatis dona utiliter habeat, et infirmitatem suam humiliter recognoscat, per accessum gratiæ ad alta sustollitur, et per recessum, quid sit ex semetipso salubriter experitur. Serm. 18, *de S. Vitale.*

PHILO JUD. 174. Sine divina gratia non est possibile vel deserere mortalia, vel immortalibus semper adhærere. Lib. *de Temulent.*

175. Ingentes opes animæ, quæ gratiis Dei plena est. *Ibid.*

S. PROSPER. 176. Christianus per gratiam, quod in natura non habuit, acquisivit. *De Promiss.*, part. 2, cap. 20.

177. Sordet natura sine gratia. Epist. *ad Rufin. de Lib. arb.*, cap. 1.

178. Gratia Dei quoscumque justificat, non ex bonis meliores, sed ex malis bonos facit : postea per profectum ex bonis factura meliores, non adempto libero arbitrio, sed liberato. *Ibid.*

179. Neminem prorsus Dei gratia intentabilem facit. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 35.

180. Tanto quisque est beatior, Deoque conjunctior, quanto plus in eo fuerit gratiæ divinæ, quam actionis humanæ. Epist. *ad Demetriad.*

RICHARD. A S. VICTORE. 181. Subtracta gratia, affectus boni deficiunt, et ad omne bonum languescunt, et sic de viventibus mortui fiunt. Lib. 2, *de Erud. hom. inter.*, cap. 31.

ROBERTUS BELLARM. 182. Gratia est salus inchoata. Super *Psalm.* CXVIII, vers. 2.

S. THOMAS AQUINAS. 183. Gratia est in anima, sicut quædam forma habens esse completum in ea. Part. 3, quæst. 63, art. 5.

184. Quanto diligentius collata gratia conservatur, tanto ad uberiorem gratiam præparatur. *De Divinis moribus*, cap. *Largitas.*

THOMAS A KEMPIS. 185. Quando gratia Dei venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia : sed quando recedit, tunc pauper et infirmus est, et quasi tantum ad flagella relictus. Lib. 2, *de Imit. Chr.*, cap. 8.

186. Semper debetur gratia, digne gratias referenti : et auferetur ab elato, quod dari solet humili. *Ibid.*, cap. 10, sect. 2.

187. Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro sublata : oret ut redeat, cautus sit et humilis, ne amittat. *Ibid.*, cap. 10.

188. Cogita in gratia, quam miser et inops esse soles sine gratia. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

189. Pretiosa est gratia Dei, non patitur se misceri extraneis rebus, nec consolationibus terrenis. *Prosec.*

190. Abjicere ergo oportet impedimenta gratiæ, si optas ejus infusionem suscipere. *Ibid.*, cap. 53.

191. Quanto natura amplius premitur et vincitur, tanto major gratia infunditur et quotidie novis visitationibus interior homo informatur. *Ibid.*, cap. 54.

192. Sine gratia nihil possum facere, omnia autem possum confortante me gratia. *Prosec.*

193. O vere cœlestis gratia ! sine qua nulla sunt propria merita, nulla quoque dona naturæ ponderanda : nihil artes, nihil divitiæ, nihil pulchritudo vel fortitudo, nihil ingenium vel eloquentia valent sine gratia.

194. Tantum eminet hæc gratia, ut nec donum prophetiæ, nec signorum operatio, nec quantalibet alta speculatio aliquid æstimetur sine gratia.

195. Sed neque fides, neque spes, neque aliæ virtutes acceptæ sunt Deo, sine gratia. *Ibid.*, cap. 55, sect. 4.

196. Gratia est magistra veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris, nutrix devotionis, productrix lacrymarum. *Ibid.*, cap. 55.

197. Quid sum sine gratia ; nisi aridum lignum, et stipes inutilis ad ejiciendum ? *Ibid.*

198. Quanto perfectius infimis quis renuntiat, et magis sibiipsi per contemptum sui moritur ; tanto gratia celerius venit, copiosius intrat, et altius liberum cor elevat. *Ibid.*, lib. 4, cap. 15, sect. 5.

199. Satis suaviter equitat, quem gratia Dei portat. *Ibid.*, lib. 2, cap. 9, sect. 1.

S. VALER. EPISCOPUS. 200. Perit quidquid gratiæ homo per multos annos justis operibus acquisivit, si sub unius horæ spatio, quocunque turpis vitæ depravetur errore. Homil. 19.

IN VIT. PATR. 201. Gratia non ex dignitate cognoscitur, sed ex animarum actibus significari consueta est. Lib. 1, *de Vita S. Mariæ Ægypt.*, cap. 10.

Vide etiam tit. *Actio*, sent. 94 ; *Auxilium Dei*, sent. 58 ; *Difficultas*, sent. 26 ; *Diligentia*, sent. 6, 7 ; *Humilitas*, sent. 140 ; *Innocentia*, sent. 23 ; *Meditatio*, sent. 40 ; *Peccatum in genere*, sent. 290 ; *Placere*, sent. 77 ; *Prædestinatio*, sent. 4 ; *Præsentia Dei*, sent. 55 ; *Pravitas*, sent. 29 ; *Resurrectio a peccato*, sent. 41 ; *Salus animæ*, sent. 125 ; *Salus corporis*, sent. 68 ; *Spiritus sanctus*, sent. 4, 6, 8, *Tepiditas*, sent. 18 ; *Viduitas*, sent. 27 ; *Vocatio Dei*, sent. 80.

## GRATIARUM ACTIO.

S. ANTONIN. *Definitio.* Gratitudo est, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria, et remunerandi voluntas continetur. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 12.

**S. ANTONIUS DE PADUA.** Gratiarum actio est in intellectu et cogitatione gratis bonæ voluntatis, et indeficiens ad Deum, ac irreflexa intentio. Serm. *Dom.* 5, *post Pascha.*

**S. BONAV.** Gratiarum actio, est omnia bona a Deo data scire, et pro his eum laudare corde, voce, et opere. Lib. 2, *de Profectu religiosor.*, cap. 62.

**GLOSS. ORD.** Gratias agere, est sentire omnia a Deo data esse, et pro eo laudare eum corde, voce, et opere. Super *Epist. ad Rom.*, cap. I, in illud *Gratias ago Deo meo.*

**S. THOMAS AQUINAS.** Gratiarum actio est, per quam redditur debitum benefactoribus. 1. 2, quæst. 60, art. 3.

**S. ISIDORUS HISPAL.** *Differentia.* Inter grates et gratias hoc interest, quod grates referimus, gratias agimus. Lib. 1, *Differentiar.*, differ. 70.

SENTENTIÆ PATRUM.

**S. ALBERTUS MAGNUS.** 1. Ille veram gratitudinem habet, qui omnium donorum Dei se indignum sentit : et quanto se indigniorem beneficiorum Dei reputat, in tantum amplius gratitudo mentis excrescit. Part. 1, *de Paradiso animæ*, cap. 25, *de Virtutibus.*

**S. AMBROS.** 2. Conferre gratiam, bonum est; sed qui referre nescit, durissimus. Lib. 1 *Offic.*, cap. 31.

3. Quid est tam secundum naturam, quam referre auctori gratiam? Quod si homini non referre, simile homicidio judicatum est, quantum crimen est non referre Deo? *De Obitu Satyri fratris sui.*

4. Nunquam cessandum ab actione gratiarum, quia inter secunda vitæ hujus et adversa, quibus gemina semper tentatione pulsamur, si proficimus, inde alimur : si stamus, inde subsistimus : si recidimus, inde reparamur. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriadem.*

5. Tu cum gratias non agis Deo, Deum non diligis, nec vereris : unde aut contumax servus, aut superbus es filius. Serm. 43, *de Gratiarum actione.*

**S. ANTONIN.** 6. Quantum gratuitum beneficium est magis continuatum, tanto major pro eo debetur gratiarum actio. Part 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 12.

**S. AUGUST.** 7. Noli esse ingratus, repende gratiam Matri tuæ, rependo spiritualia pro carnalibus, pro temporalibus sempiterna. Epist. 38.

8. Quid melius et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus, quam Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Epist. 77, *ad Aurelium.*

9. Prorsus non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus. Epist. 107, *ad Vitalem.*

10. Hoc et gratiarum actio indicat quod oratio : oratio pro infidelibus, gratiarum actio pro fidelibus. *Ibid.*

11. Qui est orandus ut faciat, illi est actio gratiarum reddenda, cum fecerit. *Ibid.*

12. Discite gratis agere Deo, et in prosperitatibus, et in tribulationibus. Super *Psalm.* XXXII, vers. 1.

13. Deo gratias agere licet, referre non licet. Super *Psalm.* XLI, vers. 3.

14. Sacrificium laudis est gratias agere illi, a quo habes quidquid boni habes, et cujus misericordia tibi dimittitur quidquid tuum mali habes. Super *Psalm.* XL, vers. 15.

15. Gratias misericordiæ Dei quid dicam aliud, quam gratias gratiæ ipsius? non enim gratias agimus, non damus, nec reddimus, nec referimus, nec rependimus gratias : sed tantum verbis agimus, retribuimus. Super *Psalm.* LXXXVIII, vers. ult.

16. Cum adest felicitas mundi, consolationi Dei gratias agat : cum deest, justitiæ Dei gratias agat : ubique sit gratus, nusquam sit ingratus; et Patri consolanti et blandienti gratus sit, et Patri emendanti, et flagellanti, et disciplinam danti gratus sit : amat enim ille semper, sive blandiatur, sive minetur. Super *Psalm.* XCI.

17. Fratres, cum vident homines, Deo gratias dicant. Quid est, inquiunt, Deo gratias? Itane surdus es, ut nescias quid sit Deo gratias? Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo : vide si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum. Super *Psalm.* CXXXII, vers. 1 : *Habitare fratres in unum.*

18. Gratias agat quisque danti corde humili, non arroganti, ne quod humilis meruit, superbus amittat. *De Verb. Apost.*, serm. 2.

**S. BASILIUS MAGNUS.** 19. Accipientium gratiarum actio pro beneficio reputatur. Conc. 5, *de Gratiar. act.*

20. Nihil est rejiciendum, quod cum gratiarum actione sumitur. *Quæst.* 18.

21. Congruum encomii argumentum est, acceptorum beneficiorum commemoratio. Apud *D. Joan. Damasc.* lib. 2 *Parall.*, cap. 29.

**S. BERNARD.** 22. Multos videmus usque hodie satis importune petentes quod sibi deesse cognoverint : sed paucos admodum qui dignas super acceptis beneficiis gratias agere videantur. Serm. *contra Vitium ingratitudinis.*

23. Felix qui se alienigenam reputans, etiam pro quibuscunque minimis beneficiis non minimas refert grates, gratuitum esse non dubitans, neque dissimulans quod alieno impenditur, et ignoto. *Ibid.*

24. Quoties tentatio superatur, aut vitium subjugatur, aut imminens periculum declinatur, aut laqueus insidiantis deprehenditur, aut annosa et inveterata quæcunque animæ passio semel per-



fecteque sanatur, quid nisi toties personat gratiarum actio? Serm. 1, super *Cant.*

25. Felix, qui beneficia sibi collata studiose colligere, et ante mentis suæ oculos, digna cum gratiarum actione reducere conatur. *Ibid.*, serm. 10.

26. Non omnis gratiarum actio accepta est Deo, nisi quæ de cordibus pudica et mera simplicitate procedit. *Ibid.*, serm. 23.

27. Disce in referendo gratiam non esse segnis, aut tardus : disce ad singula dona gratias agere, ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur. *Ibid.*, serm. 51.

28. Ad locum unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. *Ibid.*, serm. 13.

29. Nemo plane ut Pharisæus gratias agat, cujus justitiæ non est laus a Deo, nec enim illa gratiarum actio gratiorem eum facit. *Ibid.*

30. In omnibus operibus tuis Deo gratias refer : in omnibus actionibus tuis Deo gratias redde, in omni conversatione tua Deo gratias rependa. Serm. 3, *ad Sororem.*

**S. BONAV.** 31. Gratias age Deo semper, corde et ore, qualitercunque tibi succedit in gravamine, et dolore. In *Alphab. religiosor.*, lect. 6.

32. Gratias Deo agimus, cum de bono, quod nobis ab ipso profluit, ejus bonitatem commendamus. Lib. 2, *de Profect. relig.*, cap. 62.

**CASSIODOR.** 33. Deo gratias, in quantum possumus, devota mente referamus. Super *Psalm.* XXI, vers. 26.

**S. CLEMENS PAPA.** 34. Deus animam sibi gratias agentem, proximam sibi et familiarem facit : ingratam vero, malus possidet dæmon. Lib. 5, *Recognit.*

**DIONYSIUS CARTHUS.** 35. Gratiarum actio dilectionem accendit, benevolentiam captat, et ad potiara disponit. Super *Epist. ad Coloss.*, cap. 4, art. 4, super illud : *In gratiarum actione.*

36. Gratiarum actio de bonis collatis, est per quam dignificatur homo ad percipienda dona majora. Super *Epist.* 1, *ad Timot.*, cap. II, art. 2.

**S. EUCHER.** 37. Impium est Deum non diligere : cui rependere non queas, etiam cum dilexeris. *Prosec.*

38. Injustissimum est, ut ei, quæ possit, tribuere nolis; cui, etiam velis, repensare non possis. In *Epist. parænet. ad Valerian.*

**S. GREGOR. MAGNUS.** 39. Discamus, fratres, non solum in prosperis, sed in adversis quoque omnipotenti Deo gratias agere. Homil. 19, super *Ezech.*

**S. HIERON.** 40. Christianorum propria virtus est, etiam in his quæ adversa putantur, referre gratias Creatori. Lib. 3, super *Epist. ad Ephes.*, cap. V, in illud : *Gratias agentes.*

41. Laus et gratiarum actio, non solum ad Deum, sed etiam coram Deo clamant. Super *Thren.*, in illud *Gen.* XVIII : *Clamor Sodomorum.* **HUGO A S. VICTORE.**

42. Quidquid acciderit tibi, cape cum gratiarum actione ; quia si est adversitas, medicamentum est : si prosperitas, beneficium, et ita pro utroque debes gratias agere. Super *Ecclesiastic.*, cap. II. **HUGO CARD.**

43. Tunc est perfecta gratiarum actio de beneficiis divinis acceptis, quando cum timore quis petit pro amplioribus accipiendis, et pro periculis vitandis. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. XIII.

44. Mens vel cum præterita Dei recolit beneficia, vel cum præsentia contemplatur : seu cum in futurum, quæ et quanta præparaverit Deus his, qui diligunt eum, prospicit, per ineffabiles excessus gratiarum actiones Deo refert. Collat. 9, *Abbat. Isaac.*, cap. 14. **JOAN. CASS.**

45. Sicut cum grati sumus hominibus, qui nobis benefecerunt, illos clariores reddimus : ita si in Deum fuerimus grati, nos ipsos illustriores facimus. Homil. 26, super *Gen.* **S. JOANNES CHRYSOST.**

46. Quando Deus aliquem videt, qui gratus est de prioribus beneficiis, largius et cumulatius sua dona in illum profundit. *Ibid.*, homil. 27.

47. Officium grati famuli est, non solum gratum esse domino, quando ubertim omnia succedunt, sed ut in adversis eamdem gratitudinem declaret. *Ibid.*, homil. 40.

48. Nihil est tam gratum Deo, ut anima grata, et gratias agens. *Ibid.*, homil. 52.

49. Cum innumeris beneficiis quotidie Deus nos prosequatur, sive ea sciamus, sive ignoremus, sive velimus, sive nolimus : nihil tamen aliud a nobis exigit, quam habere gratias pro his, quæ nobis facta sunt, ut pro illa ipsa gratiarum actione ad ampliora danda provocetur. *Ibid.*

50. Magna felicitas hominis, si beneficiis responderit Creatoris. Serm. *de Moyse.*

51. Ubi gratiarum actio, eo sancti Spiritus advenit gratia : abiguntur dæmones, et omnis adversaria potestas diffugit ac discedit. Homil. 2, *de Fide Annæ.*

52. Qui pro parvis acceptis beneficiis, parva retulerit, nulla dignus est reprehensione : qui vero in aliquod honoris culmen assumptus est, si vilia minimaque rependit, magnum meretur supplicium. Homil. 13, super *Joan.*

53. Gratias agere oportet, non solum divites, sed et pauperes; non tantum bene valentes, sed et ægrotos; non tantum quibus ex voto, sed et quibus præter animi sententiam sinistre cadunt omnia. Serm. 2, super *Epist. ad Rom.*

54. Gratias agentes non verbis tantum, sed et

operibus, sed vera gratitudine, sed rebus ipsis grati sint. *Ibid.*, serm. 18, in *Morali.*

55. Ea diligens ac vera erit gratiarum actio, si ea per quæ Deus glorificari poterit, fecerimus. *Ibid.*

56. Ante omnia Deo gratias agamus, cui nihil gratius, nihil acceptius est, quam gratitudo pro beneficiis vel in se, vel in alios collatis. Homil. 2, super I *Cor.*

57. Pro privata utilitate in communi gratias oportet agere : et pro publica, privatam par est rependere gratiarum actionem. Homil. 2, super II *Cor.* in *Morali.*

58. Si in rebus adversis Deo gratias agas, omnium præcipua hæc est eleemosyna. *Ibid.*, homil. 4, in *Morali.*

59. Gratias age, etiamsi rationem eventus non videas; istud enim est gratiarum actio. *Prosec.*

60. Si gratias agis beneficiis affectus, et rerum abundans, et bene habens rerumque prospero successu potitus nihil magni facis nihilque præcipui : sed in tribulationibus et doloribus existens gratias agas. Serm. 19, super *Epist. ad Ephes.*

61. Gratias agere pro omnibus, istud sinceri, et grati et famuli, istud sapientis, istud prudentis. *Ibid.*, in *Morali.*

62. Satagamus pro omnibus gratias referre. In paupertate sumus? gratias agamus : in ægritudine? gratias agamus : calumnias sustinemus? gratias agamus : aliquod malum patimur? gratias agamus. Homil. 33, super *Epist. ad Hebr.*, in *Morali.*

63. Gratiarum actio homines proximos facit esse Deo, et Deum reddit sibi debitorem. *Ibid.*

64. Nullum gratiarum actioni par bonum est. Homil. 1, *ad Popul. Antioch.*

65. Magnus thesaurus gratiarum actio, magnæ divitiæ, inconsumptum bonum, armatura fortis. *Ibid.*

66. Nihil hac lingua sanctius, quæ in adversis Deo gratias agit. Homil. 8, super *Epist. ad Coloss.*

JOAN. TRITH.

67. Homo certe ingratissimus est, et Christiano vocabulo indignus, qui tantorum beneficiorum Christi usque adeo fuerit obliviosus, ut non quotidie, vel semel ad minus gratiarum illi referat actiones. Lib. 1, homil. 8, *ad Monachos.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA.

68. Is vir est, qui gratias agere norit. Lib. 2, epist. 18, *ad Isidor. presbyt.*

LACT. FIRM.

69. Si quid homini boni evenerit, gratias agat : si quid mali, satisfaciat. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 25.

S. LAURENT. JUSTIN.

70. Nullum officium referenda gratia magis est necessarium, quia majora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur delere. *Prosec.*

71. Disce ergo in gratias referendo non esse tardus, disce ad singula gratias agere, ut nulla dona debita gratiarum actione frustrentur.

72. Nam jugiter sibi subvenire facit, cui impensum beneficium ante oculos semper assistit.

73. Invitatur ad magna, qui de parvis gratias agere assuescit. *De Ligno vitæ*, tract. 13, *de Orat.*, cap. 7.

S. MAXIMUS EP. TAURIN.

74. Tu cum gratias non agis, Deum nec diligis, nec vereris : unde aut contumax es servus, aut superbus filius. Homil. 2, *de Non timendis hostibus.*

S. NILUS.

75. In tristibus gratias age, et jugum afflictionum leve erit. *Parænes.* 35.

PHILO JUD.

76. Nihil creaturæ magis proprium, quam gratias agere, cum præterea nihil rependere valeat. Lib. *de Plant. Noe.*

77. Grato ipsa gratiarum actio, merces est amplissima. *Ibid.*

SALVIANUS.

78. Hoc est consequens, atque id etiam usus vitæ humanæ habet, ut referatur gratia fœneratoribus gratiarum, et recipiant vicem munerum munerantes. Lib. 6, *de Gubern. Dei.*

79. Natura ipsa hominum consuetudoque communis, hac quasi generali cunctos lege constringit, ut a quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratiæ debeamus : arctat quippe nos ad retributionem dati accepta largitio. *Ibid.*, lib. 4, *ad Eccles. catholic.*

THEOPHYLACTUS.

80. Dignum est nos gratias agere Deo pro cunctis beneficiis, quæ in nos ille transtulit : dignum tamen etiam est pro fide gratias agere. Super *Epist., ad Ephes.* cap. 1, in illud : *Gratias agere pro vobis.*

S. THOMAS AQUINAS.

81. Non est dignus beneficium consequi, qui de acceptis beneficiis gratias non agit. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1, lect. 5.

82. Gratiarum actio in accipiente respicit gratiam dantis : unde ubi major est gratia ex parte dantis, ibi requiritur major gratiarum actio ex parte recipientis. 2, 2, quæst. 106, art. 2.

THOMAS A KEMPIS.

83. Indignus est beneficio, qui gratias non agit corde devoto. Medit. 25, *de Christi pass.*, cap. 4.

84. Semper debetur gratia, digne gratias referenti. Lib. 2, *de Imit. Christi*, cap. 10, sect. 2.

85. Da Deo quod Dei est, et tibi adscribe quod tuum est : hoc est, Deo gratias pro gratia tribue, tibi autem soli culpam et dignam pœnam pro culpa deberi sentias. *Ibid.*, cap. 10, sect. 3.



86. Esto gratus pro minimo, et eris dignus majora accipere. *Ibid.*, cap. 10, sent. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO.

87. Nunquam aliquid illustrius esse potest, gratiarum actione. Lib. 10, epist. 19, *ad Plancum.*

88. Volo et esse et haberi gratus. Lib. 2, *de Finib.*

PLINIUS II.

89. Merenti gratias agere, facile est. In *Panegyrico de Trajano augusto.*

SENECA.

90. Ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias. Lib. 2, *de Benef.*, cap. 23.

91. Nemo referre potest gratiam, nisi qui meminit : et qui meminit, jam refert. *Ibid.*, cap. 24.

92. Statim gratus est, qui se onerat. *Ibid.*

93. Qui gratus futurus est, statim dum beneficium accepit, de reddendo cogitat. *Ibid.*, cap. 25.

94. Nunquam eris gratus, nisi statim sis : vis reddere beneficium? benigne accipe, retulisti gratiam : non ut solvisse te putes, sed ut securior debeas. *Ibid.*, cap. ult.

95. Non referre beneficiis gratiam et est turpe, et apud omnes habetur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 1.

96. Ad reddendam gratiam, et virtute opus est, et tempore, et facultate : qui meminit sine impendio, gratus est. *Ibid.*, cap. 2.

97. Non potest quisquam et invidere, et gratias agere : quia invidere, quærentis et molesti est : gratias agere, gaudentis. *Ibid.*, cap. 3.

98. Præsentium intuitus, ac præteritorum memoria gratum facit. *Ibid.*, cap. 4.

99. Cum res honestissima sit, referre gratiam : desinit esse honesta, si necessaria est. *Prosec.*

100. Non est gloriosa res, gratum esse : nisi tutum est, ingratum fuisse. *Ibid.*, cap. 7.

101. Gratum hominem semper beneficium delectat; ingratum semel. *Ibid.*, cap. 17.

102. Semper agamus Deo gratias. Epist. 12.

103. Amoris et amicitiæ pars est, referre gratiam. Epist. 81.

104. Nemo referre gratiam scit, nisi sapiens. *Ibid.*

105. Nihil grato animo honestius. Epist. 81.

SIXT. PHIL.

106. Deo gratiam præstat homo, qui quantum possibile est vivit secundum Deum. *Sent.* 42.

TRISMEGIS.

107. Adventante vespere, solisque radiis occidentibus, ut Deo gratias agerent omnes, præcipiebam : postquam vero gratias egerant, quisque in proprium cubile se condebat. Lib. *de Potest. et Sap. Dei*, cap. 1.

108. Ipse divino afflatus spiritu, omnibus animi viribus, Patri Deo gratias ago. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Adversitas*, sent. 97; *Afflictio*, sent. 97; *Amissio*, sent. 83; *Beneficium in genere*, sent. 54; *Beneficium Dei*, sent. 32, 133; *Debitum*, sent. 15; *Donum*, sent. 69; *Gratia Dei*, sent. 68; *Mensa*, sent. 25; *Necessitas*, sent. 46.

## GRAVITAS.

COLLECTOR.

*Definitio.* Gravitas est firmitas et constantia animi, in moribus, vultu, verbis, rebus agendis quædam severitas.

HUGO CARD.

*Divisio.* Multiplex est gravitas : prima, gravitas morum; secunda, gravitas pœnæ; tertia, gravitas culpæ; quarta, gravitas malitiæ, quinta, gravitas acediæ; sexta, gravitas legis; septima, gravitas intelligentiæ; octava, gravitas obdurationis; nona, gravitas pigritiæ; decima, gravitas oppressionis; undecima, gravitas divitiarum. Super *Isai.*, cap. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS.

1. Ille gressus probabilis est, in quo est species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium. Lib. 1, *Offic.*, cap. 18.

2. Sermo gravitatis, est habena cautelæ, fidei custodia, castimoniæ disciplina. Lib. 1, *de Pœnit.*, cap. 13.

3. Non placet Deo, quem non suorum gravitas morum probat. Lib. 8, epist. 34, *ad Syagrium Veronent. episcop.*

S. AUGUST.

4. Memento gravitatis tuæ, ut gravissimum aliquid, et saluberrimum doceas. Epist. 56, *ad Dioscorum.*

5. Sit risus mixtus gravitate, et plenus honesti motus. *De Spiritu et Anima*, cap. 62.

6. Oportet ut senilis sermo non solum sit gravis, sed etiam brevis. *De Laudib. charit.*

7. Severus vultus, custos est disciplinæ. Serm. 2, *Dom.* 4, *Quadrag.*

V. BEDA.

8. Gravis animus dubiam non habet sententiam. In suis *Proverb.*, verbo *Gravis.*

S. BERNARD.

9. Nulla magis virtus necessaria est, quam simplicitas humilis, et gravitas verecunda. Serm. 3, *Epiph.*

10. Monstruosa res, vultus gravis, et actus levis. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

11. Sit incessus tuus maturitate plenus, gravis et honestus. In *Formula honestæ vitæ.*

S. BONAV.

12. Gestus religiosi debet esse humilis, severus, et gravis. In *Speculo disciplin.*, part. 1, cap. 19.

13. Gravitatis modestia multam affert, servata, moribus honestatem; neglecta, maculam et contemptum. *Ibid.*

14. Velocitas in opere ac maturitas, non removet gravitatem sed vitium tarditatis excludit. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 22.

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

operibus, sed vera gratitudine, sed rebus ipsis grati sint. *Ibid.*, serm. 18, in *Morali.*

55. Ea diligens ac vera erit gratiarum actio, si ea per quæ Deus glorificari poterit, fecerimus. *Ibid.*

56. Ante omnia Deo gratias agamus, cui nihil gratius, nihil acceptius est, quam gratitudo pro beneficiis vel in se, vel in alios collatis. Homil. 2, super I *Cor.*

57. Pro privata utilitate in communi gratias oportet agere : et pro publica, privatam par est rependere gratiarum actionem. Homil. 2, super II *Cor.* in *Morali.*

58. Si in rebus adversis Deo gratias agas, omnium præcipua hæc est eleemosyna. *Ibid.*, homil. 4, in *Morali.*

59. Gratias age, etiamsi rationem eventus non videas; istud enim est gratiarum actio. *Prosec.*

60. Si gratias agis beneficiis affectus, et rerum abundans, et bene habens rerumque prospero successu potitus, nihil magni facis nihilque præcipui : sed in tribulationibus et doloribus existens gratias agas. Serm. 19, super *Epist. ad Ephes.*

61. Gratias agere pro omnibus, istud sinceri, et grati et famuli, istud sapientis, istud prudentis. *Ibid.*, in *Morali.*

62. Satagamus pro omnibus gratias referre. In paupertate sumus? gratias agamus : in ægritudine? gratias agamus : calumnias sustinemus? gratias agamus : aliquod malum patimur? gratias agamus. Homil. 33, super *Epist. ad Hebr.*, in *Morali.*

63. Gratiarum actio homines proximos facit esse Deo, et Deum reddit sibi debitorem. *Ibid.*

64. Nullum gratiarum actioni par bonum est. Homil. 1, *ad Popul. Antioch.*

65. Magnus thesaurus gratiarum actio, magnæ divitiæ, inconsumptum bonum, armatura fortis. *Ibid.*

66. Nihil hac lingua sanctius, quæ in adversis Deo gratias agit. Homil. 8, super *Epist. ad Coloss.*

JOAN. TRITH.

67. Homo certe ingratissimus est, et Christiano vocabulo indignus, qui tantorum beneficiorum Christi usque adeo fuerit obliviosus, ut non quotidie, vel semel ad minus gratiarum illi referat actiones. Lib. 1, homil. 8, *ad Monachos.*

S. ISIDORUS PULUSIOTA.

68. Is vir est, qui gratias agere norit. Lib. 2, epist. 18, *ad Isidor. presbyt.*

LACT. FIRM.

69. Si quid homini boni evenerit, gratias agat : si quid mali, satisfaciat. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 25.

S. LAURENT. JUSTIN.

70. Nullum officium referenda gratia magis est necessarium, quia majora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur delere. *Prosec.*

71. Disce ergo in gratias referendo non esse tardus, disce ad singula gratias agere, ut nulla dona debita gratiarum actione frustrentur.

72. Nam jugiter sibi subvenire facit, cui impensum beneficium ante oculos semper assistit.

73. Invitatur ad magna, qui de parvis gratias agere assuescit. *De Ligno vitæ*, tract. 13, *de Orat.*, cap. 7.

S. MAXIMUS EP. TAURIN.

74. Tu cum gratias non agis, Deum nec diligis, nec vereris : unde aut contumax es servus, aut superbus filius. Homil. 2, *de Non timendis hostibus.*

S. NILUS.

75. In tristibus gratias age, et jugum afflictionum leve erit. *Parænes.* 35.

PHILO JUD.

76. Nihil creaturæ magis proprium, quam gratias agere, cum præterea nihil rependere valeat. Lib. *de Plant. Noe.*

77. Grato ipsa gratiarum actio, merces est amplissima. *Ibid.*

SALVIANUS.

78. Hoc est consequens, atque id etiam usus vitæ humanæ habet, ut referatur gratia fœneratoribus gratiarum, et recipiant vicem munerum munerantes. Lib. 6, *de Gubern. Dei.*

79. Natura ipsa hominum consuetudoque communis, hac quasi generali cunctos lege constringit, ut a quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratiæ debeamus : arctat quippe nos ad retributionem dati accepta largitio. *Ibid.*, lib. 4, *ad Eccles. catholic.*

THEOPHYLACTUS.

80. Dignum est nos gratias agere Deo pro cunctis beneficiis, quæ in nos ille transtulit : dignum tamen etiam est pro fide gratias agere. Super *Epist., ad Ephes.* cap. 1, in illud : *Gratias agere pro vobis.*

S. THOMAS AQUINAS.

81. Non est dignus beneficium consequi, qui de acceptis beneficiis gratias non agit. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1, lect. 5.

82. Gratiarum actio in accipiente respicit gratiam dantis : unde ubi major est gratia ex parte dantis, ibi requiritur major gratiarum actio ex parte recipientis. 2, 2, quæst. 106, art. 2.

THOMAS A KEMPIS.

83. Indignus est beneficio, qui gratias non agit corde devoto. Medit. 25, *de Christi pass.*, cap. 4.

84. Semper debetur gratia, digne gratias referenti. Lib. 2, *de Imit. Christi*, cap. 10, sect. 2.

85. Da Deo quod Dei est, et tibi adscribe quod tuum est : hoc est, Deo gratias pro gratia tribue, tibi autem soli culpam et dignam pœnam pro culpa deberi sentias. *Ibid.*, cap. 10, sect. 3.



86. Esto gratus pro minimo, et eris dignus majora accipere. *Ibid.*, cap. 10, sent. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO.

87. Nunquam aliquid illustrius esse potest, gratiarum actione. Lib. 10, epist. 19, *ad Plancum.*

88. Volo et esse et haberi gratus. Lib. 2, *de Finib.*

PLINIUS II.

89. Merenti gratias agere, facile est. In *Panegyrico de Trajano augusto.*

SENECA.

90. Ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias. Lib. 2, *de Benef.*, cap. 23.

91. Nemo referre potest gratiam, nisi qui meminit : et qui meminit, jam refert. *Ibid.*, cap. 24.

92. Statim gratus est, qui se onerat. *Ibid.*

93. Qui gratus futurus est, statim dum beneficium accepit, de reddendo cogitat. *Ibid.*, cap. 25.

94. Nunquam eris gratus, nisi statim sis : vis reddere beneficium? benigne accipe, retulisti gratiam : non ut solvisse te putes, sed ut securior debeas. *Ibid.*, cap. ult.

95. Non referre beneficiis gratiam et est turpe, et apud omnes habetur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 1.

96. Ad reddendam gratiam, et virtute opus est, et tempore, et facultate : qui meminit sine impendio, gratus est. *Ibid.*, cap. 2.

97. Non potest quisquam et invidere, et gratias agere : quia invidere, quærentis et molesti est : gratias agere, gaudentis. *Ibid.*, cap. 3.

98. Præsentium intuitus, ac præteritorum memoria gratum facit. *Ibid.*, cap. 4.

99. Cum res honestissima sit, referre gratiam : desinit esse honesta, si necessaria est. *Prosec.*

100. Non est gloriosa res, gratum esse : nisi tutum est, ingratum fuisse. *Ibid.*, cap. 7.

101. Gratum hominem semper beneficium delectat; ingratum semel. *Ibid.*, cap. 17.

102. Semper agamus Deo gratias. Epist. 12.

103. Amoris et amicitiæ pars est, referre gratiam. Epist. 81.

104. Nemo referre gratiam scit, nisi sapiens. *Ibid.*

105. Nihil grato animo honestius. Epist. 81.

SIXT. PHIL.

106. Deo gratiam præstat homo, qui quantum possibile est vivit secundum Deum. *Sent.* 42.

TRISMEGIS.

107. Adventante vespere, solisque radiis occidentibus, ut Deo gratias agerent omnes, præcipiebam : postquam vero gratias egerant, quisque in proprium cubile se condebat. Lib. *de Potest. et Sap. Dei*, cap. 1.

108. Ipse divino afflatus spiritu, omnibus animi viribus, Patri Deo gratias ago. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Adversitas*, sent. 97; *Afflictio*, sent. 97; *Amissio*, sent. 83; *Beneficium in genere*, sent. 54; *Beneficium Dei*, sent. 32, 133; *Debitum*, sent. 15; *Donum*, sent. 69; *Gratia Dei*, sent. 68; *Mensa*, sent. 25; *Necessitas*, sent. 46.

## GRAVITAS.

COLLECTOR.

*Definitio.* Gravitas est firmitas et constantia animi, in moribus, vultu, verbis, rebus agendis quædam severitas.

HUGO CARD.

*Divisio.* Multiplex est gravitas : prima, gravitas morum; secunda, gravitas pœnæ; tertia, gravitas culpæ; quarta, gravitas malitiæ, quinta, gravitas acediæ; sexta, gravitas legis; septima, gravitas intelligentiæ; octava, gravitas obdurationis; nona, gravitas pigritiæ; decima, gravitas oppressionis; undecima, gravitas divitiarum. Super *Isai.*, cap. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS.

1. Ille gressus probabilis est, in quo est species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium. Lib. 1, *Offic.*, cap. 18.

2. Sermo gravitatis, est habena cautelæ, fidei custodia, castimoniæ disciplina. Lib. 1, *de Pœnit.*, cap. 13.

3. Non placet Deo, quem non suorum gravitas morum probat. Lib. 8, epist. 34, *ad Syagrium Veronent. episcop.*

S. AUGUST.

4. Memento gravitatis tuæ, ut gravissimum aliquid, et saluberrimum doceas. Epist. 56, *ad Dioscorum.*

5. Sit risus mixtus gravitate, et plenus honesti motus. *De Spiritu et Anima*, cap. 62.

6. Oportet ut senilis sermo non solum sit gravis, sed etiam brevis. *De Laudib. charit.*

7. Severus vultus, custos est disciplinæ. Serm. 2, *Dom.* 4, *Quadrag.*

V. BEDA.

8. Gravis animus dubiam non habet sententiam. In suis *Proverb.*, verbo *Gravis.*

S. BERNARD.

9. Nulla magis virtus necessaria est, quam simplicitas humilis, et gravitas verecunda. Serm. 3, *Epiph.*

10. Monstruosa res, vultus gravis, et actus levis. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

11. Sit incessus tuus maturitate plenus, gravis et honestus. In *Formula honestæ vitæ.*

S. BONAV.

12. Gestus religiosi debet esse humilis, severus, et gravis. In *Speculo disciplin.*, part. 1, cap. 10.

13. Gravitatis modestia multam affert, servata, moribus honestatem; neglecta, maculam et contemptum. *Ibid.*

14. Velocitas in opere ac maturitas, non removet gravitatem sed vitium tarditatis excludit. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 22.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

15. Potest gravitatis censura pro tempore remitti, non dimitti. *Ibid.*, cap. 30.

16. Gravitas inquietudinem et dissolutionem excludit. *Ibid.*, cap. 15.

CLEMENS ALEX. 17. Sit gravis aspectus, ac motus honestus : sæpe enim moveri, habitumque et figuram mutare, signum est levitatis. Lib. 2 *Pædagogi*, cap. 7.

CONCIL. CARTH. 4. 18. In incessu debet esse sacerdos ornatus gravitate, ut mentis maturitatem ostendat. Hab. in *Decretis Gratiani*, part. 1, dist. 51, can. *Clericus*.

S. EPHRÆM. 19. Modestum ac gravem te gere : modestia enim et gravitas pacificum ac tranquillum vitæ statum parit. *Ad Monachos*, parænes. 46.

S. GREGOR. MAGNUS. 20. Ille ad quodlibet officium perducatur, quem morum gravitas commendat et actio. Lib. 5, in *Registro*, indict. 14, cap. 107, epist. 7, ad *Theodor. episc.*

S. GREGOR. NAZ. 21. Gravitas cum prudentia conjuncta, præferenda est risui : nam animus severo faciei aspectu corrigitur. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

S. GREGOR. NYSS. 22. Ita sit morum gravitas cum moderata animi demissione commixta, ut non oculos lædat intuentium, sed jucundum faciat obtutum : ut neque gravitatis splendor obscuretur, neque latens in animo vis propter humilitatem despiciatur ; sed alterum æqualiter in utroque, tum in sublimitate humanitas, tum in humilitate gravitas animadvertatur. *De iis qui præmature arripiuntur.*

S. GREGOR. THAUMAT. 23. Severa seu gravi vultus habitudine anima ad rectum, honestumque componitur. *Ibid.*, cap. 7.

S. HIERON. 24. Gravitas tuam personam decet. Epist. 8, ad *Demetriad.*

25. Sit in te gravitas, honestas admirabilis; et stupenda verecundia. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

26. Nihil sit scurrilitatis, aut vanitatis, sed magis quidquid est gravitatis et modestiæ : quia Christiani vita omnibus in speculo posita est. Epist. 53, *ad Ocean. de Ferendis opprobriis.*

27. Quantalibet gravitate mens vigeat, carnales tamen sensus pueriliter exterius perstrepunt : et nisi interioris gravitatis pondere refrænentur, ad fluxa quæque et levia mentem enervem trahunt. Lib. 2, super *Lament. Hierem.*, cap. III, super illud : *Oculus meus deprædatus est.*

HUGO A S. VICTORE. 28. Hæc duo pertinent ad gravitatem : rarus sermo, et rigor sermonis, rarus sermo concordiam servat ; rigor sermonis corrigit emendanda. Lib, 1, *de Claustro anim.*, cap. 16.

29. Affabilis est gravitas, non garrula : asperitatem monstrat, sed non est litigiosa. *Ibid.*

30. Nihil gravitate desiderabilius. Homil. 12, super *Epist. ad Coloss.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 31. Incessus tuus imaginem levitatis non habeat sed gravitatis. *Prosec.*

32. Ea quæ loqueris gravitate atque doctrina digna existant. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 8.

33. Perspicuitas cum gravitate conjuncta, obscuritatem auditoribus minime parit. Lib. 2, epist. 154, *ad Orphelium.*

S. PETRUS DAMIANUS. 34. Sic sacerdotalem vultum gravitas matura componat, ne rigorem nimium intuentium infirmitas perhorrescat. Lib. 2, epist. 1, *ad episcopos Cardinales.*

S. PROSPER. 35. Multi sunt in verbo graves, in animo turpes. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 10.

TERTULL. 36. Gravitas adjutrix et socia pudicitiæ est. *De Cultu feminar.*, cap. 8.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 37. In rebus severis non est jocandi locus. Lib. 2, *de Divinat.*, num. 25.

PLINIUS II. 38. Nullus horror in vultu, nulla tristitia, multum sit severitatis. Lib. 1, epist. 18, *ad Arrium Clement.*

39. Gravitati multum comitati adjungere non minus difficile, quam magnum est. Lib. 4, epist. *ad Adrian.*

SENECA. 40. Non sis audax, nec arrogans, sed submitte gravitate servata. *De Quatuor virtut.*

VALERIUS MAXIMUS. 41. Valde efficax est animi sermonisque abscissa gravitas. Lib. 6 *Dictor. memorabil.*, cap. 4.

Vide etiam tit. *Juventus*, sent. 15; *Risus*, sent. 23; *Sacerdos*, sent. 28; *Virginitas*, sent. 10.

## GULA.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. *Etymologia.* Gastrimargia est insanum ventris studium ; μάργος quippe furiosum sonat. Lib. 1, epist. 384. *ad Philagrium.*

ARISTOTEL. Gulosi græco vocabulo appellantur γαστρίμαργοι id est, ventri usque ad insaniam indulgentes, tanquam cum præter modum implentes. Lib. 3 *de Moribus*, cap. 11.

S. ALBERTUS MAGNUS. *Definitio.* Gula est cum aliquis cibum amplius, quam naturæ suæ conveniat, vel lautiora, vel nimis avide delicata sumit. Part. 2 *de Paradiso animæ*, cap. 7.

S. ANTONIN. Gula est inordinatus appetitus cibi et potus. Part. 2, tit. 6, *de Gula*, cap. 1.

S. BONAV. Gula est immoderatus amor delectationis ejus, quæ est circa, vel secundum gustum. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 23.

HUGO A S. VICTORE. Guttur seu gula vehiculum est vocis, et ciborum canalis. Lib. 4 *de Proprietat.*, cap. 7.

Ventris ingluvies est immoderata qualiumcunque ciborum potuumve hiantis concupiscentiæ satisfactio. *De Fructib. carnis et spiritus*, cap. 9.



JOAN. CASS. *Productio.* De gastrimargia fornicationem necesse est pullulare : quamobrem ut fornicatio subruatur, gastrimargiæ vitium est castigandum. Collat. 5, *Abbat. Serapionis*, cap. 10.

S. EDMUND. De gula nascuntur inepta lætitia, luxuria, immunditia, multiloquium, debilis intellectus. In *Speculo Ecclesiæ*, cap. 8.

S. GREGOR. MAGNUS. De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam oriuntur. Lib. 31 *Moral.*, cap. 17, super illud *Job* XXXIX : *Exhortationem ducum.*

S. HIERON. Gula genitrix est luxuriæ, et castitatis carnifex. In *Regula monachorum*, cap. 35, *de Cibis.*

HUGO A S. VICTORE. Gulæ comites sunt, ebrietas, crapula, mentis hebetudo, languor, delicatio; oblivio. *De Fructib. carnis et spiritus*, cap. 9.

S. JOAN. CLIM. Gastrimargia est saporum variorumque liquaminum opifex, et suavitatis imaginariæ fons. *Gradu* 14.

S. NILUS. Gula libidinis est mater ; hæc enim libidinem gignit, et multa alia vitia, quæ ab ejus radice tanquam stolones pullulant, et paulatim in arbores magnas evadunt, malitiæque fructus edunt uberrimos. In *Libro ascetico.*

Gula non tantum vitiorum est mater ac nutrix, verum etiam omnes aufert virtutes. *Ibid.*

S. BONAV. *Comparatio.* Sicut Esau pro cibo lenticulæ vendidit primogenita sua, sic gulosi pro gula vendunt præmia æterna. Titul. primo *Diætæ*, cap. 8.

Sicut piscis per guttur capitur cum hamo, et avis per collum cum laqueo tenetur : sic gulosus per guttur, et collum capitur gulæ vitio. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPAL. Sicut omnes carnales cupiditates per abstinentiam resecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 42, sent. 10.

S. JUSTIN. MART. Sicut corpus cum ægrotat, multa atque infinita remedia requirit : sic animus qui ingluvie laborat, propemodum etiam pellibus inferciri cupit. Epist. *ad Zenam.*

SIXT. PHIL. Homo qui a ventre vincitur, belluæ similis est. *Sententia* 262.

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Gula est rationis et virtutum omnium suffocatio. Part. 3, serm. 4, *Regina* 6, cap. 23.

S. AMBROS. 2. Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas. Lib. 1 *de Cain et Abel*, cap. 5.

S. ANTONIN. 3. Ventris ingluvies ad luxuriam provocat, et omne opus bonum dissolvit. Part. 3, tit. 13, *de Clericis*, cap. 3, § 3.

S. AUGUST. 4. Quis est, qui non in cibo rapiatur aliquando extra metas necessitatis? Lib. 10 *Conf.*, cap. 31.

5. Fræni gutturis temperata relaxatione et constrictione tenendi sunt. *Ibid.*

6. Gula cum aliquid jucunde sapit, etiamsi exiguum, tamen irrevocabilem partem sibi vendicat, et hoc cogit fieri quod naturæ corporis convenit : quod nisi ita esset, nullus remaneret sapor in ore posteaquam fuerint mansa illa reddita atque desputa. Lib. 2 *de Libero arbitr.*, cap. 7.

7. Fieri potest, ut sine aliquo vitio voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur : insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum ardescat. Lib. 3 *de Doctr. christ.*, cap. 12.

8. Homo crapulosus, ferculis satiatus, diversis in luxuriis se proruit, et in stercore vitiorum se volutat. Serm. 67, *ad Fratr. in eremo.*

S. BASILIUS MAGNUS. 9. Venter cibis onustus, non dicam ad cursum, sed ne ad somnum quidem aptus est : quandoquidem ciborum copia oppressus, ne quiescere quidem sinitur, sed multas in utramque partem conversiones efficere cogitur. Apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 77.

10. Humana corpora assidua ingurgitatione degravata, facile morbis obruuntur. *Ibid.*

11. Quid teipsum saginas et carnibus gravas? An ignoras quod quanto pinguius tuum tibi corpus, tanto graviorem animæ tuæ carcerem constituis? Sup. *Psalm.* XXIX, vers. 9.

12. Gulæ vitium non in escarum copia naturæ suæ vim positam exercere novit, sed in voluptate atque gustu, licet modicis admodum utare, *Prosec.*

13. Quod si ita est, ut vel brevissima modo gustatu percepta delectatio obnoxium te istiusmodi morbo valeat efficere, haud dubie id te nullo negotio ad interitum dabit.

14. Ut enim fons aquæ si in plures sit rivulos dissectus, vicina rivulis illis loca omnia herbarum viriditate convestit, et quasi pubescere facit : sic vitium gulæ, si per cordis tui venas se effuderit et distraxerit, indeque permeans sensus tuos omnes irrigarit, ubi libidinum multarum in te silvam conseverit, animum tuum ferarum habitaculum efficiet.

15. Etenim multos ego animadverti sæpe, qui cum alterius cujusvis generis vitiis laborarent, ad sanitatem tamen redierint postea : qui autem hoc morbo tenerentur, et ventris ingluvie duci se sinerent, neminem ex omnibus vidi unquam, qui convaluerit. *De Abdicat. rerum.*

16. Qui ut gulæ libidinem obtegant, innumerabilibus se aliis vitiis involvunt, cum habitu quidem inter salvos esse videantur, rebus ipsis inter perditos numerandi sunt. *Ibid.*

17. Gulæ libido ea est, per quam ludibrio habetur Noe, et Cain maledictioni subjicitur : per hanc primogenita amittit Esau, et cum Chananæis affinitate conjungitur, *Ibid.*

V. BEDA. 18. **Bibere et manducare nulli concessum est ad gulam explendam, sed ad famem sitimque restringendam.** In suis *Proverbiis*, verbo *Bibere*.

S.BERNARD. 19. Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum, et ejus tam modicæ partis tam exigua delectatio quanta operatur sollicitudine, quantam deinde molestiam parit. Serm. *De Convers. ad clericos*, cap. 12.

20. Guttur insatiabili ardet ingluvie, gula diversis saporibus satiari non potest. *De Inter. domo*, cap. 30.

21. Unde gula delectatur, inde venter inflatur, corpus infirmatur, et sæpe mors sequitur. *Ibid.*

22. Gula semper est in pugna et in culpa : sive manduces, sive bibas, adest illa tecum pugnatura. Si bene non pugnas, certe vinceris ab illa, quæ cum multis pugnat, et a paucis expugnatur. *Ibid.*, cap. 59.

23. Qui gulosus effectus est, vix aliter quam morte mores mutabit. Epist. *de Cura et regim. rei familiaris*.

24. Gulositas vilis et negligentis hominis putredo est. *Ibid.*

24. *bis*. Melius est exiguo sagimine ad usum vesci quam ventoso legumine usque ad ructum exsaturari. In *Apolog. ad Guillem. abbat.*, cap. *Unde*.

25. Fac gulam litigare cum bursa, et cave cujus advocatus existas : si autem inter gulam et bursam judex existas, sæpius, sed non semper pro bursa sententiam feras. Tunc male judicas contra gulam, quando avaritia ligat bursam. *Ibid.*

26. Tota die epulas in cogitatione ruminat, qui ad explendam gulam vespere sibi delicias præparat. Serm. 24, *ad Sororem*.

27. Cavenda est cura ventris; quando enim venter immoderate reficitur, corpus ad luxuriam excitatur. *Ibid.*

28. Vitium gulositatis horridas immunditias et incurialitates multas facit. Apud *D. Antonin.*, part. 4, tit. 4, cap. 4, § 2.

S. BONAV. 29. Turpe est ut homo amet gulam, per quam e Paradiso ejectus est. Serm. 1 *de Uno confessore*.

30. Si gulam non viceris, sed ipsa te vicerit, statim advocat sororem suam luxuriam. *De Pugna spirit. contra septem vitia capitalia*, cap. 2.

CLEMENS ALEX. 31. Iis, qui ad luxum mensarum propensi sunt, et suos sibi morbos enutriunt, præest dæmon helluo maximus, quem ego non verebor appellare ventri dæmonem, dæmonum omnium pessimum et perniciosissimum. Lib. 2 *Pædag.*, cap. 1.

31 *bis*. Non est unquam prosiliendum ab ingluvie persuasis. *Ibid.*, cap. 7.

32. Quam res sit immunda, ingluvies, arguunt sterquilinia, in quæ ventres nostri expuunt reliquias convivii. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

33. Vinum et carnis ingurgitationes corpus quidem fortius efficiunt, animam vero debiliorem. Lib. 7 *Stromat.*

34. Valde a ratione alienum est et inutile, et nequaquam humanum, pecudum more pinguefactum morti nutriri, deorsum in terram respicientes, et e terra semper in mensas procumbentes, lautam ac delicatam vitam persequentes, soli cibi devorationi blandientes. Lib. 2 *Pædag.*, cap. 1.

35. Gula vestit et nudat, aufert ornamenta virtutum, vestit ignominia vitiorum. Homil. 3. S. ELIGIUS.

36. Summo studio in hoc incumbendum est, ut ventri dominemur : Deus enim est eorum, qui ab ipso vincuntur. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 77. EVAGRIUS.

37. Qui inexhausta cupidine gulæ ventrique deserviunt, pecorum vitam potius consectantur. Super *Ecclesiasten*, cap. IX, in illud : *Vade ergo et comede*. GLOSS. ORD.

38. Dum gulæ incumbitur, ad levitatis protinus insaniam proditur. Lib. 10 *Moral.*, cap. 9. S. GREGOR. MAGNUS.

39. Sæpe edendi delectatio servit gulæ, et servire se simulat indigentiæ naturæ : cumque ventrem ingluvie extendit, membra in luxuriam erigit. Lib. 7 *Moral.*, cap. 12.

40. Pravi cum reficiendis cibo corporibus naturæ serviunt, per delectationem gulæ, in voluptatis ingluvie distenduntur. *Ibid.*, lib. 20, cap. 15.

41. Dominante gulæ vitio, per carnis illecebram omne quod fortiter agitur, perditur : et dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cunctæ virtutes obruuntur. *Ibid.*, lib. 29, cap. 13, num. 26.

42. Quid similius serpenti, quam violentum gulæ vitium, quod tanto est fraudulentius, quanto et occultius? Lib. 5 in 1 *Reg.*, cap. I.

43. Gula quasi necessarium suggerit cibum corpori, sed dum abundanter carnem reficit, luxuriæ gladium in mentem mergit. *Ibid.*

44. Gula similis est serpenti, quia respectu justæ necessitatis repit, et virus impiæ delectationis spargit. *Ibid.*

45. Gulosi quique pro sollicitudine ventris innumerabilium curarum frequentia deprimuntur. *Ibid.*

46. Sancti viri gulæ suggestionem non habent in fœdere amicitiæ, sed in pugna contrarietatis : eos gulæ appetitus tentare potest, superare non potest. *Ibid.*

47. Fœdus a gula petunt, qui vellent carnem pro voto reficere, si in carne nulla possent incitamenta sentire luxuriæ. *Ibid.*



48. **Gula similis est serpenti**, et abstinentes quasi cum serpente pugnant, quando gulæ appetitum magna virtute deprimunt, ut veneno luxuriæ non inficiantur. *Ibid.*

49. Gulæ est, esurientia abstinentium corpora ad inordinatam ventris repletionem provocare. *Ibid.*

50. Ex uno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur. *Ibid.*, super illud : *Et factum est cum venisset dies*.

51. Cum gulæ vitium reciditur, alia multa simul vitia subjugantur. *Ibid.*

52. Bene gulæ serpens atteritur, si sic gula restringitur, ut libidinosi motus corporis, omnis violentia minuatur. *Ibid.*

53. Gulæ deditos, superfluitas locutionis, levitas operis, atque luxuria comitatur. Part. 3 *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 20.

54. Plerique resistere gulæ incipiunt, sed dum fatigari abstinentiæ labore inchoant, ad usum se consuetæ gulositatis inclinant. Lib. 5 in 1 *Reg.*, cap. I.

55. Gulæ appetitus de infirma carne refici appetit, sed electa mens in abstinentiæ virtute roborari. *Ibid.*

S. GREGOR. NAZ. 56. Nihil perinde pugnax, atque contentionis avidum est, ut venter. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 77.

S. HIERON. 57. Quidquid post gulam non sentitur, idem tibi sit, quod panis et legumina. Epist. 13, *ad Paulin.*

58. Illico mens repleta torpescit, et irrigata humus, spinas libidinum germinat. Epist. 22, *ad Eustoch.*

59. Nulla gulosis, nisi ventris cura est, et quæ ventri sunt proxima. *Ibid.*

60. Esus carnium, et potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est : unde comicus, Sine Cerere, inquit, et Libero friget Venus. Lib. 2 *advers. Jovian.*

61. Nihil ita obruit animum, sicut plenus venter et exæstuans, et huc illucque se vertens, et in ructus vel in crepitus ventorum efflatione respirans. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 62. Deo ventri templum, est coquina : altare, mensa : ministri, coqui : immolatæ pecudes, coctæ carnes : fumus incensorum, odor saporum. Lib. 2 *de Claustro animæ*, cap. 19.

HUGO CARD. 63. Nimis gulosus est, qui totum comedit, et de cujus copia nihil ad pauperes pervenit. Super *Luc.*, cap. XVI.

64. Gula est lepra, quæ quinque ulcera sive vesicas facit : scilicet egestatem, infirmitatem, cordis gravitatem, sacræ orationis indignitatem et fatuitatem. *Ibid.*, cap. XVII.

65. Gula canis vorax est. Super *Epist. ad Galat.*, cap. II, *Moraliter*.

66. Amicus ventris, est inimicus crucis, id est, pœnitentiæ. Super *Epist. ad Philipp.*, cap. III.

67. Misera caro aviditatem edendi commovet, gulam incitat, appetitum provocat, voluptates ingerit. Lib. 3 *Contemplat. de conflictu carnis*, cap. 2. IDIOTA.

68. Tanto facilius carnem gula in præceps rapit, quanto honestiore nomine necessitatis se contegit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 2.

69. Initium vitæ hominis, aqua et panis et vestimentum et domus protegens turpitudinem : nunc autem gulosis non sufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non pisces maris, non bestiæ terræ, non aves cœli; sed quæruntur pigmenta, comparantur aromata, et nutriuntur altilia. *Prosec.* S. INNOC. III

70. Capiuntur ob escam, quæ studiose coquuntur arte coquorum : quæ laute parantur officio ministrorum.

71. Alius contundit et colat, alius confundit et conficit, et substantiam convertit in accidens.

72. Naturam mutat in artem, ut saturitas transeat in esuriem, ut fastidium revocet appetitum ad irrigandam gulam, non ad sustentandam naturam; non ad necessitatem supplendam, sed ad aviditatem explendam.

73. Cæterum tam brevis est gulæ voluptas, ut spatio loci vix sit quatuor digitorum; spatio temporis, vix sit totidem momentorum.

74. Contemnitur mediocritas, et superfluitas affectatur in diversitate saporum, in varietate ciborum.

75. Aviditas nescit modum, et varietas excedit mensuram : sed mens gravatur et stomachus turbatur, et sensus opprimitur; inde non salus et sanitas, sed morbus et mors. Lib. 2, *de Contemptu mundi*, cap. 17.

76. Gula escarum tributum exigit, sed vilissimum reddit : quia quanto sunt delicatiora cibaria, tanto fœtidiora sunt stercora. *Prosec.*

77. Turpius egerit, qui turpiter ingerit, superius et inferius horribilem statum exprimens, et abominabilem sonum emittens. *Ibid.*, cap. 18.

78. Gula paradisum clausit, primogenita Esau vendidit, suspendit pistorem, decollavit Baptistam. *Ibid.*

79. Nunquam poterit ardentis concupiscentiæ stimulos inhibere, quisquis desideria gulæ refrenare nequiverit. Lib. 5, *de Cœnob. inst.*, cap. 11. JOAN. CASS.

80. Qui gulæ inordinatos appetitus inhibere non potuit, quomodo æstus carnalis concupiscentiæ valebit extinguere? *Ibid.*, cap. 28

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. JOANNES CHRYSOST.

81. Gula damnosa est, impleri plus quam satis, et disrumpere ventrem. Homil. 10, super *Gen.*

82. Ventri servire, non hominum, sed belluarum potius est. Homil. 1, super *Joan.*

83. Nihil gula perniciosius, nihil ignominiosius est : hæc obtusum et crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc cæcat intellectum, nec sinit ut quidquam perspiciat. *Ibid.*, homil. 44.

84. Christus præ fame tabescit, tu autem præ gula teipsum disrumpis. Homil. 27, super *Acta Apost.*, in *Morali.*

85. Intractabilis est cupiditas et ventris voracitas. Homil. 23, super I, *Cor*, in illud x : *Castigo corpus meum.*

86. Simul atque præteriit linguam atque fauces, voluptas omnis extincta est. Ubi voluptas illa pertransiit, magna prorsus tristitia linquitur, sive stomacho per cruditatem oppresso, sive qualibet alia difficultate lacessente. Homil. 13, super I *Tim.*

S. JOAN. CL.

87. Gastrimargia est stimulatio ventris ; cum enim satiatus fuerit, indigere se clamat : et cum distentus atque disruptus, vociferatur esuriem. *Gradu* 14.

88. Qui ventri dum obsequitur, fornicationis spiritum vincere vult, is ei similis est, qui oleo incendium extinguere nititur.

S. JOANNES DAMASC.

89. In ingluvie venerea cupiditas insita est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 77.

JOAN. GERS.

90. Gulosus majori afficitur pœna per gulam, quam voluptas sit ; suam deglutiendo escam, plures occidit gula, quam gladius, nemo negat. Serm. *Contra Gulam.*

91. Frustra præliatur adversus alia vitia, qui gulæ portam aperit. Serm. *Dom.* 1, *quadrag.*

JOANNES SARESB.

92. Propter brevem gulæ voluptatem, terræ lustrantur, et maria ; et ut mulsum vinum pretiosusque cibus fauces pertranseat, totius vitæ opere desudatur. Lib. 8, *de Nugis curial.*, cap. 6.

93. Dicat apostolus quod voluerit, quia fornicationem fugere, et gulæ servire, aut omnino impossibile, aut difficillimum est. *Prosec.*

94. Nam et illa pars gulæ, quæ corpori vires adimit, nequaquam mœchiæ expers est. *Ibid.*

JOAN. TRITH.

95. Multis nocuit diutius continuata voracitas, et plures crapula quam gladio perierunt. Lib. 1, homil. 15, *ad Monachos.*

96. Nemo carnis suæ motus potest deprimere, qui gulam contempserit edomare. Lib. 1, homil. 1, *ad Monachos.*

S. ISIDORUS HISPAL.

97. Utile est cavere gulam, ciborumque concupiscentiam : quid enim tam noxium, quam ut animus serviat ventri ? Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 42, sent. 3.

98. Qui nimium cibis utuntur, quanto magis ventrem pascunt, tanto amplius sensum mentis obtundunt. *Prosec.*

99. Nam Græci dixerunt, ex crasso ventre subtilem sensum gigni non posse : gulæ enim saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniumque hebescere facit. *Ibid.*, sent. 5.

100. Sicut omnes carnales cupiditates per abstinentiam resecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur. *Ibid.*, sent. 10.

101. Non potest quispiam virtutum perfectionem attingere, nisi prius ventris edomaverit ingluviem. *Ibid.*

102. Nemo potest dominari cæteris vitiis, nisi prius ingluviem ventris restrinxerit. *Prosec.*

103. Nec quisquam facile poterit a semetipso spiritus immundos abstinere, nisi per abstinentiam gulæ. *Ibid.*, sent. 11.

104. Quatuor sunt genera distinctionum in gulæ appetitu : quid, quando, quantum, quomodo appetatur ; quid, ad rem ipsam pertinet, quæ appetitur ; quando, si ante legitimum tempus qui appetatur ; quantum, ad immoderationem refertur ; quomodo, ad impatientiam festinationis adscribitur. *Ibid.*, sent. 13.

105. Nullus homini tam importunus exactor est, quam venter, qui quotidianam refectionem, quotidiana famis exactione adimplet. *Prosec.*

106. Cum cæteris enim vitiis, etsi interdum nascimur, interdum tamen cum eis non morimur : cum isto autem et nascimur, cum isto et morimur. *Ibid.*, sent. 14.

107. Plerumque voluptas vescendi ita sub obtentu necessitatis subrepit, ut dum putatur servire necessitati, voluptatis desiderio serviatur : nec facile discernitur, utrum quod accipiatur, gulæ an indulgentiæ deputetur. *Ibid.*, sent. 15.

108. Immundi spiritus se magis injiciunt, ubi plus viderint escarum et potuum. *Ibid.*, cap. 44, sent. 3.

109. Tota die epulas in cogitatione ruminat, qui ad explendam gulam, vespere sibi delicias præparat. *Ibid.*, cap. 42, sent. 12.

110. Qui appetitum edacitatis reprimit, sine dubio lascivæ motus restringit. In *Regula Monachor.*, cap. 9.

S. JUSTIN. MART.

111. Fugienda est ingluvies, paucorum, eorumque necessarorium, sumptione et frugalitate. Epist. *ad Zenam.*

LACT. FIRM.

112. Turpe est sapienti, si ventri et gulæ serviat : quod qui facit, insipiens utique, ineptus et nihil est. Lib. 6, *de Div. inst.*, cap. 22.

S. LAURENT. JUSTIN.

113. Nequaquam mens nostra ad contemplanda æterna et cœlestia provehitur, nisi gulæ appetitum coarctaverit. *De Ligno vitæ*, tract. 1, *de Sobriet.*, cap. 1.



114. Per gulam natura corrumpitur, libidinis nutriuntur incendia, subvertitur ratio, scelera panduntur, homicidia fiunt, proferuntur stultiloquia, detractiones et verba scurrilia prodeunt, hebetatur mens, maturitas relaxatur, comessationes frequentantur, lætitia inepta dissolvit, immunditia polluit, mors oritur culpæ, resolutionis corporis memoria tollitur. Lib. 1, *de Spirituali interitu*, cap. 23.

S. MAXIMUS MART.

115. Omnes virtutis fructus perimit affectio gulæ. Centur. 5, *de Virt. et vitio*, cap. 57.

S. NILUS.

116. Venter rectæ firmæque rationi non acquiescit, luxuria atque libidine corrumpitur. In *Lib. ascetico.*

117. Ventrem imperio tene, ne tibi ille imperet. *Ibid.*, orat. *de Gula.*

118. Dæmonum princeps, est Satanas : virorum autem, gula. *Ibid.*

119. Apud mundanos radix malorum, avaritia est : apud Monachos autem, gula. *Ibid.*

BLESENS. PETRUS

120. Nihil magis prædatur oculos, quam ingluvies ventris : edacitas quidem cibos frangit, sed oculos vorat. *Epist. ad Reginald. Sarisberien.*

S. PETRUS DAM.

121. Edacitas, quædam sanguisuga est : cui duæ sunt filiæ, ebrietas scilicet et luxuria. Lib. 1, Epist. 15, *ad Alexandr. Pap.*

122. Ventrem vino et epulis assuescere, quid est aliud, quam hostibus animæ, ut ingrediantur, aditus aperire ? Lib. 6, epist. 32, *ad Eremit. suos.*

123. Qui ventrem pro Deo veneratur, Deum quodammodo negare convincitur. *Ibid.*

124. Venter et genitalia invicem sibi vicina sunt, et cum hoc in cute reficiatur, illud ad contumelias excitatur. *Ibid.*

ROBERTUS BELLARM.

125. Varia irritamenta gulæ, a diabolo sunt. Super *Psalm.* CIII, vers. 17.

126. Gula ebrietate famulante, magistra solet esse damnorum. Homil. 19.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.

127. Esse aut bibere quæ fors obtulerit, quoad plenior sis, quam naturæ necessitas postulat, nihil aliud est, quam modum naturæ convenientem copia superare. Lib. 3 *Moral.*, cap. 2.

CATO PORT.

128. Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica est. Lib. 4, *Distich.*, metr. 23.

CICERO.

129. Ne mente quidem uti possimus, multo cibo et potione repleti, nec unquam mihi placuit bis in die saturum fieri. Lib. 5, *Tusc. quæst.*

DIOGENES.

130. Venter, vitæ charybdis est. In *Sent.*, sent. 6.

PLINIUS II.

131. Illa gula reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est. Lib. 2, epist. 26, *ad Avitum.*

SENECA.

132. Gulosi vomunt ut edant : edunt, ut vomant. *De Consol. ad Helviam*, cap. 9.

133. Ad vos transeo, quorum profunda et insatiabilis gula, hinc maria scrutatur, hinc terras. *Prosec.*

134. Infelices, quod non intelligitis, vos majorem famem habere, quam ventrem. Epist. 89.

135. Multos morbos multa fercula ferunt : innumerabiles esse morbos miraris ! coquos numera. Epist. 95.

136. Gula non quærit quemadmodum impleat ventrem, sed farciat. Epist. 119.

137. Venter præcepta non audit, poscit, appellat, non est tamen molestus creditor, parvo dimittitur ; si modo das illi quod debes, non quod potes. Epist. 21.

138. Taurus paucissimorum jugerum pascuis impletur ; una silva elephantibus pluribus sufficit : homo vero vix terra pascitur et mari. Epist. 60.

139. Ventri obedientes, animalium loco numeramus, non hominum : quosdam vero ne animalium quidem, sed mortuorum. *Ibid.*

SIXTUS PHILOSOPH.

140. Melius est fame mori, quam per incontinentiam ventris maculare animam. *Sent.* 335.

TRISMEGIS.

141. Fugiendum in primis malum est, ventris luxus, malorum omnium fomes. Lib. *de Potest. et Sap. Dei*, cui titulus *Pimander*, cap. 6.

Vide etiam tit. *Cibus*, sent. 57 ; *Disciplina*, sent. 59 ; *Fornicatio*, sent. 451 ; *Hæresis*, sent. 60 : *Jejunium*, sent. 108 ; *Libido*, sent. 91 ; *Mens*, sent. 63, 98 ; *Otiositas*, sent. 50 ; *Pudicitia*, sent. 31 ; *Senectus*, sent. 18 ; *Superfluitas*, sent. 36 ; *Vinum*, sent. 61.

## HABERE.

COLLECTOR.

*Definitio.* Habere est rem detinere actualem, vel juridicam.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS.

1. Qui plurimum habet, et si non donat, non abundat, quia quantumvis acquirat, eget, qui semper plus concupiscit. *Prosec.*

2. Qui vero exiguum habet, non minuit amissione, quia nihil est quod amittit. Lib. 1 *Offic.*, cap. 80.

3. Satis mihi est, quod habeo, alienum non requiro ; sive parum, sive multum habeam, mihi plurimum est. *Ibid.*, lib. 2, cap. 17.

4. Quantæ felicitatis est, quod nulla vos habendi cupiditas inflammat ? pauper quod habet, poscit : quod non habet, non requirit. Lib. 1 *de Virg.*

S. ANTONIUS DE PADUA.

5. Vis totum habere ? da Deo totum, et ipse dabit tibi suum : et sic nihil habebis de te, quia ha-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**S. JOANNES CHRYSOST.** 81. Gula damnosa est, impleri plus quam satis, et disrumpere ventrem. Homil. 10, super *Gen.*

82. Ventri servire, non hominum, sed belluarum potius est. Homil. 1, super *Joan.*

83. Nihil gula perniciosius, nihil ignominiosius est : hæc obtusum et crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc cæcat intellectum, nec sinit ut quidquam perspiciat. *Ibid.*, homil. 44.

84. Christus præ fame tabescit, tu autem præ gula teipsum disrumpis. Homil. 27, super *Acta Apost.*, in *Morali*.

85. Intractabilis est cupiditas et ventris voracitas. Homil. 23, super I. *Cor*, in illud x : *Castigo corpus meum*.

86. Simul atque præteriit linguam atque fauces, voluptas omnis extincta est. Ubi voluptas illa pertransiit, magna prorsus tristitia linquitur, sive stomacho per cruditatem oppresso, sive qualibet alia difficultate lacessente. Homil. 13, super 1 *Tim.*

**S. JOAN. CL.** 87. Gastrimargia est stimulatio ventris ; cum enim satiatus fuerit, indigere se clamat : et cum distentus atque disruptus, vociferatur esuriem. *Gradu* 14.

88. Qui ventri dum obsequitur, fornicationis spiritum vincere vult, is ei similis est, qui oleo incendium extinguere nititur.

**S. JOANNES DAMASC.** 89. In ingluvie venerea cupiditas insita est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 77.

**JOAN. GERS.** 90. Gulosus majori afficitur pœna per gulam, quam voluptas sit ; suam deglutiendo escam, plures occidit gula, quam gladius, nemo negat. Serm. *Contra Gulam.*

91. Frustra præliatur adversus alia vitia, qui gulæ portam aperit. Serm. *Dom.* 1, *quadrag.*

**JOANNES SARESB.** 92. Propter brevem gulæ voluptatem, terræ lustrantur, et maria ; et ut mulsum vinum pretiosusque cibus fauces pertranseat, totius vitæ opere desudatur. Lib. 8, *de Nugis curial.*, cap. 6.

93. Dicat apostolus quod voluerit, quia fornicationem fugere, et gulæ servire, aut omnino impossibile, aut difficillimum est. *Prosec.*

94. Nam et illa pars gulæ, quæ corpori vires adimit, nequaquam mœchiæ expers est. *Ibid.*

**JOAN. TRITH.** 95. Multis nocuit diutius continuata voracitas, et plures crapula quam gladio perierunt. Lib. 1, homil. 15, *ad Monachos.*

96. Nemo carnis suæ motus potest deprimere, qui gulam contempserit edomare. Lib. 1, homil. 1, *ad Monachos.*

**S. ISIDORUS HISPAL.** 97. Utile est cavere gulam, ciborumque concupiscentiam : quid enim tam noxium, quam ut animus serviat ventri ? Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 42, sent. 3.

98. Qui nimium cibis utuntur, quanto magis ventrem pascunt, tanto amplius sensum mentis obtundunt. *Prosec.*

99. Nam Græci dixerunt, ex crasso ventre subtilem sensum gigni non posse : gulæ enim saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniumque hebescere facit. *Ibid.*, sent. 5.

100. Sicut omnes carnales cupiditates per abstinentiam resecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur. *Ibid.*, sent. 10.

101. Non potest quispiam virtutum perfectionem attingere, nisi prius ventris edomaverit ingluviem. *Ibid.*

102. Nemo potest dominari cæteris vitiis, nisi prius ingluviem ventris restrinxerit. *Prosec.*

103. Nec quisquam facile poterit a semetipso spiritus immundos abstinere, nisi per abstinentiam gulæ. *Ibid.*, sent. 11.

104. Quatuor sunt genera distinctionum in gulæ appetitu : quid, quando, quantum, quomodo appetatur ; quid, ad rem ipsam pertinet, quæ appetitur ; quando, si ante legitimum tempus qui appetatur ; quantum, ad immoderationem refertur ; quomodo, ad impatientiam festinationis adscribitur. *Ibid.*, sent. 13.

105. Nullus homini tam importunus exactor est, quam venter, qui quotidianam refectionem, quotidiana famis exactione adimplet. *Prosec.*

106. Cum cæteris enim vitiis, etsi interdum nascimur, interdum tamen cum eis non morimur : cum isto autem et nascimur, cum isto et morimur. *Ibid.*, sent. 14.

107. Plerumque voluptas vescendi ita sub obtentu necessitatis subrepit, ut dum putatur servire necessitati, voluptatis desiderio serviatur : nec facile discernitur, utrum quod accipiatur, gulæ an indulgentiæ deputetur. *Ibid.*, sent. 15.

108. Immundi spiritus se magis injiciunt, ubi plus viderint escarum et potuum. *Ibid.*, cap. 44, sent. 3.

109. Tota die epulas in cogitatione ruminat, qui ad explendam gulam, vespere sibi delicias præparat. *Ibid.*, cap. 42, sent. 12.

110. Qui appetitum edacitatis reprimit, sine dubio lasciviæ motus restringit. In *Regula Monachor.*, cap. 9.

**S. JUSTIN. MART.** 111. Fugienda est ingluvies, paucorum, eorumque necessariorum, sumptione et frugalitate. Epist. *ad Zenam.*

**LACT. FIRM.** 112. Turpe est sapienti, si ventri et gulæ serviat : quod qui facit, insipiens utique, ineptus et nihil est. Lib. 6, *de Div. inst.*, cap. 22.

**S. LAURENT. JUSTIN.** 113. Nequaquam mens nostra ad contemplanda æterna et cœlestia provehitur, nisi gulæ appetitum coarctaverit. *De Ligno vitæ*, tract. 1, *de Sobriet.*, cap. 1.



114. Per gulam natura corrumpitur, libidinis nutriuntur incendia, subvertitur ratio, scelera panduntur, homicidia fiunt, proferuntur stultiloquia, detractiones et verba scurrilia prodeunt, hebetatur mens, maturitas relaxatur, comessationes frequentantur, lætitia inepta dissolvit, immunditia polluit, mors oritur culpæ, resolutionis corporis memoria tollitur. Lib. 1, *de Spirituali interitu*, cap. 23.

**S. MAXIMUS MART.** 115. Omnes virtutis fructus perimit affectio gulæ. Centur. 5, *de Virt. et vitio*, cap. 57.

**S. NILUS.** 116. Venter rectæ firmæque rationi non acquiescit, luxuria atque libidine corrumpitur. In *Lib. ascetico.*

117. Ventrem imperio tene, ne tibi ille imperet. *Ibid.*, orat. *de Gula.*

118. Dæmonum princeps, est Satanas : virorum autem, gula. *Ibid.*

119. Apud mundanos radix malorum, avaritia est : apud Monachos autem, gula. *Ibid.*

**BLESENS. PETRUS** 120. Nihil magis prædatur oculos, quam ingluvies ventris : edacitas quidem cibos frangit, sed oculos vorat. *Epist. ad Reginald. Sarisberien.*

**S. PETRUS DAM.** 121. Edacitas, quædam sanguisuga est : cui duæ sunt filiæ, ebrietas scilicet et luxuria. Lib. 1, Epist. 15, *ad Alexandr. Pap.*

122. Ventrem vino et epulis assuescere, quid est aliud, quam hostibus animæ, ut ingrediantur, aditus aperire ? Lib. 6, epist. 32, *ad Eremit. suos.*

123. Qui ventrem pro Deo veneratur, Deum quodammodo negare convincitur. *Ibid.*

124. Venter et genitalia invicem sibi vicina sunt, et cum hoc in cute reficiatur, illud ad contumelias excitatur. *Ibid.*

**ROBERTUS BELLARM.** 125. Varia irritamenta gulæ, a diabolo sunt. Super *Psalm.* CIII, vers. 17.

126. Gula ebrietate famulante, magistra solet esse damnorum. Homil. 19.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

**ARISTOTEL.** 127. Esse aut bibere quæ fors obtulerit, quoad plenior sis, quam naturæ necessitas postulat, nihil aliud est, quam modum naturæ convenientem copia superare. Lib. 3 *Moral.*, cap. 2.

**CATO PORT.** 128. Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica est. Lib. 4, *Distich.*, metr. 23.

**CICERO.** 129. Ne mente quidem uti possimus, multo cibo et potione repleti, nec unquam mihi placuit bis in die saturum fieri. Lib. 5, *Tusc. quæst.*

**DIOGENES.** 130. Venter, vitæ charybdis est. In *Sent.*, sent. 6.

**PLINIUS II.** 131. Illa gula reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est. Lib. 2, epist. 26, *ad Avitum.*

**SENECA.** 132. Golosi vomunt ut edant : edunt, ut vomant. *De Consol. ad Helviam*, cap. 9.

133. Ad vos transeo, quorum profunda et insatiabilis gula, hinc maria scrutatur, hinc terras. *Prosec.*

134. Infelices, quod non intelligitis, vos majorem famem habere, quam ventrem. Epist. 89.

135. Multos morbos multa fercula ferunt : innumerabiles esse morbos miraris ! coquos numera. Epist. 95.

136. Gula non quærit quemadmodum impleat ventrem, sed farciat. Epist. 119.

137. Venter præcepta non audit, poscit, appellat, non est tamen molestus creditor, parvo dimittitur ; si modo das illi quod debes, non quod potes. Epist. 21.

138. Taurus paucissimorum jugerum pascuis impletur ; una silva elephantibus pluribus sufficit : homo vero vix terra pascitur et mari. Epist. 60.

139. Ventri obedientes, animalium loco numeramus, non hominum : quosdam vero ne animalium quidem, sed mortuorum. *Ibid.*

**SIXTUS PHILOSOPH.** 140. Melius est fame mori, quam per incontinentiam ventris maculare animam. *Sent.* 335.

**TRISMEGIS.** 141. Fugiendum in primis malum est, ventris luxus, malorum omnium fomes. Lib. *de Potest. et Sap. Dei*, cui titulus *Pimander*, cap. 6.

Vide etiam tit. *Cibus*, sent. 57 ; *Disciplina*, sent. 59 ; *Fornicatio*, sent. 451 ; *Hæresis*, sent. 60 : *Jejunium*, sent. 108 ; *Libido*, sent. 91 ; *Mens*, sent. 63, 98 ; *Otiositas*, sent. 50 ; *Pudicitia*, sent. 31 ; *Senectus*, sent. 18 ; *Superfluitas*, sent. 36 ; *Vinum*, sent. 61.

## HABERE.

**COLLECTOR.** *Definitio.* Habere est rem detinere actualem, vel juridicam.

SENTENTIÆ PATRUM.

**S. AMBROS.** 1. Qui plurimum habet, et si non donat, non abundat, quia quantumvis acquirat, eget, qui semper plus concupiscit. *Prosec.*

2. Qui vero exiguum habet, non minuit amissione, quia nihil est quod amittit. Lib. 1 *Offic.*, cap. 80.

3. Satis mihi est, quod habeo, alienum non requiro ; sive parum, sive multum habeam, mihi plurimum est. *Ibid.*, lib. 2, cap. 17.

4. Quantæ felicitatis est, quod nulla vos habendi cupiditas inflammat ? pauper quod habet, poscit : quod non habet, non requirit. Lib. 1 *de Virg.*

**S. ANTONIUS DE PADUA.** 5. Vis totum habere ? da Deo totum, et ipse dabit tibi suum : et sic nihil habebis de te, quia ha-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bebis eum totum cum toto te. Serm. *Dom.* 13, *post Trinit.*

**S. AUGUST.** 6. Melius est minus egere, quam plus habere. In *Regula ad clericos.*

7. Multi miseri sunt magis habendo quod amant, quam carendo : amando res noxias miseri, habendo sunt miseriores. Super *Psalm.* XXVI, enarrat. 2, vers. 7.

8. Habere te agnosce quod non habebas, et ex te nihil habere; ut nec superbus sis, nec ingratus; non est ibi superbia elati, sed confessio ingrati. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 2.

9. Tolle invidiam, et tuum est quod habeo; tolle invidiam, et meum est quod habes: livor separat, charitas jungit. Tract. 22, super *Evang. Joan.*, cap. VI.

10. Non indignetur juste vivens et laborans, intus habet quod felix malus non habet, non ergo tristetur, non maceretur, non deficiat. *Prosec.*

11. Felix ille habet aurum in arca, iste Deum in conscientia : ille illud habet quod perit, et ibi habet unde perit; iste Deum habet, et eum qui perire non potest et ibi habet unde auferri non potest. *Ibid.*, tract. 25, cap. VI.

12. Magis cogitare debetis quid vobis desit, quam quod vobis adsit : quod habes, cave ne perdas, quod nondum habes, supplica ut habeas. *De Verb. Domini*, serm. 63.

13. Totum habet, qui bonam voluntatem habet, ipsa est quæ potest sufficere, si cætera non sint. Si autem sola desit, nihil prodest quidquid habitum fuerit : sola sufficit, si adsit. Homil. 8, *ex* L *Hom.*

14. Funde quod habes, ut capias quod non habes. *Ibid.*, homil. 37.

15. Natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere; vel aliud sit habens, aliud quod habet. Lib. 11, *de Civit. Dei*, cap. 10.

16. Amor inhians habere quod amat, cupiditas est : id autem habens eoque fruens, lætitia. *Ibid.*, Lib. 14, cap. 7.

17. O homo, in præceptione cognosce quid debeas habere, in correptione cognosce tuo te vitio non habere, in oratione cognosce unde accipias quod vis habere. *De Corrept. et gratia*, cap. 3.

18. Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur et non datur, nondum habetur quomodo habenda est. Lib. 1, *de Doctr. Christ.*, cap. 1.

19. Pecunia et a malis male habetur, et a bonis tanto melius habetur, quanto minus amatur. Epist. 54.

20. Satius est minus quemque habere quod a Deo petat, quam plus habere quod sibi tribuat. Epist. 89, quæst. 2.

21. Habent homines mali, quod corpore incolumi vivunt, habent unde vivunt, habent unde male vivunt. Epist. 202.

22. Ex iis quæ habes gratias age Deo, tanquam fonti bonitatis unde habes. Epist. 205.

23. In cœlo summa felicitas est, habere quod amas. Lib. 12 *de Genesi ad litt.*, cap. 26.

24. Manifestum est quod aliquando servi Dei ideo non habent, ut probentur qui habent. Homil. 18, *ex* L *Hom.*

**S. BERNARD.** 25. Nemo in hoc sæculo nequam quod vult habere potest : quandoquidem nec justus justitia satiatur, nec voluptuosus voluptate, nec curiosus curiositate, nec ambitiosus inani gloria. Serm. *de Primordiis.*

26. Anima quod delectat habere, id etiam perdere timet. Serm. 82 super *Cant.*

27. Cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Lib. 1, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

28. Non plus habeat quis, quam licet habere : ne plus habere libeat, si habet quod liceat habere. Lib. *de Natura et dignit. amoris*, cap. 8.

29. Quid vanius illis, qui se putant habere, quod non habent? Lib. *de Passione Dom.*, cap. 29.

30. Melius est plus egere, quam plus habere. Serm. 46, *ad Sororem.*

31. Quidquid habes, habeto cum licentia : si quid habes, habeto cum benedictione : sine licentia nihil habeas, sine benedictione nihil accipias, sine licentia nihil tribuas. *Ibid.*, serm. 48.

**S. BONAV.** 32. Vir sanctus dum nihil habet in mundo, est dives in cœlo. Serm. 5, *de Uno mart.*

33. Magna est securitas cordis, nihil habere concupiscentiæ sæcularis. In Collat. *de Contemptu sæculi.*

34. Nihil habeas, et nihil omnino habere velis ultra necessitatem. Lib. *Medit. vitæ Christi*, cap. 44.

35. Quicunque in hac vita bene habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de his pertimescite, ne concessa vobis prosperitas, eorumdem remuneratio sit bonorum. In *Apolog. pauper.*, resp. 3, cap. 3.

36. Nemo in Christi expeditione liberior nil habente. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 6.

37. Divitiæ non satiant appetitum habentis; sed quo plus habetur, eo inquietius sititur. Lib. 2 *de Profectu relig.*, cap. 42.

38. Admodum rari sunt, qui non plus habere cupiant, vel pro se, vel pro aliis. *Ibid.*, cap. 45.



39. Divitias habere et amare, infructuosum est; amare et non habere, periculosum est : habere autem et non amare, laboriosum est. *Prosec.*

40. Nec habere divitias, nec amare, utile est, securum est, delectabile est. *De Perfect. vitæ ad sorores*, cap. 3.

41. Qui nihil habet in mundo quod diligit, nihil est in mundo quod pertimescit. *Ibid.*

**S. CÆSARIUS ARELAT.** 42. Nihil habere interdum, res necessitatis est: nihil per avaritiam cupere, virtutis. Homil. 27.

43. Hunc sibi specialiter modum religiosus ponere debet, ut tantum habeat, quantum necessitas poscit, non quantum cupiditas concupiscit. *Prosec.*

44. Habendi enim amor, nisi ad integrum resecetur, ardentior est in parvis, et plus torquetur in minimis. *Ibid.*

**GLOSS. ORD.** 45. Quid deesse potest illi, qui omnia habentem habet? Super *Deuter.*, cap. XVIII.

**GLOSS. INT.** 46. Facile despicit divitias, qui non habet; difficile viles æstimat, qui habet. Super *Job*, cap. XII.

**GLOSS. ORD.** 47. Homo hoc quod habere videtur exterius, transit : et illud quod transire non potest, interius non habet. *Ibid.*, cap. 15.

48. Sufficiat tibi quod habes, ne superflue quæras quod adipisci non vales. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXI.

49. Plene habere et scire unde habeas : qui ergo non habet, id est qui nescit unde habeat, et quod habet auferetur ab eo. Super I *ad Cor.*, cap. II.

50. Non parce seminat, qui parum habens, parum largitur, si animus promptus sit plus dare, si plus haberet. Super II *Cor.*, cap. IX, in illud : *Qui parce seminat.*

**S. GREGOR. MAGNUS.** 51. Res habita instanti fine corripitur, et habendi anxietas non finitur. Lib. 10 *Moral.*, cap. 13.

52. Nonnulli jactant se habere quod non habent. *Ibid.*, lib. 23, cap. 4.

53. Nolite intra vosmetipsos pensare quod habetis, sed quid estis. Homil. 28 super *Evang.*

54. Facile est hominem tunc divitias despicere, cum habet : difficile vero est eas, cum non habet, viles æstimare. Lib. 11 *Moral.*, cap. 2.

55. Quæ ardenter diliguntur habita, graviter suspirantur ablata. *Ibid.*, lib. 31, cap. 8.

56. Respondet dives pauperibus. Non habeo quod vobis dare possim : et miror si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare, non habet. Lib. 5, in *Registro*, indict. 14, cap. 29, epist. 29, *ad Secundinum.*

**S. HIERON.** 57. Perfectus servus Christi, nihil præter Christum habet : si quid præter Christum habet, perfectus non est : cum se perfectum fore Deo pollicitus sit, ante mentitus est. Epist. 1, *ad Heliodor.*

58. Ille solus proprie habet, qui angelis et hominibus debet habere : nos autem nec soli, nec nobis habemus. Hab. in *Glossa*, super I *ad Timoth.*, cap. VI, in illud : *Qui solus habet immortalitatem.*

**S. HILARIUS.** 59. Habere, criminis non est; sed modus in habendo retinendus est. Super *Matth.*, can. 19, in illud : *Difficile est divitem.*

**HUGO CARD.** 60. Habere non est in vitio, sed curiositas et ardor habendi, vel habitus retinendi. Super *Psalm.* LXXVII *Moral.*

61. Multa habere dicimur quæ non possidemus, quia statim amittimus, vel quia nostra non sunt. Super *Matth.*, cap. V.

**IDIOTA.** 62. Quidquid boni habemus, a te habemus. Lib. 1, *Contemplat. de amore Dei*, cap. 2.

**S. JOANNES CHRYSOST.** 63. Humana substantia semper pauper est; et quantumvis homo habuerit, nihil se putat habere. Homil. 33, super *Matth. Oper. imperf.*

64. Non qui multa habet, sed qui modicis eget, inexpugnabilis est. Serm. 24 super *Epist. ad Rom. Moral.*

**S. JOANNES DAMASC.** 65. Pauca recte habere multo præstantius est, quam multa scelerate. Lib. 1 *Parall.*, cap. 26.

**JOAN. TRITH.** 66. Sicut mali nihil habent in cœlo, ita boni nihil habere debent in terra. Lib. 1, homil. 18, *ad Monachos.*

67. Crescentibus divitiis, crescit et affectus habendi. Orat. 5, *in Conventu abbat. habita.*

**S. ISIDORUS HISPAL.** 68. Cum gravi dolore amittuntur, quæ cum magno amore habentur : minus autem carendo dolemus, quæ minus possidendo diligimus. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 59, sent. 2.

69. Contemne vivens, quæ post mortem habere non potes : quod habes, habeto ad misericordiam. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 17.

**S. PAULINUS.** 70. Quid ille miser habet, qui se non habet? non enim se habet, qui plus de se, quam de Deo sperat : vereque est mortuus, qui non vivere timet, si totum de se Deo credat, Deoque permittat. Epist. 5, *ad Severum.*

**PETRUS BLESENS.** 71. Miserere animæ tuæ placens Deo : si teipsum non habes, nihil habes. Epist. 16, *ad Episc. quemdam.*

**S. PETRUS CHRYSOL.** 72. Dives quanto plus habet, tanto amplius debet. Serm. 26.

73. Totum in se habet homo, qui se habet : ipse autem se habet, qui Deum habet. *Ibid.*, serm. 56.

**PHILO JUD.** 74. Habere rem pretiosam, affert gaudium : expectatio vero habendi, spem. Lib. *Quod deterius potiori.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. PROSPER. 75. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune : nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare : quandoquidem nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 9.

S. THEOPH. ALEX. 76. Nescit mensuram, qui tantum deest quod habet, quantum quod non habet. *Epist. Paschal.* 3.

THOMAS A KEMPIS. 77. Melius est tibi minus habere, quam multum unde posses superbire. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 7, sect. 3.

78. Noli concupiscere quod non licet habere : noli habere, quod te potest impedire. *Ibid*, cap. 7 sect. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLINIUS II. 79. Tanta invasit homines habendi cupido, ut possideri magis, quam possidere videantur. Lib. 9 epist. 30.

SENECA. 80. Nullum bonum juvat habentem, nisi ad cujus amissionem præparatus est animus. Epist. 4.

81. Contemnere omnia aliquis potest, omnia habere nemo potest. Epist. 62.

82. Habere, eripitur; habuisse, nunquam. Epist. 98.

83. Quod vult habet, qui velle quod satis est potest. Epist. 108.

84. Plus incipit habere posse, qui plus habet. Epist. 119.

85. Qui multum habet, plus cupit. *Ibid.*

86. Quid sis interest, non quid habeas. *De Moribus.*

87. Quis plurimum habet? is qui minimum cupit. *Ibid.*

88. Multum quis habet. Utrum avarus, aut prodigus est? si avarus, non habet : si prodigus, non habebit. *De Remed. fortuit.*

89. Quid refert quantum habeas! multo illud plus est, quod non habes. In suis *Proverbiis.*

SIXTUS PHILOSOPH. 90. Melius est nihil habere, quam multa habentem nemini impertiri. *Sent.* 364.

## HÆREDITAS.

CASSIODOR. *Etymologia.* Hæreditas ab Hero dicta est, id est, domino, quod in ea potestate libere dominetur. Super *Psalm.* II, vers. 8.

HUGO CARD. Hæreditas dicitur ab hærendo, quia hero inhæret. Super *Psalm.* II.

S. ISIDORUS HISPAL. Dicta est hæreditas a rebus additis, sive ab ære : quia qui possidet agrum, et censum solvit, inde et res. Lib. 5 *Etymolog.*, cap. 25.

*Definitio.* Hæreditas est, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit, vel legato testamento, vel possessione retenta. Lib. 5, *Etymol.*, cap. 25.

CICERO. Hæreditas est pecunia, seu alia res, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit jure. 29 *Topicor.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Habet mater hæredes, sed auget dolores. Lib. 1, *de Virginib.*

2. Neque cæcus thesaurus hæreditas est, neque caduca omnia hæreditatis habent commodum : sola est illa hæreditas, in quibus est portio Deus. Lib. 1, epist. 4, *ad Irenæum.*

3. Si ubi fides, ibi libertas; ubi libertas, ibi gratia : ubi gratia, ibi hæreditas. *Prosec.*

4. Ubi autem nulla libertas, nulla gratia : ubi nulla gratia, nulla adoptio : ubi nulla adoptio, nulla successio. Lib. 9, epist. 73, *ad Clementianum.*

5. Hæredes relinquis, qui litigent cum hæredibus : relinquis depositum magis hæreditarium : quam commodum voluntarium. *Prosec.*

6. Si frugi hæredes sunt, hæreditatem custodiunt : si luxuriosi, exhauriunt.

7. Itaque aut bonos hæredes perpetua condemnas sollicitudine, aut malos dimittis, quo tua facta condemnent. *De Nabuthe*, cap. 1.

8. Plerumque cum accessione patrimonii, accessit cupiditatis augmentum. *Ibid.*, cap. 2.

9. Hæreditas majorum, est vera fides. Super *Psalm.* XXXVI.

S. ANSELM. 10. Dilecti patris affectum stultus exarcebat filius, qui post illatas contumelias ante pœnitudinem, hæreditatis usurpat celsitudinem. In *Meditationibus.*

S. ANTONIN. 11. Hæreditas Dei dicitur populus fidelis, eo quod possideatur a Deo per fidem et gratiam, sicut hæreditas ab hærede. Part. 2, tit. 1, cap. 21, § 5.

S. ANTONIUS ABBAS. 12. Non potest hæreditatem capere quispiam sine sanctitate. Epist. 2, *ad Fratres.*

S. AUGUST. 13. Mitibus hæreditas data est, tanquam testamentum patris cum pietate quærentibus. Serm. *Dom. in monte*, lib. 1.

14. Hæreditas in qua cohæredes Christi sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum; sed tanta est multis, quanta paucis : tanta singulis, quanta omnibus. Super *Psalm.* II., vers. 2.

15. Quæ est nostra hæreditas? auri est, an argenti, an gemmarum, aut fundorum, amœnorumque prædiorum? Non, sed hæc est æterna beatitudo justorum. Super *Psam.* CXVII, vers. 18 et 19.

16. Contra insidias diaboli ora, ne perdas cœleste patrimonium, ne amittas Christum cohæredem, quia victurus es in æternum cum eo qui te fecit hæredem. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 5.



17. Hæreditas Dei non fit angusta, si multi possederint, illi ipsi certe illo possidente fiunt hæreditas ipsius, et ille vicissim fit hæreditas ipsorum. Tract. 2, in cap. I, *Evang. Joan.*

18. Quælibet hæreditas dividitur inter consortes, pacis hæreditas dividi non potest : pax nostra Christus est, testamentum Dei est, hæreditas pax est. *De Ovibus*, cap. 13.

19. Nullus in terra possidet hæreditatem patris, nisi mortui : nos vivo Patre nostro possidebimus quod donabit, et ipse Pater erit hæreditas nostra. *De Verb. Dom.*, serm. 62.

20. Patrimonium quod habes, si operaris, tuum est : si cessas, alienum est. Serm. 1, *Fer.* 3, *post Dom.* 2, *Quadr.*

21. Hæreditas quanto a pluribus possidetur, tanto plus angustatur. Serm. *de Gestis cum Emerito.*

22. Hæreditas sic est nobis dimissa, ut indivisa possideatur, non partibus dissipetur. *De Quinque hæres.*, cap. 6.

23. Si quis contra voluntatem testatoris facere voluerit, careat hæreditate. *Ibid.*

24. Hæreditas Patris cum quo in æternum sumus mansuri, non marcescit, nec moritur. Tract. 7, super *Joan.*

25. Ecclesia hoc tempore stabulum est viatoris, sed ipsi Ecclesiæ sursum est hæreditas possessoris. *Ibid.*, tract. 41.

26. Tenemus hæreditatem Christi, hæretici non tenent : securi sumus de unitate hæreditatis. Quisquis huic hæreditati non communicat, foras exiit. Tract. 3, super *Epist. Joan.*

27. Si filius tuus mortuus est, mitte partem suam in cœlum, et noli servare fratribus ipsius. *De Decem chordis*, cap. 12.

S. BASILIUS MAGNUS. 28. Non habes pecunias quas liberis relinquas? ne auferas insuper etiam generis nobilitatem : unam hanc conserva ipsis libertatis possessionem, depositum illud quod a parentibus accepisti. Nulli unquam patris paupertas crimini data est. Super *Psalm.* XIV, conc. 4, vers. 6.

S. BONAV. 29. Hæreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 2.

CASSIODOR. 30. Qui aliquid ex hæreditate tenet, firmissima possessione gloriatur. Super *Psalm.* XXIV, vers. 14.

S. CYPRIAN. 31. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. *De Opere et eleemos.*, cap. 7.

32. Patrimonium Deo creditum, nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. *Ibid.*

33. Qui studes terreno magis, quam cœlesti patrimonio filios tuos commendare; diabolo magis, quam Christo commendas. *Ibid.*

S. CYRILLUS ALEX. 34. Eximia certe hæreditas est illis, qui totius universi regem Jesum Christum diligere volunt. Lib. 1, *Glaphyr. in Numeros*, cap. II.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 35. Hæreditas pauperum est eleemosyna. In suis *Opusc.*, serm. 3.

GLOSS. INT. 36. Si vis habere hæreditatem a Jesu, oportet ut terra carnis tuæ quiescat, nec contra spiritum confligat. Super *Josue*, cap. XIV.

GLOSS. ORD. 37. Hæreditas Christi, quam resurgens possedit, Ecclesia est, quam moliebantur præripere Judæi. Super *Matth.*, cap. XXI, in illud : *Habebimus hæreditatem ejus.*

S. GREGOR. MAGNUS. 38. Eo ad ambitum congregatæ hæreditatis accenditur, quo multis hæredibus fœcundatur. Lib. 1 *Moral.*, cap. 4, num. 3.

39. Patrimonium nostrum retentum perditur, manet erogatum. *Ibid.*, lib. 18, cap. 9, super illud *Job* XXVII : *Dives cum dormierit.*

40. De spe æternæ hæreditatis gaudium sument illi, quos adversitas vitæ temporalis humiliat. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 27.

41. Hæreditas Domini, multitudo fidelium est. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. 1, super illud : *Unxit te Deus in principem.*

42. Quisquis patris hæres esse desiderat, filius existere, pacem custodiendo, non renuat. *Prosec.*

43. Filius qui locum præbet discordiæ, ipso profecto se hæreditatis exortem esse constituit. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 6, epist. 6, *ad Eusebium archiepisc. Thessal.*

S. HIERON. 44. Hæreditatem expectans sæculi, cohæres Christi esse non poteris. Epist. 1, *ad Heliodor.*

45. Quantis sudoribus hæreditas cassa expetitur? minore labore margarita Christi emi poterat. *Ibid.*, epist. 2, *ad Nepotian.*

46. Certior hæreditas est, dum vivis, bene abuti substantia tua, quam tuo labore quæsita in incertos usus relinquere. Lib. 1, advers. *Jovian.*

S. HILARIUS. 47. Si circa terrena patrimonia sua in cohæredum divisione quis nititur sortem commodioris portionis appetere, quanto propensiore cura partem cœlestis hæreditatis diligere debemus? Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Portio mea, Domine.*

HUGO A S. VICTORE. 48. Qui sub disciplina Dei non est, ad hæreditatem filiorum Dei pertingere non potest. Super *Psalm.* XVII, cap. 30.

49. Hæreditas a domino excolitur, dominum pascit, firmiter possidetur. Lib. 4, *de Propriet. rerum.*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 50. Pauperis hæreditas licet sine liberis decedat, cum propter exiguitatem, non sit contentione digna, ad amicos transit atque cognatos : divitis autem, eoquod multorum undique ad se alliciat oculos, non raro ad inimicos devenit. Homil. 5, *de Fide Annæ.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

51. Hæreditatem capere non debet, qui filii nomen per contemptum patris amittit. Serm. super illud *Isaiæ* : *Si volueritis et audieritis me.*

52. Si hæres es, testatoris delegata conserva : si filius es, lineamenta patris demonstra. Hæres testamento, et filius amore comprobatur. Homil. 1, in *Dictum Joan.* XV : *Vos amici mei estis.*

53. Qui injustam accipit hæreditatem, etsi ipse eam non rapuit, aliena tamen possidet, et hoc certe persuasum habet, et propterea dignus est, qui puniatur. Homil. 15, super I *Cor.* in *Moral.*

54. Qui nihil attigit, ab omnibus liberatus est negotiis, quæ sequuntur defuncti hæreditatem. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 5.

55. Si quis hæreditatem amiserit, videtur omnibus esse dolendus. Homil. 23, super *Epist. ad Hebr.*, in *Moral.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 56. Patrimonium grande, grandis tentatio est. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 59, sent. 10.

57. Patrimonium retentum perit, manet autem erogatum. *Ibid.*

58. Diu enim cum rebus nostris durare non possumus, quia aut nos illas moriendo deserimus, aut illæ nos viventes deserunt. *Ibid.*

LACT. FIRM. 59. Injustum est augeri patrimonia locupletum, per damna miserorum. In *Epitome*, cap. *Super est.*

60. Hæreditas christianorum hæc est, continentia, misericordia, patientia, charitas, fides, quæ nec eripi, nec ad alium transferri potest. Lib. 7, *de Divin. inst.*, cap. 27.

PETRUS BLESENS. 61. Beatus est, cujus portio et hæreditas Deus. Epist. 137.

S. PETRUS CHRYSOL. 62. Hæreditas mundana, ante posteris infert jurgia, quam confert censum : antequam dividat facultates, scindit hæredes : antequam debitas tradat singulis portiones, successores ipsos desecat, et mittit in partes. *Prosec.*

63. Non certe est hæreditas ista, sed pugna, et hæc noverca filiorum est, non facultas. Serm. 162.

64. Ille ditat filios, qui relinquit filiis plenissimæ charitatis hæreditatem. *Ibid.*

65. Quæ major hæreditas, quæ melior hæreditas, quam divinæ vinculum charitatis. *Ibid.*

S. PETRUS DAMIANUS. 66. Cui competit jus hæreditatis, competit etiam propinquitas generis. Opusc. 8, cap. 4.

67. Qui hæres Dei et cohæres Christi est, omnem terreni stemmatis superat dignitatem. Opusc. 49, cap. 11.

S. PROSPER. 68. Census terrenus eis, a quibus vitiose diligitur, non est voluptatum materia, sed dolorum. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 13.

69. Quid potest eo esse felicius, cui efficitur suus conditor census, et hæreditas ejus dignatur esse ipsa divinitas? *Ibid.*, cap. 16.

SALVIANUS. 70. Quid æstuas, paterna pietas? quid ad conquirenda terrena et peritura distenderis? nihil majus præstare filiis potes, quam si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. *Prosec.*

71. Non necesse est ergo, ut filio tuo terrenos thesauros recondas : nulla re eum facies ditiorem, quam si ipsum tuum thesaurum Dei feceris. Lib. 1, *ad Eccles. catholic.*

72. Quam longe sunt a mandato Dei, quos cum ipsos jusserit Deus viventes opibus renuntiare, illi eas cupiunt etiam in cognitis suis mortui possidere. *Prosec.*

73. Aut quam longe ab ea devotione sunt, ut exhæredent seipsos propter Deum, qui exhæredare nolunt saltem extraneos propter se.

74. Quæ insania est, o miserrimi, ut hæredes alios quoscunque faciatis, vosipsos vero exhæredatis? ut alios relinquatis vel brevi divites, vosipsos æterna mendicitate damnatis. *Ibid.*, lib. 2.

75. Dubitare quis debeat, quin sua hæredibus mundanis servire nolint; qui seipsos mundo eliminaverint? *Ibid.*

76. Quaslibet divitias homo filiis suis congerat, nequaquam hoc ei proderit in judicio, quod divitem reliquit hæredem. *Ibid.*, lib. 3.

77. De locupletandis quibuscunque hæredibus tuis cogitas, cui suppellectilis variæ ornamenta transcribas : infelicissime omnium, cogitas quam bene alii post te vivant, non cogitas quam male ipse moriaris. *Ibid.*

78. Iniquum non est, ut quilibet christianorum, etiam legitimis hæredibus in hoc sæculo consulat, dummodo sibimet in æternitate succurrat : satius est hic deesse filiis quippiam, quam parentibus in futuro. *Ibid.*

79. Ipsi quibus hæreditas relinquitur, si modo pietatis aliquid in se habent, specialiter velle debent, ne illi pereant qui relinquunt. *Ibid.*

80. Non injuste testator sapiens non relinquit, quod hæres impius non meretur. *Ibid.*

81. Beatus ille, qui suos ipse divini amoris spiritu amat, cujus charitas Christi cultus est, qui in naturæ vinculo Deum cogitat naturarum patrem, et dum id quod pignoribus præstat, Domino suo fœnerat. *Ibid.*

82. Flammæ infelicium mortuorum, divitiis non refrigerantur hæredum. *Ibid.*

83. O infelix ac miseranda conditio! bonis suis aliis avarus præparat beatitudinem, sibi afflictionem : aliis gaudia, sibi lacrymas : aliis voluptatem brevem, sibi ignem perennem. *Ibid.*

84. Non liberabunt filii divites parentes reos, nec restringuet flammas miseri testatoris deliciis affluentibus opulentus hæres. *Ibid.*



85. Plurimi ut in hac caduca et brevi vita hæredes divites habeant, æterna seipsos morte condemnant. *Ibid.*

86. Ita moriens substantiam tuam alteri deputa, ut capere ex ea fructus post mortem ipse possis. *Ibid.*

87. Satis infidelis ac satis est stultus, qui mavult præstare aliis ut sit miser, quam sibi ut sit beatus : et ut alios affluere faciat deliciis temporariis, se tradit urendum ignibus sempiternis. *Ibid.*

88. Non vile ac despicabile putes, si substantiam tuam miseris atque egentibus derelinquas, Christum in illis facis hæredem. *Prosec.*

89. Christum quidem hæredem facis, sed hæreditatis emolumenta percipies : quæcunque enim Christo reliqueris, per Christum omnia possidebis. *Ibid.*, lib. 4.

S. VALER. EPISCOPUS. 90. Tamdiu juris tui est partrimonium tuum, quamdiu chirographi fide alteri non fuerit obligatum. Homil. 4, *de Promissis.*

91. Æstimari non potest quantum patrimonio utilitatis accrescat, si quando quod alibi ambitiose quæritur, in propria possessione nascatur. *Ibid.*, homil. 15, *de Bono martyrii.*

92. Quamvis legitimus hæres sit, non tamen sine cupiditatis vitio successionis vota componit. *Ibid.*, homil. 20, *de Avarit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 93. Optima hæreditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio præstantior, gloria virtutis; cui dedecori esse, nefas et vitium judicandum est. Lib. 1, *Offic.*, num. 121.

94. Mihi veræ hæreditates non honestæ videntur, si sint malitiosis officiorum blanditiis, non veritate, sed simulatione quæsitæ. Lib. 3 *de Offic.*

EPICTETUS. 95. Si in id studes, ut liberi tui, uxor, amici perpetuo vivant et floreant, stultus es. In suo *Enchirid.*, cap. 9.

MIMUS PUB. 96. Hæredem scire utilius est quam quærere. In suis *Sent.*, sent. 174.

97. Magis hæres fidus nascitur, quam scribitur, *Ibid.*, sent. 233.

SENECA. 98. Nihil est iniquius, quam aliquem hæredem paterni odii fieri. Lib. 2 *de Ira*, cap. 34.

99. Quanta dementia est, hæredi suo procurare, et sibi negare omnia, ut tibi ex amico inimicum magna faciat hæreditas : plus enim gaudebit tua morte, quo plus acceperit. Epist. 123.

Vide etiam tit. *Fraternitas*, sent. 16; *Venditio*, sent. 16, 17.

## HÆRESIS.

S. HIERON. & S. ISID. HISP. *Etymologia.* Hæresis græce ab electione dicitur, quod scilicet unusquisque id sibi eligat quod ei melius esse videatur. Super *Epist. ad Tit.* cap. III, in illud : *Hæreticum hominem devita.* *Et S. Isidorus Hispalensis*, lib. 8, *Etymolog.*

S. ISIDORUS HISPALENS. Hæresis dicta est græca voce ex interpretatione electionis, qua quisque arbitrio suo ad instituenda, sive ad suscipienda quælibet ipse sibi eligit. *Ibid.*

S. PETRUS DAMIANUS. Hæresis interpretatur electio, et dum quod eligit, qui defendere nititur, relicto veritatis tramite in hæresim necesse est prolabatur. Opusc. 24.

S. ANASTAS. PATRIARCH. *Definitio.* Hæreticus est sycophanta et accusator veritatis, vel falsa existimatio de eo, quod non est. In lib. *Viæ ducis*, cap. 2, *de Verbo.*

S. ANSELM. & S. AUGUST. Hæreticus est, qui alicujus temporalis commodi, et maxime gloriæ, principatusque sui gratia, falsas opiniones ac novas, vel gignit, vel sequitur. Super I *ad Cor.* II, in illud : *Oportet hæreses esse. S. August. de utilitate credendi*, cap. 1.

S. ATHANAS. MAGNUS. Hæreticus est, qui prisca apostolicæ fidei sacramenta deserens, ipse sibi pro suæ voluntatis arbitrio fidem, quam sequi debeat, somniat. In *Disput. contra Arium.*

S. BONAV. & CASSIODOR. Hæreticus est qui divinæ legis ignorantia, vel contemptu, pertinax inventor novi erroris, aut alieni sectator, catholicæ veritati mavult adversari, quam subjici. Super 4, *Sent.*, dist. 13, dubio 4. Et *Cassiodorus* super *Psalm.* CXXXVIII.

S. PETRUS DAMIANUS. Hæreticus ille merito dicendus est, qui tuetur errorem, qui defendit abominabilis perfidiæ pravitatem. Opusc. 42, cap. 3.

S. THOMAS AQUINAS. Non quicunque deviat a communi fide, sed qui pertinaciter deviat, proprie dicitur hæreticus. Super 4, *Sent.*, dist. 13, art. 5.

S. HIERON. *Differentia.* Inter hæresim et schisma hoc arbitror interesse, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma autem quod ab Ecclesia separet. Super *Epist. ad Tit.*, cap. XXXI, in illud : *Hæreticum hominem.*

S. PETRUS DAMIAN. Hoc inter peccatorem et hæreticum distat, quia peccator, qui delinquit; hæreticus autem, qui peccatum per pravum dogma defendit. Opusc. 24, *contra Proprietarios.*

S. THOMAS AQUINAS. Hæresis et schisma distinguuntur; nam hæresis per se opponitur fidei, schisma autem per se opponitur unitati ecclesiasticæ charitatis. 2, 2, quæst. 39, art. 1.

S. JUSTIN. MART. *Productio.* A cupiditate gloriæ hæreses omnes perspicuum est confirmationis suæ causas habuisse. *De Necessar. quibusdam quæst.*

S. PETRUS DAMIANUS. Ex defensione et excusatione criminis hæresis nascitur. Opusc. 24.

THEOPHYL. Omnes hæreses hinc nascuntur, nimirum quod eorum auctores affectibus suis et ventri inserviant. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XVI, in illud : *Declinate ab ipsis.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Hæresis velut quædam hydra fabularum, vulneribus suis crevit : et dum sæpe reciditur, pullulat igni debita, incendioque peritura. Lib. 1, *de Fide ad Gratianum*, cap. 4.

2. Hæreticus imperfectum tentare potest, non potest supplantare perfectum. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 2, vers. 8.

3. Astutia hæreticæ mentis, ut id quod sibi libitum est expleat, verba Dei adulterat, ut sensum invertat. Super II, *Cor.* VI, in illud : *Adulterantes verbum Dei.*

4. Hæretici hi sunt, qui per verba legis, legem impugnant. Super II, *Tim.*, cap. IV, in illud : *Hæreticum hominem devita.*

5. Vix aliquem ex inventoribus hæreseon invenies, qui pœnitentiam egerit ex suis erroribus. Super *Apocalyps.*, cap. XVI.

S. ATHANAS. MAGNUS. 6. Hæreticus pravum omnino, et undequaque corruptum animum ad impietatem habet. Serm. 4 *contra Arianos.*

7. Hæreticus est calumniator, et accusator veritatis, vel falso opinio ejus, quod non est. In *Definit.*

S. AUGUST. 8. Si superbia non esset, non essent hæretici : hi autem si non essent multo pigrius veritas quæreretur. *De Vera relig.*, cap. 25.

9. Utamur hæreticis, non ut eorum approbemus errores; sed ut catholicam disciplinam adversus eorum insidias asserentes, vigilantiores et cautiores simus, etiamsi eos ad salutem revocare non possumus. *Ibid.*

10. Homines si bonæ sunt fidei, non credunt hæreticis : sed quid eis respondeant, diligenter inquirunt. Lib. 1 *de Genesi, contra Manich.*, cap. 1.

11. Cum hæretici generaliter scientiæ pollicitatione decipiunt, et reprehendunt eos, quos simpliciter credentes invenerint, et quia carnalia omnino persuadent, quasi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, ut interior oculus excæcetur. *Ibid.*, lib. 2.

12. Serpens ille est error hæreticorum, qui tentat Ecclesiam : ille error pectore et ventre serpit et terram manducat; non enim decipit, nisi aut superbos, qui sibi arrogantes quod non sunt, cito credunt ; aut desideriis carnalibus implicatos, qui libenter audiunt, quod quidquid lascive faciunt, non ipsi faciunt, sed gens tenebrarum : aut curiosos, qui terrena sapiunt et spiritalia terreno oculo inquirunt. *Ibid.*, lib. 2, cap. 2.

13. Quisquis ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Epist. 152, *ad populum factionis.*

14. Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, corrigi parati, nequam sunt inter hæreticos deputandi. Epist. 162, *ad Episcopos Donatistas.*

15. Conantur hæretici auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ quasi rationis nomine et pollicitatione superare : omnium hæreticorum quasi regularis est ista temeritas. Epist. 56, *ad Dioscorum.*

16. Hæreses et scandala futura prædicta sunt, ut inter inimicos erudiamur, ac sic et fides et dilectio nostra possit esse probatior. Epist. 50, *ad Bonifac.*

17. Hæresibus pullulantibus et celebriter obviandum. Epist. 91.

18. Tanto fortius convincuntur hæretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos. Lib. 1, *de Trinit.*, cap. 13.

19. Hæretici sunt, qui Scripturas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt. Lib. 7, *de Gen. ad litt.*, cap. 9.

20. Sub nomine christiano tam multæ hæreticorum extiterunt falsitates. In Lib. *Quæst. Evang. secundum Matth.*

21. Qui in Ecclesia Christi, morbidum aliquid, pravumque sapiunt, si correpti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt. Lib. 8, *de Civ. Dei*, cap. 51.

22. Dissensio et divisio hæreticos, par vero et unitas facit catholicos. Lib. 2, *contra litt. Petiliani*, cap. 95.

23. Non natæ sunt hæreses, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur. Tract. 18, de cap. 5.

24. Omnes hæretici, qui relicta veritatis via errando per desertum latrocinantur, et animas captant in peccatis, præpediuntque ne quis ad patriam valeat pervenire, effecti sunt lupi semitarii, induti ovina pelle. *De Cantico novo*, cap. 4.

25. Hæretici catholici esse nondum incipiunt, nisi hæretici esse destiterint. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 4, can. *Quid*, § *Catholici.*

26. Hæresis, non religio, sed superstitio est. Lib. 27, *contra Gaudent.*, cap. 11.

27. Non omnis error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non possit. *De Hæres. ad Quodvult-Deum.*

28. Diabolus quia multos deos non potuit fabricare christianis, sectas multiplicavit, errores seminavit, hæreses instituit. *De Utilit. Jejunii*, cap. 9.

S. BERNARD. 29. Omnibus una intentio hæreticis semper fuit, captare gloriam de singularitate scientiæ : sola ista malignior cæteris versutiorque hæresibus, damnis pascitur alienis, propriæ gloriæ negligens. Serm. 65, super *Can.*.

30. Hæretici oves sunt habitu, astu vulpes, actu et crudelitate lupi. *Ibid.*, serm. 66.

31. Hæretici sunt, qui boni videri, non esse, mali non videri, sed esse volunt : mali sunt, et boni videri volunt, ne soli sint mali : mali videri timent, ne parum sint mali. *Ibid.*

32. Hæretici ita in malum bonorum boni apparere student, mali nolunt, ut plus liceat malignari. *Ibid.*

33. Hæretici nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt, nec auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt, nec flectuntur suasionibus, quia subversi sunt. *Ibid.*

34. Hæreticus inimicus est crucis Christi, seminator discordiæ, fabricator schismatum, turbator pacis, unitatis divisor. Epist. 195, *ad Episcop. Constantiensem.*

35. Hæretici conversatio mel, et doctrina venenum : cui caput columbæ, cauda scorpionis est. Epist. 176, *ad Guidonem Legatum.*

S. BONAV. 36. Hæretici satellites sunt hostis antiqui, et fidelium inimici. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 6, vers. 5, art. 3.

37. Errare potero, hæreticus nunquam ero. Super *Sap.*, cap. VII.

38. Si quis imprudenter errat, et errorem suum non defendit, hic non est judicandus hæreticus : sed ille tantum qui quod male de fide sentit, quod deterius est, incorrigibilis asseverat, et defendit. Super *Epist. ad Titum.*

CASSIODOR. 39. Rana est loquacissima vanitas hæreticorum, quæ cœnosis sensibus commorata, improbis clamoribus garrire non desinit. Super *Psalm.* LXXVII, vers. 51.

40. Non potest inveniri nequior perfidia, cunctis hæresibus. Super *Psalm.* CVII.

41. Hæretici viam Domini deserentes, pravis dogmatibus populos decipere, potius quam docere festinant. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 5.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 42. Hæreticorum filii per blandiloquentiam et facundiam seducunt corda hominum, minime malorum, qui grato Christi nomine, impiorum dogmatum venena occultant. *Cateches.* 4.

S. EPHREM. 43. Ordinem hæretici et textum Scripturarum supergredientes atque transilientes, quantum in ipsis est, solvunt membra veritatis. *Parœc.*

44. Transferunt autem et transfingunt, et alterum ex altero facientes, seducunt multos ex iis quæ aptant ex Dominicis eloquiis, male composito commento. *De Virtute*, cap. 8.

FRANCISCUS TITELM. 45. Hæretici dæmonum sunt ministri, et præcursores antichristi ; eos quos attrahunt, decipiunt. In annot. super *Psalm* IX, *Dum attrahit eum.*

GLOSS. ORD. 46. Hæretici peccatorum suorum jaculis cruentati, cum verba divina in argumentum sui erroris trahunt, arma sua contra pectus suum morituri invertunt. Super 1, *Paralip.*, cap. X.

47. Hæretici errorem suum student sacræ Scripturæ testimoniis colorare. Super *Judith.*, cap. V, *Moraliter.*

48. Hæretici ex bonis mala abscondunt, ut recipiantur : et ex malis bona inficiunt, ut corrumpant. Super *Job*, cap. IV.

49. Hæretici inquisitionibus non intendunt veritatem assequi, sed victores videri. *Ibid.*, cap. VI, in illud ; *Et non invenietis in lingua mea iniquitatem.*

50. Hæretici non tantum dolose cogitant, sed et alios docent. Super *Psalm.* V.

GLOSS. INT. 51. Superbia facit hæreticum, non ignorantia. Super *Hier.*, cap. XXXXIX.

52. Hæretici sunt callidi in fide, fortes in disputatione, crudeles in occisione. super *Acta Apost.*, cap. XX.

S. GREGOR. MAGNUS. 53. Hæretici permiscent recta perversis, ut ostendendo bona, auditores ad se trahant : et exhibendo mala, latenti eos peste corrumpant. Lib. 5 *Moral.*, cap. 10.

54. Hæretici imperitos quosdam perversis ad se persuasionibus trahunt, et doctrinis pestiferis ad interficiendum nutriunt. *Ibid.*, lib. 16, cap. 21.

S. HIERON. 55. Hæresis incerta et magna promittit, ut quæ certa et moderata sunt, auferat. Epist. 29, *ad Theodoram.*

56. Omnes hæretici, christiani non sunt : si Christi non sunt, diaboli sunt. Epist. 12, *advers. Luciferianos.*

57. Subtilis est hæresis, et eo simplices animæ facile decipiuntur. *Ibid.*

58. Sola hæc hæresis est, quæ publice erubescit loqui, quod secreto docere non metuit. Epist. 3, *ad Ctesiphont.*

59. Omnis hæreticus hypocrita est, aliud agens et aliud simulans ; et quidquid loquitur, licet videatur esse sapientia, tamen stultitia est. Lib. 4, super *Isaiam*, cap. IX, super illud : *Et disperdet ab Israel.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

60. Quidquid hæretici loquuntur in synagogis Satanæ, non est doctrina Domini, sed ululatus dæmonum. *Ibid.*, lib. 6, cap. xiv, super illud: *Et erit Babylon.*

61. Nulla hæresis, nisi propter gulam, ventremque construitur. Lib. 1, super *Hierem.*, cap. iii, super illud : *Et Dixit Dominus ad me : Justificavit.*

62. Hæretici sub nomine Christi, Christum blasphemant, et impugnant. Super *Job*, in Prœmio.

63. Multo pejoris conditionis sunt hæretici, quam gentiles : quia in illis spes fidei est, in istis pugna discordiæ. Lib. 2, super *Matth.*, cap. xii, can. 6, num. 129, super illud : *Cum immundus spiritus.*

**HUGO CARD.**

64. Nullus potest hæresim struere, nisi qui ardentis ingenii est. Super *Oseam*, cap. x, *Mystice.*

**S. IGNATIUS MART.**

65. Omnes hæretici columnæ sepulcrales, et mortuorum sunt monumenta, quibus mortuorum hominum nomina inscripta sunt. Epist. 9, *ad Philadelph.*

66. Nefandas hæreses fugite, ut fontem malorum. *Ibid.*, epist. 10, *ad Smyrnenses.*

67. Hæreticorum spiritus erraticus est et falsus: seipsum prædicat, sua loquitur, sibi placet, seipsum glorificat. *Prosec.*

68. Plenus fastu est, mendax, fraudulentus, assentatione et adulatione gaudens ; subdolus versuum, scilicet psalmorum consarcinator, nugax, inconstans, verbosus, lubricus, meticulosus. *Ibid.*, epist. 14, *ad Ephes.*

**S. INNOC. III**

69. Hæretici cum a fide Catholica destiterint, perfectionem spiritus, quam acceperant, amiserunt. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 24. quæst. 1, can. *Hæretici.*

**S. JOANNES CHRYSOST.**

70. Hæresis periculosa res est, sed utilis, et valde periculosa : utilis est, quia tentatur fideles per eam, et ab infidelibus segregantur : periculosa, quia multi seducuntur per eam, et pereunt. Homil. 19, super *Matth. Oper. imperf.*

71. Hæretici fidem prædicant, et infideliter agunt : pacem aliis dant, et sibi non habent : veritatem laudant, et mendacia diligunt : luxuriam castigant et luxuriam exercent. *Ibid.*, homil. 44.

72. Hæretici interiorem sævitiam innocentia vestitus occultant, ovium indumento contecti, quod profitentur, infamant : aliud docent quam faciunt, aliud agunt quam dicunt, aliud exhibent quam vocantur. *Prosec.*

73. Hi sunt, qui quod execrantur, admittunt : qui quod prohibent, faciunt ; et quod faciendum præcipiunt, operum simulatione dissolvunt.

74. Apud quos innocentia culpatur, et culpa pro innocentia ducitur.

75. Apud quos peccare, justum est : et justitiam exercere, nefandum.

76. Apud quos promereri, delinquere est : et delicta admittere, promereri est.

77. Ubi certant facta cum dictis, dimicat doctrina cum factis.

78. Ubi alia sermonibus sonant, alia operatione confirmant.

79. Ubi studium nullum est, nisi ut innocentibus pœna, reis gloria tribuatur. Homil. 11, *ex Divers in Matth.*

80. Luporum genus quanto est omnibus bestiis inferius, tanto malitia crudelitateque deterius : sic hæretici quanto subtilius agunt, tanto nocentius : quanto subtilius agunt, tanto nocentius; quanto submissius, tanto pejus. *Prosec.*

81. Incessu sunt humiles, sed actu nocentes vestitu simplices, sed malitia sæviores : aspectu mites, sed immanitate crudeles.

82. Et tamen lupi, vigilante pastore, ovibus nocere non possunt : traditores vero nec ovibus, nec pastoribus parcunt.

83. Quod vocantur, debellant : quod profitentur, impugnant. Christianos, quod se essenolunt, simulant, malitiose infestant.

84. Malunt enim dici quod non sunt, ut in aliis damnent quod faciunt. *Ibid.*

85. Hæreseon mater est principatus cupiditas. Super *Epist. ad Galat.*, cap. v.

**S. JOANNES DAMASC.**

86. Nulla unquam hæresis de Ecclesia triumphavit ; verum semper quidem furit ; at postquam aliquantum progressa est, statim evanescit. Lib. *Parall.*, cap. 12.

**JOAN. GERS.**

87. Hæresis est dogma falsum fidei orthodoxæ contrarium. Serm. 1, *circa præceptum : Non occides.*

88. Hæresis est dogma perversum fidei catholicæ contrarium. Lib. 2, *Articulor. contra Petr. de Luna*, conclus. 1, part. 1.

89. Hæresis sola non facit per se hæreticum, nisi dum conjungitur depravatio pertinax ipsius voluntatis. Serm. 2, *circa præceptum : Non occides.*

90. Ille proprie dicitur hæreticus, qui pertinaciter asserit, imo determinat hæresim. Lib. 2, *articulorum contra Petr. de Luna*, conclus. 2.

**S. IRENÆUS.**

91. Quæcunque cum gravitate summa dixerint omnes hæretici, in ultimum ad hoc devenunt, ut blasphement fabricatorem, et contradicant saluti plasmatis Dei. In fide prologi *adversus Hæreses.*

**S. ISIDORUS HISPALENS.**

92. Hæreticorum occasione propagati sunt doctores in fide, et per acumina hæresum Ecclesiæ magistri creverunt. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 16, sent. 5.

93. Hæretici sunt, qui relicta Dei Ecclesia, privatas elegerunt societates. *Ibid.*, sent. 7.



94. Tanta est hæreticorum calliditas, ut falsa veris malaque bonis permisceant : salutaribusque rebus plerumque erroris sui virus interserunt, quo facilius possint pravitatem perversi dogmatis sub specie persuadere veritatis. *Ibid.*, lib. 3, cap. 12, sent. 6.

95. Hæretici haustum lethiferi succi hominibus persuadendo propinant. *Ibid.*, cap. 13, sent. 11.

**S. JUSTIN. ORGELITAN.**

96. Semper hæretici in primordiis, velut ficta religione conspicui, in extremis suis ignem trahunt, gehennæ incendio deputati. Super *Cant.* cap iii, explicat. 51.

**S. LEO I.**

97. Hæretici humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt. Serm. 5, *de Jejun. decimi mensis.*

98. In secta hæreticorum lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium (si sit) turpitudo. *Ibid.*

99. Hæretici tot species habent diaboli, quot simulacra mendacii. Serm. 18, *De Passione Dom.*

100. Hæresis impia est, et evangelicæ veritati inimica : quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa religionis christianæ conatur fundamenta convellere. Epist. 41, *ad Pulcheriam august.*

101. Quæ patefacta sunt quærere, quæ perfecta sunt retractare, et quæ sunt diffinita convellere, proprium hæreticorum est. Epist. 78, *ad Leonem august.*

102. Nihil est sordium in quorumque sensibus impiorum, quod in hæreticorum dogma non confluxerit. Epist. 93, *ad Turibium episcop. Asturiens.*

**LUDOVICUS BLOSIUS.**

103. Hæretici suum sensum protervedefendunt, et ea quæ adinveniunt obstinata mentesequuntur. Lib. 1, *Collyrii hæretic.*, cap. 1.

104. Hæretici, qui Ecclesia catholica relicta in suis erroribus moriuntur, salutem non inveniunt, sed pereunt. *Prosec.*

105. Hi sunt ulcerosa, sive putride membra Ecclesiæ, quæ cum insanabilia permanserint, præcidentur a corpore, et in ignem æternum mittentur. Epist. *ad Florentium.*

**ORIGENES.**

106. Multo nocentior est hæreticus bonæ vitæ, et plus in doctrina sua habet auctoritatis, eo qui doctrinam conversatione maculet. Homil. 7, in cap. xvi, *Ezech.*

**S. PETRUS DAMIAN.**

107. Non error hæreticum, sed pervicax obstinatio facit : nec omnes hæretici dicendi sunt, qui opinantur errorem, sed qui pertinaciter et audacter prædicant falsitatem. Epist. 13, *ad Alexandr. Pap.*

**TERTULL.**

108. Hæreses non tam novitas, quam veritas revincit, *De Virg. veland.*, cap. 1.

109. Hæresis non recipit quasdam scripturas ; et si quas recipit, adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit. *Advers. hæretic.*, cap. 17.

110. Fere hæreses ad nostra exempla prosiliunt, inde sumentes præsidia, quo pugnant. *De Anima*, cap. 17.

**THEOPHYL. ANTIOC.**

111. In hæresi quidquid ædificatum fuerit, corruit. Lib. 1, in *Evang.*

Vide etiam tit. *Astutia*, sent. 12 ; *Blanditiæ*, sent. 30 ; *Catholicus*, sent. 10 ; *Deceptio*, sent. 32 ; *Discipulus*, sent. 22 ; *Disputatio*, sent. 14 ; *Doctrina*, sent. 71 ; *Dogma*, sent. 4, 11, 13, 14, 25, 26, 28, 29 ; *Ecclesia*, sent. 28 ; *Eloquentia*, sentent. 11, 21 ; *Error*, sent. 26 ; *Martyrium*, sent. 15 ; *Mendacium*, sent. 60 ; *Negare Deum*, sentent. 14 ; *Oblatio*, sent. 34 ; *Philosophia*, sent. 14 ; *Pravitas*, sent. 6 ; *Seductio*, sentent. 5 ; *Templum*, sentent. 13 ; *Unitas*, sentent. 51 ; *Zelus*, sentent. 50.

## HERODES.

### SENTENTIÆ PATRUM.

**S. AMBROS.**

1. Herodes saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter solvit. *Prosec.*

2. Turpe, quod regnum pro saltatione promittitur : crudele, quod mors prophetæ pro jurisjurandi religione donatur. Lib. 3 *Offic.*, cap. 12.

**S. BERNARD.**

3 Misera plane civitas, in qua regnat Herodes, quoniam herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ, et ad novæ salutis ortum herodiana movebitur turbatione. Serm. 3 *Epiph.*

**S. BONAV.**

4. Omnes, qui vocati sunt Herodes, mali fuerunt : unde primus Herodes fuit malus, secundus pejor, tertius pessimus. Super *Luc.*, cap. xiv, in Illud : *Herodes vult te occidere.*

5. Herodes interpretatur in pellibus glorians, quod designat quemlibet superbum et vane gloriosum. *Ibid.*

6. Herodes in exilium relegatus miserrime vitam finivit, cum ipsa meretricula, quam amavit : sed puellam quæ saltavit, vivam terra absorbuit. Serm. 1, *de S. Joan. Bapt.*

**S. EUSEBIUS EMISSE.**

7. Nihil proficis, Herodes ferocissime ; impietatis audacia potes martyres facere, Christum non potes invenire. Serm. *de Innoc.*

**S. FULGENT.**

8. Quid est quod sic turbaris, Herodes ? quoniam natum regem Judæorum audisti, turbaris, suspicionibus agitaris, invidiæ stimulis inflammaris, et ob hoc natum regem occidere conaris. *Prosec.*

9. Inanis est ista turbatio tua, et vana prorsus cogitatio : Rex iste qui natus est, non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**10.** Nec ideo natus est, ut tibi succedat; sed ut in eum mundus fideliter credat : venit ergo, non ut pugnet vivus, sed ut triumphet occisus.

11. Nec ut sibi de aliis gentibus auro exercitum quærat, sed ut pro salvandis gentibus pretiosum sanguinem fundat.

12. Inaniter invidendo timuisti successorem, quem credendo debuisti quærere Salvatorem. Serm. 5 *de Epiph.*

13. O humana dementia! ut luxurietur Herodes, necatur Joannes : numquid propheta suo te terruit merito, et non divino judicio? *Prosec.*

14. Res est extremæ dementiæ, odisse loquentem, nec metuere judicantem. Serm. 7, *de Herode.*

15. Solent reges solemnitatibus suis magnas ac terrenas epulas quærere : Herodi autem, cœpit et carcer delicias ministrare. *Ibid.*

S. GREGOR. MAGNUS. 16. Herode incaute juravit, et nefarium jusjurandum quod protulit, in Præcursoris Domini morte complevit. Lib. 5, in 1 *Reg.*, cap. IV.

S. HIERON. 17. Nullum alium invenimus observasse diem natalis sui, nisi Herodem et Pharaonem; ut quorum erat par impietas, esset et una solemnitas. Lib. 2, super *Matth.*, cap. XIV, can. 6, num. 145, super illud : *Die autem natalis Herodis.*

18. Herodias timens ne Herodes aliquando resipisceret, vel Philippo fratri amicus fieret, atque illicitæ nuptiæ repudio solverentur, monet filiam in ipso statim convivio caput Joannis postulet, digno operi saltationis dignum sanguinis præmium. *Ibid.*

19. Dissimulat mentis suæ malitiam Herodes, artifex homicida, cum tristitiam in facie, et lætitiam haberet in mente. *Ibid.*

20. Scelus excusat juramento Herodes, ut sub occasione pietatis impius fieret. *Ibid.*

21. Sceleratus admodum fuit Herodes, et Herodias, ac puella quæ saltavit in pretium sanguinis, caput postulat prophetæ ut habeat in potestate linguam, quæ illicitas nuptias arguebat. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 22. In convivio cum Herode sedeo, cum in delectatione vitiorum, vanæque gloriæ favorem quæro : saltantem conspicio filium Herodis, dum mihi placet vanitas curiositatis. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 17.

S. JOANNES CHRYSOST. 23. Convivium Herodis diabolicum fit cibus cædes; vinum transit in sanguinem; finis apponitur in natali; in ortu exhibetur occasus; convivium mutatur in homicidium; organa vertuntur in funus; tragediæ personant sæculorum. Homil. 15, *ex Divers. in Matth.*

24. Herodes profanavit templum, sacerdotium sustulit, confudit ordinem, temeravit regnum, corrupit quidquid erat religionis, quod legis, quod vitæ, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ perdidit et confudit. Lib. *Ibid.*

25. Herodes sicarius in cives, in nobiles latro, in socios populator, in domesticos prædo, plebis interemptor, occisor filiorum, in extraneos homicida, in proprios parricida, inebrians terram cruore, in siti sanguinis permanebat. *Ibid.*

26. Herodes Joannis sanguinem pium in poculo crudelitatis absorbuit. *Ibid.*

27. Herodes, te petit causa, te arguunt vincula, te carcer accusat, te divulgat producta in publicum pœna : Joannes injuriatur, causam custodiæ qui requirit, in te invenit quod puniat, et in Joanne quod deleat. *Ibid.*

28. Herodes peccandi in Joannem differt facultatem, non aufert voluntatem : unde etiam quos suspendit a crimine, avidiores reddit ad crimen, et æstuat animo quousque perficiat quod cogitat malum. *Ibid.*

29. In convivio Herodis intrat bestia, non puella : quærit caput amputare, non saltare : discurrit fera, non femina, aspergit jubas per cervices, non capillos : anfractibus dilatat membra, sævitia crescit augmentis. *Ibid.*

30. Saltatrix Herodis fit grandis crudelitate, saltando non corpore, et singularis fera usque dum capiat prædam: fremit ore, dentibus frendit, ferrum non suscipit, sed producit. *Ibid.*

31. Joannes de morte sua natus est, et Herodes de natali suo mortuus est. *Ibid.*

32. Herodes propter juramentum caput Præcursoris amputavit, propter juramentum noluit impudentem saltatricem repulsam pati, et homicidium perjurio pejus commisit. Homil. 13, super *Acta Apost.*, in *Morali.*

33. Herodes, quia cum audisset vocem Dei per vocem hominis, non dedit gloriam Deo, crepuit et effusa sunt viscera ejus. Homil. 26, super *Epist. ad Hebr.*, in *Morali.*

34. Rex erat Herodes satellitibus undique stipatus, divitiis præpotens, regium tenebat imperium. Serm. *de Vir. et vitiis.*

35. Quemadmodum si quis infundat oleum super ignem ardentem, magis crescit incendium : sic ardentem zelum Herodis, delusionis opprobrium amplius excitavit. Homil. 2 super *Matth. Oper. imperf.*

36. Quid miserius Herodiade, quæ caput Joannis exhiberi sibi desideravit in disco, ut suum caput perpetuæ gehennæ ignibus flammisque demergeret? Homil. *Quod nemo læditur.*

37. Prodit in medium puella saltatrix, Herodi placet atque convivis : jurat Herodes, Pete quid velis, tradam ego tibi ad dimidium usque regni mei. *Prosec.*



38. Vides quonam regnum abjecerit? Quidquid ipsa petieris, inquit tradam ego tibi ad dimidium usque regni.

39. Miser et infelix ita ne tibi mentis oculi cæcutiunt? tanti regnum facis? semel puella saltavit, et regni dimidium tradis. Quid si secundo saltaverit? votis exopta, ne denuo saltet, vel si saltaverit, ne denuo placeat : sin autem, porro unum relinquitur, ut tibi postea sit mendicandum. Serm. *de Vir. et vit.*

S. JOANNES DAMASC. 40. Satius erat Herodi jusjurandum interpositum violare, quam prophetæ caput amputare. Lib. 3 *Parall.*, cap. 6.

S. PETRUS CHRYSOL. 41. Herodes obsidens terrenum regnum, impugnat cœleste : terrenis inhians, irruit in divina, ipsamque pietatem tota impietate sectatur. Serm. 152.

42. Herodes destinatus ad scelus, ad piaculum promptus, paratus ad crimen, causas innocentiæ non requirit, jus abrogat, confundit fas nefasque. *Prosec.*

43. Cui nequitia est sodalis, cui odiosa est æquitas, iniquitas semper est amica.

44. Qui cædibus vivit, qui se munit sanguine, qui crudelitatem sectatur, cui de timore stat totum, de amore nil constat.

45. Herodes cæcus Christum gladiis quærit, investigat cruore, crudelitate rimatur, successorem timens, incessit in auctorem. *Ibid.*

46. Herodes refuga, gentis Judaicæ invasit regnum, libertatem sustulit, profanavit sancta, confudit ordinem, quidquid disciplinæ, quidquid cultus est, abolevit. *Ibid.*, serm. 156.

IN VITIS PATR. 47. Si Herodes pœnitentiam egisset, neque jusjurandum, quod stulte emiserat, servasset; nunquam profecto maximum illud scelus admisisset, ut Præcursorem Christi decollaret. Lib. 10, cap. 216.

## HOMO.

S. AMBROS. & CASSIODOR. *Etymologia.* Considera, o homo, unde nomen sumpseris; ab humo utique appellata est humanitas, specialis et domestica virtus hominis, quæ consortem adjuvet. Lib. 3° *Offic.*, cap. 3, *Cassiodorus* super *Psalm.* CXXXIX.

S. ATHANAS. M US. *Definitio.* Homo est animal intellectu præditum, et quod sentit divinam mentem, vitæ æternæ capax, et hujus spoliatione mortale. *De Communi essentia.*

S. BASILIUS MAGNUS. Homo est creatura Dei rationalis facta ad imaginem conditoris ipsius. Homil. 10 *Hexamer.*

SENECA. Quid est homo? imbecillum corpus et fragile, nudum, suapte natura inerme. *De Consolat. ad Marciam*, cap. 11.

Quid est homo? alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum. *Ibid.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nihil est magis quo homo cæteris animantibus præstet, quam quod rationis est particeps. Lib. 1 *Offic.*, cap. 26.

S. ANTONIUS DE PADUA. 2. Hominis appellatione est dignus, qui non movetur a suæ mentis stabilitate propter ventum verborum. Serm. 1 *Pentec.*

3. Omnis qui habet prurientes aures, qui omni verbo credit : non homo, sed brutum animal dignus est appellari. *Ibid.*

S. ATHANAS. MAGNUS. 4. Homo secundum principatum mentis, particeps est Deitatis, cum sit animalis, et mentalis. *De Communi essentia.*

S. AUGUST. 5. Quis non hominem se malit esse, etiam carne cæcum, quam belluam videntem? Lib. 14 *de Trin.* cap. 14.

6. Quisque homo diligentius attendat primæ conditionis suæ excellentiam, quam nobilitate morum, exercitatione virtutum, et dignitate meritorum habere contendat. *De Spiritu et anima*, cap. 35.

7. Magna prorsus dignitas hominis est, portare imaginem Dei, et illius in se jugiter vultum aspicere, atque semper per contemplationem præsentem habere. *De Spiritu et anima*, cap. 52.

8. Scito quomodo homo es, cujus conceptio culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori necesse. *Ibid.*, cap. 51.

9. Omnis homo advena est nascendo, et incola vivendo, quoniam compellitur migrare moriendo. In *Quæst. super Levitic.*, quæst. 91.

10. Sensu nos multæ bestiæ superant, mente autem, ratione et scientia, nos illis Deus præposuit. *Prosec.*

11. Humana anima quanto in sensus declinat, tanto magis similiorem hominem pecori facit. *De Quantit. animæ*, cap. 28.

12. Homo ita excellit, ut nulla ei bestiarum, ipse autem multis imperare possit. Lib. 1, *de Libero arbit.*, cap. 7.

13. Motibus animæ cum ratio dominatur, ordinatus homo dicendus est. *Ibid.*, cap. 8.

14. Tolle jactantiam, et omnes homines quid sunt, nisi homines? Lib. 5 *de Civit. Dei*, cap. 17.

15. Omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum est homo. *Ibid.*, lib. 10, cap. 12.

16. Tandiu est aliquid homo, quandiu hæret Deo, a quo factus est homo : nam recedens ab illo, nihil homo est. Super *Psalm.* LXXV, vers. 4.

17. Quando homo fit non homo, hoc est, quando ægrotescit, ægrotando ægritudo crescit, peccator expavescit, cor contremiscit, caput obstupescit, sensus evanescit, virtus exarescit, vultus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pallescit, facies nigrescit, oculus tenebrescit, auris surdescit, nasus putrescit, lingua latescit, os obtumescit, corpus tabescit, caro marcessit. *De Speculo peccatoris*, cap. 5.

18. Post hominem vermis, post vermem fœtor et horror : sic in non hominem vertitur omnis homo. *Ibid.*

19. Homo ille dicitur humanus, qui se exhibet hominem. *De Verbis Apost.*, serm. 8.

20. Agnoscat homo quantum ab illo expectet Deus, et quem tanta dignatione habuit charum, quam velit esse in conversatione pretiosum. *Prosec.*

21. Agnoscat homo quantum valeat, et quantum debeat ; et dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat. Serm. 1, *Fer.*3, *post Dom. Palmar.*

S. BASILIUS MAGNUS. 22. Imperiale es animal, o homo, et quid servis affectibus, quid tuam ipsius dignitatem destruis, et servus sis peccati? *Prosec.*

23. Cur teipsum facis captivum diaboli? princeps creaturæ electus es, et reverentiam ac auctoritatem naturæ tuæ abjecisti?

24. Servus vocatus es, quid te affligit servitus corporis? cur non gloriaris in dominio tibi a Deo contributo, quod rationem habes affectuum dominam?

25. Cum videris herum tuum servum esse voluptatis, teipsum vero moderatum, scito quod tu quidem es servus nomine solum : ille vero nomine quidem habet dominium, opere vero confirmatam habet servitutem. Homil. 10, in *Hexamer.*

26. Omnis bestiæ imperium habes, o homo, et innumeras, et multam ferarum turbam in teipso habes. *Prosec.*

27. Parva bestiola est ira, cum latrat in corde tuo, nonne omni cane ferocior existit?

28. In dolosa anima tua latitans dolus, nonne omni ursa in latebris, delitescenti immitior est?

29. Nonne est bestia simulatio? qui velox est ad contumeliam ac injurias, nonne est scorpius? qui cum ad vindictam concitatur, nonne est vipera sævior?

30. Avarus nonne est lupus rapax? qualis bestia in nobis non est? mulier amore furens, nonne est equus insaniens?

31. Multæ igitur bestiæ in nobis sunt, factus itaque es princeps bestiarum ; si externarum imperium habes, internas sine imperio relinques?

32. Princeps creatus es, princeps affectuum, princeps bestiarum, princeps reptilium, princeps volatilium.

33. Neque ergo cogitationes habeas sublimes, neque levis sis et inconstans mente : ad volatilium imperium destinatus es.

34. Absurdum erit, si externa quidem volatilia depopuleris, ipse vero levis sis ac sublimis. Ne superbias, ne te efferas ; impera cogitationibus tuis, quo fias princeps rerum omnium. *Ibid.*

35. Magna quidem res est homo, sed animal illud fragile est, innumeris affectionibus subjectum, ex nativitate usque ad senectutem infinitam malorum multitudinem exhauriens. *Prosec.*

36. Nihil est homo, et magnum quid est homo si enim ad naturam solum respicias, nihil est homo, et nullius pretii : si vero ad dignitatem, qua honoratus est, magna res est homo. *Ibid.*, homil. 11.

S. BERNARDIN. SEN. 37. Homo cum consummatur ad angelorum dignitatem evehitur. Apud *Div. Joannem Damascenum*, lib. 1 *Parall.*, cap. 52.

S. BERNARD. 38. Nihil homini seipso vilius est, et plus seipsum negligit, quam aliquid suorum. Serm. 19, *Fer.* 2, *post Dom.* 1 *Quadrag.*, art. 3, cap. 1.

39. Adverte homo, quia limus es, et non sis superbus : quia Deo conjunctus es, et non sis ingratus. Serm. 3, *Vigil. Nativ.*

40. Nihil aliud est homo quam sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium : post hominem vermis, post vermem fœtor et horror, sic in non hominem vertitur omnis homo. *Prosec.*

41. Quid superbis pulvis et cinis? cujus conceptus culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori angustia. Lib. *Medit.*, cap. 3.

42. Unde superbit homo, cujus conceptio culpa nasci pœna, labor vita, necesse mori, quando et quomodo vel ubi, nescire? *De inter. domo*, cap. 53.

BOETIUS. 43. Cum ultra homines quemque provehere sola probitas possit, necesse est, ut quos ab humana conditione dejecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. *Prosec.*

44. Evenit ut quem transformatum vitiis videas, hominem existimare non possis : ita ut qui probitate deserta homo esse desierit ; cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam. Lib. 4, *de Consol. philos.*, prosa 4.

S. BONAV. 45. Sex sunt genera hominum : timidi, pigri, stolidi, superbi, blasphemi, maligni, primos vincit concupiscentia ; secundos, acedia ; tertios, negligentia ; quartos, superbia ; quintos, diffidentia ; sextos, nequitia. Super *Psalm.* xxxi.

46. Homo est rationalis, ut Deum investiget ; concupiscibilis, ut solum Deum desideret ; irascibilis, ut adversantia reprobet. Super *Psalm.* lxvii.

47. Tria sunt in homine : ingenium, memoria, ratio : ingenium requirit incognita ; memoria recondit dijudicata : ratio judicat inventa. Super *Psalm.* lxviii.



CLEMENS ALEX. 48. Viris et mulieribus commune nomen, homo est. Lib. 1 *Pædagogi*, cap. 4.

DIONYSIUS CARTHUS. 49. Bestia ex naturali instinctu regitur, tu, o homo, rationis ductu : illa movetur sensu, tu intellectu : illa moritur tota, quando caro deficit, tu perpetuo manes, cum spiritus corpus relinquit. *De Perf. charit.*, art. 10.

S. DOROTH. 50. Vere creaturarum omnium, quæ videntur, pretiosissimus homo est. Doctr. 22.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 51. Quid te, o homo, erubescendis cupiditatibus exhonoras? nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam : quam pretiosus sis, si factorem forte non credis, interroga Redemptorem. Homil. 2, *de Symbolo.*

52. Totus homo in animi intellectu, et sensus exercitio, et in mentis ratione ac vigore consistit. *Ibid.*, homil. *de Pœnit. Ninivitar.*

FRANCISCUS TITELM. 53. Quid est homo? creatura vilis et fragilis, ac quantum ad corpus attinet, nullius fere roboris aut pretii. In *Elucidat.*, super cap. vii, *Job*, in illud : *Quid est Homo?*

54. Omnis homo, quantum ex sese, vanus est, mendax et instabilis et ad peccati vanitatem pronus, atque a vitiata origine ex ingenita mala concupiscentia ad malum proclivis. In *Annotat.*, super *Psalm.* xiii.

GLOSS. ORD. 55. Nihil viventes homines differunt ab iis, qui in pictura exprimuntur : æqualiter enim horum et illorum natura tempore labitur et corrumpitur. Super *Psalm.* xxxviii.

S. GREGOR. MAGNUS. 56. Homo ad contemplandum Creatorem suum conditus est, ut ejus semper speciem quærat, atque in soliditate illius amoris habitet. Lib. 8 *Moral.*, cap. 10, super illud *Matth.* v : *Vade in domum tuam.*

57. Hominem Deus largitate rationis ditat, infusione gratiæ visitat, honore collatæ virtutis exaltat. *Ibid.*, cap. 16, super illud *Job* vii : *Quid est homo?*

58. Homo est cœlum, et terra : cœlum, cum jam per desiderium summis inhæret : terra, quia in bono opere fixæ spei ubertate fructificat. *Ibid.*, lib. 18, cap. 7, num. 10, super illud *Job* xi : *Excelsior cœlo est.*

59. Omnis creaturæ aliquid habet homo : habet namque homo commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Homil. 29, super *Evang.*, super illud : *Prædicate Evangelium omni creaturæ.*

S. GREGOR. NAZ. 60. Sumus somnium nequaquam stabile phantasma quoddam incomprehensibile, volatus avis prætervolantis, navis in mari vestigio carens, cinis, vapor, ros matutinus, flos cum tempore virens, et cum tempore marcescens. Orat. 6, *de Funere Cæsarii frat. sui.*

S. GREGOR. NYSS. 61. Quanto corporis imbecillitate homo reliquis animantibus infirmior, tanto est rationis excellentia superior. Orat. 1, super verba : *Faciamus hominem.*

HAYMO. 62. Nullum est creaturæ genus, quod non in homine possit agnosci. Serm. *Dom.* 5, *post Pent.*

S. HIERON. 63. Hominem te esse noveris, et passionibus humanis, nisi caveris, subjacere. Epist. 9, *ad Salvinam.*

64. Hominem te esse memento. Epist. 25, *ad Paulam.*

65. Per exteriorem hominem, interioris hominis vita demonstratur. Epist. 27.

66. Homo a principio conditionis suæ, Deo utitur adjutore : et cum illius sit gratiæ, quod creatus est, illiusque misericordiæ, quod subsistit et vivit, nihil boni operis agere potest absque eo. Epist. 17, *ad Cyprian.*

S. HILARIUS. 67. Commune judicium est, inter omnia terrena Dei opera nihil homine utilius, nihil esse speciosius. Super *Psalm.* cxviii. vers. : *Manus tuæ fecerunt me.*

68. In homine quidquid est, proficit. *Ibid.*

69. Egregium hoc et præclarum in homine est, quod a cæteris dignitate operationis excipitur. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 70. Homo est fragilis, ad peccatum pronus, ad resurgendum ineptus, ad constantiam tenendam infirmus. Lib. 4 *de propriet.*, cap. 8.

HUGO CARD. 71. Magnum fecit Dominus hominem in natura, majorem in gratia, maximum in gloria. super *Job* cap. vii.

72. Quid est homo? fragilis in carne, brevis vitæ, putridus per internam corruptionem, fœtidus per peccatum, imbecillis ad resurgendum, vanus in opere, vanior in sermone, vanissimus in cogitatione, servus diaboli per peccatum. Super *Psalm.* vi, *Moraliter.*

73. Homo ex se nihil est : si autem aliquid est, ex Dei munere est. Super *Sapient.*, cap. vi.

74. Homo in pœna nascitur, et in pœna moritur, et ideo in pœna vivere debet. Super *Isai.*, cap. xxx.

S. IGNATIUS MART. 75. Homo jam Dei, jam diaboli est : si quis pietati studet, Dei homo est : si impie agat, diaboli est. Non id factus per naturam, sed per animi arbitrium. Epist. 6 *ad Magnesianos.*

S. INNOC. III. 76. Circa statum humanæ conditionis tria præcipue considerare debemus : ingressum, progressum, egressum, grave quidem est in ingressu, gravius in progressu, gravissimum in egressu. Serm. 1 *Septuages.*

S. JOANNES CHRYSOST. 77. Homo mansuetum animal, et rationale, et benignum, contraria suæ naturæ sæpissime facit,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

et negligentia mores suos in ferinos vertit. Homil. 12, super *Gen.*

78. Sicut magnum et venerandum est rationale animal, et maxime quando in virtutis viam contendit; ita quando in malum declinat, truculentarum bestiarum imitatur crudelitatem. *Prosec.*

79. Bestiale quiddam est homo, quando in peccatum declinat, et quamvis rationale et mansuetum sit animal, multis tamen nominibus bestiarum superat ferociam. *Ibid.*, homil. 19.

80. Non aliud est homo, quam corporis animique collectio : hæc duo quantum definitionibus differunt ! Homil. 2, *de Lapsu primi hominis.*

81. Omnia animalia Deus propter hominem fecit, hominem autem propter se : si ergo animalibus ministrat propter hominem, nonne hominibus ministrabit propter seipsum? *Prosec.*

82. Quanto pretiosior est hominis creatio quam animalium, tanto major sollicitudo Dei de hominibus quam de animalibus. Homil. 16, super *Matth., Oper. imperf.*

83. Præ omnibus malis, homo est pessimum malum : unaquæque bestia unum habet et proprium malum, homo autem habet omnia in se. *Prosec.*

84. Bestia quamvis sit crudelis, tamen quia irrationalis est, declinabitur ab homine crudelitas ejus : homo autem crudelis cum sit et rationalis, non facile evadetur crudelitas ejus.

85. Homo pejor est serpente, quoniam serpens etsi malitiam habet, tamen hominis timorem habet : ideo si quem absconse potuerit, mordet ; si autem non potuerit, fugit. Homo autem et malitiam habet serpentis, et timorem non habet : ideo quandiu non habet tempus, latet sicut serpens; si vero invenerit, irruit sicut bestia.

86. Homo pejor est angue; quia anguis si irritata fuerit, sævit; si irritata non fuerit, in silentio transit. Homo vero non irritatus insanit, et magis super illos insanit, a quibus non fuerit irritatus.

87. Homo malus pejor est quam ipse diabolus : diabolus enim si videat justum, non est ausus ad eum accedere; homo autem malus, quamvis hominem sanctum viderit, non solum illum non timet, sed adhuc magis contemnit.

88. Diabolus homini non præstat virtutem male agendi, sed homo diabolo; arma enim diaboli, malus homo est.

89. Sicut homo sine armis non potest aliquid facere contra hostem, sic diabolus sine homine non valet quidquam contra Sanctos. *Ibid.*, homil. 24.

90. Animam non habes hominis, o homo, cum calcitres asinorum more; cum lacessitus efferaris, ut cameli : cum mordeas, ut ursi : cum rapias, ut lupi : cum fureris, ut vulpes : cum sis dolosus, ut serpentes : cum impudens sis, ut canes. Homil. 6 super II *Cor.*, in *Morali.*

91. Homo terra est, cinis, caro, sanguis, fœnum, flosculus, herba, umbra, fumus, vanitas, et si quid iis exilius, vilius, atque abjectius. Homil. 2, *de Incomprehensibili Dei natura.*

92. Homo est animal rationale, mortale, rationis ac disciplinæ capax. Homil. 13 super *Epist. ad Tim.*

JOAN. TRITH.

93. Quid tam tenue ut homo, qui hodie vivit, et cras non comparet? *De Vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 2.

S. IRENÆUS.

94. Gloria hominis, Deus : operationes vero Dei, et omnis sapientia ejus, et virtutis receptaculum, homo. Lib. 3 *adversus Hæres.*, cap. 12.

S. ISIDORUS HISPALENS.

95. Omnia sub cœlo propter hominem facta sunt, homo autem propter seipsum. Libro 1 *de Sum. bono*, cap. 11, sent. 1.

96. Universitatis creaturæ homo magna quædam portio est, tantoque gradu est cæteris excellentior, quanto imagini divinæ vicinior. *Ibid.*

97. Pulvis es, et in pulvere sede : cinis es, et in cinere vive. Hab. apud *Bedam*, in suis *Scintillis*, cap. 4.

LACT. FIRM.

98. Summum inter se hominum vinculum est humanitas, quod qui disruperit, nefarius et parricida existimandus est. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 10.

99. Conservanda est humanitas, si homines recte dici velimus. *Ibid.*, cap. 11.

100. Cum homines Deus artifex ore sublimi, statu recto figuratos ad contemplationem cœli et notitiam Dei excitaverit : curvare se ad terram malunt, pecudum more. *De Ira Dei*, cap. 20.

101. Homo animal est providum, sagax, multiplex, acutum memoriæ, plenum rationis et consilii. Lib. 2 *de Divin. inst.*, cap. 12.

102. Nihil prodest hominem esse ita fictum, ut recto corpore spectet in cœlum, nisi erecta mente per contemplationem Deum cernat, et cogitatio ejus in spe vitæ perpetuæ tota versetur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 27.

S. LAURENT. JUSTIN.

103. O hominum lugenda conditio! quæ cum sit exul a patria, exultat in via; et cum deliciorum sit funibus irretita, ac ignobili servitute depressa, libertatis se putat bono potiri. *De Obedient.*, cap. 26.

S. PETRUS CHRYSOL.

104. Quid infirmius homine, quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumvenit judicium, pompa lædit, tempus deserit, mutat ætas, hebetat infantia, juventus præcipitat, senectus frangit? Serm. 5.

S. PETRUS DAMIANUS.

105. Ille se credat veraciter hominem, qui hominum recognoscit auctorem. Opusc. 23, cap. 5.



S. REMIGIUS

106. Animalis homo dicitur, qui spiritum Dei non habet : qui licet ratione distet a pecore, ipsa tamen ratione non bene utitur. Super I *Cor.*, cap. II, can. 14.

107. Quantum possunt homines de alio judicare, plus homo utique de seipso, sed Deus plus de homine, quam homo de se. *Ibid.*, cap. 4.

108. Tanta profunditas est in homine, ut lateat plerumque hominem, in quo est. *Ibid.*

THEOPHYLACTUS.

109. Homo creaturarum omnium est perfectissimus, et particeps naturæ omnium, sed quiddam sublimius habens. Super *Luc.*, cap. X, in illud : *Et ecce quidam legis peritus.*

S. THOMAS AQUINAS.

110. Homo quando secundum rationem operatur, est optimum animalium : sed quando declinat ad malitiam, est pessimum. *Prosec.*

111. Si enim declinat propter crudelitatem, nulla bestia ita est crudelis : unde decies millies est pejor malus homo, quam mala bestia. Super *Epist. ad Tit.*, cap. I, lect. 3.

112. Indignum est, ut cum homo sit tantæ dignitatis, secundum æstimationem divinam, et ita Deo propinquus sit, ut Deus homo fieri voluerit, quod homo rebus inferioribus Deo inordinate se subjiciat. *Contra Græcos et Armenos*, cap. 5.

113. Homo in hoc præcipue irrationabilibus præeminet creaturis, quod supernaturalis boni est capax. Super 2 *Sent.*, dist. 27, art. 1, ad 1.

IN VIT. PATR.

114. Homo similitudo Dei fuit ab initio; factus est autem similitudo bestiæ, postquam excidit a Deo. Lib. 10, cap. 152.

115. Noli mirari si homo cum sis, angelus fieri possis : proposita enim tibi est par angelis gloria, eamque agonotheta noster certantibus spondet. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.

116. Homo propter erectum opificium, partem superiorem potissimum habet, quæ ad ipsius universi editam respondeat. *De Juvent. et senectute.*

117. Solus animalium homo ambidexter, hoc est, dexter manu utraque, nascitur. Lib. 2 *de Histor. animal.*, cap. 1.

118. Homo natura perfectissima est. *Ibid.*, lib. 9, cap. 1.

119. Quale hominum genus est, quod divinitatis particeps sit! Lib. 2 *de Part. animal.*, cap. 10.

120. Optimum cunctorum animalium est homo : ita si alienus fiat à lege, et a judiciis, pessimum est omnium animalium. Lib. 1 *Politic.*, cap. 2.

121. Homo omnium animalium longe sapientissimus est. *De Mundo.*

122. Homo, qui adeo eruditione præditus est, animantium omnium injustissimus est. Sect. 29 *Problem.*, quæst. 7.

CICERO.

123. Homini homine nihil pulchrius videtur. Lib. 1 *de Natura deor.*, num. 77.

124. Quid esse potest in rerum natura homine melius? in eo enim sola ratio est, qua nihil potest esse præstantius. *Ibid.*, lib. 2, num. 16.

125. Celsos et erectos constituit homines Deus, ut ejus cognitionem cœlum intuentes capere possint. *Prosec.*

126. Sunt enim in terra homines, non ut incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cœlestium. *Ibid.*, num. 140.

127. Natura vi rationis hominem conciliat homini ad vitæ societatem. Lib. 1 *Offic.*, num. 12.

PLATO.

128. Ludicrum quoddam Dei est homo, ab eo exquisitum atque effictum; et revera illud est optimum et præstantissimum Dei opificium. *Syzyg.* 4, lib. 7.

129. Tribus maximis vinculis constringendi sunt homines, atque coercendi : metu, lege, et vera ratione. *Ibid.*, lib. 6.

SENECA.

130. Nullum animal morosius est, nullum majore arte tractandum, quam homo, nulli magis parcendum. *Prosec.*

131. Quid enim stultius quam in jumentis et canibus erubescere iram exercere, pessima autem conditione sub homine hominem esse? morbis medemur, nec irascimur; atqui et hic morbus est animi, mollem disciplinam desiderat, ipsumque medentem minime infestum ægro. Lib. 1 *de Clementia ad Neronem*, cap. 17.

132. Indomitus fit homo ingenio, animo, manu liber. *De Consolat. ad Martiam*, cap. 1.

133. Quidquid optimum homini est, id extra humanam potentiam jacet, nec dari, nec eripi potest. *de Consol. ad Helviam*, cap. 8.

134. O quam contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit? Libro 1 *Quæst.*, *in præfat.*

135. Nihil est cuique homini se vilius. Epist. 42.

136. Pudeat hominem ab exiguis animalibus non trahere mores; cum tanto hominum moderatior esse animus debeat, quanto vehementius nocet. Lib. 1 *de Clem. ad Neronem*, cap. 19.

137. Natura homo mundum et elegans animal est. Epist. 92.

138. Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Epist. 95.

139. Ab homine homini quotidianum periculum : nullum malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Epist. 103.

140. Quid homini est inimicissimum? homo. *De Moribus.*

SIXTUS PHILOSOPH.

141. Fidelis homo, electus homo est. *Sent.* 1.

142. Electus homo, homo Dei est. *Ibid.*, sent. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

143. Homo Dei est, qui Deo dignus est : Deo dignus est, qui nihil indigne agit. *Ibid.*, sent. 3.

144. Tam pretiosus est homo apud Deum, quam angelus. *Ibid.*, sent. 30.

145. Habes in te aliquid simile Dei, et ideo utere teipso velut templo Dei, propter illud quod in te simile est Dei. *Ibid.*, sent. 32.

TRISMEGIS. 146. Homo animal est divinum, nec est cum terrenis brutis, sed cum diis cœlestibus comparandus, qui pari sorte patitur. Lib. *de Potest. et sap. Dei*, cui tit. *Pimander.*, cap. 10.

147. Homo animal dictum est rationale. Lib. *de Volunt. divina*, cui tit. *Asclepius*, cap. 13.

Vide etiam tit. *Adventus*, sent. 26; *Esse*, sent. 20; *Instabilitas*, sent. 1, 11; *Ira in genere*, sent. 54; *Malum*, sent. 111; *Mansuetudo*, sent. 26; *Melior*, sent. 17; *Natura*, sent. 46; *Ratio*, sent. 56; *Timor in genere*, sent. 50.

## HOMICIDIUM. *Vide occisio.*

## HONESTAS.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Etymologia.* Honestas dicitur quasi honoris status, eoquod nihil habeat turpitudinis, sed sit honor perpetuus. Lib. 10 *Etym.*, verbo *Honestas.*

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio.* Honestas est quædam spiritalis pulchritudo, quæ in hoc consistit, quod conversatio hominis, sive actio ejus sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem. 2, 2æ; quæst. 145, art. 4.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quid est honestas, nisi quæ turpitudinem quasi mortem fugiat? Lib. 1 *Offic.*, cap. 45.

2. Tantus splendor honestatis est, ut vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ, et securitas innocentiæ. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1.

3. Nihil spectat vir justus, nisi quod constans et honestum est. *Ibid.* lib. 3, cap. 1.

4. Nihil deformius, quam nullum habere amorem honestatis. *Ibid.* cap. 9.

5. Non vincat honestatem utilitas, sed honestas utilitatem. *Ibid.*, cap. 5.

6. Nullis adversis honestas impeditur, quæ in his eminet, et magis præcellit, quam in prosperis. *Ibid.*

7. Ea amicitia probabilis est, quæ honestatem tuetur : præferenda sane opibus, honoribus, potestatibus : honestati vero præferri non solet, sed honestatem sequi. *Ibid.*, cap. 15.

8. Nihil præferendum est honestati. *Ibid.*, cap. 16.

S. ANTONIN. 9. Verecundia fovet honestatem, removendo quæ sunt honestati contraria. Part. 4, tit. 4, cap. 1, § 3.

S. AUGUST. 10. Tanta vis est probitatis et castitatis, ut omnis vel pene omnis ejus laude moveatur humana natura, nec usque adeo sit turpitudine vitiosa, ut totum amittat sensum honestatis. Lib. 2, *de Civit. Dei*, cap. 26.

11. Honestas non reprehendit, quod reprehedit superbia eorum qui vocari honesti amant, sed esse non amant. *De opere monach.*, cap. 13.

12. Quod malum geritur, omnes convocat spectatores ; quod bonum dicitur, vix aliquos invenit auditores : tanquam erubescenda sint, et inhonesta glorianda. Lib. 2, *de Civit. Dei*, cap. 26.

13. Indigne ab honestis coluntur, qui per turpes placantur. *Ibid.*, cap. 29.

14. Ita nunc constituti sumus, ut et per carnem voluptate affici, et per spiritum honestate possimus. *De Duab. animab.*, cap. 13.

15. Inhonesta sunt illa, quæ abundantiorem honestatem habent velaminis, et ea qua hoc opus non habent, honesta sunt. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 16.

16. Honestas adhibetur inhonestis, cum rationalis naturæ sensu ipso verecundante velantur. Eorum quippe honestas est velamentum, tanto abundantius, quanto magis inhonesta sunt. *Ibid.*

17. Sumas optima, facias honesta. Lib. 2, *de Musica*, cap. 13.

S. BERNARD. 18. Grata Deo res est honestas, et sanctorum angelorum amica. *De Vita solit.*

S. BONAV. 19. Debet honestas radicari in corde, et manifestari in ore et opere, ut appareat in exteriori habitu, et pulchrescat in visu. *Prosec.*

20. Nemo honestum se credat, si inhonesta vestimenta, vel alia corporis indumenta deferat, si inhoneste incedat, si inhonesta audiat, et si inhonesta libenter videat. Serm. 2, *de SS. Apostolis.*

21. Verecundiæ est, in gestu et verbo honestatem servare. In *Centiloq.*, part. 3, sect. 42.

22. Honestas per omnia exigit mores, conventualis honestatis. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 15.

23. Honestas in corporis, manuum et habitus decenti dispositione consistit. *Ibid.*

24. Decens est, quod non curiositati, sed honestati deservit. *Ibid.*, cap. 25.

25. Multa possunt honeste fieri, quæ non possunt honeste videri. *Ibid.*, cap. 26.

26. Attendenda est honestis congrua personarum honestas, et honestioribus semper adhærendum est. *Ibid.*, cap. 30.

27. Homo eruditus munditia gaudet, honestatis pulchritudine delectatur. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 4.



S. GREGOR. MAGNUS. 28. Honeste inhonesta narrat, qui ut multos ad honestatis formam revocet, inhonesta narrat. Lib. 23 *Moral.*, cap. 1, num. 3.

S. JOANNES CHRYSOST. 29. Nihil honestate dulcius. Homil. 12, super *Epist. ad Coloss.*

JOAN. TRITH. 30. Ubi honestas admittitur, curiositas prohibetur. *De Laud. scriptor.*, cap. 8.

LACT. FIRM. 31. Nihil turpe ex honesto nasci potest. Lib. 3; *de Divin. instit.*, cap. 11.

S. LEO I. 32. Quid prodest honestatis formam præferens cultus exterior, si interiora hominis aliquorum sordeant contaminatione vitiorum? Serm. 3 *Quadrag.*

S. MAXIMUS EP. TAURIN. 33. Argenti vasa comparari possunt, honestas sola emi non potest : honestas enim non emitur, sed acquiritur : quia non constat pretio, sed virtute. Homil. *de Martyrib.*

PHILO JUD. 34. Sicut bonum ac honestum esse, ita et videri prodest : cui Deus utrumque concessit, ut bonus ac honestus et sit et videatur, hic vere beatus est, et vere vir magni nominis. *De Migrat. Abrahæ.*

35. Miserrimi, qui gustum honestatis nunquam ceperunt. Lib. 2, *de Victimis.*

36. Omni sapienti honestas amica est, et eadem utique salutaris. *De Agricult.*

SALVIANUS. 37. Si vis probus, si vis potens, si vis magnus esse, honestate debes cæteros, non malignitate superare. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

38. Ubi non est vera honestas, non est vera felicitas. *Ibid.*, lib. 7.

S. VALER. EPISCOPUS. 39. Justis actibus facile honesta succedunt. Homil. 11.

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 40. Omnes actus virtutum honesti sunt, et honestatis causa fiunt. Lib. 4, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 1.

41. Virtutis finis est honestum; honesti ergo magis conjectrix est virtutis, quam ex quibus constet. Lib. 1 *Magnor. moral.*, cap. 20.

42. Omnis virtus honesti est, et ad honestum tendit. *Ibid.*, cap. 22.

43. Honestus est, apud quem simpliciter honesta, honesta sunt. *Ibid.*, lib. 2, cap. 9.

44. Honestus dicitur, ex eo quod honesta insunt illi : honesta autem sunt virtutes, operaque ab ipsis profecta. Lib. 7, *Ethic. ad Eudomium*, *Prosec.*

45. Honesta sunt, cum virtutis gratia faciunt, eliguntque honesta, vel quod honeste natura bona honesta sunt. *Ibid.*

46. Honestum est, quod cum propter se eligibile sit, laudabile est : aut quod cum bonum sit, idcirco jucundum est. Lib. 1 *Rhetor.*, cap. 9.

47. Honesta sunt, ex quibus splendor aliquis, atque illustris honos in eos, qui aliquid gesserint, emanaturus sit. *De Rhetor. ad Alexandr.*, cap. *de Genere deliberativo.*

48. Honestum aut ipsa virtus est, aut res gesta virtute. Lib. 5, *de Finibus*, num. 66. CICERO.

49. Honesta a bonis viris quæruntur. Lib. 3 *Offic.*

50. Quod est melius, est etiam honestius : illud autem quod honestius est, decentius est. Syzygia 4, in dialog. 1, *Alcibiadis.* PLATO.

51. Non minus honestas, quam necessitas valet. Lib. 4, epist. 10, *ad Sabinum.* PLINIUS II.

52. Omnis pars honesti, non potest esse nisi honestum. *De Beata vita*, cap. 15. SENECA.

53. Omne honestum in arduo est, etiam quod vicinum honesto est. Lib. 2, *de Benef.*, cap. 18.

54. Honestum ei vile est, cui corpus nimis charum est. Epist. 14.

55. Nihil honestum est, quod ab invito, quod a coacto fit : omne honestum, voluntarium est. Epist. 66.

56. Qui omne bonum honesto circumscripsit, intra se felix est. Epist. 74.

57. Una hæc via est ad tuta vadenti, externa despicere, et honesto contentum esse. Epist. 74.

58. Honestum securum et expeditum est, interritum est, in procinctu stat. *Ibid.*

59. Solum bonum est honestum, cui modus est. Epist. 76.

60. Nunquam bonæ honestatis simulatio longa est. *De Moribus.*

61. Castorum vita sit tibi honestatis exemplum. *Sent.* 272. SIXT. PHIL.

Vide etiam tit. *Aspectus*, sent. 104; *Gravitas*, sent. 14; *Natura*, sent. 76; *Ornatus*, sent. 155; *Utilitas*, sent. 42.

## HONOR.

*Definitio.* Honor est testificatio quædam excellentiæ alicujus. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 10, § 1. S. ANTONIN.

Honor est exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis. *Ibid.*

Honor est existimationis benefactivæ indicium. Lib. 1, *Rhetor.*, cap. 5. ARISTOTEL.

Honor est exhibitio honorum, quæ in actionibus per virtutem dantur. Syzygia 6, *de Definit.* PLATO.

*Productio.* Virtus honorem parit, non pecunia. Part. 1, conc. 4, *de Epiph.* ROBERTUS BELLARM.

### SENTENTIÆ PATRUM.

1. Ita incubuerunt mores hominum ad admirationem divitiarum, ut nemo nisi dives honore dignus putetur. Lib. 2 *Offic.*, cap. 26. S. AMBROS.

2. Honor grandis, grandiori debet sollicitudine circumvallari. *De Dignit. sacerdot.*, cap. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

143. Homo Dei est, qui Deo dignus est : Deo dignus est, qui nihil indigne agit. *Ibid.*, sent. 3.

144. Tam pretiosus est homo apud Deum, quam angelus. *Ibid.*, sent. 30.

145. Habes in te aliquid simile Dei, et ideo utere teipso velut templo Dei, propter illud quod in te simile est Dei. *Ibid.*, sent. 32.

TRISMEGIS. 146. Homo animal est divinum, nec est cum terrenis brutis, sed cum diis cœlestibus comparandus, qui pari sorte patitur. Lib. *de Potest. et sap. Dei*, cui tit. *Pimander.*, cap. 10.

147. Homo animal dictum est rationale. Lib. *de Volunt. divina*, cui tit. *Asclepius*, cap. 13.

Vide etiam tit. *Adventus*, sent. 26; *Esse*, sent. 20; *Instabilitas*, sent. 1, 11; *Ira in genere*, sent. 54; *Malum*, sent. 111; *Mansuetudo*, sent. 26; *Melior*, sent. 17; *Natura*, sent. 46; *Ratio*, sent. 56; *Timor in genere*, sent. 50.

## HOMICIDIUM. *Vide occisio.*

## HONESTAS.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Etymologia*. Honestas dicitur quasi honoris status, eoquod nihil habeat turpitudinis, sed sit honor perpetuus. Lib. 10 *Etym.*, verbo *Honestas*.

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio*. Honestas est quædam spiritalis pulchritudo, quæ in hoc consistit, quod conversatio hominis, sive actio ejus sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem. 2, 2; quæst. 145, art. 4.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quid est honestas, nisi quæ turpitudinem quasi mortem fugiat? Lib. 1 *Offic.*, cap. 45.

2. Tantus splendor honestatis est, ut vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ, et securitas innocentiæ. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1.

3. Nihil spectat vir justus, nisi quod constans et honestum est. *Ibid.* lib. 3, cap. 1.

4. Nihil deformius, quam nullum habere amorem honestatis. *Ibid.* cap. 9.

5. Non vincat honestatem utilitas, sed honestas utilitatem. *Ibid.*, cap. 5.

6. Nullis adversis honestas impeditur, quæ in his eminet, et magis præcellit, quam in prosperis. *Ibid.*

7. Ea amicitia probabilis est, quæ honestatem tuetur : præferenda sane opibus, honoribus, potestatibus : honestati vero præferri non solet, sed honestatem sequi. *Ibid.*, cap. 15.

8. Nihil præferendum est honestati. *Ibid.*, cap. 16.

S. ANTONIN. 9. Verecundia fovet honestatem, removendo quæ sunt honestati contraria. Part. 4, tit. 4, cap. 1, § 3.

S. AUGUST. 10. Tanta vis est probitatis et castitatis, ut omnis vel pene omnis ejus laude moveatur humana natura, nec usque adeo sit turpitudine vitiosa, ut totum amittat sensum honestatis. Lib. 2, *de Civit. Dei*, cap. 26.

11. Honestas non reprehendit, quod reprehedit superbia eorum qui vocari honesti amant, sed esse non amant. *De opere monach.*, cap. 13.

12. Quod malum geritur, omnes convocat spectatores; quod bonum dicitur, vix aliquos invenit auditores : tanquam erubescenda sint, et inhonesta glorianda. Lib. 2, *de Civit. Dei*, cap. 26.

13. Indigne ab honestis coluntur, qui per turpes placantur. *Ibid.*, cap. 29.

14. Ita nunc constituti sumus, ut et per carnem voluptate affici, et per spiritum honestate possimus. *De Duab. animab.*, cap. 13.

15. Inhonesta sunt illa, quæ abundantiorem honestatem habent velaminis, et ea quæ hoc opus non habent, honesta sunt. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 16.

16. Honestas adhibetur inhonestis, cum rationalis naturæ sensu ipso verecundante velantur. Eorum quippe honestas est velamentum, tanto abundantius, quanto magis inhonesta sunt. *Ibid.*

17. Sumas optima, facias honesta. Lib. 2, *de Musica*, cap. 13.

S. BERNARD. 18. Grata Deo res est honestas, et sanctorum angelorum amica. *De Vita solit.*

S. BONAV. 19. Debet honestas radicari in corde, et manifestari in ore et opere, ut appareat in exteriori habitu, et pulchrescat in visu. *Prosec.*

20. Nemo honestum se credat, si inhonesta vestimenta, vel alia corporis indumenta deferat, si inhoneste incedat, si inhonesta audiat, et si inhonesta libenter videat. Serm. 2, *de SS. Apostolis.*

21. Verecundiæ est, in gestu et verbo honestatem servare. In *Centiloq.*, part. 3, sect. 42.

22. Honestos per omnia exigit mores, conventualis honestatis. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 15.

23. Honestas in corporis, manuum et habitus decenti dispositione consistit. *Ibid.*

24. Decens est, quod non curiositati, sed honestati deservit. *Ibid.*, cap. 25.

25. Multa possunt honeste fieri, quæ non possunt honeste videri. *Ibid.*, cap. 26.

26. Attendenda est honestis congrua personarum honestas, et honestioribus semper adhærendum est. *Ibid.*, cap. 30.

27. Homo eruditus munditia gaudet, honestatis pulchritudine delectatur. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 4.



S. GREGOR. MAGNUS. 28. Honeste inhonesta narrat, qui ut multos ad honestatis formam revocet, inhonesta narrat. Lib. 23 *Moral.*, cap. 1, num. 3.

S. JOANNES CHRYSOST. 29. Nihil honestate dulcius. Homil. 12, super *Epist. ad Coloss.*

JOAN. TRITH. 30. Ubi honestas admittitur, curiositas prohibetur. *De Laud. scriptor.*, cap. 8.

LACT. FIRM. 31. Nihil turpe ex honesto nasci potest. Lib. 3; *de Divin. instit.*, cap. 11.

S. LEO I. 32. Quid prodest honestatis formam præferens cultus exterior, si interiora hominis aliquorum sordeant contaminatione vitiorum? Serm. 3 *Quadrag.*

S. MAXIMUS EP. TAURIN. 33. Argenti vasa comparari possunt, honestas sola emi non potest : honestas enim non emitur, sed acquiritur : quia non constat pretio, sed virtute. Homil. *de Martyrib.*

PHILO JUD. 34. Sicut bonum ac honestum esse, ita et videri prodest : cui Deus utrumque concessit, ut bonus ac honestus et sit et videatur, hic vere beatus est, et vere vir magni nominis. *De Migrat. Abrahæ.*

35. Miserrimi, qui gustum honestatis nunquam ceperunt. Lib. 2, *de Victimis.*

36. Omni sapienti honestas amica est, et eadem utique salutaris. *De Agricult.*

SALVIANUS. 37. Si vis probus, si vis potens, si vis magnus esse, honestate debes cæteros, non malignitate superare. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

38. Ubi non est vera honestas, non est vera felicitas. *Ibid.*, lib. 7.

S. VALER. EPISCOPUS. 39. Justis actibus facile honesta succedunt. Homil. 11.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 40. Omnes actus virtutum honesti sunt, et honestatis causa fiunt. Lib. 4, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 1.

41. Virtutis finis est honestum; honesti ergo magis conjectrix est virtutis, quam ex quibus constet. Lib. 1 *Magnor. moral.*, cap. 20.

42. Omnis virtus honesti est, et ad honestum tendit. *Ibid.*, cap. 22.

43. Honestus est, apud quem simpliciter honesta, honesta sunt. *Ibid.*, lib. 2, cap. 9.

44. Honestus dicitur, ex eo quod honesta insunt illi : honesta autem sunt virtutes, operaque ab ipsis profecta. Lib. 7, *Ethic. ad Eudomium*, *Prosec.*

45. Honesta sunt, cum virtutis gratia faciunt, eliguntque honesta, vel quod honeste natura bona honesta sunt. *Ibid.*

46. Honestum est, quod cum propter se eligibile sit, laudabile est : aut quod cum bonum sit, idcirco jucundum est. Lib. 1 *Rhetor.*, cap. 9.

47. Honesta sunt, ex quibus splendor aliquis, atque illustris honos in eos, qui aliquid gesserint, emanaturus sit. *De Rhetor. ad Alexandr.*, cap. de *Genere deliberativo.*

48. Honestum aut ipsa virtus est, aut res gesta virtute. Lib. 5, *de Finibus*, num. 66. CICERO.

49. Honesta a bonis viris quæruntur. Lib. 3 *Offic.*

50. Quod est melius, est etiam honestius : illud autem quod honestius est, decentius est. Syzygia 4, in dialog. 1, *Alcibiadis*. PLATO.

51. Non minus honestas, quam necessitas valet. Lib. 4, epist. 10, *ad Sabinum*. PLINIUS II.

52. Omnis pars honesti, non potest esse nisi honestum. *De Beata vita*, cap. 15. SENECA.

53. Omne honestum in arduo est, etiam quod vicinum honesto est. Lib. 2, *de Benef.*, cap. 18.

54. Honestum ei vile est, cui corpus nimis charum est. Epist. 14.

55. Nihil honestum est, quod ab invito, quod a coacto fit : omne honestum, voluntarium est. Epist. 66.

56. Qui omne bonum honesto circumscripsit, intra se felix est. Epist. 74.

57. Una hæc via est ad tuta vadenti, externa despicere, et honesto contentum esse. Epist. 74.

58. Honestum securum et expeditum est, interritum est, in procinctu stat. *Ibid.*

59. Solum bonum est honestum, cui modus est. Epist. 76.

60. Nunquam bonæ honestatis simulatio longa est. *De Moribus.*

61. Castorum vita sit tibi honestatis exemplum. *Sent.* 272. SIXT. PHIL.

Vide etiam tit. *Aspectus*, sent. 104; *Gravitas*, sent. 14; *Natura*, sent. 76; *Ornatus*, sent. 155; *Utilitas*, sent. 42.

## HONOR.

*Definitio*. Honor est testificatio quædam excellentiæ alicujus. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 10, § 1. S. ANTONIN.

Honor est exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis. *Ibid.*

Honor est existimationis benefactivæ indicium. Lib. 1, *Rhetor.*, cap. 5. ARISTOTEL.

Honor est exhibitio honorum, quæ in actionibus per virtutem dantur. Syzygia 6, *de Definit.* PLATO.

*Productio*. Virtus honorem parit, non pecunia. Part. 1, conc. 4, *de Epiph.* ROBERTUS BELLARM.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Ita incubuerunt mores hominum ad admirationem divitiarum, ut nemo nisi dives honore dignus putetur. Lib. 2 *Offic.*, cap. 26. S. AMBROS.

2. Honor grandis, grandiori debet sollicitudine circumvallari. *De Dignit. sacerdot.*, cap. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. ANSELM. 3. Honores hujus mundi nunquam certam tenent viam, sed incertis diverticulis, de uno ad alium transvolant. *De Similitud.*, cap. 72.

S. ANTONIN. 4. Dignitates et honores temporales sunt periculis, et vitiis malis. Part. 2, tit. 3, cap. 5, § 2.

5. Difficillimum est, ut gradus honoris non pariat tumorem in animo præsidentis. Part. 3, tit. 3, cap. 1, § 9.

6. Honores hominem in sublime ponunt, sed diu in alto eum stare non sinunt. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 11.

7. Adversa honoribus deprimunt, nihil ab honorato demunt : non enim honor est in honorato, sed in honorantis operatione. *Ibid.*, cap. 7, § 13.

S. AUGUST. 8. Transit honor hujus sæculi : quæ hic honorant, in morte onerant : quæ hic relevant, ibi gravant. Epist. 203, *ad Maximinum.*

9. Honor si diligitur, illic habeatur ubi nemo indignus honoratur. Epist. 45, *ad Armentar.*

10. Honores hujus sæculi, quid sunt nisi typhus, et ruinæ periculum? *De Catechiz. rudibus*, cap. 16.

11. Gloriam et honorem boni non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem. Lib. 5, *de Civit. Dei*, cap. 12.

12. Paucorum virtus ad gloriam et honorem, vera via est. *Ibid.*

13. Non pro magno haberi debet honor humanus, quia nullius est ponderis fumus. *Ibid.*, cap. 17.

14. In actione non amandus est honor in hac vita, quoniam omnia vana sub sole, sed opus ipsum, quod per eumdem honorem fit, si recte atque utiliter fit. *Ibid.*, lib. 19, cap. 19.

15. Per fraudes et scelera ad divitias honoresque pervenitur. Super *Psalm.* IX, vers. 25.

16. Totus splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, typhi, minæ, tumores flos fœni est. Super *Psalm.* CII, vers. 14 : *Sicut flos agri.*

17. In summo honore summa tibi sit humilitas ; honoris enim laus est humilitas virtus. Serm. 1, *Dom.* 9, *post Pent.*

18. Quanto major honor datur, tanto majus periculum comparatur. Serm. 62, *ad Fratr. in eremo.*

19. In summo honore, summa sit tibi humilitas: honoris laus est, humilitatis virtus. *Ibid.*, serm. 70.

20. Honorum continuandorum facultas non esset, nisi ambitio prævaleret. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 31.

21. In cœlo erit verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno. *Ibid.*, lib. 22, cap. 30.

22. Honor justus virtuti, non vitio debetur. Lib. 2, *de Conjug. adult.*, cap. 20.

23. Honores vanos qui quærit, non vult cum Christo regnare. In *Psalmo contra partem Donati.*

24. Magnum est de honoribus hominum non lætari. Epist. 64.

25. Ille se honorem digne accipere potuisse demonstrat, qui acceptum non defendit indigne. Epist. 238.

26. Honor te quærere debet, non ipsum tu. Homil. 13, *ex* LIII. *Homil.*, cap. 1.

27. Amaturus es honorem, et forte non perventurus : noli honorem amare, ne ibi remaneas. Tract. 10, super *Epist. Joan.*

28. Quæ hic honorant, in alia vita onerant. Epist. 203.

S. BERNARD. 29. Qui de amore non venit honor; non honor, sed adulatio est. Serm. 83.

30. Meditantibus honores blandiuntur, sed onera pensantibus tædio sunt atque formidini. Epist. 42, *ad Henricum Senonensem archiep.*

31. Multi non tanta fiducia, et alacritate currerent ad honores, si esse sentirent et onera, gravari profecto metuerent. *Ibid.*

32. Quantum honoris laudabilis vita, tantum affert et oneris laudans fama. Epist. *ad Gaufridum episc.*

33. Indignum est ut inde exigas honorem, unde refugis laborem. Epist. 87, *ad Ogerium canonic. regular.*

34. Durum est simul et honore privari, et onere premi debitorum. Epist. 345, *ad Eugen. Pap.*

35. In honore sine dolore esse quis potest? Serm. *de quinque negotiat.*

36. Humilitas in honore, honor est ipsius honoris. Lib. 5, *Florum*, cap. 9.

BOETIUS. 37. Non possumus ob honores reverentia dignos judicare, quos ipsis honoribus judicamus indignos. Lib. 3, *de Consolat. philosoph.*, prosa 4.

S. BONAV. 38. Honoris magnitudo, est addimentum pœnæ his, qui diligunt vivere secundum honorem. Super *Joan.*, cap. XII, in illud : *Honorificabit eum Pater meus.*

39. Quomodo honores beatum facere possunt, qui quando hominem ad altiora sustollunt, tanto eis majus præcipitium ingerunt ? quanto enim gradus est altior, tanto casus declivior. *Prosec.*

40. Minorem major præcedit, sicut honore, ita et crimine. Lib. 3, *Pharetræ*, cap. 34.

CASSIODOR. 41. Non honorem credas, qui hominum suffragio conquiritur ; sed illum, qui Domino largiente præstatur ; qui humilitate altus est, qui fide certus, qui mentis robore solidatus. Super *Psalm.* CXII, vers. 7.

EVAGRIUS. 42. Absurdum est eum, qui honores consectatur, labores defugere, quibus honores concilian-



tur. Hab. apud *D. Joan Damasc.*, lib. 2 *Parall.*, cap. 26.

S. EUCHER. 43. Non unius meriti viros unus honor ambit, dignosque et indignos non jam discernit dignitas, sed confundit. *Prosec.*

44. Novo modo optimi ac pessimi viri nusquam fere minus discrimen est, quam in honore.

45. Nonne honor major est, hujusmodi honore inhonorum esse malle, ac suis magis moribus, quam promiscuis honoribus æstimari ? In *Epist. parænetica ad Valerian.*

46. Si honoribus capimur, veris honoribus excitemur : optimus quisque in cœlestes honores, terrenos honores transfert. *Ibid.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 47. Qui honorem quasi indignus repellis ? meriti prærogativa, est honoris repulsa. Serm. *de S. Maximo.*

S. GREGOR. MAGNUS. 48. Plus honor in hoc mundo, quam despectio occupat. Lib. 5 *Moral.*, cap. 1.

49. Lux miseris datur, cum tolerare honoris onera compelluntur. *Ibid.*, cap. 2, super illud *Job.* III : *Data est misero lux.*

50. Ex timore honor, ex honore solet procedere amor. Super *Cant.* in Prolog.

51. Cum allevatur, dejicitur, qui honoribus proficit, et moribus cadit. Lib. 7, in *Registro, indict.* 2, cap. 125, epist. 225, *ad Leandr. episc.*

52. Cum honoris principio causa nascitur onerisquia, unde honor a rectore excipitur, inde illud suscipit quo gravetur. Lib. 4, in I, *Reg.*, cap. V, super illud : *Quæsierunt ergo eum.*

53. Multum deprimit honor onerosus. Lib. 7, in *Registro, indict.* 2, cap. 125, epist. 125.

54. Cum honoris augmento cura quoque sollicitudinis debet accrescere. *Ibid.*, cap. 112, Epist. 122, *ad Syagrium epis. Augustodun.*

55. Non honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. *Ibid.*, lib. 7, indict. 1, cap. 30, epist. 36, *ad Eulogium episc.*

HESYCHIUS. 56. Ex honoribus, superbiæ passio nutritur. Lib. 4, super *Levitic.*, cap. XIII.

S. HIERON. 57. Quamvis clarus honor sit, vilescit in turba. Epist. 36, *ad Pammach.*

58. Non laudis est tumere ad honores, sed pro Dei amore eos parvipendere. Epist. 27, *ad Eustoch.*

59. Honorum cupido expleri nescit. Epist. 1, *ad Demetriad.*

60. Honorem gloriosum, boni operis fama conservat. Epist. 54, *ad Occan.*, *de Vita clericor.*

S. HILARIUS 61. Omnis sæculi honor, diaboli est negotium. Super *Matth.*, cap. III.

HUGO CARD. 62. Qui honores ambiunt, a Christo recedunt. Super *Genes.*, cap. II.

63. Omnis mundi præbendæ sunt, et divitiæ, et honores. Super *Psalm.* LXXX

INNOC. III. 64. Honores ambitiosus affectat, et superbus extollit. Lib. 2, *de contemptu mundi*, cap. 26.

S. JOANNES CHRYSOST. 65. Honoris occasio leve facit quidquid grave est, et onerosum. Homil. 5, super *Gen.*

66. Is unde honoris cœpit initium, idem relati honoris totam mercedem accepturus est. Homil. 3, *de David et Saule.*

67. Falsus honor cum a coactis tribuatur, facile disperit : verus autem quoniam ex honorantium animo proficiscitur, stabilis permanet. Homil. 66, super *Matth. Oper. perf.*

68. Negligentes honorati, meliores redduntur honore. *Ibid.*, homil. 88.

69. Non qui major fuerit in honore, ille est justior : sed qui justior fuerit, ille est major ; conversatio melior est desideranda, non gradus dignior. Homil. 35, super *Matth. Oper. perf.*

70. Uniuscujusque Sancti honor, non est honor ejus, sed actus ipsius. *Prosec.*

71. Apostoli apostolatus putatur honor esse ipsius apostoli : vere autem non est ; sed ministerium ejus, honor ipsius est. *Ibid.*

72. Honoris es cupidus ? nihil honoratiorem te reddet quam eleemosyna. Homil. 32, super *Joan.*

73. Honor hujus sæculi, infamia, nugæ, ignominia est. *Ibid.*, homil. 41.

74. Si Christi amore honorem exhibes, licet quis abjectissimus, modo fidelis sit, dignus est qui honoretur. Homil. 20, super I, *Cor.* in *Morali.*

75. Quemadmodum is, qui non traditum a Deo honorem usurpare præsumit, culpari dignissimus est : ita qui traditum sibi repellere et a se arcere molitur, infidelitatis etiam atque inobedientiæ reus est. Homil. 1, super 1, *Timoth.*

76. Honoris esse negligentem, laudemque non affectare, magnæ philosophiæ, et animæ cujusdam angelicæ, et quæ ipsum verticem cardinis cœlestis attigerit, certum argumentum est. Homil. 2, super *Epist. ad Titum*, in Moral.

77. Anima quæ honoris tenetur appetitu, et gloriam ab hominibus quærit, non videbit regnum cœlorum. *Ibid.*

78. Omnes honores corruptibiles sunt et caduci, et cum præsenti vita solvuntur. Homil. 17, *ad Popul. Antioch.*

79. Honor verus, virtus animi est. *Prosec.*

80. Hic honor neque a Cæsaribus præstatur, neque adulatione conquiritur, neque pecunia præparatur.

81. Hic honor nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti.

82. Hujus honoris successor nullus est, accusator nullus, nullus ingratus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

83. Hic honor temporibus non mutatur, nec tyrannos patitur, nec picturam tabulæ metuit aliquando delendam. Homil. *Quod nemo læditur.*

84. Si teipsum dedecores, quanquam omnes tibi pariter habeant honorem, nunquam profecto honestaberis honore. Serm. *de Virt. et vitiis.*

JOAN. GERS. 85. Summus honor, summum onus : sed ne te onus terreat si bene ministraveris, summi honoris summum premium. Serm. *de Ascens. Com.*

JOAN. TRITH. 86. Honor est virtutis premium. In cap. 7, *Regulæ S. Bened.*, grad. 10.

87. Quidquid honori subtrahitur, turpitudini reservatur. *De Ruina monast. ordin.*, cap. 6.

88. Qui alios præcellit dignitate honoris, condecens est ut præcedat eosdem perfectione virtutis. Epist. 1, *ad novum presbyt.*

S. IRENÆUS. 89. Quæ sunt in honore, si transeunt ; quæ utilitas ejus brevissimi temporis honoris? Lib. 2, *advers. Hæres.*, cap. 6.

90. Nulla gratia est ejus honoris, qui celeriter præterit ; sed ejus qui plurimum, quantum potest, perseverat. *Ibid.*

91. O vanæ gloriæ honor, qui statim præterit, et jam non apparet. *Ibid.*

S. ISID. HISP. 92. Sæpe per honores quorumdam mutantur et mores : et quos ante conglutinatos charitate habuerunt, postquam ad culmen honoris venerunt, amicos habere despiciunt. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 29, sent. 5.

93. Quanto splendore honoris celsior quisque est, tanto, si delinquat, peccator major est. *Ibid.*, cap. 50, sent. 5.

94. In summo honore, summa sit humilitas, non te extollat honor. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 16.

95. Cave honores, quos tenere sine culpa non potes : sublimitas honorum, magnitudo scelerum est. *Prosec.*

96. In majori gradu, major sine dubio est pœna : quanto major honor, tanto majora pericula. *Ibid.*, cap. 17.

S. LAURENT. JUSTIN. 97. Honoris culmen appetendum est, sed in futura vita, ubi nec adulantium blandientur linguæ, neque elationis ullus erit fomes. *De Compunct. Christ. perf.*, cap. 1.

98. Nescit Deum, et semetipsum prorsus ignorat, qui ante oculos hominum honorabilis apparere desiderat. *de Regimine prælat.*, cap. 12.

S. LEO I. 99. Ad honores mundi sine suffragio, sine merito laboris, indignum est pervenire. Epist. 87, *ad Episc. African.*

100. Magnus unicuique honor, est integritas sua. Epist. 53, *ad Anatolium Constantinop. episc.*

101. Non putandus est honor ille legitimus, qui fuerit de prævaricatione collatus. Epist. 87, *ad Epis. African.*

ORIGENES. 102. Omnis qui gloriæ sæculi, et mundi honoribus studet, aversus est a Deo. Homil. 12, in cap. XXXIV, *Exodi.*

PETR. BLES. 103. Vulgariter dicitur, quod honores mutant mores, sed raro in meliores. Epist. 15, *ad episc. Carnotens.*

104. Honoris sequela, perditio est. *Ibid.*, epist. 102, *ad Radingens. abbat.*

105. Vulgare est, quod honores mutant, aut potius monstrant mores. *Ibid.*, epist. 134, *ad Vuilhelm. electum.*

106. Merito se privat honore, qui honorem affectat sine onere. *Ibid.*, serm. 40.

107. Sunt qui honores virtutes reputant : honoris assumptio, multis tentatio facta est, et subversionis occasio. *Ibid.*, tract. *de Instit. episc.*

PETR. CELL. 108. Culmen honoris, vel potius oneris, tam est pendulum ad casum, quam debile ad flatum. Lib. 2, epist. 2, *ad Hugon. abbat. cluniacens.*

S. PETRUS DAMIANUS. 109. Si quandoque ante mentis januam vanæ gloriæ vento honor nobis illatus submurmurat, sentum protinus humilitatis opponatur. *Prosec.*

110. Quo violentior honoris ictus impingitur, eo nobis locupletius peracta victoria premium copulatur. Lib. 5, epist. 12, *ad Clerum Faventin.*

111. Discretus vir honorem sibi delatum exterius pro fratrum utilitate suscipiat, et eumdem honorem intrinsecus pro sua humilitate contemnat, quatenus undique circumspectus, sic illorum saluti provideat, ut ipse tamen elationis vitio non succumbat. *Ibid.*

PHILO JUD. 112. Honores umbris et vanis imaginibus nihil solidum firmumve habentibus similes sunt : feruntur enim ultro citroque ventorum in morem quia sicut interdum repente advolant, ita priusquam prehendantur, possessore illuso, rursum avolant. Lib. 1, *de Monarch.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 113. Magnifieri oportet quod publice honore afficitur. In *Encomio Calvitii.*

114. Id quod in honore est, inclarescere atque augeri necesse est. *Ibid.*, *de Provid.*, *sect.* 1.

S. THOMAS AQUINAS. 115. Sicut honor debetur virtuti, ita et magnus honor debetur magno operi virtutis. 2, 2; quæst. 129, art. 4.

116. Major honor nonnisi melioribus debetur. *De Perfect. vitæ spiri.*, cap. 19.

THOMAS A KEMPIS. 117. Erubesce honorari ; non est sine honore, qui propter Deum spernit honores. In *valle lilior.*, cap. 31.

IN VIT. PATR. 118. Sicut ex virtute honor, ita ex honore vanitas sæpe subrepit. Lib. 4, cap. 13.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 119. In iis potius, qui afficiunt, quam in iis qui afficiuntur honoribus, honor esse videtur. Lib. 1, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 5.



120. Constat honore præstantiorem esse virtutem. *Ibid.*

121. Sanctum est honori veritatem præferre.

122. Cum honor præmium sit virtutis, bonis hominibus tribuatur : virtuti enim cumulatæ nullus dignus honor fieri potest. *Ibid.*, lib. 4, cap. 3.

123. Vir magnanimus maxime circa honores versatur, qui magni sunt ex virtute : sed eos honores, quos homines tribuunt, parvipendet omnino, non est enim his dignus. *Ibid.*

124. Potestates, divitiæque propter honorem expetuntur : itaque qui hæc habent, per ipsa honoribus affici volunt. *Ibid.*

125. Cui honor est parvum, huic et cætera parva sunt : quapropter ipsi magnanimi, honorum contemptores sunt. *Ibid.*

126. Nobiles et ii qui sunt in potestatibus constituti, vel divites, digni censentur honore : in excellentia namque consistunt.

127. Atque omne bonum, quod excellit, dignum est magis honore : re autem vera solus bonus, est honorabilis ; atque ii quidem qui omnibus insunt ambo, digni magis honore censentur.

128. Qui vero sine virtute talia bona habent, immerito se dignos magnis honoribus æstimant, neque magnanimi recte dicuntur : non enim sunt hæc, sine cumulata virtute. *Ibid.*

129. Virtutis et beneficentiæ præmium, honor est. *Ibid.*, lib. 8, cap. 14.

130. Omni seniori honor est tribuendus. *Ibid.*, lib. 9, cap. 2.

131. Honori incumbit tam ignavus, quam bonus. Lib. 2 *Politic.*, cap. 5.

132. Pergraviter unusquisque fert, honore suo privari. Lib. 2 *Œconomic.* cap. 2.

133. Magnus honor, non solum honorantium multitudine, aut qualitate, aut pretio æstimatur, sed veritate. Lib. 3 *Ethic. ad Eudomium.*

134. Honor atque gloria jucundissimorum est. Lib. 2, *Rhet.*, *cap.* 11.

CICERO. 135. Cum honor sit præmium virtutis, si judicio studioque adeptus est, isi mihi honestus videtur. *De Claris Oratorib.*, num. 281.

136. Ipse honos iis debet esse jucundus, quorum dignitati populus testimonium, non beneficium ambitioni dedit. Orat. 31, *pro Plancio*, num. 50.

137. Is honos mihi videri solet, non qui propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita claris viris defertur et datur. *Prosec.*

138. Is est, qui vere appellari potest honos, non in vita, nec etiam ad tempus, sed perpetuæ virtutis est præmium. Lib. 10, epist. 10, *ad Plancum.*

PLINIUS II. 139. Honor et gloria satietate languescunt. Lib. 1, epist. 16 *ad Septitium Clarum.*

140. Sollicitius custodiendus est honor, in quo etiam beneficium amici tuendum est. *Ibid.*, epist. 19, *ad Romanum.*

141. Magnanimitas est, semper honore abstinere, modestia cedere, benignitas per alios frui. In *Panegyr. de Trajano Augusto.*

142. Patet omnibus honoris et gratiæ campus. *Ibid.*

SENECA. 143. Quid habet per se corona pretiosum? quid prætexta? quid fasces? quid tribunal et currus? nihil horum honor est, sed honoris insigne. Lib. 1, *de Benef.*, cap. 5.

SOLON. ATHEN. 144. Non erunt honores unquam fortuiti muneris. In *Dictis Sapient. ex Ausonio*, dict. 3.

PHILOSOPH. VALERIUS MAXIMUS. 145. Virtutis uberrimum alimentum, est verus honor et gloria. Lib. 2, *Dictor. memorabil.*

Vide etiam tit. *Differentia*, sent. 20 ; *Dignitas*, sent. 13, 26, 29, 54 ; *Divitiæ*, sent. 197 ; *Propositum*, sent. 31 ; *Venditio*, sent. 26.

## HOSPITALITAS.

COLLECTOR. *Definitio.* Hospitalitas est benignitas et facilitas in excipiendis hospitibus.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Hospitalitas publica species est humanitatis, ut peregrinus hospitio non egeat, suscipiatur officiose, pateat advenienti janua. Lib. 2, *Offic.*, cap. 21.

2. Valde id decorum totius est orbis æstimatione, peregrinos cum honore suscipere, non deesse mensæ hospitalitatis gratiam, occurrere officiis liberantis, explorare adventus hospitum. *Prosec.*

3. Quod Abrahæ laudi est datum, qui ante januam suam speculabatur, ne forte præteriret peregrinus aliquis et diligenter prætendebat excubias ut occurreret, ut præveniret, ut rogaret ne transiret hospes. *Ibid.*

4. In officiis hospitalibus omnibus quidem humanitas impartienda est; justis autem uberior deferenda honorificentia. *Ibid.*

5. Tanta est apud Deum hospitalitatis gratia, ut ne potus quidem aquæ frigidæ a præmiis remunerationis immunis sit. *Ibid.*

6. Hospitem voluntarium magis quam ex necessitate esse oportet, ne in hospitio deferendo inhospitalem affectum animi sui prodat : et in ipsa hospitiis susceptione per injuriam violetur gratia. Lib. 9, epist. 70, *ad Vigilium.*

7. Magna hospitalitatis est gratia, nec facile violanda, omnibus operta est, omnibus parata est, et sanctos libenter suscipit, et peccatores tolerat patienter. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriad.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

8. Copia bona est hospitalitas, habet enim mercedem suam : primum humanæ gratiæ, (deinde quod majus est) remunerationis divinæ. Lib. 1, *de Abraham*, cap. 5.

9. Tanta est hospitalitatis gratia, utlibenter in nos aliena pericula transferamus. Lib. 5, super *Luc.*, cap. vi, in illud ; *Cum transiret Jesus per sata.*

10. Non mandatur receptori hospitii, ut hospites eligat, ne dum hospes eligitur, hospitalitas ipsa minuatur. *Ibid.*, lib. 6, cap. 9, *et Quicunque non receperint vos.*

11. Hospitalem remuneratoris esse, affectus avaritiæ est. Lib. 7, cap. xiv, *Cum facis prandium.*

S. AUGUST. 12. Hospitalitatis officio ad suam cognitionem pervenire posse homines Dominus intimavit. Lib. 2, *Quæst. Evangel.*, quæst. 51.

13. Suscepit Lot, et obsecutus est angelis, tanquam peregrinis, consuetudine hospitalitatis liberatus a periculo civitatis, et temporale evasit incendium, et æternum consecutus est præmium. *Prosec.*

14. Discite Christiani, sine discretione hospites suscipere, ne forte cui domum clauseritis, cui humanitatem negaveritis, ipse sit Deus. *De Quinque hæres.*, cap. 4.

15. Nemo libentius hospitem suo introducit hospitio, nisi qui ante indiguerit alieno. *De Vita Christ.*, cap. 8.

16. Hospitem Deum habes, hospitium acceptum fac hospiti tanto : et tunc securus dices hospiti tuo : in eundo deducat te, et in deducendo conducat te, et conducendo perducat te, et in perducendo hospitetur te. Lib. 1, *de Visitat. infirm.*, cap. 2.

17. Suscipe hospitem, cujus et tu es comes in via, quia omnes peregrini sumus. *De Verbis Dom.*, serm. 32.

18. Ipse est christianus, qui et in domo sua, et in patria sua peregrinum se esse cognoscit, patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus. *Prosec.*

19. Unusquisque hic in domo sua hospes est ; si non est hospes, non inde transeat ; si transiturus est, hospes est : non se fallat, hospes est, velit nolit, hospes est. *Ibid.*

20. Homo ille dicitur humanus, qui se exhibet hominem, et maxime qui hospitio suscepit hominem : si ergo humanus dicitur, qui in domo suscepit hominem : quam humanus est, qui in seipso suscepit hominem! *De Verb. apostoli*, serm. 8.

21. Nemo superbiat, quia hospitem suscipit, Christus hospes fuit. Melior est susceptus, quam suscipiens : ditior accipiens, quam tradens. Serm. 3, *Feriæ* 3 *Paschæ.*

22. Si cum diabolo damnatur, qui hospitibus non præbuit domum suam, putas ubi mittendus est, qui tollit alienam ? Serm. 1, *de Defunctis.*

23. Hospitalitas angelorum est amica, charitatis soror humilitatis corona. *Prosec.*

24. Qui enim hospitalitatem habet, habet veram humilitatem ; et qui humilitatem habet, habet et hospitalitatem, hoc est perfectum hospitalitatis fundamentum. Serm. 49, *ad Fratr. in eremo.*

25. In recipiendis hospitibus ignotis, solemus dicere, multo esse melius malum hominem perpeti, quam forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus ne recipiatur malus. Epist. 149.

S. BENED. 26. Omnes supervenientes hospites, tanquam Christus suscipiantur. In *Regula*, cap. 53.

27. Pauperum et peregrinorum maxime susceptio, omni cura sollicite exhibeatur. *Ibid.*

S. BERNAR. 28. Non arguitur superfluitas, quam excusat hospitalitas. *De Inter. domo*, cap. 58.

29. Iste peregrinus, qui apud te pro amore Christi, tam humiliter, tam suppliciter orat hospitari ; missus Christi est, nuntius Christi est : non est solus, sed cum illo est Christus, sic Christum suscipis, Christum reficis. Serm. 3, *de Cœna Dom.*

S. BONAV. 30. Recipientes decet liberalis hospitalitas. Lib. 2, *de Profect. religios.*, cap. 49.

CLEMENS ALEX. 31. Hospitalitas est artificium amicitiæ circa usum hospitum. Lib. 2, *Stromat.*

CONCILIUM TRIDENT. 32. Hospitalitatis officium a sanctis Patribus frequenter commendatum, prompte beneque exercere christiani assuescant : memores, eos qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere. Session. 25, in *Decreto reformat.*, cap. 8.

S. EPHREM. 33. Gloria Christianorum, advenarum est et peregrinorum receptaculum atque compassio. *de Amore paupert.*

S. EVAGR. 34. Peregrinus et pauper, Dei sunt collyrium ; qui eos excipit, confestim visum recipiet. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 3 *paroll.*, cap. 37.

S. EUSEB. EMISSEN. 35. Si hic peregrinis domus tua patuit, in domo Dei angelorum civis efficieris. Homil. *de Vidua.*

FRANCISC. TITELM. 36. Advenis et peregrinis debetur, vel ex naturali lege, commiseratio. In fine *Argumenti super Psalm.* xxxxviii.

GLOSS. ORD. 37. Qui imitatorem Christi hospitio recipit, Christum recipit : et qui imaginem Dei recipit, et Deum recipit. Super *Luc.*, cap. 9.

GRATIANUS. 38. Quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit ? ideoque illum hospitalem esse oportet. In *Decret.*, part. 1, dist. 42.

39. In hospitalitate non est habendus delectus



personarum, sed indifferenter quibuscunque sufficimus, hospitales nos exhibere debemus. *Ibid.*, can. *Si quis.*

40. Mali hospites, qui res exportant hospitantium, sunt : sicut mus in pera, ignis in sinu, serpens in gremio, male suos remunerant hospites. In *Decret.*, part. 2, causa 13, quæst. 1, can. *Ecclesias.*

S. GREGOR. MAGNUS. 41. Magnæ hospitalitatis sanctus Job fuit, cujus ostium patens peregrinus et viator invenit. Lib. 22, *Moral.*, cap. 8.

42. De hospitalitate esto sollicitus et quanto potes pauperibus largire. Lib. 2, in *Registro*, indict. 11, cap. 42, epist. 3, *ad Joan. Abbatem.*

43. Peregrini ad hospitium non solum invitandi sunt, sed etiam trahendi. Homil. 23, super *Evang.*

S. HIERON. 44. Mensam tuam pauperes et peregrini, et cum illis Christus conviva noverit. Epist. 2, *ad Nepotian.*

45. Non levi usitatoque sermone, et (ut ita loquar) summis labiis, hospites invitemus, sed toto mentis ardore teneamus, quasi offerentes se cum lucro nostro, atque compendio. *Ibid.*, epist. 4, *ad Rustic.*

46. Grave peccatum est, hospitalitatem in necessitate positis non præbere. Super *Job*, cap. xxii, super illud : *Esurienti subtraxisti panem.*

47. Ante omnia hospitalitas episcopo denuntiatur, cujus domus omnium commune esse debet hospitium. *Prosec.*

48. Laicus unum, aut duos, aut paucos recipiens, implebit hospitalitatis officium : episcopus, nisi omnes receperit, inhumanus est. Super *Epist. ad Tit.*, cap. i, in illud : *Sed hospitalem.*

HUGO A S. VICTORE. 49. Hospitalitatem sectatur, qui rogantes suscipit, et non rogantes cogit : et ne foris remaneant, diligenter quærit. In *Annotat. super epist. ad Rom.*, in illud : *Hospitalitatem sectantes.*

50. Pulsanti peregrino januam hospitalitatis charitas aperit, intrantem hilaritas recipit, receptum affabilitas retinet, esurientem collatio pascit, fesso humilitas servit : invitat pietas desperantem, trahit charitas invitum. Lib. 3, *de Claustro animæ*, cap. 5.

HUGO CARD. 51. Sicut gemma fulget in auro, ita hospitalitas in viro justo. Super *Gen.*, cap. 19, *Moraliter.*

52. Hospitale pauperum, domus Dei est. Super *Psalm.* xxv.

S. JOANNES CHRYSOST. 53. Qui hospitalitatis charitatem præstat, non debet hospites curiose perscrutari, an noti vel ignoti sint : sed omnibus simpliciter suam communicare benignitatem. Homil. 41, super *Genes.*

54. Hospitio excepturi nunquam quærant quis, et unde sit. *Ibid.*

55. Hospitalitas magnus thesaurus est, magna negotiatio, et magnum lucrum. *Ibid.*

56. Valde admirabilis res hospitalitas, qua magis accipit, quam dat, qui illam prompte et alacriter exercet. *Ibid.*

57. Impossibile est, ut qui hospitalitatis virtutem magno studio exerceat, non grandem inde reportet thesaurum. *Ibid.*, homil. 43.

58. Hospitalitas quibus opibus non est pretiosior ? quibus thesauris non est præferenda ? hæc innumera bona, hæc thesaurus est, qui non consumitur. *Ibid.*, homil. 48.

59. Hospitalitas non circa deliciosos cibos et magnos ostenditur : sed circa assiduas susceptiones impotentium peregrinorum : ut hospitalitas illa non ab hominibus laudetur, sed a Deo sentiatur. Homil. 51, super *Matth. Oper. imper.*

60. Hospitales non ex sumptu, sed ex facultatibus censendi sunt. Homil. 22, *ex Divers. in Mat.*

61. Ubi spinæ, ibi bestiæ : ubi hospitalitas, ibi non sunt spinæ : quia misericordia ingrediens quavis falce melius sentes exsecat, quovis igne violentius exurit. Homil. 53, super *Acta apost.*, *in Morali.*

62. Si vis magna hospitalitatis adipisci præmia, suscipe cum alacritate eos, qui innumera tibi bona per salutationes pacis afferunt. Serm. 30 super *Epist. ad Rom.*

63. Magnus est et vehementer magnus hospitalitatis fructus. *Ibid.*

64. Peregrinorum susceptio, non simplex humanitas sit : sed præcipuo studio, et tota animi voluntate, summa alacritate ac devotione, tanquam revera ipsi Christo exhibeatur. *Prosec.*

65. Si illos ut Christum suscipis, nihil est cur erubescere debeas, imo ingens tibi gloria inde conquiritur : sin vero non ut Christum suscipis, ne suscipis quidem.

66. Illa vera hospitalitas est, quæ vere de amore Dei proficiscitur. Homil. 44 super I *Timoth.*

67. Hospitalitate domus illustratur, purgaturque sentibus. Serm. *de Eleemos. et hospitalit.*

68. Non in sumptuosa mensa hospitalitas, sed potius in liberalitate mentis consistit. Homil. 43 super *Genes.*, in illud xix : *Declinaverunt ad eum.*

69. Si in inferno damnatur in die judicii, qui peregrinum non susceperit in domo sua, ubi damnandus, qui foras expellit? *De Die judicii.* S. JOANNES DAMASC.

70. Est in hospitem peregrinum omnis humanitas et sobria liberalitas exercenda, et indigenæ hospiti gratiam pleniorem referre debet, tenaci beneficiorum memoria peregrinus. Lib. 8 *de Nugis curial.*, cap. 13. JOAN. SAR.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. ISID. HISP. 71. Advenientibus hospitibus prompta atque alacris susceptio est adhibenda, scientes ob hoc in novissimo consequi retributionem. In *Regula monachor.*, cap. 22.

72. Licet omnibus hospitalitatis bonum cum gratia oporteat referri, uberior tamen monachis deferenda est honorificentia hospitalitatis. *Ibid.*

LACT. FIRM. 73. Præcipua virtus est hospitalitas. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 12.

74. Justi et sapientis viri domus, non debet illustribus patere, sed humilibus et abjectis. *Ibid.*

S. LEO I. 75. Suscipiatur peregrinus, adjuvetur oppressus, vestiatur nudus, foveatur ægrotus. Serm. 2 *de Jejun. decimi mensis.*

76. Cibos esurientibus apponere, humanæ benignitatis est, et socialis animi. *Ibid.*, serm. 8.

S. MAXIMUS EP. TAURIN. 77. Magna hospitalitatis est gratia, nec facile violanda, omnibus aperta est, omnibus parata est, et Sanctos libenter suscipit, et peccatores tolerat patienter. Homil. *de Hospitalit.*

S. NILUS. 78. Hospes ille est, cui sordent humana. *Parænes.* 14.

PETRUS BLESENS. 79. Ubi est illa hospitalitatis gratia, quam olim antecessores vestri exercebant? *Prosec.*

80. Ex quo tempore in monasteriis tepere cœpit liberalitas hospitalis, stetit ac cessavit magnatum largitio.

81. Multos equidem a magnatum liberalitate et gratia separat defectus hospitalitatis. Epist. 29 *ad Abbat. S. Albani.*

82. Tantus debet esse affectus hospitalitatis, quod etiam cogendi sunt hospites. *Ibid.*, serm. 4 *in Adventu, de S. Lucia.*

S. PETRUS CHRYSOL. 83. Quomodo se christianum credit, qui non Christo hospitem se præbet. *Prosec.*

S. PETRUS DAMIANUS. 84. Aut quomodo domum suam judicat ovile Dei, ubi non pascuale germen, Dei pecus dat balatum? Serm. 10.

85. Qui non habet cibum, habet forsitan tectum: non valet esurientem alimento reficere, valet saltem lassescentem hospitalis humanitatis officio recreare. Opusc. 9, cap. 4.

PHILO JUD. 86. Hospitium quam jucundissimum respondeat dignitati hospitis. Lib. *de Cherubin.*

87. Hospitibus jura debentur eadem, quæ supplicibus. Lib. 1 *de Vita Mosis.*

88. Nemo ad humanitatis officia segnis est in sapientis familia; tam mulieres quam viri, tam servi quam ingenui, prompte ministrant hospitibus. *De Abrahamo.*

89. Hospitalitas majoris virtutis est actuarium. *Ibid.*

THEOPHYLACTUS. 90. *Hospitalitatem sectantes.* Non dixit, hospitalitatem aggredientes, sed insequentes; erudiens nos ne expectemus tantisper, dum ad nos miseri et egeni accesserint, verum ut accurramus ad ipsos, insequamurque eos, ut Abraham et Loth. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XII.

IN VIT. PAT. 91. Vera consuetudo hospitalitatis est, ut venientem reficiat cum pace, redeuntem dimittat cum charitate. In *Sent. in fine positis*, sent. 23.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 92. Gratiosorum, ac mentem habentium nobilem est, suscipere egenos. Lib. 6 *Polit.*, cap. 5.

CICERO. 93. Recte est laudata hospitalitas: est enim, ut mihi videtur, valde decorum patere domus hominum hospitibus. Lib. 2 *de Offic.*

PLATO. 94. Nullus peregrinis aditum præcludat. Lib. 8 *de Legibus.*

95. Is qui e peregrina regione venit, humaniter excipiendus. *Ibid.*, lib. 12.

96. Peregrinos et peregrinas ex aliis regionibus suscipiamus, et nostros potius emittamus hospitalitatis reverentia permoti. *Prosec.*

97. Non enim peregrini pellendi sunt, neque a finibus nostris arcendi, sed perhumaniter excipiendi. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Clericus*, sent. 94; *Domus*, sent. 35; *Eleemosyna*, sent. 230, 231; *Peregrinatio*, sent. 44, 45.

## HUMILITAS IN GENERE.

COLLECTOR. *Etymologia.* Humilitas dicitur, quasi humi vilitas, et humiliatio, quasi humilis actio.

S. ISID. HISP. Humilis dicitur, quasi humo acclivis. Lib. 10 *Etym.*, verbo *Humilis.*

S. BERNARD. *Definitio.* Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi vilescit. *De Duodecim gradib. humilit.*, cap. *Locuturus.*

HUGO A S. VICTORE. Humilitas est contemptus sæculi, et abjectio sui. Lib. 4 *de Anima*, cap. 16.

HUGO CARD. Vera humilitas est sensus propriæ vacuitatis. Super *Psalm.* CXXIX.

HUGO CARD. Humilitas est propriæ vilitatis cognitio. Super *Prov.*, cap. XVI.

S. JOAN. CL. Humilitas est animi gratia sine nomine, apud eos solos nomen habens, qui illius experimentum ceperunt. *Gradu* 25.

JOAN. GERS. Humilitas est ex vera Dei, et sui cognitione, sui ipsius vilificatio. *De Descrip. terminor.*, cap. *Temperantia.*

S. LAURENT. JUSTIN. Humilitas est in lumine veritatis infusa suimet certa cognitio. Part. 2 *De Compunctione et complanctu*, cap. 2.

PETR. BLES. Cor humile est, cum quis se nihil esse reputans, cum omnia fecerit, dicit se servum inutilem. Serm. 36, *De Dedicat.*

RICHARD. A S. VICTORE. Humilis est, qui seipsum apud semetipsum veraciter contemnit: humilior, qui se contemni etiam ab aliis non refugit; humillimus vero, qui contemptum suum non solum contemnit, sed et admodum concupiscit. Part. 1, lib. 2, *de Erudit. hominis interioris*, cap. 32.



S. THOMAS AQUINAS. Vera humilitas est, quando aliquis nihil ex suis viribus præsumit, sed totum ex divina virtute impetrandum expectat. *Opusc.*, opusc. 7, *Pater noster*, petit. 1.

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Duplex est genus humilitatis: primum, ut nihil a nobis esse, unde gloriandum sit, credamus; secundum, ut nihil esse ab aliis, unde gloriandum, credamus. Super I *ad Cor.*

HUGO CARD. Humilitas in tribus consistit: primum est, de se minima, et de aliis maxima sentire; secundum est, seipsum et nullum alium spernere; tertium est, de sui contemptu gaudere. Super *Matth.*, cap. XII.

PETR. BLES. Humilitas quadruplex est: prima domestica, secunda erratica, tertia sophistica, quarta dominica: prima naturalis, secunda volatilis, tertia versipellis, quarta admirabilis. Serm. 3 *Adventus, de S. Nicolao.*

Per primam incedunt pusillanimes, per secundam murmurantes, per tertiam hypocritæ tristes, per quartam columbæ simplices.

S. AUGUST. Humilitas dissimilis est superbiæ: nam ipsa superbia Luciferum de cœlo dejecit, sed humilitas Dei Filium incarnavit. *Prosec.*

Superbia Adam de Paradiso expulit, sed humilitas latronem in Paradisum introduxit.

Superbia gigantum linguas divisit et confudit, sed humilitas cunctas linguas congregavit dispersas.

Superbia Nabuchodonosor in bestiam transmutavit, sed humilitas Joseph principem Israel constituit.

Superbia Pharaonem submersit, sed humilitas Moysen exaltavit. Serm. 12, *ad Frat. in eremo.*

S. LAURENT. JUSTIN. *Differentia.* Scias inter humiliationem et humilitatem plurimum distare: nempe humilis quisque humiliatus est, nequaquam autem e diverso quilibet humiliatus est humilis. Part. 2, *de Humilit.*, cap. 7.

S. DOROTH. *Productio.* Humilitatis filiæ sunt, suipsius accusatio, propriæ voluntatis odium, consilii sui ac sensus abominatio. *Doctrina* 1.

HUGO A S. VICTORE. Humilitatis comites sunt principales, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, fides, spes, et charitas. *De Fruct. carnis et spiritus*, cap. 11.

S. LAURENT. JUSTIN. Humilitas sicut subjectionem parit, sic subjectio humilitatem: libertatem omnino fugit humilitas, et subjectionem fugit elatio. Part. 2 *de Compunct. et complanctu*, cap. 2.

JOAN. CASS. Humilitas est origo omnium, magistraque virtutum, et cœlestis ædificii firmissimum fundamentum. Collat. 15 abbat. Nesterotis, cap 7.

S. ANTONINUS. *Comparatio.* Sicut magnes trahit ad se ferrum, ita humilitas gratiam et cœlestem consolationem. Part. 3, tit. 16, cap. 10. § 5.

S. ANTONIUS DE PADUA. Sicut quidam vermis humilis, qui dicitur intestinum terræ, se contrahit, ut magis se extendat; sic humilis se contrahit humilians, ut fortius ad captanda bona cœlestia se extendat. Serm. *Dom.* 3 *Quadrag.*

CASSIODOR. Sicut superbia mergit ad tartarum, ita humilitas tollit ad cœlum. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Bonum mihi quia humiliasti me.*

IN VITIS PATR. Sicut impossibile est navim firmam fieri sine clavis: ita impossibile est hominem sine humilitate salvari. Lib. 3, num. 123.

*Qualitates.* 1. Bona et vera humilitas, blanda est semper et officiosa.

2. In amicitiis grata, in contumeliis otiosa.

3. Non extollitur prosperis, non mutatur adversis.

4. Non indicit servitium, non extorquet.

5. Officio prior ad salutandum, tardior ad sedendum.

6. Non se adulantium grege expectat deduci.

7. Non se ambitiose desiderat salutari.

8. Non laudis studia postulat, non favorem vocis expectat.

9. Odit acclamantium choros, quia non sine verecundia laudatur bona conscientia.

10. Non requirit voces adulantium, nisi qui se adulatione novit indignum.

11. Verecundius autem semper laudatur amicorum studiis, qui meretur.

12. Circumspecta est humilitas bonitate; ut facere injuriam nescit, ita a contumelia non requirit.

13. Vir humilis in contentionibus magis vult tacere, quam vincere.

14. In judiciis acquiescit imperitus videri, quam impudens judicari.

15. Non est in verbis promptus, non ad respondendum paratus. Homil. 14, *de Bono humilitatis.*

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Humilitas vera et perfecta est, cum gloria contemnitur exhibita, nec appetitur exhibenda. Part. 1, *de Paradiso animæ*, cap. 2, *de Virtutibus.*

S. ALBERTUS MAGNUS. 2. Verus humilis semper timet, ne sibi aliqua gloria exhibeatur: et cum sibi exhibita fuerit expavescens medullitus contristatur. *Ibid.*

3. Ad veramhumilitatem inducit frequens in dispectis operibus exercitatio. *Prosec.*

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4. Nunquam autem ad humilitatis virtutem perveniet, qui opera humilitatis refugit. *Ibid.*

**S. AMBROS.** 5. Bona est humilitas, quæ liberat periclitantes, jacentes erigit. *De Obitu Theodosii imp.*

6. Multi habent humilitatis speciem, sed virtutem non habent : multi eam foris prætendunt et intus impugnant. Lib. 7, epist. 44, *ad Constantium.*

7. Non est humilitas, nisi sit sine fuco, sine fraude : ipsa est vera quæ habet piam mentis sinceritatem. *Ibid.*

8. Vera humilitas inter quoslibet meritorum gradus, nunquam sui potest esse dissimilis. *Prosec.*

9. Nam et in officiorum vicissitudine, et in mansuetudinis lenitate, et in voluntariæ paupertatis electione, invenitur multa distantia, et alter altero in propositi sui devotione aut major aut minor est : in vera autem humilitate nihil divisum, nihilque non solitum est. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriad.*

10. Prima humilitatis ratio in communis vitæ versatur officiis, quibus et divina clementia conciliatur, et societas humana connectitur. *Ibid.*

11. Magna est in vera humilitate felicitas, cui Deus dilectio, Deus sapientia, Deus consilium, Deus fortitudo est. *Ibid.*

12. Quisquis cupit divinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Serm. 10.

13. Humilitas non semper virtutis, sed etiam afflictionis : non semper voluntaria, sed etiam quæ ex necessitate suscipitur, quando aliqua afflictione tentamur. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 12, vers. 4.

14. Humilitas nihil appetendo, totum quod contemnit adipiscitur. *Ibid.*, serm. 14, vers. 14.

15. Non est mirabilis humilitas in senectute quæ effœta viribus, fracta debilitatibus, tristis doloribus, anhela suspiriis, coacta curarum æstibus, et ipso vivendi mœsta fastidio. *Prosec.*

16. Raro sane in juvenibus est humilitas, ideoque miranda, dum ætas viget, dum vires solidæ sunt, dum sanguis æstuat, dum sollicitudo nescitur, dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequentatur. *Ibid.*, serm. 18, vers. 5.

17. Nihil excelsius humilitate, quæ tanquam superior nescit extolli; quia nemo id affectat, quod intra se judicat. Lib. 8, super *Luc.*, cap. XVII, in illud : *Regnum Dei intra vos est.*

18. Non magnum est humilem inclinare se, laudabile vero sublimem virum humiliare se. Super *Epist. ad Philemon.*

**S. ANSELM.** 19. Humilitas mons magnus est, in cujus summitate lux est non modica, et sanctarum virtutum pulcherrima turba. *De similitud.*, cap. 99.

20. Primus gradus in monte humilitatis, est cognitio sui. *Ibid.*, cap. 100.

21. Alterius virtutem, non vitium, suumque vitium non virtutem attendere debet quisquis ad culmen humilitas ascendere studet. *Ibid.*, cap 110.

**S. ANTONIN.** 22. Beatus Antonius videns in oratione mundum laqueis plenum, connectentibus se invicem, exclamavit : O quis istos evadet laqueos periculorum? Responsum fuit, sola humilitas. Part. 1, tit. 5, cap. 4 § 1.

23. Exercitia veræ humilitatis sunt, si se quis vilioribus officiis, et ministeriis indignioribus tradat. Part. 3, tit. 16, cap. 6, § 3.

**S. ANTONIUS ABBA.** 24. In abominationem venit humilitas, et in honore maximo habetur elationis arrogantia. Serm. *de Vanitate mundi.*

**S. ANTONIUS DE PADUAS.** 25. Sola humilitas cum spiritus aviditate novit fugere tribulationem. Serm. *Dom. infra octav. Nativit.*

26. Nihil sic humiliat superbum peccatorem, sicut humilitas humanitatis Christi. Serm. *Dom. Quinquag.*

27. Sicut quidam vermis humilis, qui dicitur intestinum terræ, se contrahit, ut magis se extendat : sic humilis se contrahit humilians, ut fortius ad captanda bona cœlestia se extendat. Serm. *Dom. 3 Quadrag.*

28. Humilis servum se reputat, servum se nominat, omnium pedibus se subjicit, seipsum abjicit, minus de se sentit, quam in se sit. *Ibid.*

29. In humilitate nihil altum, nihil elatum, nihil vitiosum apparet, sed humilitatis insignia ubique se repræsentant. *Ibid.*

30. Si humilitas quanto corrumpitur, cæterorum virtutum fabrica dissipatur. Serm. *Dom. 3 post, Pascha.*

31. Vera humilitas quanto profundius infigitur, tanto magis inclinatur, et sic altius exaltabitur. Serm. *Dom. 8, post Trinit.*

**S. AUGUST.** 32. Non aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem: ea est autem prima, humilitas : secunda, humilitas : tertia, humilitas. *Prosec.*

33. Et quoties interrogarres hoc dicerem : non quod alia non sint præcepta, quæ dicantur sed nisi humilitas omnia quæcunque bene facimus, et præcesserit, et commitetur et consecuta fuerit, et proposita quam intueamur, et apposita cui adhæreamus, et imposita qua reprimamur. Épist. 56, *ad Dioscorum.*

34. Potentior est et tutior solidissima humilitas, quam ventosissima celsitudo. Lib. 8, *de Trin.*, cap. 7.



35. Plerumque dum nimium servatur humilitas, regendi frangitur auctoritas. In *Regula 3, ad Clericos.*

36. Nisi humilitas omnia quæcunque benefacimus et præcesserit et comitetur et consecuta fuerit, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet superbia. Epist. 56, *ad Dioscorum.*

37. Maxime humilitas revocat, unde nos dejecit superbia, et ipsa humilitas est accommodata percipiendæ gratiæ Christi, qui singulare humilitatis exemplum est. In *Exposit*, super *Epist. ad. Galat.*, cap. III.

38. Superbiam conculcet profunda humilitas; quia humilitas homines sanctis angelis similes facit, et superbia dæmones ex angelis fecit. *De Salut. docum.*, cap. 18.

39. In omnibus operibus suis sint humiles, quia humilitas virtutum sublimitas est. *Ibd.*, cap. 32.

40. Humilis licet habitu vilis sit, gloriosus tamen et virtutibus apud Deum. *Ibd.*

41. Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est; cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. *De Sancta virginit.*, cap. 31.

42. Simulare non debes humilitatem, sed exhibere : nam simulatio humilitatis major superbia est. *Ibd.*, cap. 43.

43. In qua magis parte humilitas collocanda est, sine dubio falsitatis, si in ea quæ veritatis probatur esse, superbia est. *De Natura et gratia*, cap. 34.

44. Est esse humilem, nolle in se laudari : qui in se vult laudari, superbus est; qui superbus est, non humilis est. Super *Psalm.* XXXIII, in exposit. vers. 1.

45. Bonum est humiliari peccatorem, et nemo est insanabilior eo, qui sibi sanus videtur. Super *Psalm.* LVIII, vers. 16.

46. Melior est tremor humilitatis, quam confidentia superbiæ. Super *Psalm.* CIII, conc. 4, vers. 33.

47. Tanta est humanæ humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas. Tract. 55, super *Evang. Joan.* cap. XIII.

48. Quanta humilitas! *Domine, tu mihi lavas pedes*? tu mihi : quid est tu? quid est mihi? cogitanda sunt potius quam dicenda, ne forte quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua. *Ibid.*, tract. 56, cap. XIII.

49. Magnus esse vis? a minimo incipe. *Prosec.*

50. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis : et quantam quisque vult superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Serm. 10, *de Verbis Dom.*

51. Nobilis inopia est mentis humilitas. *De abusion.*, cap. 8.

52. Humilitas philosophos tradidit in reprobum sensum, excæcavit Judæos, suffocavit paganos, inflammat christianos, perimit obstinatos, dejicit potentes, exaltat humiles. Serm. 12, *ad Fratr. in eremo.*

53. Si ambules in humili, pervenies ad excelsum. Homil. 2'\, *ex* LIII *Homil.* cap. 1.

54. Nemo e.z spiritu nascitur, nisi humilis fuerit. Tract. 12, super *Joan.*

55. Infima projicit superbus, infima appetit humilis. *Ibid.*, tract. 25.

56. Contrarius superbo est humilis. *Annot. in Job*, cap. 36.

57. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. Tract. 104, super *Joan.*

58. Ubi humilitas, ibi charitas. In tract. super *Epist. Joan.*, in prologo.

59. Superbia extinguit charitatem, humilitas roborat charitatem. Tract. 1, super *Epist. Joan.*

**S. BASILIUS MAGNUS.** 60. Humilitas virtutum thesaurophylacium est. In *Constitut.*, cap. 17.

61. Fili, præ omnibus humilitati stude, quod est omni virtute sublimius, ut ad perfectionis fastigium possis conscendere. In *Admonitione ad filium spirit.*

62. Vir humilis, Deo est similis, et in templo pectoris sui gestat eum. *Ibid.*

63. Humilis licet in habitu videatur vilissimus, gloriosus est in virtutibus. *Ibid.*

**V. BEDA.** 64. Ad humilitatem non potes pervenire, nisi magna utriusque hominis contritione. In suis *Proverb.*, verbo *Ad.*

**S. BERNARD.** 65. Non magnum est esse humilem in abjectione : magna prorsus et rara virtus, humilitas honorata. Homil. 4, super *Missus.*

66. Quid humilitate ditius? quid pretiosius invenitur? qua nimirum regnum cœlorum emitur, et divina gratia acquiritur. Serm. 4, *Vigil. Nat.*

67. Sola virtus humilitatis est læsæ reparatio charitatis. Serm. 2, *de Nativit.*

68. Humilitatis virtus habet hæc tria : Superiori subdi, æquali non præferri, minori subdi potius quam præponi. In suis *Sent.* cap. *Humilitatis.*

69. Quatuor sunt, quæ veram conferunt humilitatem : vilitas operis, assiduitas subjectionis, comparatio melioris, judicium conditoris. *Ibid.*, cap., *Quatuor.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

70. Appetere de humilitate laudem, humilitatis non est virtus, sed subversio. *Prosec.*

71. Verus humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari.

72. Quid perversius, quidve indignius, quam ut humilitatis custos confessio superbiæ militet; et inde velis videri melior, unde videris deterior? Serm. 16, super *Cant.*

73. Oportet humiliter sentire de se nitentem ad altiora, ne dum supra se attollitur, cadat a se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus. Serm. 34, super *Cant.*

74. Nisi humilitatis merito maxima minime obtinentur : propterea qui provehendus est, correptione humiliatur, humilitate meretur. *Ibid.*

75. Cum te humiliari videris, habeto id signum in bonum, omnino argumentum gratiæ propinquantis. *Ibid.*

76. Quanti humiliantur, et humiles non sunt? Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, et alii libenter : primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justi. *Ibid.*

77. *Bonum mihi quia humiliasti me.* Is vere humilis est, qui hoc potest dicere : non potest hoc dicere, qui invitus tolerat, minus qui murmurat. *Ibid.*

78. Est humilitas, quam veritas parit, et non habet calorem. Et est humilitas, quam charitas format, et inflammat : atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit. *Ibid.*, serm. 42.

79. Sponsæ humilitas tanquam nardus spargit odorem suum, amore calens, devotione vigens, opinione redolens : Sponsæ humilitas voluntaria est, perpetua est, fructifera est. *Ibid.*

80. Decor animæ, humilitas est. *Ibid.*, serm. 45.

81. Si quis innocentiam retinet, et nihilominus humilitatem jungit, is geminum animæ possidet decorem. *Ibid.*

82. Rara avis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi. *Ibid.*

83. Nihil facilius est volenti, quam humiliare seipsum. Serm. in cap. *jejunii.*

84. Cum ex aliis quibuscunque bonis virium, magis suarum capere soleat incrementum superbia, sola humilitas omnium propugnaculum turrisque virtutum, ejus fortiter resistit malitiæ, obviat præsumptioni. Epist. 42, *ad Henricum senonens. archiep.*

85. Sola quæ non solet gloriari, non novit præsumere, contendere non consuevit, gratiam inventura est in oculis pietatis humilitas. *Ibid.*

86. Non contendit judicio, nec prætendit justitiam, quæ vere humilis est. *Ibid.*

87. Humilitas ad quam ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fundamentum : siquidem humiliatio via est ad humilitatem. *Prosec.*

88. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis : nam si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. Epist. 87, *ad Ogerium canonic. regular.*

89. Solus humilis parcit animæ suæ, qui ne putetur quod non est, semper quantum in se est, vult nesciri quod est. *Ibid.*

90. Nulla splendidior gemma in omni ornatu, quam humilitas. Lib. 2 *de Consid. ad Eug. pap.*

91. Humilis quo excelsior cæteris, eo humilitate apparet illustrior et seipso. *Ibid.*

92. Virtutum bonum quoddam et stabile fundamentum, humilitas est : si nutet, illa virtutum aggregatio nonnisi ruina est. *Ibid.*, lib. 5.

93. Pretiosissimus fundus virtus humilitatis est, bonus fundus humilitas, in qua omne ædificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino. *Ibid.*, lib. 2.

94. Habet humilitas suas epulas : primus cibus est humilitatis purgatorius cum amaritudine, secundus charitatis consolatorius cum dulcedine, tertius contemplationis solidus cum fortitudine. *De Duodecim gradib. humilit.*, cap. *Locuturus.*

95. Bona via est humilitatis, qua veritas inquiritur, charitas acquiritur, generationes sapientiæ participantur. *Ibid.*

96. Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit ne vilescat. *De Duodecim gradib. humilit.*, grad. 9.

97. Perit revera omne quod agitur, si non sollicite in humilitate custoditur. *De Inter. domo*, cap. 41.

98. Humilitas custos pudicitiæ, et mater patientiæ est. *De Ordine vitæ.*

99. Humilitatem quisquis veraciter habet, nec beneficio cella, nec profugio solitudinis indiget. *Ibid.*

100. Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris. Serm. 39, *ad Sororem.*

101. Magna et sublimis virtus humilitas, quæ promeretur quæ non docetur : digna adipisci quod non valet addisci. Lib. 5 *Florum*, cap. 9.

102. Humilitas in honore, honor est ipsius honoris, et dignitas dignitatis. *Ibid.*

S. BONAV. 103. Solus humilis evasor est laqueorum hostis antiqui. Serm. 1 *in Hexam.*

104. Ubi est humilitas, ibi est et sapientia. Expos. 2 super *Psalm.* CXVIII, cap. 4, vers. 2, art. 2.

105. Qui magis se humiliat, ille major est : et qui maxime, ille maximus est. *Prosec.*

106. Quia quanto sumus humiliores, tanto sumus a tumore superbiæ inaniores, et quanto inaniores a tumore superbiæ, tanto pleniores dilectione : et quanto hac pleniores, tanto majores. Super *Luc.*, cap. IX, in illud : *Hic major est.*



107. Humilitas est clavis scientiæ. *Ibid.*, cap. X.

108. Humilitas hominem Deo perfecte subjicit, Deum sibi auxiliatorem facit, quo hostis ignea tela contemnit. Serm. 5 *de Uno mart.*

109. Humilis a nulla capitur passione, non ira hunc molestare potest, non gloriæ cupido, non æmulatio, non zelotypia. Lib. 4 *Pharetræ*, cap. 12.

110. Humilitas est brevis scala devotionis, brevis schola perfectionis, brevis via salvationis : brevis scala, si vis ascendere; brevis schola, si vis addiscere; brevis via, si vis incedere. Tit. 7 *Diætæ*, cap. 1.

111. Humilitas est quidquid in valore est pretiosius, quidquid in odore est deliciosius, quidquid in decore est gratiosius. *Ibid.*

112. Humilitas se humiliat, ut ascendat; se incinerat, ut redoleat; se mortificat, ut resurgat. *Ibid.*

113. Humilitas est gratiosa, instar floris speciosi; luminosa, instar sideris radiosi; virtuosa, instar lapidis pretiosi. *Ibid.*

114. Humilitas fragrantior efficitur, cum quis considerat propriam vilitatem. *Ibid.*

115. Summa religiosi virtus est humilitas, quæ ipsum curat, perficit, conservat. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 6.

116. Sine humilitate nulla virtus, nulla perfectio, aut acquiritur aut servatur. *Ibid.*

117. Quanto major et purior fuerit humiliatio et promptior, tanto plenior erit gratiæ recuperatio, et gloriæ remuneratio. *Prosec.*

118. Magnitudo humiliationis attenditur in difficultate injuncti operis, puritas in simplicitate intentionis, promptitudo in alacritate executionis. Lib. 2 *de Profectu relig.*, cap. 39.

119. Humilitas regina virtutum, sicut superbia regina vitiorum est. Super *Psalm.* LIX, in Præf.

120. Humilitas dicitur caput, sive primatus virtutum cæterarum, eo quod initium est, et prima, quæ ex omnibus virtutibus habetur. Et quoniam ipsa a fidelibus habita, custos est omnium virtutum, cum sine ipsa omnes virtutes debiles sint et inutiles : sicut a capite quod principale est in toto corpore, omnia cætera membra reguntur, quo ablato totum corpus inutile est, et quasi trunculus exanime. Super *Psalm.* CX, in Præf., vers. *Vide Humilitatem.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 121. Quælibet bona quis habeat, si veræ humilitatis fundamentum habere noluerit, firmiter stare non poterit. Hom. 18.

122. Superbia venenum, humilitas antidotum. *Ibid.*

CASSIODOR. 123. Ipsa virtus est religionis, ut quanto se plus unusquisque exemplo Creatoris humiliat, tanto amplius exaltetur ad gloriam. Super *Psalm.* XXI, vers. 6 : *Ego sum vermis.*

S. CYPRIAN. 124. Hic est primus religionis introitus, ut quicunque vult pie vivere, humiliter de se sentiat : quia fundamentum sanctitatis, humilitas est. *De Nativit. Christi*, cap. 3.

S. DIADOCH. 125. Res est difficilis ad comparandum humilitas : quo enim major est, eo est ejus usus laboriosior. *De Perfect. spirit.*, cap. 95.

DIONYSIUS CARTHUS. 126. Tota christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit. Super *Epist. ad Philipp.*, cap. II, art. 2, in illud : *Humiliavit semetipsum.*

S. DOROTH. 127. Neque parere quisquam divinæ justitiæ, neque bonum ullum attingere sine humilitate potest. Doctrina 1.

128. Neque timor Domini, neque eleemosyna, neque fides, neque abstinentia, neque ulla unquam virtutum potest sine humilitate in nobis erigi. *Ibid.*, doctrina 2, *de Humilitate.*

129. Beatus vir est, qui humilitatem habuerit. *Ibid.*

130. Nihil profecto fortius humilitate, quam nulla res obsidet. *Ibid.*

131. Labor humiliat corpus, humiliatoque corpore humiliatur pariter et anima. *Ibid.*

132. Omnium fuit una sententia, ita impossibile esse salvari animam absque humilitate, ut navim sine clavis ædificari. *Ibid.*, doctrina 14.

133. Quidquid boni quisque egerit, id agat cum humilitate, ut per humilitatem conservetur quod factum fuerit. *Ibid.*

134. Corona est humilitas; coronat enim et servat virtutes omnes, et omnis virtutis perfectio eget humilitate : Sanctorum namque omnium profectus, accessus est ad humilitatem. *Ibid.*

S. EPHRÆM. 135. Si rectam vivendi rationem expetis, te in humilitate exerce, sine qua recta vitæ ratio consistere nequit. *De Recta vivendi ratione*, cap. 1.

136. Humilitatem diligito, et nunquam diaboli laqueis capieris : velocissimis enim humilitatis alis semper sublevatus, sublimior eris, quam ut inimici retibus capi possis. *Ibid.*, cap. 3.

S. EUSEBIUS CÆSAR. 137. Sicut ex sola superbiæ radice omnia oriuntur mala : sic ex sola radice humilitatis generantur omnia bona. Epist. *ad Damas. pap.*, *de morte div. Hieronym.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 138. Benedicta Deo illa anima, cujus humilitatis exemplum alterius confundit superbiam. Homil. 7 *ad Monach.*

139. Ubi est humilitas, ibi quies, ibi tranquillitas, ibi omnis serenitas. *Prosec.*

140. Dum enim ipsa sibi placet, atque pacata est, etiam si qua tribulatio, si qua tempestas oborta, nihil erectum, nihil sublime, nihil oppositum invenit, ubi allidat impetum suum : si quid ex adverso irruerit, totum post se humiliata fronte transmittit. *Ibid.*, homil. 1, *Epiph.*

S. FULGENT. 141. Crescat in te humilitas animi, quæ vera est et integra sublimitas christiani. *Prosec.*

142. Tanto magis in te cognosce Dei gratiam crescere, quanto magis tibi humilitatem cordis videris abundare. Epist. 6 *ad Theodorum*, cap. 9.

GILLEBERT. ANGLUS. 143. Perfecta humilitas de meritis semper alienis præsumit. Serm. 46, super *Cant.*, apud S. Bernard., num. 1.

144. Humilitas suscepta pro Christo, regiam præfert dignitatem. *Ibid.*, serm. 18, num. 6.

S. GREGOR. MAGNUS. 145. Electi ne invite curventur in morte, sponte curvantur nunc in humilitate. Libro 25 *Moral.*, cap. 2.

146. Humilitas lamenti, medicina est peccanti. *Ibid.*, lib. 3, cap. 13, super illud *Job* II : *Venerunt de loco suo.*

147. Sancti viri nec ex elatione sunt liberi, nec ex timore submissi : sed cum rectitudo eos ad libertatem erigit, consideratio infirmitatis propriæ, in humilitate custodit. *Ibid.*, lib. 7, cap. 15.

148. Humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus. Homil. 28 super *Evang.*

149. Preci innitendum est, cum recta agimus : ut omne quod juste vivimus, ex humilitate condiamus. Libro 8 *Moral.*, cap. 11.

150. Superbis mentibus pondus grave est oneris, doctrina humilitatis. *Ibid.*, lib. 15, cap. 21, super illud *Job* XXI : *Sustinete me, ut et ego loquar,*

151. Mœnia supernæ civitatis, nisi humiles non ascendunt. *Ibid.*, lib. 17, cap. 17.

152. Minus inops est, qui vestem non habet, quam humilitatem. *Ibid.*, lib. 21, cap. 14, num. 14.

153. Humilitas magistra est, et mater omnium virtutum. *Ibid.*, lib. 23, cap. 7, num. 13.

154. Humiles cœlum petunt, dum se inferius dejiciunt : superbi infima appetunt, dum despiciendo cæteros, quasi in altioribus extolluntur. *Ibid.*, lib. 32, cap. 5, num. 8.

155. Quid humilitate sublimius? quæ dum se ima deprimit, auctori manenti super summa conjungitur? Part. 3 *Pastoral.*, cap. 1.

156. Magna est virtus humilium, qui ex desiderio loca ultima tenentes, se per humilitatem a terra in altum non sublevant, et cœlestis regni odorem in mente servant. Homil. 6 super *Ezech.*

157. Humilitatem, frater charissime, totis visceribus dilige, per quam cunctorum fratrum concordia et unitas valeat custodiri. Lib. 4 in *Registro*, indict. 13, cap. 82, epist. 38, *ad Joann. episc. Constantinop.*

158. Servorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere. *Ibid.*, lib. 2, indict. 10, cap. 24, epist. 24, *ad Euseb. abbat.*

S. HIERON. 159. Nihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius : hæc est enim præcipua conservatrix, et quasi custos quædam virtutum omnium. Epist. 14, *ad Celantiam.*

160. Humilitatem sequere, non quæ ostenditur atque simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro affectu cordis exprimitur. *Ibid.*

161. Quanto quis humilior, tanto sublimior est. Epist. 26, *ad Pammach.*

162. Quantumcunque te dejeceris, humilior Christo non eris. *Ibid.*

163. Humilitas prima christianorum virtus est. Epist. 27, *ad Eustochium.*

164. Apud Deum nihil est quidquam humilitate sublimius. Epist. 1, *ad Demetriad.*

165. Melior est humilis corde, qui nihil fidit suis operibus, quam qui se præ excellentia virtutum viri nomine dignum ducens fallitur, nescius dum superbiendo perdit bona quæ gessit. Lib. 2, super *Prov.*, cap. XIX.

HUGO A S. VICTORE. 166. Melius tibi est, ut humilis sis, et videaris, quam sublimis et ignoreris. Super *Psalm.* CXVIII, cap. 52.

167. Humilitas est bonorum conservatrix. Lib. 4, *de Anima*, cap. 16.

168. Suavius redolet Deo humilitas infima, quam virtus elata. In *Soliloq.*, *de Arrha animæ.*

169. Principium disciplinæ humilitas est. Lib. 3 *Didasc.*, cap. 14.

170. Quatuor sunt, quæ conferunt veram humilitatem : vilitas corporis, assiduitas subjectionis, comparatio melioris, suspectum Dei judicium. Lib. 3 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 19.

HUGO CARD. 171. Ex consideratione sui provenit humilitas. Super *Gen.*, cap. 26.

172. Ille fructus congregat, qui licet in virtutibus crescat, tamen in omnibus humilitatem servat. Super *Levitic.*, cap. XIX, *Moraliter.*

173. Tria sunt, quæ nutriunt humilitatem : assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, comparatio melioris. Super *Psalm.* XVII.

174. Humiliat se satis, qui se subdit majori : humiliat se valde, qui se subdit pari : humiliat se nimis, qui se subdit inferiori. Super *Psalm.* XXXVII, in illud : *Humiliatus sum nimis.*

175. Humilitas est signum Dei, et vexillum. Super *Psalm.* LXXIII.

176. Humilis pauper est opinione sua, quia nihil se habere reputat : sed vere dives est, quia



humilitas proprius locus gratiarum est. Super *Prov.*, cap. XIII.

177. Humilitas est custos omnium virtutum, et restitutrix omnium bonorum. *Prosec.*

178. Nam humilitas de tepiditate aliarum virtutum inflammescit, de paupertate ditescit, de defectu abundat, de luctu gaudet, de morte reviviscit. *Ibid.*, cap. XXVI.

179. Humilitas verba detractionis non curat, quia contemnit se contemni, imo gaudet : et verba adulationis etiam non curat, quia non elevatur ad ventum. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

180. Humilitas pascitur contumeliis. Super *Ezech.*, cap. XXII.

181. Humilitas fundum tenet ædificii spiritualis, et est quasi centrum virtutum. *Prosec.*

182. Imo humilitas est virtus, vel circulus, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam.

183. Ubicunque enim sit humilis, semper cor suum est in imo, et nusquam in supremo. Super *Luc.*, cap. 9.

JOAN. CASS. 184. Humilitas, vera est nobilitas. Lib. 4, *de Cœnobiis inst.*, cap. 29.

185. Contemptu ac privatione facultatum omnium, humilitas acquiritur. *Ibid.*, cap. 39.

186. Vera est cordis humilitas retinenda, quæ non de affectata corporis atque verborum, sed de intima mentis humiliatione descendit. Collat. 18, *Abbat. Piammonis*, cap. 2.

S. JOANNES CHRYSOST. 187. Hæc est vera humilitas, quando quis occasiones habens, ut extollatur, seipsum humiliat et supprimit. Homil. 33 super *Genes.*

188. Humilitas sola est, quæ charitatem acquirit, pacem invenit, sereno corde totum intendit. Serm. *de eo quod David dixit : Quis sum ego?*

189. Humilitas non habet unde cadat. *Ibid.*

190. Sacrificium maximum humilitas est. Homil. 12, super *Psalm.* L, vers. 18.

191. Sicut superbia omnium fons malorum est, ita humilitas cunctarum origo virtutum. Homil. 15 super *Matth.*

192. Sive servus sis, sive pauper atque mendicus, sive plebeius, sive peregrinus : nihil te fieri beatum vetat, si humilitatis æmulator extiteris. *Ibid.*

193. Humilitas virtus est, et sublimioris philosophiæ mater est et origo. Homil. 39, super *Matth. Oper. perf.*

194. Humilitas habet caput et membra : caput, Christus est; facies ejus, erubescentia et pudor; oculi, modestia ipsa sunt; os sapientia, et intellectus; cor, magna scripturarum peritia, et veri dogmatis conservatio; pedes ejus ac manus, recta sunt opera; anima, fides est, et pietas; pectus, est fortitudo; spiritus autem, qui animalium corda et cerebrum continet, charitas est. *Ibid.*, homil. 48.

195. Qui sibi nihil arrogat, is vere humilis est : qui vero humilis est, is ad veræ sublimitatis cacumen volavit. *Ibid.*, homil. 66.

196. Humilis sublimitati contrarius est : nihil tamen humilitate altius, nihil arrogantia depressius. *Prosec.*

197. Humilis a nulla ægritudine capitur, non perturbatur ira, nulla cupiditate gloriæ vexatur, non vincitur livore : quid igitur sublimius? *Ibid.*

198. Humilibus quid jucundius? quid beatius? qui cum Deo gratissimi sint non parvam etiam ab hominibus, quam non quærunt, gloriam reperire solent. *Ibid.*

199. Nutrix dilectionis humilitas est, et totius mali odii mater superbia : totius boni initium humilitas est, et totius mali superbia. Homil. 9 super *Matth. Oper. Imperf.*

200. Nunquam humilitas est sine magnitudine animi : neque superbia sine pusillanimitate. Homil. 20, super *Joan.*

201. Nihil conferendum humilitatis virtuti : ipsa enim mater est, ac radix et altrix et fulcimentum, et vinculum bonorum. Homil 30, super *Acta Apostolorum*, in *Morali.*

202. Humilitas bonorum omnium basis est, et fundamentum. *Ibid.*, homil. 44.

203. Nihil humilitate potentius, sed petra est fortior, adamante solidior, omnibusque sublimior. Serm. 20, super *Epist. ad Rom.*

204. Nihil tam admirabilem christianum quam humilitas efficit. *Ibid.*, serm. 32.

205. Ille solus humilitatem animi vere consecutus est, qui sibiipsi persuasit quantumlibet peregerit, nihil se magnum gessisse. Homil. 2 super *Epist. ad Philem.*, in *Morali.*

206. Humilitas non illa tantum laudatur, quæ de conscientia peccatorum venit : sed illa, quæ ex virtute descendit, Deo chara est. Epist. 6, *ad Theodor. laps.*

207. Humilitas est quoties quispiam rerum sibi præclararum conscius, nihil magni de seipso existimat. Homil. 5 *de incomprehensibili Dei natura.*

208. Qui in verbo humilis non est, nunquam profecto erit in opere. *Grad.* 4. S. JOAN. CL.

209. Humilitas signum est ignominiæ perfecta toleratio. *Ibid.*, grad. 5.

210. Aliud est humilem esse, aliud conari esse, et aliud laudare humilem. Prius illud perfecto-

rum est, secundum veracium obedientium, tertium vero omnium fidelium. *Ibid.*, grad. 25.

211. Humilitas est vilitatis abyssus, furibus omnibus inviolabilis. *Ibid.*

212. Qui mente est humili, voluntatem suam semper ut seductricem detestatur. *Ibid.*

213. Humilitas est cœleste instrumentum, quod ex abysso peccatorum in cœlum animam levare potest. *Ibid.*

214. Proprie interemptrix vitiorum humilitas est, quam qui possident, omnia vincunt. *Ibid.*, grad. 26.

JOAN. GERS. — 215. Quis neget magnam esse humilitatis recuperandæ rationem, humilitatem perdidisse? Serm. *de Humilit., in Cœna Dom.*

216. Sit humilitas depressa in se, reflexa ad se, reclusa intra se : depressa sit in se, ne de se alta sapiat; reflexa sit ad se, ne humanum favorem quærat; reclusa sit intra se, ne res perituras vagabunda ambiat. Serm. *de Verbis Dom.*

[illegible] — 217. Humilitas medicina est animarum saluberrima, omnibus consulit, tumentia spiritus ulcera comprimit, tabescentia reficit, depravata corrigit, excrescentia tollit. Lib. 1, homil. 19, *ad Monach.*

218. Sine vera humilitate, nemo salutem consequi potest. *Ibid.*

219. Vera humilitas magna facit, et de se sentit minima : et quando amplius profecerit, tanto infirmitatem suam profundius recognoscit. *Ibid.*

220. Vera humilitas hilaris est, non dissoluta; gravis, non melancholica; larga in miserationibus, non prodiga; infirmis compatiens, non remissa. *Ibid.*

221. Ubi vera est humilitas, dæmones subsistere nequeunt : quoniam sicut glacies ab igne resolvitur, ita maligni spiritus a præsentia humilis dissipantur. *Ibid.*

222. Humilitas Filium Dei hominem fecit, humilitas servum Christi sancto angelo comparabit. *Ibid.*

223. Virtutum stabile fundamentum est humilitas, super quo quidquid constructum fuerit, nullo tempestatis turbine subvertetur. Lib. 2 *ad Monach.*, serm. 1.

224. Humilitate christiana diabolus vincitur, et quasi clavo percussus fugiens superatur. *Ibid.*

225. Vera humilitas vituperata proficit, laudata periculum incurrit. *Ibid.*, serm. 3.

226. Humilitas alta fugit, quæ humilia sunt quærit. *Ibid.*

227. Humilis imitatur Christum, superbus diabolum. *Ibid.*

228. Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. Lib. 2 *de Tent. relig.*, cap. 5.

229. Via veniendi ad veram viam, humilitas est. Epist. 14, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

S. ISIDORUS HISPALENS. — 230. Superflua est humilitas eorum, qui se gessisse accusant, quæ non admiserunt. Lib. 3, *de Summo bono.*, cap. 32, sent. 6.

231. Humilitas lapsum non novit, humilitas lapsum unquam passa est. Hab. apud *Bedam.*, in suis *Scintillis*, cap. 4.

232. Quanto eris humilior, tanto sequetur te altitudo. *De Contemptu mundi*, verbo *Esto.*

233. Vexillum Christi est humilitas. *Ibid.*

234. Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris, ne exaltatus humilieris : qui exaltatur, dejicitur : et qui elevatur, prosternitur. *Ibid.*

235. Tanto humilitate clarescas, quanto plus cæteris culmine virtutum coruscas. In *Regula monach.*, cap. 3.

236. Etsi aliquid es, nisi tanto te humilias, quanto magnus es, perdes omnino quod es. *De Conflict. vitior. et virt.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. — 237. Animo æquo affectu potius quam verbis humilem te præbe. Lib. 1, epist 342, *ad Seleucum.*

LACT. FIRM. — 238. Humilitas tam chara et amabilis Deo est, ut cum angelicum angelis suscipiat peccatorem confitentem, quem in regnis cœlestibus faciat pro humilitate sublimari. In *Epitome*, verbo *Humilitas.*

S. LAURENT. JUSTIN. — 239. Stat subjectus humilis, notus sibi, judicatus a se, prostratus omnibus, devotus Deo, benevolus fratribus. *De Compunct.*, cap. 2.

240. Congruit, ut verus humilis, quanto humanæ fragilitati fas est, sit in omni virtute perfectus. *De Humilit.*, cap. 14.

241. Hæc virtus humilitatis, via est ad patriam, corona regia, decorata gemmis, margaritis ornata atque contexta. *Ibid.*, cap. 10.

S. LEO I. — 242. Quid humilitate sublimius? Homil. *de Omnibus Sanctis.*

LUDOVICUS BLOSIUS. — 243. Qui vere humilis est, magis optat vilis et abjectus haberi, quam sanctus. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 8.

244. Vera humilitas intus in corde quærenda est : si desit interna humilitas, externa nihil est, nisi hypocrisis. In *Speculo spirit.*, cap. 8.

245. Totius perfectionis verissima regula hæc est : Esto humilis. In *Institut. spirit.*, cap. 2.

S. MACHAR. ÆGYP. SEN. — 246. Signum christianismi, est ipsa humilitas. Homil. 15.

247. Nunquam humilis labitur : nam unde labi posset, qui sub omnibus est? *Ibid.*, homil. 19.



S. NILUS. — 248. Humilitate gaude; altitudo enim ejus firma est, nec ruere potest. *Parænes.* 71.

249. Humilitas hominem in cœlum tollit, et inter choros collocat angelorum. *Ibid.*, orat. 8, *de Superbia.*

250. Lapis pretiosus in aureo annulo decorus est, et in virtutum corona inserta humilitas excellit. *Ibid.*

S. PAULINUS — 251. Humilitas iniqua condemnatur, quæ non ex fide, sed ex ignavia mentis hominibus addicitur. *Prosec.*

252. Mendacii est famula, veritatis inimica, libertatis expers, iniquitati obnoxia. Epist. 2, *ad Amandum episc.*

PETR. BLES. — 253. Nihil est quod divinæ Majestati familiarius ac confidentius assistat, et gratius, quam vera humilitas. Epist. 134, *ad Wilhelm. electum.*

254. Melior est purpurata humilitas, quam pannosa superbia. *Ibid.*, in *Invectiva contra depravator.*

255. Ut servum te reputes humilem et abjectum, non sit tibi dedecori humilitas, quæ decuit filium Dei. *Ibid.*, tract. *de Instit. episcop.*

S. PETRUS DAMIANUS. — 256. O gloriosa virtus humilitatis, per quam homo vere discipulus efficitur Salvatoris! Opusc. 33, cap. 7.

PHILO JUD. — 257. Affectata humilitas contemptui fit obnoxia. *De Migrat. Abrahami.*

S. PROSPER. — 258. Hæc virtus vera humilitas est, quæ inter quoslibet meritorum gradus, nunquam sui potest esse dissimilis. Epist. *ad Demetriad.*

S. REMIGIUS — 259. Quicunque humilitatem veram habent utique eamdem humilitatem in aliis venerantur. Super *Epist. ad Rom.* cap. XII, can. 16.

ROBERTUS BELLARM. — 260. Humilitas, quæ est custos omnium virtutum, Deo gratissima est. Super *Psalm.* XVII, vers. 30.

RUPERT. ABB. — 261. Humilitas munitio firma, virtutumque omnium fida est custodia. Lib. 2, in *Abacuc.*, cap. II.

SALVIANUS. — 262. Honestum et religiosum studium est, præoccupare humilitate et vincere. Epist. 7, *ad Aprum et Verum.*

S. THOMAS AQUINAS. — 263. Animo humili nihil est mirabilius. Part. 3, quæst. 30, art. 4.

THOMAS A KEMPIS. — 264. Tam nobilis est virtus humilitas, ut eam frequenter superbi et sæculares commendent. Serm. 12, *ad Novit.*, divis. 6.

265. Omnia sine humilitate, et firma ejus custodia, periculis patent et ruinis. *Ibid.*, serm. 30, divis. 6.

266. Quanto quis in se humilior fuerit, et Deo subjectior, tanto in omnibus erit sapientior et pacatior. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 4.

267. Bene semper agere, et modicum de se tenere, humilis animæ indicium est. *Ibid.*, lib. 2, cap. 6.

268. Pone te semper ad infimum, et dabitur tibi summum : nam summum non stat sine infimo. *Prosec.*

269. Sancti apud Deum, minimi sunt apud se; et quanto gloriosiores, tanto in se humiliores. *Ibid.*, cap. 10, sect. 4.

270. Verus humilis nescit inflari, spernit laudari, contemptus gaudet, læsus cito ignoscit. In *Hortulo rosar.*, cap. 9.

S. VALER. EPISCOPUS. — 271. Humilitas semper illæsa est, nescit enim vinci, cui non est causa pugnandi. Homil. 14, *de Bono humilit.*

272. In maximis et in sublimioribus humilitas præferenda est. *Prosec.*

273. Humilem vero pauperem nemo miratur; invitus enim se humiliat, quem necessitas paupertatis inclinat : humilitas in paupere grata est, in divite gloriosa. *Ibid.*

274. In quantum homo dignitate præditus humiliatur, attollitur. *Ibid.*, homil. 19.

IN VITIS PATR. — 275. Humilitatis virtus, magna salus est animæ. Lib. 3, num. 21.

276. Sicut superbia si ascenderit in cœlum, usque ad inferos deducitur : ita humilitas si descenderit usque ad infernum, tunc usque ad cœlos exaltatur. Lib. 3, num. 171.

277. Janua Dei, est humilitas. Lib. 5, libell. 15, *de Humilit.*, num. 22.

278. Arbor vitæ est in excelso, et ascendit ad eam humilitas. *Ibid.*, homil. 49.

279. Profectus hominis est humilitas, quantum enim quis ad humilitatem inclinatus fuerit, tantum elevabitur ad profectum. *Ibid.*, num. 77.

280. Multum comedere, et bibere, et bene vestiri possumus : abstinere autem et humiliari non valemus. Lib. 10, cap. 168.

281. Humilitas non est sumptus, sed in omni sumptuali est condimentum. In *Sent., in fine positis*, sent. 87.

282. Humiliare seipsum, et despectum se apud ipsum habere, pro muro est monacho. *Ibid.*, sent. 88.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. — 283. Humilitate nominis, nihil est clarius. Lib. 1, controvers. 6.

284. Multis rebus non ex natura sua, sed ex humilitate nostra magnitudo est. Lib. 3, *Quæst.*

S. VALER. MAX. — 285. Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. Lib. 8 *Dictor. memorabil.* cap. 15.

Vide etiam tit. *Cognitio sui*, sent. 129; *Conflictus*, sent. 131; *Contemptus sui*, per totum; *Deus*,

sent. 45, 46; *Desertio Dei*, sent. 51; *Differentia*, sent. 5; *Dignitas*, sent. 49, 69; *Episcopus*, sent. 165; *Fructus*, sent. 30; *Gloria vana*, sent. 74; *Gratia Dei*, sent. 95, 96; *Honor*, sent. 17, 19; *Magnus*, sent. 12; *Maria*, sent. 59; *Monachus*, sent. 153; *Mores*, sent. 46; *Perfectio*, sent. 44, 62; *Persona*, sent. 12; *Prælatus*, sent. 94, 201; *Profectus*, sent. 72; *Sacrificium*, sent. 45; *Sanctitas*, sent. 65; *Suasio*, sent. 29; *Sublimitas*, sent. 16, 39, 62; *Superbia*, sent. 60, 115, 116, 123, 157; *Tribulatio*, sent. 74; *Virginitas*, sent. 42; *Virtutum connexio in genere*, sent. 15, 30, 42; *Virtutum connexio in specie*, verbo, *Humilitas*; *Voluntas propria*, sent. 25.

## HUMILITAS CHRISTI.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIUS DE PADUA. 1. Nihil sic humiliat superbum peccatorem, sicut humilitas humanitatis Christi. Serm. *Dom. Quinquag.*

S. AUGUST. 2. Quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? *De Agone christiano*, cap. 11.

3. Noluit Christus rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat viam miseris, quod ab ea superbia separaverat. *De Catechis. rudibus*, cap. 22

4. Magna est miseria superbus homo, sed major misericordia humilis Deus. *Ibid.*, cap. 4.

5. Erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus. Exposit. 2, super *Psaml.* xviii, vers. 14.

6. Si tanta humilitate se opprimit divina Majestas, quomodo superbire audet humana fragilitas? *De Conflictu vitiorum et virtutum*, cap. 2.

7. Quanta humilitas! *Domine, tu mihi lavas pedes?* tu mihi: quid est tu? quid est mihi? cogitanda sunt potius, quam dicenda, ne forte quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua. Tract. 56, super *Evang. Joan.* cap. xiii.

8. Jam humilis Deus, et adhuc superbus homo. Homil. 34, ex lii, *Homil.*, cap. 6.

9. Unde Christus humiliatus, inde glorificatus: inde erexit humiles, quo humiliatus ipse descendit. Tract. 3, super *Joan.*

10. Humilitatem doceo, ad me venire non potest, nisi humilis. *Ibid.*, tract. 25.

11. Perierat homo superbiam deceptoris secutus, ergo humilitatem Redemptoris sequatur inventus. *Ibid.*, tract. 55.

12. Didicimus humilitatem ab excelso, faciamus invicem humiles quod humiliter fecit excelsus. *Ibid.*, tract. 58.

13. Homini cui se diabolus ad imitationem superbiæ præbuerat, ei se Dominus ad imitationem humilitatis præbuit. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 25.

S. BERNARD. 14. Intolerabilis impudentia est, ut ubi sese exinanivit Majestas, vermiculus infletur et intumescat. Serm. 1, *Nativit.*

15. Quanto sublimitas Christi angelis notior est, tanto humilitas pretiosior et amabilior est. Serm. 2 *Epiph.*

16. O mira vanitas! o mira fatuitas cordis! cujus elationem perfecte reprimere, cujus cervicosos motus omnino domare, humilitatis Christi materia tanta non sufficit, quin superbiat adhuc terra et cinis. Serm. *Quomodo voluntas nostra divinæ voluntati subjici debeat.*

17. Magna humilitas! Actu innocens suscipit pœnitentis affectum, et qui non habet unde pœniteat, habet tamen ut pœniteat. Serm. 45, super *Cant.*

18. Quanto pro me vilior, tanto mihi carior. Serm. 1 *Epiphan.*

19. Potest ne quis non humiliari, cum recordatur pro se humiliatum Dominum Majestatis. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 44.

S. BONAV. 20. Stultus reputatus fuit Christus, quando recessit ab appetitu aliorum: stultior, quando voluit affligi: stultissimus, quando voluit crucifigi, et tamen hæc est sapientia Sanctorum. Serm. 2, *in Hexam.* super illud: *Prov.* xxx: *Stultissimus sum virorum.*

21. Magna humilitas! quia veniendo per carnem, prior, posterior; dives, egenus; Dominus, servus; hæres, alienus factus est. Serm. 3, *Dom. 4, Advent.*

22. Ecce habes in Christo humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum: quid ergo, homo, intumescis? quid morticina pellis extenderis? quid sanies fœtida inflaris? *Prosec.*

23. Princeps tuus humilis est, et tu superbus? caput est humile, et membrum superbum? monstrum est contra naturam, si cœlum terræ subjicias, et sub pedibus caput ponas. Serm. 4, *de Uno mart.*

24. Quantumcunque te dejeceris, humilior Christo non eris: esto quod pedibus incedas, fusca tunica vestiaris, pauperibus æqueris, cellam pauperum dignanter introeas. Sis cæcorum oculus, pes claudorum, manus debilium: aquam ipse comportes, ligna conscindas, focum extrahas, humilior Christo non eris. Ubi vinculum? ubi sputum? ubi alapa? ubi flagellum? ubi patibulum? ubi mors? Lib. 1, *Pharetræ*, cap. 2.

CASSIODOR. 25. In Christo voluntaria humilitas, non patientiæ necessitas fuit. Super *Psalm.* xcxiii, vers. 1.

26. Per humilitatem scimus Dominum Christum diaboli vicisse superbiam. Super *Psalm.* cxv, vers 1: Humiliatus sum.



DIONYSIUS CARTHUS. 27. Tota victoria Salvatoris, quæ et diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate confecta. Super *Epist. ad Philip.*, cap. ii, art. 2, in illud: *Humiliavit semetipsum.*

S. FRANCISC. ASSISIAS. 28. Filius Dei de altitudine sinus paterni, ad nostra despicabilia descendit, ut tam exemplo, quam verbo humilitatem doceret. In suis *Opusc.*, oraculo 5.

GLOSS. INT. 29. Signum salutis fidelibus, humilitas est Salvatoris. Super *Lucam*, cap. ii.

S. GREGOR. MAGNUS. 30. Ad hoc unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. *Prosec.*

31. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus? Lib. 34, *Moral.*, cap. 18, num. 21.

32. Nascente Domino, videbatur divinitas humiliata; ascendente vero Domino, est humanitas exaltata: in nativitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis. Homil. 29, super *Evang.*

S. HILARIUS. 33. Humilitas Christi, nostra nobilitas est, contumelia ejus, honor noster est. Lib. 2, *de Trinit.*, verbo *Dei.*

HUGO CARD. 34. Humilitas Christi in duobus maxime fuit: scilicet in sustinendo humiliter contumelias, et tormenta. Super *Genes.*, cap. xii, *Mystice.*

35. Christus per humilitatem diabolum devicit. Super *Psalm.* xxxiv.

36. Dignum et justum est, ut divina majestas in se recipiat humilitatem, quæ se evacuavit, et annihilavit, ut toto sinu suæ capacitatis eam reciperet. Super *Matth.*, cap. v.

S. JOANNES CHRYSOST. 37. Quid humilius servo? tamen hoc Dominus esse dignatus est ut ex servis liberos faceret, et servitus ipsius nobis ingenuitatem donaret. Serm. *de eo quod David dixit: Quis sum ego?*

JOAN. GERS. 38. Humilis est ipse, qui est Deus, et tu te erigis, tu superbis, terra et cinis; tu, sordida pellis, inflaris et tenderis, saccus stercorum et vermium? Serm. *de Circumcis. Dom.*

S. IRENÆUS. 39. Elatio sensus, quæ fuit in serpente, dissoluta est per eam, quæ fuit in homine Deo humilitas. Lib. 5, *adversus. Hæres.*, cap. *Omnia.*

S. LAURENT JUST. 40. Confunditur humana temeritas, et humilietur exemplo humilitatis Christi, qui voluit pro utilitate peccatorum peccator æstimari. *Prosec.*

41. Omnem exercuit humilitatis formam in victu, in peregrinatione, in discipulorum electione, in necessitatibus, in angustiis, in persecutionibus, in opprobriis, in passione et morte.

42. Omnis namque, quam Deus in homine exercuit, conversatio cum hominibus, summa et inexplicabilis est perfectio humilitatis, quæ eo est venerabilior, quo incomprehensibilior. *De Ligno vitæ*, tract. 12, cap. 2.

S. LEO I. 43. Humilitas Christi, nostra nobilitas est: contumelia Christi, noster honor est. Epist. 97, *ad Leonem august.*, cap. 3.

S. ODILO. ABB. CLUN. 44. Factus humilis, mansit sublimis. Serm. 13, *de Nativit. B. M.*

PETR. BLES. 45. Tanta fuit humilitas Salvatoris, ut quasi videretur respondere ipsius Majestati. *Prosec.*

46. Quia sicut erat Filii Dei incomprehensibilis Majestas, ita fuit in hominis filio inæstimabilis humilitas. Serm. 32, *de S. Aug.*

47. Ut servum te repules humilem et abjectum non sit tibi dedecori humilitas, quæ decuit filium Dei. *Ibid.*, tract. *de instit. episc.*

S. PETRUS MAUR. ABB. CLUNIAC. 48. Dejicit se majestas, et jactat se infirmitas: humiliat se celsitudo, et extollitur putredo. Lib. 4 epist. 17, *ad S. Bernard.*

S. THOMAS AQUINAS. 49. O novissimum et altissimum, o humilem et sublimem, o opprobrium hominum et gloriam angelorum! nemo illo sublimior, et nemo illo humilior. *De Passione Christi.*

S. VINCENT. FERRAR. 50. Magna humilitas fuit Filii Dei, quando voluit humiliari inter Seraphinos, Cherubinos, Tronos, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangelos, et Angelos, ut esset homo. Serm. 1 *Dom. infra octav. Nativ. Dom.*

Vide etiam tit. *Imitatio*, sent. 20; *Incarnatio*, sent. 73; *Potestas Dei*, sent. 55.

## HYPOCRISIS.

HUGO CARD. *Etymologia.* Hypocrisis dicitur ab ὑπὸ quod est sub, et χρύσος, quod est aurum: quasi extra hypocritæ aurati, interius lutei. Super *Matth.*, cap. vi.

S. BONAV. *Definitio.* Hypocrisis est cum quis meliorem se fingit, quam in veritate sit. *De Paradiso animæ*, part. 2, *de Vitiis*, cap. 17.

Hypocrisis est voluntas per speciem sanctitatis se simulans fallaciter in aperto, et viliter agens in occulto, sive intentione, sive opere. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 18.

Hypocrisis est vitium clausum, simulatione virtutis palliatum. *Ibid.*, sect. 30.

Simulatio est falsitas veritate depicta. *De Modo confitendi*, cap. 16.

Simulatio est vitium, verbis et actibus virtuosis opertum. *Ibid.*

sent. 45, 46; *Desertio Dei*, sent. 51; *Differentia*, sent. 5; *Dignitas*, sent. 49, 69; *Episcopus*, sent. 165; *Fructus*, sent. 30; *Gloria vana*, sent. 74; *Gratia Dei*, sent. 95, 96; *Honor*, sent. 17, 19; *Magnus*, sent. 12; *Maria*, sent. 59; *Monachus*, sent. 153; *Mores*, sent. 46; *Perfectio*, sent. 44, 62; *Persona*, sent. 12; *Prælatus*, sent. 94, 201; *Profectus*, sent. 72; *Sacrificium*, sent. 45; *Sanctitas*, sent. 65; *Suasio*, sent. 29; *Sublimitas*, sent. 16, 39, 62; *Superbia*, sent. 60, 115, 116, 123, 157; *Tribulatio*, sent. 74; *Virginitas*, sent. 42; *Virtutum connexio in genere*, sent. 15, 30, 42; *Virtutum connexio in specie*, verbo, *Humilitas*; *Voluntas propria*, sent. 25.

## HUMILITAS CHRISTI.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIUS DE PADUA. 1. Nihil sic humiliat superbum peccatorem, sicut humilitas humanitatis Christi. Serm. *Dom. Quinquag.*

S. AUGUST. 2. Quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? *De Agone christiano*, cap. 11.

3. Noluit Christus rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat viam miseris, quod ab ea superbia separaverat. *De Catechis, rudibus*, cap. 22

4. Magna est miseria superbus homo, sed major misericordia humilis Deus. *Ibid.*, cap. 4.

5. Erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus. Exposit. 2, super *Psalm.* xviii, vers. 14.

6. Si tanta humilitate se opprimit divina Majestas, quomodo superbire audet humana fragilitas? *De Conflictu vitiorum et virtutum*, cap. 2.

7. Quanta humilitas! *Domine, tu mihi lavas pedes?* tu mihi: quid est tu? quid est mihi? cogitanda sunt potius, quam dicenda, ne forte quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua. Tract. 56, super *Evang, Joan.* cap. xiii.

8. Jam humilis Deus, et adhuc superbus homo. Homil. 34, *ex* lii, *Homil.*, cap. 6.

9. Unde Christus humiliatus, inde glorificatus: inde erexit humiles, quo humiliatus ipse descendit. Tract. 3, super *Joan.*

10. Humilitatem doceo, ad me venire non potest, nisi humilis. *Ibid.*, tract. 25.

11. Perierat homo superbiam deceptoris secutus, ergo humilitatem Redemptoris sequatur inventus. *Ibid.*, tract. 55.

12. Didicimus humilitatem ab excelso, faciamus invicem humiles quod humiliter fecit excelsus. *Ibid.*, tract. 58.

13. Homini cui se diabolus ad imitationem superbiæ præbuerat, ei se Dominus ad imitationem humilitatis præbuit. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 25.

S. BERNARD. 14. Intolerabilis impudentia est, ut ubi sese exinanivit Majestas, vermiculus infletur et intumescat. Serm. 1, *Nativit.*

15. Quanto sublimitas Christi angelis notior est, tanto humilitas pretiosior et amabilior est. Serm. 2 *Epiph.*

16. O mira vanitas! o mira fatuitas cordis! cujus elationem perfecte reprimere, cujus cervicosos motus omnino domare, humilitatis Christi materia tanta non sufficit, quin superbiat adhuc terra et cinis. Serm. *Quomodo voluntas nostra divinæ voluntati subjici debeat.*

17. Magna humilitas! Actu innocens suscipit pœnitentis affectum, et qui non habet unde pœniteat, habet tamen ut pœniteat. Serm. 45, super *Cant.*

18. Quanto pro me vilior, tanto mihi clarior. Serm. 1 *Epiphan.*

19. Potest ne quis non humiliari, cum recordatur pro se humiliatum Dominum Majestatis. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 44.

S. BONAV. 20. Stultus reputatus fuit Christus, quando recessit ab appetitu aliorum: stultior, quando voluit affligi: stultissimus, quando voluit crucifigi, et tamen hæc est sapientia Sanctorum. Serm. 2, *in Hexam.* super illud: *Prov.* xxx: *Stultissimus sum virorum.*

21. Magna humilitas! quia veniendo per carnem, prior, posterior; dives, egenus; Dominus, servus; hæres, alienus factus est. Serm. 3, *Dom.* 4, *Advent.*

22. Ecce habes in Christo humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum: quid ergo, homo, intumescis? quid morticina pellis extenderis? quid sanies fœtida inflaris? *Prosec.*

23. Princeps tuus humilis est, et tu superbus? caput est humile, et membrum superbum? monstrum est contra naturam, si cœlum terræ subjicias, et sub pedibus caput ponas. Serm. 4, *de Uno mart.*

24. Quantumcunque te dejeceris, humilior Christo non eris: esto quod pedibus incedas, fusca tunica vestiaris, pauperibus æqueris, cellam pauperum dignanter introeas. Sis cæcorum oculus, pes claudorum, manus debilium: aquam ipse comportes, ligna conscindas, focum extrahas, humilior Christo non eris. Ubi vinculum? ubi sputum? ubi alapa? ubi flagellum? ubi patibulum? ubi mors? Lib. 1, *Pharetræ*, cap. 2.

CASSIODOR. 25. In Christo voluntaria humilitas, non patientiæ necessitas fuit. Super *Psalm.* xciii, vers. 1.

26. Per humilitatem scimus Dominum Christum diaboli vicisse superbiam. Super *Psalm.* cxv, vers 1: Humiliatus sum.



DIONYSIUS CARTHUS. 27. Tota victoria Salvatoris, quæ et diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate confecta. Super *Epist. ad Philip.*, cap. ii, art. 2, in illud: *Humiliavit semetipsum.*

S. FRANCISC. ASSISIAS. 28. Filius Dei de altitudine sinus paterni, ad nostra despicabilia descendit, ut tam exemplo, quam verbo humilitatem doceret. In suis *Opusc.*, oraculo 5.

GLOSS. INT. 29. Signum salutis fidelibus, humilitas est Salvatoris. Super *Lucam*, cap. ii.

S. GREGOR. MAGNUS. 30. Ad hoc unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. *Prosec.*

31. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus? Lib. 34, *Moral.*, cap. 18, num. 21.

32. Nascente Domino, videbatur divinitas humiliata; ascendente vero Domino, est humanitas exaltata: in nativitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis. Homil. 29, super *Evang.*

S. HILARIUS. 33. Humilitas Christi, nostra nobilitas est, contumelia ejus, honor noster est. Lib. 2, *de Trinit.*, verbo *Dei.*

HUGO CARD. 34. Humilitas Christi in duobus maxime fuit: scilicet in sustinendo humiliter contumelias, et tormenta. Super *Genes.*, cap. xii, *Mystice.*

35. Christus per humilitatem diabolum devicit. Super *Psalm.* xxxiv.

36. Dignum et justum est, ut divina majestas in se recipiat humilitatem, quæ se evacuavit, et annihilavit, ut toto sinu suæ capacitatis eam reciperet. Super *Matth.*, cap. v.

S. JOANNES CHRYSOST. 37. Quid humilius servo? tamen hoc Dominus esse dignatus est ut ex servis liberos faceret, et servitus ipsius nobis ingenuitatem donaret. Serm. *de eo quod David dixit: Quis sum ego?*

JOAN. GERS. 38. Humilis est ipse, qui est Deus, et tu te erigis, tu superbis, terra et cinis; tu, sordida pellis, inflaris et tenderis, saccus stercorum et vermium? Serm. *de Circumcis. Dom.*

S. IRENÆUS. 39. Elatio sensus, quæ fuit in serpente, dissoluta est per eam, quæ fuit in homine Deo humilitas. Lib. 5, *adversus. Hæres.*, cap. *Omnia.*

S. LAURENT JUST. 40. Confunditur humana temeritas, et humilietur exemplo humilitatis Christi, qui voluit pro utilitate peccatorum peccator æstimari. *Prosec.*

41. Omnem exercuit humilitatis formam in victu, in peregrinatione, in discipulorum electione, in necessitatibus, in angustiis, in persecutionibus, in opprobriis, in passione et morte.

42. Omnis namque, quam Deus in homine exercuit, conversatio cum hominibus, summa et inexplicabilis est perfectio humilitatis, quæ eo est venerabilior, quo incomprehensibilior. *De Ligno vitæ*, tract. 12, cap. 2.

S. LEO I. 43. Humilitas Christi, nostra nobilitas est: contumelia Christi, noster honor est. Epist. 97, *ad Leonem august.*, cap. 3.

S. ODILO. ABB. CLUN. 44. Factus humilis, mansit sublimis. Serm. 13, *de Nativit. B. M.*

PETR. BLES. 45. Tanta fuit humilitas Salvatoris, ut quasi videretur respondere ipsius Majestati. *Prosec.*

46. Quia sicut erat Filii Dei incomprehensibilis Majestas, ita fuit in hominis filio inæstimabilis humilitas. Serm. 32, *de S. Aug.*

47. Ut servum te repules humilem et abjectum non sit tibi dedecori humilitas, quæ decuit filium Dei. *Ibid.*, tract. *de instit. episc.*

S. PETRUS MAUR. ABB. CLUNIAC. 48. Dejicit se majestas, et jactat se infirmitas: humiliat se celsitudo, et extollitur putredo. Lib. 4 epist. 17, *ad S. Bernard.*

S. THOMAS AQUINAS. 49. O novissimum et altissimum, o humilem et sublimem, o opprobrium hominum et gloriam angelorum! nemo illo sublimior, et nemo illo humilior. *De Passione Christi.*

S. VINCENT. FERRAR. 50. Magna humilitas fuit Filii Dei, quando voluit humiliari inter Seraphinos, Cherubinos, Tronos, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangelos, et Angelos, ut esset homo. Serm. 1 *Dom. infra octav. Nativ. Dom.*

Vide etiam tit. *Imitatio*, sent. 20; *Incarnatio*, sent. 73; *Potestas Dei*, sent. 55.

## HYPOCRISIS.

HUGO CARD. *Etymologia.* Hypocrisis dicitur ab ὑπὸ quod est sub, et χρυσὸς, quod est aurum: quasi extra hypocritæ aurati, interius lutei. Super *Matth.*, cap. vi.

S. BONAV. *Definitio.* Hypocrisis est cum quis meliorem se fingit, quam in veritate sit. *De Paradiso animæ*, part. 2, *de Vitiis*, cap. 17.

Hypocrisis est voluntas per speciem sanctitatis se simulans fallaciter in aperto, et viliter agens in occulto, sive intentione, sive opere. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 18.

Hypocrisis est vitium clausum, simulatione virtutis palliatum. *Ibid.*, sect. 30.

Simulatio est falsitas veritate depicta. *De Modo confitendi*, cap. 16.

Simulatio est vitium, verbis et actibus virtuosis opertum. *Ibid.*

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hypocrisis est simulatio boni non existentis. In *Speculo animæ*, cap. 1.

HUGO A S. VICTORE. Hypocrisis est virtutum simulatione clausum vitium ex arte palliatum. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 4.

JOAN. GERS. Hypocrisis est vitium, quo quis quærit ex signis exterioribus acquirere laudem sanctitatis, qualem sanctitatem in occulto non observat. Part. 4, in *Descript. terminor.* cap. *Temperantia*.

S. MAXIMUS MART. Hypocrisis est amicitiæ fucus, vel odium habitu amicitiæ velatum. *Prosec.*

Aut inimicitiæ, quæ sub benevolentia exercentur.

Aut invidia, quæ dilectionis stylum imitatur.

Aut vita splendens non reipsa, sed fictione virtutis.

Aut justitiæ simulatio quæ sola apparentia conservatur.

Aut deceptio veritatis habens formam, cujus studiosi sunt hi, qui pravitate morum serpentes imitantur. Centuria 3, cap. 67.

S. PETRUS CHRYSOL. Quid est hypocrisis, nisi species arte composita! quæ aliud in re agit, aliud promit in vultum. Serm. 172.

S. THOMAS AQUINAS. Simulatio est quoddam mendacii genus, quo aliud facto, seu habitu externo indicatur, et aliud vel potius contrarium in abditis animi recessibus occultatur. Secunda secundæ, quæst. 111, in axiomate.

Simulatio proprie est vitium quoddam in exteriorum signis factorum consistens, *Ibid.*, quæst. 111, art. 1.

Hypocrisis simulatio est, non autem omnis simulatio est hypocrisis : sed solum illa, qua quis simulat personam alterius, sicut cum peccator simulat personam justi. *Ibid.*, quæst. 111, art. 2.

S. ANTONIN. *Divisio*. Triplex est hypocrisis : prima est dæmonis ; secunda carnis, tertia hominis : dæmon se transformat in angelum lucis ; caro simulat se mortificatam esse vitiis et passionibus ; homo decipit sub specie sanctitatis. Part. 2, tit. 4, cap. 7, § 1.

S. BONAV. Est simulatio cautelæ, instructionis, et duplicitatis. *Prosec.*

Simulatio cautelæ fuit in Jehu, cum finxit se cultorem Baal : simulatio instructionis fuit in Christo, cum finxit se longius ire : simulatio vero duplicitatis est in hypocritis. In lib. 3, *Sent.*, dist. 38, art. 1, quæst. 2.

HUGO CARD. Sunt quatuor partes hypocrisis : prima est simulatio falsi boni ; secunda, dissimulatio veri mali ; tertia, jactantia aperti boni ; quarta, excusatio aperti mali. Super *Job* cap. XXXVI.

S. ANTONIN. *Productio*. Hypocrisis filia est inanis gloriæ. Part. 2, tit. 4, cap. 7.

Simulatio mendacii mater est, sæpe etiam materia. *Gradu* 12. S. JOAN. CLIM.

*Comparatio* Sicut gallina statim cantat, cum posuerit ovum ; sic hypocrita statim vult videri, cum fecerit aliquod opus bonum. Tit. 1 *Diætæ*, cap. 3. S. BONAV.

Quod corporibus est hydrops, hoc est hypocrisis animabus. *Prosec.* S. PETRUS CHRYSOL.

Hydrops bibendo sitit, hypocrisis inebriata sitit. Serm. 7, *de Hypocrisi*.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Hypocrita in cunctis suis operibus nihil aliud sperat, nisi honoris reverentiam, gloriam laudis, a melioribus metui, sanctus ab hominibus vocari. Part. 1, tit. 6, cap. 7, § 1. S. ANTONIN.

2. Hypocrita licet tibi sit facies inculta, neglecta cutis, tristis vultus, exterminatus aspectus ; hic ab hominibus invenisti laudem, sed coram Deo fructum perdidisti. *Prosec.*

3. Hypocrita abstinentiæ intrasti fluctus, continentiæ conscendisti undas, enatasti jejunii pelagus, et in ipso portu naufragasti.

4. Fratres, fugiendum est virus, pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem : sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Part. 2, tit. 4, cap. 7, § 4.

5. Hypocrisim qui fugerit, vincit ; qui incurrerit, non evadit. *Ibid.*, cap. 7, § 4.

6. Hypocritarum caput antichristus designatur, quia pessimus hominum ille permaxime cum hypocrisi decipiet. *Ibid.*

7. Pro nihilo habetur virtus animi, et simulatio passim magis placet. Serm. *de Vanitate mundi.* S. ANTONIUS ABBAS.

8. Hypocritæ personarum aliarum partes agunt non enim qui agit partes Agamemnonis, vere ipse est, sed simulat eum, et hypocrita dicitur. *De Serm. Dom. in monte*, lib. 2. S. AUGUST.

9. Ubi virtus non est, jactantia est, hypocrisis est : et ubi hypocrisis, ubique dolus. Lib. 2 *contra Julian.*, cap. 8.

10. Hypocrisis est aurea, quia foris quidam apparent hominibus quasi justi, intus autem pleni sunt omni immunditia. Homil. 14 super *Apoc.*

11. Nulla est superstitio, quæ frontidet signum, nisi hypocrisis, id est, fingunt se bonos cum sint mali. *Ibid.*

12. Hypocrita multa sustinet, multa portat, et foris in cunctis apparet. Serm. 13, *ad Fratr. in eremo.*

13. Hypocrita omnia judicat, ut nemo sit qui eum audeat judicare. *Ibid.*, serm. 26.



14. Hypocrita omnia despicit, ut ipse solus sit qui ab omnibus aspiciatur. *Ibid.*

15. Malui habere cæcos vel claudos, quam plangere mortuos : qui enim hypocrita est, mortuus est. Serm. 2, *de Commum vita clericorum.*

V. BEDA. 16. Duplicis peccati reatus est, et non esse sanctus quod crederis, et simulare quod sanctus sis. In suis *Proverb.*, verbo *Duplicis*.

S. BERNARD. 17. Rogo et obsecro vos, fratres, fugite omnem simulationem. Serm. 1, *de Septem panibus.*

18. Hypocrita singularia magis et inusitata sectatur, vanisque favoribus delectatur, ut propriæ fragrantiam opinionis respergat. Serm. 1 *Quadr.*

19. Sæpe sub habitu religionis animum sæcularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. *Ibid.*, serm. 2.

20. Hypocrisis abscondit quod est, et quod non est mentitur. Serm. 23 super *Cant.*

21. Hypocrisis negotiatur omni tempore, formam retinens pietatis ad sese occultandum, virtutem autem ejus vendicans et emens honores. *Ibid.*

22. Tu te depretiaris in secreto apud teipsum veritatis trutina ponderatus, et foris alterius pretii mentiens, majori te pondere vendis nobis, quam ab ipsa accepisti. *Ibid.*, serm. 42.

23. Hypocrita foris candidus, intus sordidus ; amator vanæ gloriæ, verba Sanctorum habet, vitam non habet. *De Ordine vitæ.*

24. Dupliciter damnantur hypocritæ, sive pro occulta iniquitate, sive pro aperta simulatione ; nam non semper latent hypocritæ. *Ibid.*

25. Omne sincerum permanet, quæ simulata sunt, diuturna esse non possunt. *Ibid.*

26. Non sis aliud in secreto, et aliud in publico : qualis vis haberi, talis esto : qualis est in facie, talis esto in operatione : et qualis es in vultu, talis esto in actu. Serm. 9, *ad Sororem.*

S. BONAV. 27. Hypocritæ in tenebris sunt ; quia abscondunt quod est, et mentiuntur quod non est. Super *Psalm.* XC.

28. Hypocritarum opera, quamvis ad tempus inter justorum merita lucere videantur, in fine tamen, quia a fructu sunt vacua, funditus annullantur. *De Eccles. hierarch.*, part. 4, cap. 4.

S. CYPRIAN. 29. Tanta est hypocritarum dementia, ut fœtoribus pro odoribus abutantur, et pretiosa vilia, et aspera suavia arbitrentur. *De Jejun. et tent. Christi*, cap. 1.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 30. Cave simulatam mentem habere, o homo, propter illum, qui scrutatur corda et renes : quia delectum faciens animarum Dominus, voluntates illarum scrutatur, ac si quam hypocrisim deprehenderit occultam, rejicit hominen illum. *Catech.* 1.

31. Inexorabilis est judex, relinque hypocrisim. *Ibid.*, catech. 3.

32. Imitatur virtutem improbitas, et zizania contendunt triticum videri, quæ quidem specie quadam tritico assimilantur, gustu autem sentientibus facile discernuntur. *Ibid.*, catech. 4.

33. Hypocrita sanctitate viret apparenti, sed viror ejus deficiet in furore divini judicii. Super *Job*, cap. VIII, *Moral.* GLOSS. ORD.

34. Hypocrita est avarus raptor, qui dum inique agens desiderat de sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ. *Ibid.*, cap. 27.

35. Omnes hypocritæ dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctæ conversationis habent, sed veritatem sanctæ actionis non habent. Lib. 31 *Moral.*, cap. 5. S. GREGOR. MAGNUS.

36. Hypocrita minus prodit in opere, quam in ejus latet cogitatione : etsi in se mala omnia non ostendit, omnia tamen inferre proximis appetit. *Ibid.*, lib. 15, cap. 16.

37. Hypocritæ nunquam quid agant, sed quomodo de actione qualibet hominibus possint placere considerant. *Ibid.*, lib. 31, cap. 8, num. 11.

38. Hypocritæ charitatis viscera nesciunt : quia eorum mens quanto per mundi concupiscentiam in exteriora resolvitur, tanto per inaffectionem suam interius obduratur. *Ibid.*, cap. 9, super illud *Job* XXXIX : *Duratur ad filios.*

39. Omnes hypocritæ in prima facie quod ostendunt, quasi ex ratione sanctitatis est : sed bestiale est corpus quod sequitur, quia valde iniqua sunt, quæ sub boni specie moliuntur. *Ibid.*, lib. 33, cap. 24, num. 32.

40. Omnis hypocrita, quia vitam justitiæ simulat, justorum sibi laudem arripit, et quasi prædator alienum violenter tollit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 16, num. 16.

41. Hypocrisis cunctis intuentibus, imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. *Ibid.*, lib. 7, cap. 12.

42. Hypocrita per arrogantiam depravatur, qui paratior est mori, quam corripi. *Ibid.*, lib. 8, cap. 24, super illud *Job* : *Cum adhuc sit in flore.*

43. Hypocrita in laude positus, ne hunc quisquam corripere audeat, asperitate sua protinus vitam corripientis secat. *Ibid.*

44. Hypocrita sanctus esse non appetit, sed vocari : et cum fortasse corripitur, quasi in opinionis gloria detruncatur. *Ibid.*

45. Hypocrita deprehensum se in pravitate irascitur, loqui sibi redarguentem prohibet ; quia velut in occulto vulnere tactus dolet. *Ibid.*

46. Hypocrita qualis imperitis innotescit, talis

vult ab omnibus æstimari : et paratior est mori, quam corripi. *Ibid.*

47. Hypocrita in cunctis suis operibus, nihil sperat nisi honoris reverentiam, gloriam laudis, a melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari. *Ibid.*, super illud *Job* VIII : *Sic viæ omnium.*

48. Hypocritæ spes permanere non valet, quia æternitatem non quærens, fugit quod tenet. *Ibid.*

49. Hypocritæ spes peribit, quia humanus laus, quam magnis laboribus appetit, impulsa temporum momentis decurrit. *Ibid.*

50. Hypocrita pro bono opere a cunctis honoratur, cæteris præeminet, subjectas hominum mentes tenet, majoribus locis attollitur, favoribus nutritur, et ipsa sua vecordia pascitur. *Ibid.*, cap. 25, num. 29.

51. Hypocritarum fiducia aranearum telis similis dicitur, quia omne quod ob obtinendam gloriam insudant, ventus vitæ mortalis dissipat. *Ibid.*, cap. 26.

52. Hypocrita quidquid cum labore peragit, aura humana favoris tollit ; et dum in appetitu laudis opus deficit, quasi in ventum labor evanescit. *Ibid.*

53. Hypocritarum ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur : et ad hæc humanos oculos quærunt, admirationis gloriam expetunt. *Ibid.*

54. Simon crucem portat, sed nequaquam moritur : omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam affligit, sed tamen per amorem gloriæ, mundo vivit. *Ibid.*, super illud *Matth.* XXVII : *Invenerunt hominem Cyrænæum.*

55. Hypocrita nihil aliud in omne quod agit, nisi opinionis suæ gloriam cogitat, nec curat quo postea per meritum ducitur, sed quid interim dicatur. *Ibid.*, cap. 27.

56. Domus hypocritæ est delectatio favoris, quam quasi quietus inhabitat : sed stare domus hæc non valet, quia laus cum vita præterit, et humanus favor in judicio non subsistit. *Ibid.*

57. Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis, quæ hoc ostendit in imagine quod non habet ex veritate ? *Ibid.*, lib. 15, cap. 4.

58. Sanctitas hypocritarum somniantium similitudinem habet, in quibus est ostensio phantasmatis, non certitudo virtutis. *Ibid.*

59. Quis est locus hypocritæ, nisi cor adulantium ? ibi quippe requiescit, ubi favores invenerit. *Ibid.*, cap. 5.

60. Habet hypocrita nonnunquam aliquid forte ac validum in operatione : sed dum multa bona se simulat habere, quæ non habet, perdit etiam quæ habet. *Ibid.*

61. Hypocrita vult scire divina eloquia, nec tamen facere : vult docte loqui, nec vivere ; pro eo quod non agit quæ novit, etiam hoc quod novit, amittit ; ut perdat scire, quod sciendo noluit agere. *Ibid.*, cap. 8, num. 7.

62. Hypocrita, qui de doctrina favores quærit, fur judicabitur : quia per hoc quod justa loquitur, laudem sibi vitæ justorum rapit. *Ibid.*, cap. 8, num. 7.

63. Hypocrita dum præsentia lucra quærit, munera futura despicit : et fidem non habens, spem negligit eorum quæ non videntur. *Ibid.*, cap. 10, super illud *Job* XX : *Non videat rivulos fluminis.*

64. Studium hypocritarum esse solet, ut et quod sunt, supprimant ; et hoc quod non sunt, esse se hominibus innotescant. *Ibid.*, lib. 18, cap. 7.

65. Duo in hypocritis agnoscuntur, unum intus, alterum foris : intus quidem purum malum, foris bonum simulatum. Lib. 6, in I *Reg.*, cap. II, super illud I *Cor.* II : *Qui manducat panem.*

66. Inter hypocritas jure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis. Parte 2 *Pastoral.*, cap. 6.

HAYMO. 67. Pessimum genus est hypocritarum, qui in sæculo carnem macerant, et in futuro mercede privantur. Serm. *Dom.* 5 *post Pent.*

S. HIERON. 68. Quamvis aliis vitiis carere possumus, hypocriseos maculam habere non posse, aut paucorum, aut nullorum. Libro 2 *Dialog.*, *advers. Pelag.*

69. Omnis hypocrita est aliud simulans et aliud agens ; promittens castitatem et vivens luxuriose, paupertatem præferens et replens marsupium. Libro 4 super *Isai.*, cap. IX, super illud : *Et disperdet ab Israel.*

70. In comparatione duorum malorum, levius malum est aperte peccare, quam simulare et fingere sanctitatem. *Ibid.*, lib. 6, cap. XVI.

HUGO A S. VICTORE. 71. Exterius contegor ovis vellere ; intus autem sævio cupiditate : coram Domino consisto extensis manibus quasi crucifixus ; crucem simulans, et tamen non portans. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 23.

72. Hypocrita sua mala celat, pallidus est ; bona sua prædicat, incultus ingreditur ; omnia operatur ut videatur, superbus et impatiens est. Lib. 4 *de Propriet. rerum.*, cap. 8.

73. Hypocrisis est malum futile, virus latens, fur custodiens, ærugo consumens, tinea demoliens : de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, de virtute vitium, de mercede dispendium, de remissione peccatum. Lib. 3 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 2.

HUGO CARD. 74. Hypocritæ anterius, sicut homines, videntur, sed posterius bestiæ sunt : bene enim loquuntur, sed male vivunt : boni apparent, sed mali sunt. Super III *Reg.* X.



75. Domus hypocritæ est favor humanus, vel fiducia sanctitatis, cui modo innititur, quia stat coram hominibus. Super *Job*, cap. 8.

76. Omnis hypocrita intendit aut divitias, aut delicias, aut honores, aut gloriam hominum. *Ibid.* cap. 36.

77. Hypocrisis vicus est diaboli. Super *Psalm.* LXIV.

78. Cauda diaboli est hypocrisis, quæ ut cauda turpitudinem peccatorum tegit. Sup. *Psalm.* LXXIII.

79. Hypocritæ sunt vacui veritate, sed pleni vanitate. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXIV.

80. Hypocrita pro modico vento vanæ laudis dat quod plus valet, quam totus mundus. Super *Threnos*, cap. IV. *Moraliter.*

81. Vita hypocritarum exterius est pulchra, interius autem est vermiculosa conscientia, et plena nequitia. Super *Matthæum*, cap. VII.

82. Hypocrita qui dicit peccatum se habere, foris fingit humilitatem, et intrinsecus amplectitur vanitatem. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XII.

83. Hypocritæ exterius habent similitudinem Dei, sed interius habent cauterium diaboli. Super I *Tim.* IV.

84. Hypocritæ per dulcem locutionem, vel honestam exterius conversationem, se simulant esse cives cœli, sed per internam affectionem sunt rustici inferni. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. II.

85. Hypocritæ de patria cœlesti non sunt, quia affectionem interiorem ad mundana, non ad cœlestia convertunt. *Ibid.*

86. Hypocrita est corpus sine spiritu, quia habet opera sine charitate, quæ est forma operum. Super *Apocalyps.*, cap. III.

S. JOANNES CHRYSOST. 87. Qui propter homines sua facit, aliud habet in corde, aliud monstrat in opere : in facie propter necessitatem hominum facit, et videtur misericors : in corde autem propter vanam gloriam agit, et est vanæ gloriæ mercator. Hom. 13 super *Matth. Oper. imp.*

88. Omnes hypocritæ astutiores sunt cæteris hominibus simpliciter viventes, et in astutia sua cogitant quomodo aliquem lædant, et cum læserint, ita simpliciter ambulant, quasi nemini nocuerint. *Ibid.*, Homil. 45.

89. Totum hypocritæ malitiæ est, quidquid in eo consistit, ut quod est, celet ; quod non est, se esse simulet. Hom. II ex *Divers.*, in *Matth.*

90. Sicut sepulcrum, quandiu clausum est, pulchrum videtur a foris ; si vero fuerit apertum, horribile est : sic et simulatores bonorum, quandiu non cognoscuntur, laudabiles sunt ; cum autem cogniti fuerint, inveniuntur abominabiles. Homil. 45, super *Matth. Oper. imperfect.*

91. Nihil in Ecclesia nocet magis, quam versuta simulatio. Homil. II, super *I Tim.*

S. JOAN. CLIM. 92. Simulatio mendacii mater est, sæpe etiam materia. *Grad.* 12.

93. Simulatio est mendacii meditatio atque opifex, agglutinatum sibi atque connexum habens jusjurandum. *Ibid.*

94. Hypocrisis est et corporis et animæ contra jus status, adinventionibus omnibus impletus. *Ibid.* Gradu 24.

JOAN. TRITH. 95. Nulla res sic exhaurit animæ vires, sicut hypocrisis : nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur. Lib. 2 *de Tent. relig.*, cap. 5.

96. Diversi coloris est omnis hypocrita, aliis adulatur, aliis detrahit : mordax ut canis, dolosus ut vulpes, superbus ut leo, tristis ut catus. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPAL. 97. Hypocrita verba Sanctorum habet, vitam non habet : et quos per sermonem doctrinæ genuerit, non fovet exemplis, sed deserit : quia quos verbo ædificat, vita et moribus destruit. Lib. 3. *de Summo bono*, cap. 24, sent. 1.

98. Hypocritæ simulatores dicuntur, qui justi non esse quærunt, sed tantum videri cupiunt. *Prosec.*

99. Hi mala agunt, et bona profitentur : per ostentationem quippe boni apparent, per actionem vero mali existunt. *Ibid.*, sent. 2.

100. Omnia possunt a simplicibus vitia perpetrari, simulatio vero et hypocrisis non committitur, nisi a male astutis, per calliditatem valentibus vitia sub specie virtutum celare, et non veram sanctitatem objicere. *Ibid.*, sent. 3.

101. Hypocritæ malitiæ suæ occulta tegentes ante oculos hominum, quadam innocentiæ sanctitate se vestiunt, ut venerentur. *Ibid.*, sentent. 4.

102. Dupliciter damnantur hypocritæ, sive pro occulta iniquitate, sive pro operta simulatione. Ex illo enim condemnantur, quia iniqui sunt ; ex isto, quia ostendunt quod non sunt. *Ibid.*, sent. 5.

103. Non semper latent hypocritæ : nam etsi in principio sui quidam non pateant, prius tamen quam vita eorum finiatur, quam simulate vixerint deteguntur. *Prosec.*

104. Omne enim sincerum permanet ; sed quæ simulata sunt, diuturna esse non possunt. *Ibid.*, sent. 6.

105. Hypocritæ in occulto mali sunt, et bonos se palam ostendunt. *Ibid.*, sent. 7.

ORIGENES. 106. Hypocrisis, cum sit aliqua simulatio boni, nihil quidem habet vitale ex eo bono quod simulat, virtutis illius quam simulat mortua est justitia, aut castitas. Tract. 25 in *Matth.*, cap. XXIII.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PETR. BLES. 107. Res magni discriminis est, ignominiam sæculi sub religionis habitu circumferre, impietatem sub pietatis umbraculo, et antichristum sub Christi vestibus occultare. Epist. 131, *ad quemdam Prior.*

S. PETRUS CHRYSOL. 108. Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. *Prosec.*

109. Adversa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant, impugnant palam, unde et caventur tam facile, quam videntur. Serm. 7, *de Hypocrisi.*

110. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit.

111. Hypocrisis cognata febris, frigido populo propinat ardorem. *Ibid.*

112. Hypocrisis, dum cupit captivare oculos, oculis fit ipsa captiva. *Ibid.*

S. PROSPER. 113. Hypocritæ prædicant magna, nec faciunt; accusant vitia, nec deponunt; publice sibi displicere simulant, quod occulte committunt; magni student videri, non fieri; laudant eos, quorum cupiunt prædicatione laudari; jejunant, ut vultus sui pallorem perniciosis laudibus vendant: ad reprehendendos alios prompti, sed se non patientura quibuslibet vel leviter reprehendi; ad faciem publicam patientiam fingunt, et in animo iracundiæ virus abscondunt; ad nocendum paruli, cum nocendi tempus invenerint; suorum actuum negligentes fiunt, aliorum procaci libertate censores. Lib. 2, *de vita Contemplat.*, cap. 4.

RICH. A S. VICTORE. 114. Hypocritæ quidem sanctitatem opere prætendunt, sed perversum est quod diligunt, et quod intus vivit in affectione, necesse est quandoque erumpat et appareat in opere. Part. 1, lib. 3, *de Erudit. hom. inter.*, cap. 2.

THALASSIUS 115. Sub charitatis figmento hypocrisin occultat, qui ore probat, quod apud se vere nihili facit. *Hecatontad.* 1, sent. 3.

THOMAS A KEMPIS. 116. Non potest diu latere ficta sanctitas. Serm. 14, *ad Novit.*, div. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

117. Totius injustitiæ nulla capitalior, quam eorum qui tum cum maxime fallunt, id agunt, ut boni viri esse videantur. Lib. 2, *de Offic.*

118. Nec simulatum quidquam potest esse diuturnum: ficta enim omnia celeriter tanquam flosculi decidunt. Lib. 2, *de Offic.*

119. Nulla pernicies vitæ major inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiæ. *Ibid.* lib. 3.

120. Malus ubi bonum se simulat, tunc est pessimus. In suis *Sent.*, sent. 227. MIMUS PUBL.

121. Nihil simulatio proficit: paucis imponit leviter extrinsecus inducta facies; veritas in omnem partem sui, semper eadem est. Epist. 79. SENECA.

122. Nulla simulatio multo tempore latebit. *Sentent.* 316. SIXT. PHIL.

Vide etiam titulos *Apparere*, sent. 35; *Favor*, sent. 18, 19; *Fortitudo*, sent. 24; *Humilitas*, sent. 6; *Jactantia*, sent. 23; *Laus in genere*, sent. 104, 105; *Malitia*, sent. 2; *Murmur*, sent. 8, 9.

## IDOLOLATRIA.

*Etymologia.* Græce εἶδος, latine forma interpretatur, et inde per diminutionem dicitur idolum, id est, formula. Super 1 *ad Corinth.*, cap. v, in illud: *Nihil est idolum.* S. ANSELM.

Idolum dictum est, eoquod ipsum sit dolum, id est, hominum falsitate repertum. Super *Psalm.* XCVI. CASSIODOR.

*Definitio.* Idololatria est cum honor Creatori debitus, creaturis exhibetur. *De Paradiso animæ*, part. 2, *de Vitiis*, cap. 14, sect. 1. S. ALBERT. MAGNUS.

Idolum est simulacrum humana effigie, vel belluina, seu volucrina factum, et consecratum juxta vocabuli sui interpretationem. Super 1 *ad Cor.*, cap. 4, in illud: *Nihil est idolum.* S. ANSELM.

Idololatræ inde dicuntur, quod simulacris eam servitutem exhibent, quæ debetur Deo. Lib. 1 *de Trin.*, cap. 6. S. AUGUST.

Idololatria est falsa et superstitiosa protestatio majestatis divinæ in idolo. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 26. S. BONAV.

Idololatria est vitium, quo quis cultum latriæ alteri quam Deo exhibet. Part. 3 *de Descript. termnor.*, cap. *Justitia.* JOAN. GERS.

Idolum est, quod non est, nec habet aliquid simile sui. Hom. 8 in caput XX *Exodi*, super illud: *Non facies tibi idolum.* ORIGENES.

Idola sunt inanes imagines. Lib. 1 *de Finibus.* CICERO.

*Divisio.* Idololatria triplex est: paganorum, avarorum, gulosorum: idololatria paganorum est mala, quia colunt aurum et argentum; idololatria avarorum est pejor, quia quasi Deum adorant nummum; idololatria gulosorum est pessima, quia gulosi colunt deum vilissimum, scilicet ventrem. Tit. 3 *Diætæ*, cap. 2. S. BONAV.

*Productio.* Ludorum omnium mater, idololatria est. *De spectaculis*, cap. 4. S. CYPRIAN.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT. MAG. 1. Pro quocunque quis Creatori suo renuntiat, sive sit peccatum, sive res alia, illud veraciter pro idolo in mente portat. *De Paradiso animæ*, part. 2, *de Vitiis*, cap. 14, sect. 1.



2. Quoties homo aliquid facit, dimittit, vel patitur, quod nullatenus pro Deo faceret, dimitteret, vel pateretur, toties procul dubio idolum veneratur. *Prosec.*

3. Heu! quoties est fœmina viro idolum; et e contra, amicus amico, dominus servo, pueri parentibus, cum pro amore, vel timore humano recedat a præcepto divino.

4. Quidquid enim subtrahitur a Deo, computandum est pro idolo. *Ibid.*, cap. 14, sect. 2.

5. Cum spiritualis homo in opere suo aliud intendit principaliter præter Deum, sive hominum placentiam, sive commodum transitorium, sive gratiam in præsenti, sive gloriam in futuro, idolum est. *Ibid.*, cap. 14, sect. 3.

6. Sicut qui idolis servit, cultum debitum Creatori imaginatæ creaturæ tribuit: sic et avarus cum Deum solum colere deberet, colit potius nummos, in quibus præfiguratæ sunt imagines imperatorum. *Prosec.*

7. Hoc enim unusquisque Deum habet, quod præ omnibus diligit, in quo præ omnibus spem atque fiduciam habet.

8. Avarus hoc agit specialiter de nummis, id est, plus diligit nummos, quam aliud, et plus cogitat de nummis, atque plus sperat se confidit in nummis, quam in alia re: idcirco nummi, ejus sunt dii.

9. Jure ergo vocatur idololatra, quia Deum non colit, sed nummos et imagines mortuorum regum impressas. Super *Epist. ad Colossens.*, cap. 3, in illud: *Simulacrorum servitus.*

10. Idololatriæ universæ creaturæ auctorem conditoremque non noverunt, inde est, quod in simulacra præcipitantur. *De Vera relig.*, cap. 37.

11. Nihil homines tam insatiabiles reddit vitæ perversitate, quam idololatrarum imitatio. Epist. 202, *ad Nectarium, episcopum.*

12. Nullus hominum idolum colit, nisi Dei blasphemus extiterit. Lib. 2 *de Mirabil. sacræ Script.*, cap. 18.

S. BERNARDIN. SEN. 13. Ridiculum videtur, quod aliquis judicetur idololatra, quia duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit offerre Deo: et ille non judicetur idololatra, qui totum servitium vitæ suæ offert creaturæ, et nihil Deo. Serm. 53, *Fer. 2, post Dom. Pass.*, art. 2, cap. 2.

S. BERNARD. 14. Profecto quisquis plus amat mundum quam Deum, impius atque idololatra esse convincitur, serviens creaturæ potius quam creatori. Epist. 107, *ad Thomam.*

S. CLEMENS PAPA. 15. Nullum peccatum idololatria reperitur gravius, ea est enim contra Deum impietas. Lib. 2, *Constit.*, cap. 27.

16. Sic idololatriæ indignatur Deus, ut præceperit etiam eos interfici, qui servire idolis suaserint. *De Exhort. mar.*, cap. 5. S. CYPRIAN.

17. Ab idolis se custodiant omnes, qui ad Deum verum reverenter accedunt. Super epist. 1 *Joan.*, cap. v. DIDYM. ALEX.

18. Idolum nihil est. Super *Exod.*, cap. XX. GLOSS. ORD.

19. Idola, quæ in fanis sunt, destruantur. Lib. 9 in *Registro*, indict. 4, cap. 71, epist. 71, *ad Mellitum abbat.* S. GREGOR. MAGNUS.

20. In cognitione veritatis statum idololatria perdit. Lib. 3 in *Regum* cap. III.

21. Idololatriæ caput est diabolus, omnis iniquitatis initium. *Ibid.*

22. Idolis vanis sacrificia nusquam offeruntur. *Ibid.*

23. Omnium malorum extremum, ac primum, est idolorum cultus. Orat. *de Nativit. Christi.* S. GREGOR. NAZ.

24. Grave crimen idololatria est. Serm. *Dom. 26, post Pent.* HAYMO.

25. Quidquid diaboli est, et quod diaboli est, idololatria est, cui omnia idola mancipantur. Epist. 1, *ad Heliodor.* S. HIERON.

26. Cui Deus venter est, Deus ei recens est: quotcunque vitia habemus, quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est: vidi mulierem et concupivi, libido mihi Deus est: unusquisque enim quod cupit et veneratur, hoc illi Deus est. Super *Psalm.* LXXX, vers. 8: *Non erit in te Deus recens.*

27. Qui adorat creaturam, negat Creatorem. Super *Job*, cap. XXI. HUGO CARD.

28. Idololatra servit simulacro: cultum idololatriæ diligenter amplificat, cum omni diligentia colit simulacrum, spem ponit in idololatria et timet mutilare simulacrum. Lib. 2 *de Contemptu mundi*, cap. 12. S. INNOC. III

29. Unusquisque quod præ cæteris colit, quod super omnia miratur et diligit, hoc ei Deus: si quid est in quo dilectionis lance præponderat, hoc tibi Deus est. Homil. 2, in cap. II *Judic.* ORIGENES.

30. Totius gentilitatis error hinc accepit exordium, dum ea quæ multum diligunt homines, deos esse volunt, et humanis quibusque vitiis et cupiditatibus divinum nomen adscribunt. *Ibid.*

31. Non solum de corporeis simulacris faciunt sibi homines, deos: sed et de corde confingunt. Qui conantur simulare sibi alium creatorem extra universitatis Deum, alium Spiritum sanctum, alium Christum, ii omnes fecerunt sibi deos. *Prosec.*

32. Omnes igitur tam de visibili materia, quam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

PETR. BLES. 107. Res magni discriminis est, ignominiam sæculi sub religionis habitu circumferre, impietatem sub pietatis umbraculo, et antichristum sub Christi vestibus occultare. Epist. 131, *ad quemdam Prior.*

S. PETRUS CHRYSOL. 108. Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. *Prosec.*

109. Adversa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant, impugnant palam, unde et caventur tam facile, quam videntur. Serm. 7, *de Hypocrisi.*

110. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit.

111. Hypocrisis cognata febris, frigido populo propinat ardorem. *Ibid.*

112. Hypocrisis, dum cupit captivare oculos, oculis fit ipsa captiva. *Ibid.*

S. PROSPER. 113. Hypocritæ prædicant magna, nec faciunt; accusant vitia, nec deponunt; publice sibi displicere simulant, quod occulte committunt; magni student videri, non fieri; laudant eos, quorum cupiunt prædicatione laudari; jejunant, ut vultus sui pallorem perniciosis laudibus vendant: ad reprehendendos alios prompti, sed se non patientura quibuslibet vel leviter reprehendi; ad faciem publicam patientiam fingunt, et in animo iracundiæ virus abscondunt; ad nocendum paruli, cum nocendi tempus invenerint; suorum actuum negligentes fiunt, aliorum procaci libertate censores. Lib. 2, *de vita Contemplat.*, cap. 4.

RICH. A S. VICTORE. 114. Hypocritæ quidem sanctitatem opere prætendunt, sed perversum est quod diligunt, et quod intus vivit in affectione, necesse est quandoque erumpat et appareat in opere. Part. 1, lib. 3, *de Erudit. hom. inter.*, cap. 2.

THALASSIUS 115. Sub charitatis figmento hypocrisin occultat, qui ore probat, quod apud se vere nihili facit. *Hecatontad.* 1, sent. 3.

THOMAS A KEMPIS. 116. Non potest diu latere ficta sanctitas. Serm. 14, *ad Novit.*, div. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

117. Totius injustitiæ nulla capitalior, quam eorum qui tum cum maxime fallunt, id agunt, ut boni viri esse videantur. Lib. 2, *de Offic.*

118. Nec simulatum quidquam potest esse diuturnum: ficta enim omnia celeriter tanquam flosculi decidunt. Lib. 2, *de Offic.*

119. Nulla pernicies vitæ major inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiæ. *Ibid.* lib. 3.

MIMUS PUBL. 120. Malus ubi bonum se simulat, tunc est pessimus. In suis *Sent.*, sent. 227.

SENECA. 121. Nihil simulatio proficit: paucis imponit leviter extrinsecus inducta facies; veritas in omnem partem sui, semper eadem est. Epist. 79.

SIXT. PHIL. 122. Nulla simulatio multo tempore latebit. *Sentent.* 316.

Vide etiam titulos *Apparere*, sent. 35; *Favor*, sent. 18, 19; *Fortitudo*, sent. 24; *Humilitas*, sent. 6; *Jactantia*, sent. 23; *Laus in genere*, sent. 104, 105; *Malitia*, sent. 2; *Murmur*, sent. 8, 9.

## IDOLOLATRIA.

S. ANSELM. *Etymologia.* Græce *εἶδος*, latine forma interpretatur, et inde per diminutionem dicitur idolum, id est, formula. Super 1 *ad Corinth.*, cap. v, in illud: *Nihil est idolum.*

CASSIODOR. Idolum dictum est, eoquod ipsum sit dolum, id est, hominum falsitate repertum. Super *Psalm.* xcvi.

S. ALBERT. MAGNUS. *Definitio.* Idololatria est cum honor Creatori debitus, creaturis exhibetur. *De Paradiso animæ*, part. 2, *de Vitiis*, cap. 14, sect. 1.

S. ANSELM. Idolum est simulacrum humana effigie, vel belluina, seu volucrina factum, et consecratum juxta vocabuli sui interpretationem. Super 1 *ad Cor.*, cap. 4, in illud: *Nihil est idolum.*

S. AUGUST. Idololatræ inde dicuntur, quod simulacris eam servitutem exhibent, quæ debetur Deo. Lib. 1 *de Trin.*, cap. 6.

S. BONAV. Idololatria est falsa et superstitiosa protestatio majestatis divinæ in idolo. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 26.

JOAN. GERS. Idololatria est vitium, quo quis cultum latriæ alteri quam Deo exhibet. Part. 3 *de Descript. terminor.*, cap. *Justitia.*

ORIGENES. Idolum est, quod non est, nec habet aliquid simile sui. Hom. 8 in caput xx *Exodi*, super illud: *Non facies tibi idolum.*

CICERO. Idola sunt inanes imagines. Lib. 1 *de Finibus.*

S. BONAV. *Divisio.* Idololatria triplex est: paganorum, avarorum, gulosorum: idololatria paganorum est mala, quia colunt aurum et argentum; idololatria avarorum est pejor, quia quasi Deum adorant nummum; idololatria gulosorum est pessima, quia gulosi colunt deum vilissimum, scilicet ventrem. Tit. 3 *Diætæ*, cap. 2.

S. CYPRIAN. *Productio.* Ludorum omnium mater, idololatria est. *De spectaculis*, cap. 4.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT. MAG. 1. Pro quocunque quis Creatori suo renuntiat, sive sit peccatum, sive res alia, illud veraciter pro



idolo in mente portat. *De Paradiso animæ*, part. 2, *de Vitiis*, cap. 14, sect. 1.

2. Quoties homo aliquid facit, dimittit, vel patitur, quod nullatenus pro Deo faceret, dimitteret, vel pateretur, toties procul dubio idolum veneratur. *Prosec.*

3. Heu! quoties est fœmina viro idolum; et e contra, amicus amico, dominus servo, pueri parentibus, cum pro amore, vel timore humano recedat a præcepto divino.

4. Quidquid enim subtrahitur a Deo, computandum est pro idolo. *Ibid.*, cap. 14, sect. 2.

5. Cum spiritualis homo in opere suo aliud intendit principaliter præter Deum, sive hominum placentiam, sive commodum transitorium, sive gratiam in præsenti, sive gloriam in futuro, idolum est. *Ibid.*, cap. 14, sect. 3.

6. Sicut qui idolis servit, cultum debitum Creatori imaginatæ creaturæ tribuit: sic et avarus cum Deum solum colere deberet, colit potius nummos, in quibus præfiguratæ sunt imagines imperatorum. *Prosec.*

7. Hoc enim unusquisque Deum habet, quod præ omnibus diligit, in quo præ omnibus spem atque fiduciam habet.

8. Avarus hoc agit specialiter de nummis, id est, plus diligit nummos, quam aliud, et plus cogitat de nummis, atque plus sperat se confidit in nummis, quam in alia re: idcirco nummi, ejus sunt dii.

9. Jure ergo vocatur idololatra, quia Deum non colit, sed nummos et imagines mortuorum regum impressas. Super *Epist. ad Colossens.*, cap. 3, in illud: *Simulacrorum servitus.*

10. Idololatriæ universæ creaturæ auctorem conditoremque non noverunt, inde est, quod in simulacra præcipitantur. *De Vera relig.*, cap. 37.

11. Nihil homines tam insatiabiles reddit vitæ perversitate, quam idololatrarum imitatio. Epist. 202, *ad Nectarium, episcopum.*

12. Nullus hominum idolum colit, nisi Dei blasphemus extiterit. Lib. 2 *de Mirabil. sacræ Script.*, cap. 18.

S. BERNARDIN. SEN. 13. Ridiculum videtur, quod aliquis judicetur idololatra, quia duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit offerre Deo: et ille non judicetur idololatra, qui totum servitium vitæ suæ offert creaturæ, et nihil Deo. Serm. 53, *Fer. 2, post Dom. Pass.*, art. 2, cap. 2.

S. BERNARD. 14. Profecto quisquis plus amat mundum quam Deum, impius atque idololatra esse convincitur, serviens creaturæ potius quam creatori. Epist. 107, *ad Thomam.*

S. CLEMENS PAPA. 15. Nullum peccatum idololatria reperitur gravius, ea est enim contra Deum impietas. Lib. 2, *Constit.*, cap. 27.

S. CYPRIAN. 16. Sic idololatriæ indignatur Deus, ut præceperit etiam eos interfici, qui servire idolis suaserint. *De Exhort. mar.*, cap. 5.

DIONYS. ALEX. 17. Ab idolis se custodiant omnes, qui ad Deum verum reverenter accedunt. Super epist. 1 *Joan.*, cap. v.

GLOSS. ORD. 18. Idolum nihil est. Super *Exod.*, cap. xx.

S. GREGOR. MAGNUS. 19. Idola, quæ in fanis sunt, destruantur. Lib. 9 in *Registro*, indict. 4, cap. 71, epist. 71, *ad Mellitum abbat.*

20. In cognitione veritatis statum idololatria perdit. Lib. 3 in *Regum* cap. III.

21. Idololatriæ caput est diabolus, omnis iniquitatis initium. *Ibid.*

22. Idolis vanis sacrificia nusquam offeruntur. *Ibid.*

S. GREGOR. NAZ. 23. Omnium malorum extremum, ac primum, est idolorum cultus. Orat. *de Nativit. Christi.*

HAYMO. 24. Grave crimen idololatria est. Serm. *Dom.* 26, *post Pent.*

S. HIERON. 25. Quidquid diaboli est, et quod diaboli est, idololatria est, cui omnia idola mancipantur. Epist. 1, *ad Heliodor.*

26. Cui Deus venter est, Deus ei recens est: quotcunque vitia habemus, quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est: vidi mulierem et concupivi, libido mihi Deus est: unusquisque enim quod cupit et veneratur, hoc illi Deus est. Super *Psalm.* LXXX, vers. 8: *Non erit in te Deus recens.*

HUGO CARD. 27. Qui adorat creaturam, negat Creatorem. Super *Job*, cap. XXI.

S. INNOC. III 28. Idololatra servit simulacro: cultum idololatriæ diligenter amplificat, cum omni diligentia colit simulacrum, spem ponit in idololatria et timet mutilare simulacrum. Lib. 2 *de Contemptu mundi*, cap. 12.

ORIGENES. 29. Unusquisque quod præ cæteris colit, quod super omnia miratur et diligit, hoc ei Deus: si quid est in quo dilectionis lance præponderat, hoc tibi Deus est. Homil. 2, in cap. II *Judic.*

30. Totius gentilitatis error hinc accepit exordium, dum ea quæ multum diligunt homines, deos esse volunt, et humanis quibusque vitiis et cupiditatibus divinum nomen adscribunt. *Ibid.*

31. Non solum de corporeis simulacris faciunt sibi homines, deos: sed et de corde confingunt. Qui conantur simulare sibi alium creatorem extra universitatis Deum, alium Spiritum sanctum, alium Christum, ii omnes fecerunt sibi deos. *Prosec.*

32. Omnes igitur tam de visibili materia, quam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

de falsis dogmatibus fingentes sibi deos, idololatræ sunt. Homil. 12, in cap. XVI, *Hierem.*, super illud : *Si faciet sibi homo deos.*

S. PETRUS DAM. 33. Quomodo tu Christum colis, qui idolum in pecunia veneraris? Opusc. 24, cap. 4.

S. PROSPER. 34. Sic sunt, qui colunt idola, quomodo qui in somniis vident vana : si autem evigilet anima ipsorum, intelligit a quo facta sit, et non colit quod ipsa fecit. Apud *D. August.*

RUPERTUS ABB. 35. Quamvis ab idoli devotione tua conscientia sit libera, cavendum tamen est tibi, ne edas idolis immolata. Lib. 5 *de Spiritu sancto*, cap. 13.

S. THEODOR. 36. Idolum nihil repræsentat quod subsistat. Quæst. 38, super *Exod.*

37. Quid desertius est iis, qui adorant idola? Sect. 9 super *Ezech.*

38. Deos, qui nihil prodesse queunt, laudare non desinis. Orat. 5 super *Daniel.*

39. Quid dementius esse potest his, qui idola manu facta adorant; qui sane cum materiam et artificium non ignorent, tamen tanquam deis stupide cultum divinum adhibent? super *Habacuc*, cap. II, in illud : *Quid prodest sculptile*?

Vide etiam tit. *Imago*, sent. 41; *Excommunicatio*, sent. 9; *Timor Dei*, sent. 46.

## IGNORARE. *Vide* Nescire.

## IMAGO.

CASSIODOR. Imago relative dicitur ad illud, cujus similitudinem gerit, et ad quod imitandum facta est. Lib. 1, *Compend. theolog. veritatis*, cap. 6.

S. BONAV. Imago est alicujus rei existentis similitudo formata. *Psalm.* LXXII, vers. 5.

S. HILARIUS. Imago est ejus rei, ad quam imaginamur, species indifferens. Lib. *de Synodo*, definit. 1.

S. JOAN. DAM. Imagines sunt res, quas conspicimus, earum rerumque sub aspectum cadunt, quæque cum figuram non habeant, corporeis figuris exprimuntur, quo facilius cognoscantur. Orat. 1, *de Imaginibus.*

Imagines sunt monimenta quædam : etenim illitteratis hominibus hoc sunt, quod litteratio libri : et quod auribus oratio, idem est oculis imago. *Ibid.*

Imago est similitudo, exemplum atque effigies, quæ illum in se, cujus imago est, exprimit. *Ibid.*, orat. 3.

ORIGENES. Imago est hoc, quod recipitur ad præsens, et intueri potest humana natura. Homil. 2, super *Psalm.* XXXVIII.

CICERO. Imago est formæ cum forma, cum quadam similitudine collatio. Lib. 4, *de Arte rhetorica ad Herennium.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Imago Christi in anima per incuriam quidem obscurari potest, deleri autem per naturam non potest. In fragmento *de Fide resurr.*

S. AUGUST. 2. Solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt. *De Octo quæst. Dulcitii*, quæst. 6.

3. Omnis imago similis est ei, cujus imago est; nec tamen omne quod simile est alicui, etiam imago est ejus : imago enim tunc est, cum de aliquo exprimitur. *de Genesi Imperf.*, cap. 16.

4. Præstantior est imago corporis in spiritu, quam ipsum corpus in substantia sua. Lib. 12, *de Gen. ad litter.*, cap. 16.

S. BASILIUS MAGNUS. 5. Honor, qui habetur imagini, ad eum pervenit, cujus imago est. Apud *D. Joan Damasc.*, orat. 1, *de Imag.*

6. Si templa construis Sanctis Dei, eorum etiam trophæa constitue. *Ibid.*

7. In eum, qui regiam imaginem afficit ignominia, non secus animadvertitur quam si ignominia regem ipsum affecisset. *Ibid.*, orat. 3.

S. BERNARD. 8. Se e vicino respiciunt imago, et quod ad imaginem est. Serm. 81, super *Cant.*

9. Oportet id quod ad imaginem est, cum imagine convenire, et non in vacuum nomen imaginis participare. Lib. *Medit.*, cap. 1.

CASSIODOR. 10. Imago habet similitudinem ejus rei, cujus imago est : similitudo autem non semper habet ejus imaginem, cui similis est. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 9.

CLEMENS ALEX. 11. Imago valde divina et Deo similis, est viri justi anima. Lib. 7, *Stromat.*

S. CYPRIAN. 12. Imaginem cœlestem virginitas portat, portat integritas, sanctitas portat et veritas. *De Discipl. et habitu virg.*, cap. 10.

S. DIONYS. AREOPAG. 13. Ea quæ videntur, eorum quæ sub aspectum non cadunt, certæ sunt claræque imagines. Epist. 10, *ad Joan.*, apostol.

14. Nos imaginibus sensum moventibus ad divinas contemplationes, quoad fieri potest, provehimur. *De Eccles. hierarch.* Habetur apud *D. Joan. Damasc.*, orat. 1, *de Imaginib.*

S. GREGOR. MAGNUS. 15. Imaginem Salvatoris nostri, non ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 53, *ad Secundinum.*

16. Imagines Sanctorum, non sunt frangendæ. *Ibid.*, cap. 109, epist 109, *ad Serenum episc. Massiliens.*

17. Idirco pictura in ecclesiis adhibetur, ut hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. *Ibid.*



18. Quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat imaginum pictura cernentibus. *Prosec.*

19. Quia in ipsa etiam ignorantes vident, quod sequi debeant : in ipsa legunt, qui litteras nesciunt. *Ibid.*, lib. 9, indict 4, cap. 9, epist. 9, *ad Serenum episc. Massiliens.*

HUGO CARD. 20. Sicut nec idolum adorandum est, ut Deus : sic nec homo mortuus imagine aliqua colendus est, quantumque gravi, vel sanctus sit. *Prosec.*

21. Sanctorum enim imagines non coluntur, sed Deus veneratur in eis. Super *Levit.*, cap. XXVI.

S. INNOC. III. 22. Imagines Sanctorum non latria, sed dulia possumus venerari : non propter imaginem, quæ per se nihil potest, sed propter imaginatum, qui per se cuncta potest. Serm. 1, *Dedicat.*

S. JOANNES CHRYSOST. 23. Non est vera imago, quæ similis non est auctori. Homil. 35, super *Matth. Oper. imperf.*

24. Qui imagines appetit lapidibus; quosnam appetit lapidibus? an non seipsum! *Prosec.*

25. Si iis qui regis terrestris imaginem lapidibus appetit, seipsum appetit : qui Christi autem imaginem contumelia afficit, non illam sed seipsum contumelia afficit. Homil. 10, super 1. *Thessal.*

S. JOANNES DAM. 26. Honor ille quo probos conservos afficimus, nostræ erga communem Dominum benevolentiæ argumentum est, atque imaginis honor ad exemplar transiit. Lib. 4, *de Fide orthod.*, cap. 17.

27. Tu qui imagines coli negas oportere, ne Dei quidem filium colueris, qui Dei invisibilis est imago vivens, et forma incommutabilis. *Prosec.*

28. Ego Christi, ut Dei, carnem humanam induti, imaginem colo : Dei genitricis omnium Dominæ, ut matris Filii Dei, imaginem colo.

29. Sanctorum martyrum, ut amicorum Dei, qui sanguinem ad Christi gloriam effundentes imitati sunt eum, imagines colo.

30. Eorum denique imagines colo, qui Christi vestigia sequentes, vitam suam instituerunt.

31. Horum facta præclara cruciatusque pictura expressos oculis meis propono, ut eo pacto sanctus efficiar, et ad imitationis studium incendar. Orat. 1, *de Imaginib.*

32. Rerum præstantium imagines non sunt contemnendæ. *Ibid.*

33. Si Regis imago, Rex est, et imago Christi, Christus est, et imago Sancti, Sanctus est. *Ibid.*

34. Ex pictis imaginibus et corporeæ formæ alicujus Sancti effigiem, et quæ mirabiliter gessit, quæque pertulit conspicientes sancti reddimur, gaudio lætitiaque cumulamur. *Ibid.*, orat. 5.

35. Fiunt imagines quo res occultas aperiant, atque indicent : idcirco imagines inventæ sunt, ut nobis ad rerum occultarum demonstrationem atque notitiam, tanquam itineris duces aditum patefacerent. *Ibid.*

S. METHOD. 36. Imagines, quas ex auro conflamus angelorum, eas ad honorem et gloriam Dei conficimus. Orat. 2, *de Resur.* Habet. apud *D. Joan. Damasc.*, orat. 3, *de Imaginib.*

ROBERTUS BELLARM. 37. Imagines Sanctorum non sunt idola, neque earum veneratio idololatria : quoniam neque ipsas imagines deos esse credimus, neque sanctos viros, quos repræsentant, pro diis habemus. Super *Psalm.* CXIII, vers. 16.

TERTULL. 38. Imagini veritas respondere debet. *De Corona milit.*, cap. 9.

39. Indignum est ut imago Dei vivi, imago idoli et mortui fiat. *Ibid.*, cap. 10.

40. Nullius dedignandæ rei imago dignanda est, sequitur enim statum similitudo. Lib. 3, *advers. Marcionem*, cap. 10.

S. THEODOR. 41. Extremæ est dementiæ, imagines creaturarum nobis deservientium Deos facere. Quæst. 1, super *Deuteronom.*

THOMAS A KEMPIS. 42. Imagines Sanctorum excitant mentes devotorum ad amorem et venerationem eorum, ut pro nobis orent. In *Doctrinali juvenum*, cap. 9, sect. 3.

43. Picturæ Sanctorum, scripturæ sunt laicorum, ut videant quid agere et quo tendere debent. *Ibid.*

S. VINCENT FERRAR. 44. Nulla imago est magis propria imagini Dei, quam homo. Serm. 3, *Dom.* 3, *post Pascha.*

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLINIUS II. 45. Si defunctorum imagines domi positæ, dolorem nostrum levant; quanto magis hæc, quibus in celeberrimo loco, non modo species et vultus illorum, sed honor etiam et gloria refertur? Lib. 2, epist. 7, *ad Macrinum.*

46. Quidni ego magnorum virorum imagines, quæ sunt incitamenta animi, et natales celebrem? ego vero illos veneror. Epist. 64.

47. Imago res mortua est. Epist. 84.

## IMITATIO.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Sit nobis vita majorum disciplinæ speculum, non calliditatis commentarium, imitandi reverentia, non disputandi astutia. Lib. 1 *Offic.*, cap. 25.

2. Si auctor non displicet, opus probetur : ut quicunque sibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum. Lib. 2, *de Virgin.*

3. Nullus potest alterius imitationem operatio-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

nis implere, nisi qui ejusdem naturæ habeat unitatem. Lib. 4, *de Fide ad Gratianum*, cap. 8.

4. Qui preces suas exaudiri vult, æmulus debet esse vitæ Sanctorum : cum imitatur enim, communicat. Super *Epist. ad Rom.* cap. XII, in illud : *Memoriis Sanctorum communicantes.*

S. AUGUST. 5. O quam detestandus est error hominum, qui clarorum virorum quædam non recte facta laudabiliter se imitari putant, a quorum virtutibus alieni sunt? *De Unico baptismo*, cap. 13.

6. Non dedignetur quod fecit Christus, facere Christianus. Tract. 68, super *Evang. Joan.*, cap. XIII.

7. Caveant futurum judicium, ne cum mundi principe damnentur, quem judicatum imitantur. *Ibid.*, tract. 95, cap. XVI.

8. Uterque sexus et omnis ætas, habet sanctorum hominum imitationis exemplum. *Prosec.*

9. Imitentur senes mores Tobiæ : qui cum cæcus esset corpore, viam vitæ filio demonstrabat in corde; ille eum manu ducebat in terra, et pater monendo eum perducebat ad cœlum.

10. Imitentur adolescentes Joseph castum, pulchrum corpore, pulchriorem mente, quem castitas sic possederat, ut irruentes minæ dominæ, mulieris impudicæ non possunt eum violare, nec corpore, cujus jam Deus possederat mentem. *De Cataclysmo*, cap. 6.

11. Qui imitatur præpositum male viventem, moritur : qui non imitatur, vivit. *De Pastor.*, cap. 4.

12. Illa tantum digniora sunt imitatione, quantum excellentiora pietate. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 23.

13. Si times spectatores, non habebis imitatores. Tract. 8, super *Epist. Joan.*

14. Multi laudant quod imitari non audent. *De Agone Christ.*, cap. 12.

15. Homo quanquam perfectissimus, non colendus, sed amandus et imitandus est. *De Quant. animæ*, cap. 34.

16. Homines bonos imitare, malos tolera, omnes ama. *De Catechiz. rud.*, cap. 27.

17. Error miserabilis est, ut religione colas quem imitari nolis cum religionis summa sit imitari quem colis. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 17.

18. Veri et germani estote Christiani, nolite imitari nomine christianos, opere vanos. Homil. 20, *ex* LIII *Homil.* cap. 4.

19. Noli imitari malum prædicatorem, sed imitare bonum quod tibi prædicatur. Tract. 5, super *Joan.*

20. Pudet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. *Ibid.*, tract. 25.

21. Cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. *Ibid.*, tract. 46.

S. BASILIUS MAGNUS. 22. Claritudo in vitio multos lubricos ad sui imitationem attrahit : et hæc pestis est quædam animarum. Super *Psalm.* I, conc. 1.

23. Fias imitator recte viventium, et ipsorum actiones cordi tuo inscribe. Serm. 2, *Exercitamentor.*

24. Fias imitator Christi, non antichristi : Dei, non adversarii Dei. *Prosec.*

25. Imitatio Christi est humilitas, imitatio diaboli est elatio. *Ibid.*

S. BERNARD. 26. Sanctos non pigeat imitari; sed imitari in eoquod est imitabile, non autem quod mirabile exhibetur. Serm. *de S. Martino.*

S. CYPRIAN. 27. Malos quisquis non imitatur, offendit. Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 7.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 28. Facilius inveniemus, qui ea quæ deteriora sunt, quam quæ meliora sectentur. *Prosec.*

29. Pronior est enim ad imitationem mali humana fragilitas. Homil. 4, *ad Monach.*

30. Nimis penetrabile telum est, imitatio deteriorum : e contrario crescit devotio meritorum, bonorum corda imitantium. Homil. *de Initio Quadrag.*

GLOSS. ORD. 31. Ne desideres imitari, quod vitiis videris implicari. Super *Proverb.*, cap. XXVI.

32. Sicut populus sequitur sacerdotem in malum, ita sequi debet in bonum. Super *Levit.*, cap. IV, *Moral.*

GRATIANUS. 33. Imitator debet totius semetipsum imitatorem virtutis ostendere? In *Decret.*, part. 1, dist. 63, can. *Valentinianus.*

S. GREGOR. MAGNUS. 34. Perversi plerumque cognoscunt recta, quæ sequi debeant : et tamen sequi despiciunt, quæ cognoscunt. Lib. 16 *Moral.*, cap. 24.

35. Scriptura narrat gesta Sanctorum, et ad imitationem provocat corda infirmorum. *Ibid.* lib. 2, cap. 1.

36. Ad majoris culpæ cumulum est impiis, scire quod sequi debeant, et sequi nolle quod sciant. *Ibid.*, lib. 18, cap. 9, num. 7.

37. Cum infirmus quisque perversos flore conspicit, hunc in perversitatis pelagus unde miseræ imitationis mergit. *Ibid.*, lib. 20, cap. 19, num. 21.

38. Justorum species, quasi quædam forma nobis imitanda proponitur : quia viva lectio est, vita bonorum. *Ibid.*, lib. 24, cap. 6, num. 9.

39. Graviter extrema ultione feriendi sunt, quibus placuit, quod imitari noluerunt. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 11.

40. Nimis turpe est non imitari quod sumus; nostra sunt quæ etsi imitari non possumus, amamus in aliis, et amantium fiunt quæque amantur in nobis. *Ibid.*



41. Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiat, qui audire poterant : et in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant. Homil. 9, super *Ezechiel.*

42. Apud homines culpa, et apud Deum pœna est, nolle quemquam bonum imitari, quod placet. Lib. 5, in *Registro*, indict. 14, cap. 107, epist. 7.

43. Satis noxium atque perniciosum est, ut imitatione sacerdotis, qui ædificari debuerant destruantur. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 117, epist. 117, *ad Syagr. episc. Augustod.*

44. Qui carnalium mores vivendo sequitur, valde nititur, ut ea agat quæ agere aliter non valeat. Lib. 4 *Regum.*, cap. III.

S. HIERON. 45. Ne peccantium ducaris multitudine, et te pereuntium turba sollicitet. Epist. 4, *ad Rustic.*

46. Proclivis est malorum æmulatio, et quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia. epist. 7, *ad Lætam.*

47. Sanctarum animarum imitatio atque doctrina, et præcepta vivendi, norma virtutum est. *Ibid.*, epist. 11, *ad Geruntiam.*

48. Imitandi illi non sunt, qui sub christiano nomine gentilem vitam agunt : et aliud professione, aliud conversatione testantur. Epist. *ad Celant.*

49. Si periculosum est imitari illos, de quibus dubitas an imitandi sint : hunc certe imitari tutissimum est, qui dixit. *Ego sum via, veritas, et vita. Ibid.*

50. Imitati estis errantem, imitamini et correctum. Epist. 19, *ad Pammach. et Ocean.*

51. Non imitemur ejus vitia, cujus virtutes non possumus sequi. *Ibid.*

52. Magistrorum non vitia imitanda sunt, sed virtutes. Epist. 22, *ad Rufin.*

53. Quidquid sanctius est, atque perfectius, quidquid magis Deo te commendare potest, et majorem in cœlo facere, id semper sequere, id semper amplectere. Epist. 1, *ad Demetriad.*

OCCAM. 54. Prælati mali non sunt imitatores apostolorum, sed tyrannorum. Super *Isai.*, cap. LIV.

JOAN. CASS. 55. Semper seniorum sunt summa diligentia sectanda vestigia. *Collat. abbat. Moysis*, cap. 11.

S. JOANNES CHRYSOST. 56. Qui Sanctorum merita religiosa charitate miratur, et qui justorum glorias frequenti laude loquitur, eorum mores, actus, atque justitiam imitari debet. Serm. super illud : *Sap.* III, *Justorum animæ.*

57. Si apostolis nihil profuit vel patria, vel domo, vel propinquitate Christo fuisse conjunctos, antequam propria fulgerent virtute : quas vos dignos venia putatis, qui de justis propinquis ac fratribus gloriamini, nisi eos ipsos fueritis imitati? Homil. 5, super *Matth. Oper. perfect.*

58. Quid illorum vita pejus est, quorum imitatio discipulos corrumpere potest? Serm. in illud : *Salutate Priscam.*

59. Est bona æmulatio, cum quis sic æmulatur ut virtutem imitetur : est et mala æmulatio, cum quis ea facit ut recte agentem depellat a virtute. Super *Epist. ad Galat.*, cap. IV.

JOAN. TRITH. 60. Nisi mores Sanctorum sanctos imitari studeamus, de illorum sanctitate frustra gloriamur. *Prosec.*

61. Nihil nobis aliena virtus ad salutem proficit, si ad imitationem se animus non extendit. Lib. 3, *de Vir. et illustr. ord. S. Bened.*, cap. 337.

62. Tanto miserabilior est, quanto suos asserit et novit feliciores, qui eos imitari negligit. *Ibid.*

63. Quasi vitam laudans, mortem arripit, qui bonos commendans, imitari contemnit. *Ibid.*

64. Studeamus eos imitari pro posse, quos colimus : si ad gloriam, quam sunt adepti, venire desideramus. Orat. 2, in *Conventu Abbat. habita.*

S. ISIDORUS HISPAL. 65. Qui sanctum virum imitatur, quasi exemplar aliquod intuetur, seseque in illo, quasi in speculo prospicit, ut adjiciat sibi quod deesse virtutis agnoscit. *Prosec.*

66. Minus seipsum homo ex seipso considerat; sed dum alterum intendit, id quod minus est luminis adjicit. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 11, sent. 10.

67. Ad majoris culpæ cumulum pertinet scire quemquam quod sequi debeat, et sequi nolle quod sciat. *Ibid.*, cap. 1, sent. 9.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 68. Pulchrum est quidem, pietatis martyres votivis dona ornare; pulchrius autem ac præstantius est per ea quæ cum virtute ac laude gesserint, imitari. Lib. 1, epist. 189, *ad Serenum.*

S. PETRUS DAMIANUS. 69. Negligentes negligenter aspice, studiosos autem circa animam suam, ac vigiles vigilanter attende. *Opusc.*, cap. 7.

S. PROSPER. 70. Ipsa est sævissima supplantatio, quando fideles et religiosi, relicto proposito bono, in imitationem transeunt impiorum. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 5.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 71. Imitatio conciliatio quædam est, idque quod imitatur cum eo conjungit, quod imitandum proponitur. Epist. 31, *ad Aurelian.*

THOMAS A KEMPIS. 72. Ille dignus est laude bonorum, qui nititur sequi virtutes eorum. In *Hortulo rosarum*, cap. 9, sect. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 73. Oportet omnibus in rebus, præstabiliorem imitari. Lib. 9 *Ethicor., ad Nicomach.*, cap. 2.

PLINIUS II. 74. Honestissimum esse invenio, majorum vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint. Lib. 9, epist. 8, *ad Capitonem*.

SENECA. 75. Quæramus, quid optime factum sit, non quid usitatissimum : et quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo veritatis pessimo interpreti, probatum sit. *De Vita beata*, cap. 2.

76. Quod si pauci facerent, nollemus imitari : cum plures facere cœperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, sequimur. Epist. 123.

77. Optimum est majorum vestigia sequi, si recte præcesserint. In suis *Proverb., in fine positis*.

Vide etiam tit. *Adolescentia*, sent. 1, 2; *Discipulus*, sent. 40; *Exemplum*, per totum; *Laicus*, sent. 9; *Laus in genere*, sentent. 116, 118, 137; *Martyrium*, sent. 70, 71: *Melior*, sentent. 27; *Nobilitas*, sent. 102: *Parentes*, sentent. 79; *Pravitas*, sentent. 16; *Reverentia*, sentent. 15; *Sanctitas*, sentent. 49, 64; *Senectus*, sentent. 52; *Sequi Christum*, per totum; *Verecundia*, sentent. 33.

## IMMUNDITIA.

S. ANSELM. *Divisio.* Tria sunt genera immunditiæ cordis : primum est amor non amandorum; secundum est odium eorum, quæ odio non debent haberi; tertium nec amor, nec odium, sed quædam cogitationis vanitas. *De Similitudin.*, cap. 119.

S. ANTONIN. *Productio.* Immunditia quinta est filia gulæ. Part. 2, tit. 6, *de Gula*, cap. 5, § 6.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANSELM. 1. Nullatenus oportet, ut illi sint consortes de altari participantium, qui per immunditiam se faciunt exortes altari deservientium. Epist. 8, *ad Abbat. Guillelm.*

S. ANTONIN. 2. Communiter tales qui vivunt ut jumenta, tradentes se omni immunditiæ, moriuntur ut jumenta sine intellectu, corpora vermibus corrodentibus, et eorum animabus caloribus et frigoribus expositis inferni. Part. 2, titul. 5, cap. 8, § 3.

S. AUGUST. 3. Immundus est ante Deum omnis iniquus, mundus est omnis justus. *De Mendacio ad Consentium*, cap. 9.

4. Non ego immunditiam absonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Liq. 10 *Confess.*, cap. 31.

5. Tanto quisque est Deo similior, quanto ab immunditia mundior est. Lib. 5, *de Civit. Dei*, cap. 14.

6. Non mundatur opere, qui immundus est cogitatione et voluntate. super *Psalm.* CXVIII, conc. 2.

7. Si delectat te mundus, semper vis esse immundus. Tract. 38 super *Evang. Joan.*, cap. VIII.

8. Lucem intelligentiæ spiritalis, immunda corda non portant. *De Adult. conjug.*, lib. 1, cap. 27.

V. BEDA. 9. Nisi quis porci more vixerit, nunquam accipiet in eum diabolus potestatem : aut ad probandum tantum, non ad perdendum, accipiet. Lib. 3 super *Luc.*, cap. VIII, in illud : *Erat ibi grex porcorum.*

S. BERNARD. 10. O nobilis creatura, quæ in croceis es nutrita, quare stercora amplexaris? Serm. *de Septem Grad. Confess.*

S. BONAV. 11. Immunditia oris testis est immundi cordis. *Prosec.*

12. Non credant homines se habere corda munda, qui verba habent immunda. Serm. 4, *de SS. Apostolis.*

13. Quid sepulcro patenti fœtidius? et quid ore fœtido immundius? *Ibid.*

14. Valde turpe est, naturæ et rationi contrarium, ut homo immunditiam diligat, quam bruta declinant. *Prosec.*

15. O humana confusio! o detestanda perversio! ut immunditiam quam detestatur brutum, amplexetur homo. *Ibid.*

16. Lux nihil habet immunditiæ admixtum : imo in tantum est pulchra, ut non fiat immunda transiens etiam per immunda. Serm. 1 *de Una virg.*

17. Quæ bruta, quantumcunque lascivia, sicut homines, sunt immunda. *Ibid.*

18. Immunditia verborum vel operum, signum certissimum est immunditiæ cordis. *Ibid.*

S. CYPRIAN. 19. Impudicitia est hostis continentiæ, cupiditatum infesta rabies, incendium conscientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis. *De Bono pudicit.*, cap. 2.

GLOSS. INT. 20. Qui immundus est in anima, omne quod tangit et quod offert Deo, immundum erit. Super *Aggæum*, cap. II.

S. GREGOR. MAGNUS. 21. Qui de castimonia superbiunt, nonnunquam Deo dispensante in immunditiam carnis cadere permittuntur. *Prosec.*

22. Cum de ipsa continentia elatione mens tangitur, plerumque Deus hanc in immunditiam carnis cadere permittit. Lib. 2 *Moral.*, cap. 8.

23. Illum in extremo examine justitia æterni judicis salvabit, quem hic ejus pietas ab immun-



dis operibus liberat. *Ibid.*, lib. 16, cap. 10, super *Job.* XXII, *Salvabitur innocens.*

S. HIERON. 24. Munditia corporis, immunditia est animæ. Epist. 27, *ad Eustochium.*

25. Impudicitia gravior est fornicatione, quasi monstruosa turpitudo. Super II, *ad Cor.*, cap. XII.

HUGO CARD. 26. Nihil immundum fieri debet in loco sacro. Super *Deuter.*, cap. XXIII.

S. JOANNES CHRYSOST. 27. Ibi dogmatum malorum est causa, ubi immunda est vita. Serm. 13 super *Epist. ad Ephes.*

S. JOAN. CL. 28. Immundus est apud Deum, omnis sublimis corde. *Grad.* 25.

JOAN. SAR. 29. Immunda quo magis moventur, eo amplius fœtent. Lib. 7 *de Nugis curial.*, cap. 12.

JOAN. TRITH. 30. Qui debet immunditias tergere aliorum, oportet quod ipse ab homini immunditia existat alienus. In cap. 2 *Regul. S. Bened.*, verbo *De prælatis.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 31. Immunditia vitæ prioris mutanda est per innocentiam boni finis. Lib. 2 *de Summo bono*, cap. 14, sent. 6.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 32. Sordida mens sanctarum rerum quidquam utiliter perscrutari non potest. Lib. 1, epist. 304, *ad Chæremon.*

S. LEO I. 33. Nihil Prorsus de virtutum splendore attingit, nihil de suavitate pietatis gustat, qui magis vult sordescere in iis, quæ immunda sunt, quam in iis splendere, quæ sancta sunt. Serm. 8 *de Jejun. septimi mensis.*

S. MAXIMUS MART. 34. Immunda est anima quæcunque cogitationum concupiscentiis impleta est. Centur. 1, *de Charit.*, cap. 14.

S. PETR. DAM. 35. Carnis immunditiæ dediti, soli divinæ ultionis judicio reservantur. Opusc. 7, cap. 22.

36. Qui nunc sunt immunditiæ vitio traditi, simul etiam cum immundis spiritibus æterna sunt ultione damnandi. *Ibid.*

PHILO JUD. 37. In rebus inhonestis excellere, insignis turpitudo est. *De Magistrat. Abrahami.*

SALVIANUS. 38. Eo ipso quod aliquis rem obscœnam cupit, dum ad immunda properat, immundus est. Lib. 6, *de Gubern. Dei.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 39. Nihil est istis, quandiu mersa et involuta cœno suo jacent, fœdius, nihil obscurius, nihil informius. Epist. 94.

SIXTUS PHILOSOPH. 40. Omnem spurcitiem fuge, libidinem vince; quia ex deliciis et voluptatibus non effugies spurcitiem. *Sent.* 61.

41. Immundum hominem facit actus turpis.

42. Immundam animam sibi dæmones immundi vendicant. *Ibid.*, sent. 338.

TRISMEGIS. 43. Decretum est eum, qui turpe quid commiserit, pati. Lib. *de Potest. et Sapientia Dei*, cui titulus *Pimander*, cap. 12.

Vide etiam tit. *Eucharistia*, sent. 64; *Jactantia*, sentent. 24; *Scientia*, sentent. 78; *Servire Deo*, sentent. 145.

## IMPERARE. IMPERIUM.

COLLECTOR. *Definitio.* Imperium est actus rationis ordinantis, cum quadam motione ad aliquid agendum.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Stulto et imperare servitus est : et quod pejus est, cum paucioribus præsit, pluribus dominis et gravioribus servit. Lib. 2, Epist. 7, *ad Simplicium.*

S. AUGUST. 2. In domo justi viventis ex fide, qui imperant serviunt eis quibus videntur imperare. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 14.

S. GAUDENT. 3. Imperio animæ carnis conditio obsecundet, ne effrænata licentia, ancilla ejiciat dominam suam. Tract. *de Machab.*

S. GREGOR. NAZ. 4. Ubi nullum est imperium, ibi nullus ordo : ubi multorum imperium, ibi seditio. Lib. 3, *de Theologia*, super 1 *Cor.*, in illud *Joan : Si me amas.*

S. JOANNES CHRYSOST. 5. Qui diligit non tam lætatur si imperet, quam si ei imperetur, etiamsi imperare sit jucundum. Homil. 32.

6. Nihil eum, qui imperium gerit, æque indicat, ut amor atque indulgentia, erga eos quibus præest. Homil. 15 super II *Cor.*, in *Moral.*

7. Imperare ars est, et non solum dignitas : imo ars est artium omnium summa. Homil. 15 super II *Cor.*, in *Moral.*

8. Qui amat, nec præcipere vult, nec imperare : sed gratius habet magis sibiipsi imperetur ac præcipiatur. Homil. 2, super I *Thessal.*

S. JOANNES DAM. 9. Omnes qui recte subesse ac parere didicerunt, recte quoque imperio fungi scient, cum ad potentiam pervenerint. Lib. 1 *Parall.*, cap. 21.

PHILO JUD. 10. Hæc tria plurimum faciunt ad constabiliendum imperium : majestas, gravitas, beneficentia : majestas parit reverentiam, gravitas metum, beneficentia benevolentiam. *De Præmiis.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 11. Ecquod tutius imperium est, quam illud quod amore et charitate munitur? *De Regno ad Arcadium imperator.*

12. Si imperare regium est, imperat is qui in subditos tales quales esse decet, dominatum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

exercet, ex eodem studiorum vivendi genere, quo ii utuntur, qui dominandi peritiam habent. *Ibid.*

S. THEODOR. 13. Decet eum, qui in imperio constitutus est omnem curam gerere. Super *Psalm.* 24.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

HUGO CARD. 14. Non jam fiunt imperia ob virtutem, sed ob divitias et potentiam. Lib. 8 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 10.

ARISTOTEL. 15. In re familiari imperium est unius : nam ab uno regitur omnis domus. Lib. 1 *Politic.*, cap. 4.

16. Is, qui imperat, perfectam virtutem habere debet moralem : nam ejus opus est simpliciter præcipientis et præsidentis, ratio autem præcipit atque præsidet. *Ibid.*, cap. 8.

17. Recte dicitur neminem bene imperare posse, qui non prius sub imperio fuerit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 3.

18. Qui imperare velit recte, oportet ipsum prius sub imperio fuisse. *Ibid.*, lib. 7, cap. 15.

19. Imperium liberorum melius est, ac magis ex virtute, quam dominari ut servis. *Ibid.*

CICERO. 20. Sine imperio nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Lib. 3, *de Legibus*.

21. Qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est : et qui modeste paret, videtur qui aliquando imperet dignus esse. *Ibid.*

22. Quomodo, et cui libero imperabit, qui non potest suis cupiditatibus imperare ? *Prosec.*

23. Refrenet primo libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, et cæteras animi labes repellat; tunc incipiet imperare, cum ipse improbissimis dominis dedecori, aut turpitudini parere desierit. *De Paradoxis*, cap. 5.

24. Nec imperia expetenda, ac potius non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam. Lib. 1 *de Offic.*

PLATO. 25. Satius est imperio alicujus melioris subjici, imperium obtinere. Syzygia. 4, in *Dialog.* 1 *Alcibiad.*

26. Omne imperium quatenus imperium, nullius alterius cujuspiam ratione utilitatem perspicit, quam illius qui imperio suo subjectus est, et curæ suæ demandatus. Syzygia 4, lib. 1, *de Republ.*

27. Si ex bonis viris constaret civitas, in ea ita certatim co cives incumberent ne imperarent, veluti hodie pugnant, ut imperent. *Ibid.*

28. Necesse est malam animam, et male imperare : bonam contra animam, hæc omnia recte agere. *Ibid.*

PLINIUS II. 29. Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus. *In Panegyrico de Trajano augusto.*

SENECA. 30. Qui imperia libens accipit, partem acerbissimam servitutis effugit, facere quod nolit. Epist. 61.

31. Servis imperare moderate, laus est domino. Lib. 1, *de Clement. ad Neron.*, cap. 18.

32. Ut in corporibus, sic in imperio gravissimus est morbus, qui a capite diffunditur. Epis. 85.

33. Imperare sibi, maximum imperium est. Epist. 113.

34. Male imperando, summum imperium amittitur. In suis *Proverb. in fine positis.*

35. Vis habere magnum honorem ? dabo tibi magnum imperium, impera tibi. *Ibid.*

SOLON ATH. PHILOSOPH. 36. Impera, sed prius edoctus imperio parere. In suis *Sent. sent.*, 4.

## IMPERATOR.

COLLECTOR. *Definitio.* Imperator est rex, dux, princeps, eximius, primarius, qui coram populo et gente adstat, et præest omnibus, eisque indicat quod sit faciendum, quasi summam potestatem habens.

CONDITIONES TREDECIM IMPERATORIS BONI.

Felices imperatores dicimus, 1 si juste imperant; 2 si inter linguas sublimiter honorantium, et obsequia nimis humiliter salutantium non se extollunt, sed se homines esse meminerint; 3 si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciunt ; 4 si Deum timent, diligunt, et colunt ; 5 si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes ; 6 si tardius vindicant, et facile ignoscunt : 7 si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt ; 8 si veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; 9 si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, et beneficiorum largitate compensant ; 10 si luxuria tanto est castigatior quanto posset esse liberior ; 11 si malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare : 12 si hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ ; 13 si pro suis peccatis, humilitatis, et miserationis, et orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Lib. 5, *de Civ. Dei*, cap. 24.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Nihil in vobis imperatoribus, tam populare et tam amabile est, quam libertatem etiam in iis diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Lib. 5, epist. 29, *ad Theodosium imperator.*



2. Si de causis pecuniariis comites suos imperator consulit, quanto magis in causa religionis sacerdotes Domini æquum est consulat ? *Ibid.*

3. Christiani imperatores religioni, quam sequuntur, debent deferre reverentiam. *Ibid.* epist. 31, *ad Valentinianum imperat.*

4. Vos pacem diis vestris ab imperatoribus obsecratis, nos ipsis imperatoribus a Christo pacem rogamus. *Ibid.*

5. Vox imperatoris nostri, Christum resultet, et illum solum quem sentit, loquatur. *Ibid.*

6. Quis est, qui abnuat in causa fidei episcopos solere de imperatoribus christianis, non imperatores de episcopis judicare ? *Ibid.*, epist. 32, *ad eumdem.*

7. Leges imperator fert, quas primus ipse custodiat. *Ibid.*

8. Nihil honorificentius, quam ut imperator Ecclesiæ filius esse dicatur. Lib. 5, *Epist. orat. in Auxentium.*

9. Imperator bonus intra ecclesiam, non supra ecclesiam est : bonus enim imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat. *Ibid.*

10. Noli gravare te, imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere : noli te extollere, si vis diutius imperare. *Prosec.*

11. Scriptum est : *Quæ Dei, Deo ; quæ Cæsaris, Cæsari.* Ad imperatores palatia pertinent, ad Sacerdotes Ecclesiæ : publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum. Lib. 5, epist. 33, *ad Marcellinam sororem suam.*

S. ANTONIN. 12. Officiali Cæsaris, nisi in omnibus acquieveris, Cæsari contradices. Part. 3, tit. 3, cap. 1, § 9.

S. ATHAN. MAGNUS. 13. Veritas imperatoribus in consilio adesse debet, quæ regum, et imprimis christianorum, tutela est, cum ea regna administrare tutissimum est. *Apolog. ad imperatorem Constantium.*

14. Dicta scriptaque imperatoris pari pondere æstimanda sunt, ut is, qui ea reportat, libere se ea in mandatis habere profiteatur. *Ibid.*

S. AUGUST. 15. Eleganter et veraciter Alexandro illi magno quidam comprehensus pirata, respondit : nam cum idem rex hominem interrogasset, quid ei videretur, ut mare haberet infestum ? ille libera contumacia, Quid tibi, inquit, ut orbem terrarum? sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor : quia tu magna classe, imperator. Lib. 4, de *Civ. Dei*, cap. 4.

16. In principio rerum, gentium, nationumque imperium penes reges erat, quos ad fastigium hujus majestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. *Ibid.*, cap. 6.

17. Imperatoris imago, in nummo aliter est, et aliter in filio. *De Decem chordis*, cap. 8.

18. Triumphat victor imperator ; et non vicisset, nisi pugnavisset. Lib. 8 *Confess.*, cap. 3.

19. Imperatores quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, et coronantur perseverantes. Epist. 50

20. Quando imperatores pro veritate contra errorem jubent, quisquis contempserit, ipse sibi judicium acquirit. Epist. 166.

21. Hoc jubent imperatores quod jubet et Christus : quia cum bonum jubent, per illos non jubet nisi Christus. *Ibid.*

22. Omnis potestas sub imperio constituta, imperatoris sui legibus servit. Epist. 228.

23. Religio est qua christianus imperator ad curam suam judicat pertinere, ne in res divinas impune peccetur. Lib. 2, *contra Gaudent.*, cap. 12.

24. Quomodo de interiori palatio quidquid jusserit imperator, per imperium Romanum emanat : sic et in unoquoque nostrum intus est imperator in corde. Homil. 46, *ex Homil.*

25. Erubescit senator curialis plebeius, quod non erubescit imperator. *Ibid.*, homil. 40.

26. Per servum lex data est, reos fecit : per imperatorem indulgentia data est : liberavit. Tract. 3, super *Joan.*

27. Jura humana per imperatores, Deus distribuit generi humano. *Ibid.*, tract. 6.

28. Teneat arcem imperator interior, quia sub majore imperatore juvandus assistit. *Ibid.*, tract. 41.

29. Imperator per exercitium suum agit quod ei placet. Tract. 8, super *Epist. Joan.*

30. Monarcha verus, debet esse summa celsitudine pollens, summa fortitudine præsidens, summa dulcedine pascens. Serm. 21, *in Hexam.*

S. BONAV. 31. Nero imperator, licet in tantum fuerit felix, ut piscaretur retibus aureis, invasus ultimo a Romanis, fugiens dentibus fustem excavit, quo se per ventrem transfodit, et sic finivit vitam, quem tamen asseruerunt esse felicem. Serm. 7, *de SS. Apost.*

S. FULGENT. 32. Constat quod in Ecclesia nemo pontifice potentior, et in sæculo nemo Christiano imperatore celsior invenitur. Lib. 2, *de Verit. prædest.*

33. Clementissimus imperator non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit : sed si in imperiali culmine recta fide vivat et vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subjiciat. *Prosec.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

34. Si magis in timore serviat Deo, quam in tumore dominari populo delectetur.

35. Si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem.

36. Si se magis diligendum, quam metuendum cunctis exhibeat.

37. Si subjectis salubriter consulat ; si justitiam sic teneat, ut misericordiam non relinquat.

38. Si præ omnibus se sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum prodesse faciat suum principatum. *Ibid.*

GLOSS. DECR. 39. Imperator, cum filius est Ecclesiæ, inferior est episcopo. In *Decretis Gratiani.*

40. Imperator lepra percutitur, si officium sacerdotale usurpat. *Ibid.*

41. Debet imperator reverentiam Ecclesiæ, sed de rebus Ecclesiæ nihil potest disponere. *Ibid.*

42. Mutuum auxilium sibi debent imperator et Ecclesia. *Ibid.*

GRATIANUS. 43. Nec imperator jura pontificis, nec pontifex jura imperatoris usurpare potest. In *Decret.*, part. 1, dist. 96, can *Cum.*

44. Imperator catholicus, filius est, non præsul Ecclesiæ. *Ibid.*, can. *Si imperator.*

45. Imperatores christiani subdere debent executiones suas ecclesiasticis præsulibus, non præferre. *Ibid.*

S. GREGOR. NAZ. 46. Imperatores honorem purpuræ habete : agnoscite quantum adsit, quod vestræ fidei commissum est, quantumque circa vos mysterium : orbis enim universus manui vestræ subjectus est, diademate parvo atque exiguo panno retetus. *Prosec.*

47. Superna solius Dei sunt, inferna Dei sunt et vestra : subditis ergo vestris Deos vos præbete. In *Orat. de Seipso.* Habetur apud *Div. Joannem Damasc.*, lib. 1 *Parall.*

S. INNOC. III 48. Imperium non præest sacerdotio, sed subest, et ei obedire tenetur. Lib. 1, *Decret. const.*, const. 128.

S. JOANNES DAM. 49. Imperatores quoque humiles reddit calamitas. Lib. 2 *Parall.*, cap. 51.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 50. Hæc et dicito et facito, per quæ et sis et æstimeris, non modo pissimus imperator, verum etiam justissimus. Lib. 2, epist. 87, *ad Pistum.*

S. LEO I. 51. Debes, imperator, cunctanter advertere, regiam potestatem tibi, non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam. Epist. 75, *ad Leonem August.*

PETR. BLES. 52. Decius imperator cum Decium filium suum imperiali diademate proponeret insignire, renuit dicens : Vereor ne si fiam imperator, dediscam esse filius, malo ergo non esse imperator, sed humilis filius, quam esse imperator, et filius indevotus. Imperet pater meus, meum imperium sit parere humiliter imperanti. Epist. 47, *ad Henric. reg. Anglor.*

PHILO JUD. 53. Hæc tria plurimum faciunt ad constabiliendum imperium : majestas, gravitas, beneficentia : majestas parit reverentiam ; gravitas, metum ; beneficentia, benevolentiam. *De Præmiis.*

54. Est officium magnorum imperatorum ædificare sapientiam. Lib. *de Temulent.*

[illegible] 55. Ecquod tutius imperium est, quam illud quod amore et charitate munitur? *De Regno ad Arcadium.*

56. Quid indignius eo imperatore, quem propter solos pictores cognitum habent imperii propugnatores? *Ibid.*

[illegible] 57. Imperator censendus est, qui anima et corpore rationi subjectis seipsum rexerit. *Hecatontad.* 1, sent. 20.

S. THEODOR. 58. Oportet imperatorem, bonum esse militem. Super 1 *ad Timoth.*, cap. I.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 59. In summo imperatore quatuor res inesse oportet : scientiam rei familiaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Orat. 13, *pro Lege Manilia*, num. 28.

60. Hæc sunt in imperatore consideranda : labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo. *Ibid.*, num. 29.

61. Quanta innocentia debent esse imperatores, quanta deinde in rebus temperantia, quanta fide, quanta felicitate, quanto ingenio, quanto consilio, quanta humanitate. *Ibid.*, num. 36.

62. Duæ sunt artes, quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis : una imperatoris, altera oratoris boni. Orat. 23 *pro Muræna*, num. 30.

63. Dum cupiditatibus suis obediet imperator, non modo imperator, sed et liber omnino habendus non erit. *De Paradox.*, cap. 5.

PLINIUS J. 64. Assuescat imperator cum imperio calculum ponere, tanquam rationem redditurus. In *Panegyrico de Trajano augusto.*

65. Tunc maxime imperator es, cum amicum ex imperatore agis. *Ibid.*

66. Minus est imperatorem esse, quam omnibus imperatoribus esse meliorem. *Ibid.*

SENECA. 67. Clementia non tantum honestiores imperatores, sed tutiores præstat, ornamentumque imperiorum est. Lib. 1 *de Clement. ad Neron.*, cap. 11.

68. Malus miles est qui imperatorem gemens sequitur. Epist. 105.



Vide etiam tit. *Dignitas*, sent. 72 ; *Episcopus*, sent. 128 ; *Lex in genere*, sent. 19, 20, 21, 22 ; *Nobilitas*, sent. 100 ; *Potestas in genere*, sent. 31, 32.

## IMPUDENTIA.

COLLECTOR. *Definitio.* Impudentia est contemptio, et indolentia earum rerum, quas verecundi reformidant.

RICHARD. A S. VICTORE. Quid aliud est impudentia, quam præceps et effrænata malitia? Part. 1, lib. 3, *Erudit. homin. inter.*, cap. 15.

PLATO. Impudentia est habitus animi audacis, qui suffert ignominiam lucri causa. *Syzygia* 5, *de Definit.*

S. EPHRÆM. *Productio.* Impudentia fornicationis est mater. *Ad Monachos*, parænes. 46.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Peccator unusquisque quo graviora flagitia commiserit, eo fit insolentior ac impudentior. *De Noe et arca*, cap. 10.

2. Recedit ab omni respectu honestatis et pudoris, qui peccati acerbitate involvitur. *Ibid.*

S. AUGUST. 3. O nimis inimica amicitia, seductio investigabilis, cum dicitur, Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem. Lib. 2 *Confess.*, cap. 9.

4. Tacet, quia pudet, et mira si dici potest pudoris impudentia : quod nominare pudet, laudare non pudet. Lib. 2 *de Nuptiis et concupisc.*, cap. 7.

5. In rebus tam manifestis impudentia obmutescere potest, insania non potest. Lib. 4 *Contra Crescon.*, cap. 41.

S. BERNARD. 6. Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum pœnitentis verecundia placet. Serm. 3 super *Cant.*

7. Impunitas radix impudentiæ est. Lib. 3 *de Consid. ad Eugen. pap.*

8. Ubi lingua audax, et frons inverecunda, quid loquatur, quidve agat, non curat. *De Ordine vitæ.*

S. CLEMENS ALEX. 9. Ad impudentiam via, est turpis sermo : et utriusque finis, est turpium rerum perpetratio. Lib. 2 *Stromat.*

S. EPHRÆM. 10. Mens tenebris obducta, ad impudentiam trahit. *Ad Monach.*, parænes. 46.

S. EPIPHAN. 11. Impudentia frontem suam perfricuit, sibiipsi mala attrahens. Hæres. 51, *contra Alogos.*

12. Satiari non potest impudentia, neque repleri : verum ad omnia se expandit. Hæres. 80, *contra Massalianos.*

S. GREGOR. MAGNUS. 13. Frontem cordis in impudentiam atterit culpa frequens : ut quo crebrius committitur, eo de illa committentis animus minus verecundetur. Homil. 10, super *Ezech.*

14. Impudentes ab impudentiæ vitio, non nisi increpatio dura compescit. Part. 3 *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 8.

S. HIERON. 15 Malevolentia et livor nutrit impudentiam. Lib. 3 super *Matth.*, cap. XXII, can. 6. num. 224. super illud : *Pharisæi audientes.*

S. JOANNES CHRYSOST. 16. Ubicunque est impudentia, illic est ultio. Homil. 5 *de Verbis Isaiæ.*

17. Non tam mala res est peccatum, sicut est post peccatum impudentia. *Ibid.*, hom. 5.

18. Nunc illud maxime multis dignum est lacrymis ; quia cum multi sint mali, non pudet eos male agere. Homil. 82 super *Matth. Oper. perf.*

19. Nihil ita impudentem hominem facit, sicut mala conscientia. Homil. 17 super *Acta Apostol. in Morali.*

20. Qui impudens et roboris expers fuerit, audax et pertinax efficitur. *Ibid.*

21. Impudentia homines duros efficit. Homil. 31 super *Epist. ad Hebræos*, in *Moral.*

22. Anima in tribulationibus cum in desperationem incurrit, impudens efficitur. *Ibid.*, homil. 33.

23. Humanus animus postquam verecundiæ fines semel transire coactus est, in insolentiam dilabitur. Lib. 2 *de Sacerd.*

24. Impudens neque blandis verbis paret, neque minis flectitur, neque beneficiis movetur. *Ibid.*

25. Impudentes nudo quasi capite, ac perfricta fronte mendacia sua proferunt. In libro *contra Gentiles.*

26. Neque perinde mala res est peccatum, atque post peccatum impudentia. Homil. 5 *de Verbis Isaiæ.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 27. Impudens oculus et elata cervix, et perpetua superciliorum agitatio, et de nulla turpitudine erubescere, fœdissimi animi argumentum est. Lib. 3, Epist. 288.

PHILO JUD. 28. Impudens aspectus, et pendula cervix, ac continua superciliorum agitatio, et nulla ex re turpi rubore affici, impudentissimi animi indicia sunt. Hab. apud *Div. Joan. Damasc.*, lib. 3 *Parall.*, cap. 33.

S. PROSPER. 29. Impudentia fiduciæ sibi nomen adscribit. Lib. 3 *de Vita contempl.*, cap. 1.

30. Quid mali operis fieri potest, unde nec erubescant, etiam illi quos ipsa flagitia sua delectant? Lib. 3 *de Vita contempl.*, cap. 11.

RICHARD. A S. VICTORE. 31. Mens quæ impudentia corrupta fuerit, nulli omnino, quia nec sibi nec aliis, parcit. Part. 1, lib. 3, *de Erud. hom. inter.*, cap. 15.

32. Impudentia tollit homini moderantiam, et circumspectionem sui. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. 33. Carent verecundia homines in peccatis profundatis, quibus sua peccata non displicent, sed

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

magis de eis gloriantur. Secunda secundæ quæst. 144, art. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 34. Qui nulla in re verecundatur, appellatur impudens. Lib. 2 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7.

35. Si impudentia, et quempiam non pudere res turpes agentem, improbum est : nihilomagis ob idipsum probum erit quempiam res turpes agentem erubescere. *Ibid.*, lib. 4, cap. 9.

CICERO. 36. Perditissima ratio est, pudorem fugere. Lib. 4 *de Arte rhetor.*

PLINIUS II. 37. Nunc refractis pudoris et reverentiæ claustris, omnia patent omnibus. Lib. 2, epist. 14, *ad Maximum.*

Vide etiam tit. *Amor in genere*, sent. 145; *Ebrietas*, sent. 17; *Excommunicatio*, sent. 9; *Forum*, sent. 10; *Juventus*, sent. 16.

## IMPUDICITIA.

COLLECTOR. *Definitio.* Impudicitia est circa oscula et tactus, et alios actus circumstantes actum venereum.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Non dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos : quia impudicus oculus, impudici cordis est nuntius. Regula 3 *ad Clericos.*

2. Nemo impudice utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia. *De sancta Virginit.*, cap. 8.

S. CYPRIAN. 3. Impudicitia est hostis continentiæ, cupiditatum infesta rabies, incendium conscientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis.

S. HIERON. 4. Impudici oculi non norunt animæ pulchritudinem considerare, sed corporum. Epist. 22, *ad Eustoch.*

5. Impudicitia gravior est fornicatione, quasi monstruosa turpitudo. Super II *Cor.*, XII.

HUGO CARD. 6. Impudicus oculus est, cum huc et illuc inverecunde fertur, maxime autem in facie mulierum. Super II *B. Petri*, cap. II.

LACT. FIRM. 7. Nihil est tam invisum Deo, quam mens incesta et animus impurus. In *Epitome*, cap. *Cohibenda.*

SALVIANUS. 8. Sicut Salvator jussit ut salva intuitus incolumitate pulveris labem in se oculus non reciperet; sic vita nostra labem in se penitus impudicitiæ non haberet. Lib. 3 *de Gubern. Dei.*

9. Difficile est impudicitiam verbo aut jussione tolli, nisi fuerit ablata : et difficile pudicitiam verbo exigi, nisi fuerit exacta. *Ibid.*, lib. 7.

10. Qui impudicis actibus servit, infelix a consortio regni cœlestis excluditur. Homil. 2 *de Arcta vita.* S. VALER. EPISCOPUS.

## INCARNATIO.

*Definitio.* Incarnatio est unio carnis ad naturam divinam in personam distinctam. Super lib. 3 *Sent.*, dist. 1, art. 1, quæst. 2. S. BONAV.

Incarnatio est humanitatis assumptio aut cum carne, sive cum homine hypostatica conjunctio. Lib. 3, *de Fide orthod.*, cap. 11. S. JOAN. DAMASC.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Deus in carne perfectionem naturæ assumpsit humanæ, suscepit sensum hominis, sed non fuit sensu carnis inflatus. *De Incarnat.* cap. 7. S. AMBROS.

2. Verbi incarnatio secundum naturam Dei facta, nostrorum vitiorum susceptibilis non fuit. *De Incarnat. Christi.* S. ATHANAS. MAGNUS.

3. Tota vita Christi in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. *De Vera relig.*, cap. 16. S. AUGUST.

4. Omnes justi, hoc est veraces Dei cultores, sive ante incarnationem, sive post incarnationem Christi nec vixerunt, nec vivunt, nisi ex fide incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo. Epist. 157, *ad Optatum.*

5. Deus homo factus est, ut totum hominem in se beatificaret. *De Spiritu et anima*, cap. 9.

6. Non pater carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris filius : ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna nativitate Filius. *De Eccles. dogmat.*, cap. 2.

7. Gratia Dei non potuit gratius commendari, quam ut ipse unicus Dei filius in se incommutabiliter manens indueretur hominem, spem dilectionis suæ daret hominibus, homine medio : qua ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longe erat, immortalis a mortalibus, incommutabilis a commutabilibus, justus ab impiis, beatus a miseris. Lib. 10, *de Civit. Dei*, cap. 29.

8. Ut homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus, Dei Filius homine assumpto, non Deo consumpto, eamdem constituit atque fundavit fidem, ut ad Deum iter esset homini per hominem Deum. Lib. 11, *de Civit. Dei*, cap. 2.

9. Homo ipse anima est et caro : totum enim hominem suscepit Verbum, et totus homo factus est Verbum; ubi erat anima, ibi erat caro, ibi totus homo : totus homo cum Verbo, et Verbum cum homine, et homo et Verbum unus homo, et Verbum et homo unus Deus. Super *Psalm.* LVI, vers. 1.



10. Verbum fœnum factum est. Homo, propter te Verbum factum est homo, tu caro, et propter te Verbum caro factum est. Omnis caro fœnum, et Verbum caro est factum : quanta ergo spes fœni, quando Verbum caro factum est? illud quod manet in æternum, non dedignatum est suscipere fœnum, ne de se desperaret fœnum. Super *Psalm.* CII, vers. 15.

11. Multum interest inter descendere et cadere; nam quia cecidit Adam, ideo descendit Christus. Ille cecidit, iste descendit : ille cecidit superbia, iste descendit misericordia. Super *Psalm.* CXIX.

12. Nullum majus donum præstare Deus posset hominibus, quam ut Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, et illos ei tanquam membra coaptaret, ut esset filius Dei et filius hominis, et unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus. Super *Psalm.* LXXXV.

13. Verbum caro factum est, ipse est homo qui Deus, quia Deus factus est homo; sed factus quod non erat, non amittens quod erat. Accessit homo ut esset homo, qui erat Deus, non jam ut homo esset, et non esset Deus. Tract. 21, super *Evang. Joan.*, cap. V.

14. Verbum caro factum est : caro te excæcaverat, caro te sanat, et sic venit, ut de carne vitia carnis extingueret. *Ibid.*, tract. 2, cap. I.

15. Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus : ut enim panem angelorum manducaret homo, Dominus angelorum factus est homo. Serm. 9, *de Nativit.*

16. Ut panem angelorum manducaret homo, Creator angelorum factus est homo : illi fruendo nos petendo : illi capiendo, nos quærendo : illi intrando, nos pulsando. Serm. 19, *de Nativit.*

17. In utero Virginis Mariæ Verbum carnem suscipiens, nobis factus est mediator, homo totus et Deus, Verbum, anima et caro, unus Christus. Serm. 2, *vigil. Nativit.*

18. In utero Mariæ spiritales nuptiæ celebratæ sunt, cum Deus conjunctus est carni, et caro adhæsit Deo, ut esset unus Christus et totus homo. *Ibid.*

19. Circumdat Maria virum angelo fidem dando quia Eva perdidit virum serpenti consentiendo. Serm. 5, *de Nativit.*

20. Facta est Maria fenestra cœli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculis lumen; facta est Maria scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam ascendere mereantur ad cœlos. Serm. 11, *de Nativit.*

21. Non poteras videre Deum, poteras hominem : Deus factus est homo, ut in uno tibi esset, et quod videres, et quod crederes. Homil. 32, *ex* LIII *Homil.*, cap. 4.

22. Diabolus quia naturam nostram deceperat, dignatus est unigenitus Dei filius ipsam naturam nostram suscipere : ut de ipsa diabolus vinceretur; et quem semper ipse sub se habet, etiam sub nobis eum esse faceret. *De Agone Christ.*, cap. 1.

23. Propterea totum hominem sine peccato Christus suscepit ut totum quo constat homo, a peccatorum peste sanaret. Lib. 10, *de Civit. Dei*, cap. 27.

24. Nihil Deo sublimius, nihil vilius limo, et tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur, tam ineffabili quam incomprehensibili sacramento. Serm. 3, *vigil. Nativit.* S. BERNARD.

25. Sicut in illa singulari divinitate Trinitas est in personis, unitas in substantia : sic in ista speciali commixtione Trinitas est in substantiis, in persona unitas. *Proœm.*

26. Et sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem : ita et hic persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatem. Opus mirabile, opus singulare, inter omnia et super omnia opera Dei. *Ibid.*

27. Intuere, obsecro, quale sit istud, quam novum, quam admirabile, quam amabile, quam jucundum : quid enim pulchrius, quam generatio casta? quid gloriosius, quam sancta et sincera conceptio? in qua nihil pudoris est, nihil sordis, nihil corruptionis. *Ibid.*, serm. 4.

28. Abyssus plane imperscrutabilis, incarnationis dominicæ sacramentum : abyssus impenetrabilis, Verbum caro factum. Quis enim investiget, quis attingat, quis apprehendat? puteus altus est. Serm. 2, *de Annunt.*

29. O venter diffusior cœlis, terrisque amplior, capacior elementis, qui totum claudit omnia concludentem, in quo Deus gloriæ reclinatur. Serm. 2, *de Nativit. Dom.*, ipsi adscripto.

30. Incarnatio verbi, beneficium est beneficiorum. *de princ. sacræ Scripturæ.*

31. Carnem Deitas mediante anima suscepit. Super lib. 3, *Sent.*, dist. 2, art. 3, quæst. 1. S. BONAV.

32. Nisi genus humanum fuisset lapsum, verbum Dei non fuisset incarnatum. *Ibid.*, distinct. 1, art. 2.

33. Excelsum incarnationis opus totius Trinitatis fuit, licet sola persona Filii fuerit incarnata. Lib. *Medit. vitæ Christi*, cap. 4.

34. Per verbum incarnatum facta est generis humani reparatio. Lib. 4, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 6.

35. Verbum caro factum est quinque modis, scilicet secundum carnem, præter carnem, supra

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

carnem, propter carnem, contra carnem. *Ibid.*, cap. 7.

CASSIOD. 36. Incarnatio Domini misericordiæ ipsius est mirabilis altitudo, inæstimabile donum, incomprehensibile mysterium : unde aut rectis mentibus provenit salus, aut perversis sensibus generatur interitus. Super *Psalm.* XXI, vers. 18.

S. CYRILLUS ALEX. 37. Neque cum consubstantialis sit sancta ac veneranda Trinitas, idcirco cui quisque voluerit personæ incarnationis ratio tribuenda est : factus etenim est homo, non ipse Pater, non Spiritus sanctus, solus vero Filius. Lib. 2, *Glaphyror. in Genes.*, cap. 4, *de Abraham.*

S. DIONYS. ALEX. 38. Christus incarnatus est pro nobis, ut pateretur pro nobis. In Epist. *contra Paulum Samosatenum.*

S. GREGOR. MAGNUS. 39. Dominus in carne veniens, simplicitatem cum rectitudine tenuit : quia nec in mansuetudine districtionem justitiæ, nec rursum in districtione justitiæ virtutem mansuetudinis amisit. Lib. 1 *Moral.*, cap. 10, super illud : *Job* I *Et erat vir ille simplex et rectus.*

40. Nuntiante angelo, et adveniente Spiritu, mox Verbum in utero; mox intra uterum Verbum caro. *Ibid.*, lib. 18, cap. 27, num. 36.

41. Cum incarnationis dominicæ mysterium Judæa negavit, Gentilitas credidit, et principes in despectionem ceciderunt. *Ibid.*, lib. 11, cap. 9, super illud *Job* XII : *Effundit despectionem super principes.*

42. Mediator Dei et hominum apparuit, ut quia per ima nostra longe distabamus a summis, in seipso uno jungeret ima cum summis : atque ex eo nobis via redeundi fieret, quo summis suis ima nostra copularet. *Ibid.*, lib. 22, cap. 13, num. 18.

43. In carne Dominus veniens, fines Ecclesiæ occulti judicii subtilitate distinxit. *Ibid.*, lib. 28, cap. 6.

44. Venit Christus inter homines incarnatus adversa appetens, prospera spernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens. *Ibid.*, lib. 30, cap. 15, num. 30.

45. Incarnationis mysterium humanus oculus penetrare non sufficit : investigari etenim nullatenus potest quomodo incarnatur Verbum, quomodo summus et vivificator Spiritus, intra uterum matris animatur, quomodo is qui initium non habet, et existit, et concipitur. Homil. 7, super *Evang.* super illud *Psalm.* LIX : *In Idumæam extendam calceamentum meum.*

46. Diabolus in hamo incarnationis Christi opus est : quia dum in illo appetiit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Homil. 25, super *Evang.*

47. Nisi Adam peccasset, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oportuisset. Lib. 4, in 1 *Reg.*, cap. 1.

S. GREGOR. THAUMAT. 48. Caput salutis nostræ, incarnatio verbi est. In *Exposit.* 2, *fidei.*

S. HILARIUS. 49. Verbum Deus caro factum est, ut per Deum verbum carnem factum, caro proficeret in Deum verbum. Lib. 1, *de Trinit.* verbo *Proficit.*

HUGO A S. VICTORE. 50. Opus restaurationis est incarnatio Verbi, cum omnibus sacramentis suis ; sive quæ ante incarnationem præcesserunt ab initio sæculi, sive quæ post subsequentur usque ad finem mundi. *De Scriptur. et scriptor.*, cap. 2.

S. INNOC. III. 51. Quatuor ex causis Verbum factum est caro : ut superbos humiliaret, ut inimicos reconciliaret, ut servos redimeret, ut amicos nutriret. Serm. 1, *de Nat. Dom.*

52. O inæstimabilis Dei charitas ! quæ fecit hominem sine homine, factus est homo pro homine. Serm. *de Purific. B. M.*

53. Verbum caro factum est, ut daretur hominibus Deus homo : ut ergo Deus placari posset ab hominibus, dedit Deus homini gratis, quod homo pro debito redderet Deo. Serm. 1, *de Nativit. Dom.*

S. JOANNES CHRYSOST. 54. Christus factus est homo, in utero virginali conceptus est, quod eras tu, ut tu quod non eras, esse posses. Homil. 2, super *Psalm.* L.

55. Dominus ac Salvator noster per suscepti corporis sacramentum, diabolum interemit. Homil. 4, ex variis locis in *Matth.*

56. Conceptus est Dominus noster octavo calendas Aprilis, mense Martio, qui est dies Paschæ, passionis Domini, et conceptionis ejus, in eadem et passus est. Serm. *de Nat. S. Joan. Bapt.*

57. Incarnatio Christi nobis principium, et fons est innumerabilium bonorum; ubi non humanitatem, sed divinitatem potius latere permisit. Homil. 30, super *Joan.*

58. Scio quia verbum caro factum sit, et quomodo factum sit, nescio : miraris quod ego nesciam? omnis creatura ignorat. Homil. *de Joan. Baptist.*

59. Causa erant ostia Virginis, et ingressus est Jesus uterum : et qui intravit per ostia clausa, non erat phantasma, non erat spiritus, vere corpus erat. *Ibid.*

S. JOANNES DAMASCEN. 60. Incarnatus est Dei Filius assumptis massæ nostræ primitiis, hoc est, carne una cum anima ratione et intelligentia prædita : ita ut ipsa Dei verbi hypostasis carni hypostasis extiterit. Lib. 3, *de Fide orthod.*, cap. 7.

61. Verbum caro factum est, citra omnem conversionem : caro item Verbum citra ullam mu-



tationem, et Deus homo et homo Deus, ob personarum unionem, Deus enim est Verbum. *Ibid.*, cap. 11.

S. JOANNES DAMASC. 63. Verbi Dei incarnatio ob eam causam extitit ut hæc ipsa natura, quæ peccatum admiserat et ceciderat et corrupta erat, tyrannum a quo in fraudem impulsa fuerat vincere, sicque a corruptione vindicaretur. *Ibid.*, cap. 12.

S. ISIDORUS HISPAL. 64. Per incarnationem Christi non solum Deo reconciliatus est homo, verum etiam pax inter homines et angelos reformata est. Lib. 1 *de Sum. bono*, cap. 10, sent. 4.

S. LAURENT. JUSTIN. 65. Propter hoc Dei Filius carnem de humana sumpsit propagine, ut peccata deleret. *De Disciplin. monast.*, cap. 12.

66. Hæc potissima incarnationis Verbi causa fuit, quatenus per assumptum hominem documenta saluberrima tribueret Deus, quibus peccator homo amissa recuperaret dona. Serm. *de Exalt. S. Crucis.*

S. LEO I. 67. Suscipitur a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas : ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei hominumque mediator, et mori posset ex uno, et resurgere posset ex altero. *Prosec.*

68. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium : nisi esset homo verus, non præberet exemplum. Serm. 1 *De Nativit.*

69. Opus fuit discreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus primam pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret, et homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret. *Ibid.*, serm. 2.

70. Ad rependendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili. Serm. 1 *de Nativit.*

71. Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quæ facta, et sacramentum salutis humanæ in nulla unquam antiquitate cessavit. Id prædicaverunt apostoli, hoc annuntiaverunt prophetæ : nec sero est impletum, quod semper est creditum. *Ibid.*, serm. 2.

72. Verbum caro factum unus est Christus, ubi nihil est alterius naturæ, quod non sit utriusque. Serm. 10 *de Nativit.*

73. In Beatæ Virginis utero verbum caro factum est : tota est in majestate humilitas, tota in humilitate majestas : nec infert unitas confusionem, nec dirimit proprietas unitatem. Serm. 3 *de Passione Dom.*

74. Verbum et caro atque anima, unus Jesus Christus, et unus Dei hominisque est filius : nec Verbum in carnem, nec in Verbum caro mutata est, sed utrumque in uno manet, et unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus, non alter ex Patre, alter ex matre. Epist. 11 *ad Julian.*, episc. Coensem.

S. ODILO ABB. CLUN. 75. Deus erat, et homo factus est : suscepit humanitatem, non amisit divinitatem. Serm. 13 *de Nativit. B. M.*

S. PETRUS DAMIANUS. 76. O venter diffusior cœlis, terris amplior, capacior elementis ! qui totum claudit omnia concludentem, in quo Deus gloriæ reclinatur. Serm. 11 *de Annunt. B. M.*

THALASSIUS 77. Verbum propter misericordiam caro factum est : nec quod erat transmutavit, neque quod factum alteravit. *Hecatontad.* 2, sent. 94.

S. THOMAS AQUINAS. 78. Si nullus fuisset peccator, nunquam Filius Dei incarnatus fuisset. Super 1 *Tim.*, cap. 1, lect. 4.

79. Si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset. Part. 3, quæst. 1, art. 3.

80. Ad provocandum nostrum amorem in Deum, nihil magis valere potuit, quam quod Verbum Dei per quod omnia facta sunt, ad reparationem naturæ nostræ eam assumeret, ut idem esset et Deus et homo. *Contra Græcos et Armenos*, cap. 5.

THOMAS A KEMPIS. 81. Ideo Deus homo est incarnatus, ut homo in Deo esset perpetuo beatus. Medit. 9 *de Nativit.*, cap. 7.

82. Nullus sanctorum aut hominum tantum desiderium ad incarnationem Christus habuit quantum desiderium Christus habuit ad se incarnandum *Ibid.*, medit. 10, sect. 6.

S. ZENO EP. ET MART. 83. In hominem coaptatur, in tegumento carnis includitur Deus, humanamque vitam mutuatur de tempore, qui præstat temporibus æternitatem. Serm. 3 *de Nativit. Christi.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 84. Deus inclusus corpore humano, scilicet, venit. Lib. 1 *de Divinit.*

Vide etiam tit. *Humilitas Christi*, sent. 50 ; *infirmitas*, sent. 25; *Natura*, sent. 21.

## INCIPERE.

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio.* Incipere est nunc esse, et non prius, Part. 3 *Summæ*, quæst. 15, art. 9.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIUS DE PADUA. 1. Cum incipis, magis debes niti ad munditiam vitæ : cum proficis, ad odorem bonæ famæ. Serm. *Dom.* 10 *post Trinit.*

S. AUGUST. 2. Melius erat non incipere, quam cœpisse et defecisse. Super *Psalm.* CXXIII, vers. 3.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3. Si incœpisti ædificare, perfice : si non incœpisti, incipe. Serm. 8 *ad Fratr. in eremo.*

4. Non est magnum bonum inchoare quod bonum est, sed consummare, hoc solum perfectum est. *Prosec.*

5. Bonum inchoare et malo fine concludere, quid aliud est quam monstruosas res conficere?

6. Multi magna aggrediuntur, sed deficiunt in via. *Ibid.*

7. Bono fine bona concludantur initia, ut principium medio, medium ne discrepet ultimo. *Ibid.*

8. Qui aliquid incipit, maxime appetit finem : nec de re inchoata, nisi terminetur exultat. Lib. 7 *de Civ. Dei*, cap. 7.

9. Sollicitudinis plena sunt cœpta, donec perducantur ad finem. *Ibid.*

S. BERNARD. 10. Grave cernitur omne quod incipit; sed postquam ab his disuescere, et ad illa se paulisper assuescere quis cœperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile quod impossibile ante putavit. Epist. 1 *ad Robertum nepotem suum.*

11. Cœpisse nil proderit, si non perseverare contigerit. Epist. 78, *ad Suggerium abbat.*

12. Nonnulli cum spiritu cœperint, carne consummantur. In *Declamat.*

13. Si incipis, incipe perfecte. *De Vita solit.*

14. A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt. *De Ordine vitæ.*

15. Euge, euge, frater, bona initia transcende, et ad superiora tende. *Ibid.*

16. Non qui incœperit, sed qui perseveraverit, salvus erit : incipere enim multorum est, perseverare paucorum. Serm. *de Virt. obed.*

17. Non sufficit bona incipere, nisi etiam quisque studeat ea quæ bene inchoavit, usque ad finem vitæ perducere. Serm. 28 *ad Sororem.*

S. BONAV. 18. Qui vult opus altum incipere, debet prævidere, si velit perseverare. Super *Lucam*, cap. XIV, in illud : *Sedens computat.*

DIONYSIUS CARTHUS. 19. Facile est inchoare, sed diu usque in finem vitæ in actibus virtuosis ac arduis permanere, difficile est. *De Profess. monast.*, art. 4.

GLOSS. ORD. 20. Bonum incipere debes, quamvis non perficere non confidas; melius est enim perfectam vitam quærenti in itinere mori, quam nec proficisci. Super *Exod.*, cap. 14.

21. Hominis est incipere, Dei autem perficere. Super *Josue*, cap. II.

GLOSS. INT. 22. Multi bene incipiunt, et male finiunt. Super II *Paralip.*, cap. XIV.

23. Incœptis Deo devotis statim obsistit contradictio nefandorum vel spirituum, vel hominum. Super I *Esdræ*, cap. III.

24. Ortus justi est, cum incipit Deum timere. Super *Ecclesiasten*, cap. III, in illud : *Tempus nascendi.*

GLOSS. ORD. 25. Omne bonum quod facimus, præveniente gratia sancti Spiritus incipimus, et eadem comitante perficimus. *Ibid.*, cap. 8.

GRATIANUS. 26. A minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat. In *Decret.*, part. 2, *de Pœnit.*, dist. 2, *Charitas.*

27. Non bene incipit, qui nunquam ex charitate aliquid operatur. *Ibid.*, can. *Multi*, § *Non autem.*

S. GREGOR. MAGNUS. 28. Origo pravæ inchoationis, causas culpæ etiam præsumendo multiplicat. *Prosec.*

29. Dum enim mala agere quisque cœperit, usu jam deterius in hoc quod inchoaverat excrescit. Lib. 15 *Moral.*, cap. 5, num. 4.

30. Si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, ut inchoare nos quotidie credamus. *Ibid.*, lib. 22, cap. 2.

31. Hi quos fortasse despicimus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. *Ibid.*, lib. 25, cap. 8, num. 11.

32. Mirum non est, si quis bona inchoet; sed valde mirabile, si intentione recta in bono opere perduret. *Ibid.*, lib. 12, cap. 24, num. 27.

33. Bene cœpta cunctis diebus agenda sunt, ut cum malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria constantiæ manu teneatur. *Ibid.*, lib. 1, cap. 21, num. 41.

34. Omne bonum quod incipimus, etiam perseveranti fine compleamus. *Ibid.*

35. Nescit mens per torporem veterascere quæ studet per desiderium semper inchoare. *Ibid.*, lib. 22, cap. 2, num. 4.

36. Non sufficit bene incipere, nisi studeat quis in bono opere perseverare. Super *Septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* I, vers. 6.

37. Nihil est bonum quod incipitur, nisi perseveranti fine illud compleamur. *Ibid.*, super *Psalm* II, vers. 10.

38. Multi bene incipiunt, qui in malo vitam finiunt. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, *de Pœnit.* dist. 2, can. *Multi.*

S. GREGOR. NAZ. 39. Optimum est, ut cujusque vel sermonis, vel operis principium ordine instituatur, et ex Deo prodeat, et in Deum. *De sua fuga* in *Apologe.*

HAYMO. 40. Bonum non cœpisse, sed perfecisse virtus est : nam inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur. Serm. 1 *Dom.* 2, *post Pascha.*

41. Nemo repente fit summus; sed in bona conversatione a minimis quisque inchoat, ut ad



magna perveniat. Serm. *Fer.* 4 *quatuor temporum.*

S. HIERON. 42. Cujus talia principia, qualis finis erit? Epist. 3, *ad Heliodor.*

43. Magna cœpisse, et excelsa sectari, perfectæ ætatis gradum scandere est. *Ibid.*, epist. 4, *ad Rustic.*

44. Non quæruntur in christianis initia, sed finis : Paulus male cœpit, sed bene finivit : Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Epist. 10, *ad Furiam.*

45. Non tantum cœpisse, sed perfecisse laudandum est. Epist, 14, *ad Celantiam.*

46. Inchoasse non sufficit, sed perfecisse justitia est. *Ibid.*

47. Cœpisse, multorum est; ad culmen pervenisse, paucorum. Epist. 28, *ad Lucinum.*

48. Incipere plurimorum est, perseverare paucorum. Lib. 1 *adversus Jovian.*

49. Obliviscere omne præteritum, et quotidie inchoare te puta, ne pro præsenti die quo debes servire Deo, præteritum imputes. Epist. 1 *ad Demetriad.*

50. Non cœpisse, sed perfecisse virtutis est. Lib. 1, super *Matth.*, cap. X, can. 2, num. 88, super illud : *Qui perseveraverit usque in finem.*

HUGO A S. VICTORE. 51. Sunt quidam, qui cum fortia inceperunt, non solum in iis quæ inceperunt tepescunt : verum etiam ad vitia turpiter relabuntur. *Prosec.*

52. Humanum, rationabile, et pulchrum valde opus est spirituale, quod incipiunt : sed bestiale penitus est, turpe et atrum vitium, in quo desinunt. Serm. 73 de divers. *de S. Joan. Baptist.*

53. Tu fortiter inchoas, tepide consummas : cur? quia non disponis omnia suaviter, nec scis operari sapienter. Incipis, curris, festinas, lassaris, deciperis : non dicam ad finem, sed nec ad medium pertingis. Lib. 2 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 48.

HUGO CARD. 54. Ante faciem suam graditur et non revertitur, qui a bono incepto, nulla prava intentione avertitur. Super I *Reg.* cap. VI, in illud Ezech. I: *Non revertebantur cum incederent.*

S. INNOC. III 55. Ah homo, quid prodest tibi bonum inchoare, et non bono fine concludere? bonum enim virtutis non solum amittis, sed et damnum incurris, et supplicium promereris. *De Eleemosyn.* cap. 6.

JOAN. CASS. 56. Bene cœpisse nihil proderit, nec pleno fervore renuntiationis arripuisse principia, si hæc congruus etiam finis similiter non commendaverit, atque concluserit. Lib. 4 *de Cœnob. instit.*, cap. 37.

57. Nihil proderit sublimiter inchoasse, si similem principiis non exhibuerimus et finem. Collat. 3, *Abbat. Paphnutii*, cap. 3.

S. JOANNES CHRYSOST. 58. Incipere multorum est, finire vero paucorum. Homil. 24, super *Matth. Oper. imperf.*

59. Semper in principio delectatio est, in fine probatio. *Ibid.*

60. Cor bonæ fidei est exitus bonus : quia incipere aliquod bonum non est gloriosum, sed finire. *Ibid.*

61. Frequenter quod incipit homo, corporis voluptas est : quod autem finit, animæ virtus est. *Ibid.*

62. Non exordia sola oportet habere clara, sed etiam et finem clariorem. Homil. 24 super *Epist. ad Hebr.*, in *Morali.*

63. Ubique principia et exordia difficilia sunt. *Ibid.*, Homil. 9.

JOAN. TRITH. 64. Orationibus nostris pulsandus est Deus, ut hoc quod incipimus bonum, ad finem usque debitum perficere ipse dignetur. Super prolog. *Regulæ S. Bened.*, cap. 2.

65. Quidquid intentione vana incipitur, bono fine raro consummatur. Orat. 5, in *Conventu Abbat. habita.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 66. Multi principia habent conversionis suæ, fine vero malo clauduntur : quidam autem et bene incipiunt, et bene finiunt. Lib. 2 *de Summo bono*, cap. 5, sect. 14.

LACT. FIRM. 67. Quidquid est, aliquando habuerit principium necesse est : nec omnino quidquam potest esse, nisi cœperit. Lib. 7, *de Divin. inst.*, cap. 1.

S. LAURENT. JUSTIN. 68. Nihil laude dignum est, quod imperfectum relinquitur : cœpisse enim, nec perfecisse opus, non caret reprehensione. *De Ligno vitæ*, tract. 13, *de Orat.*, cap. 10.

S. LEO I. 69. Difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Epist. 87, *ad Episc. African.*

S. NILUS. ABB. MART. 70. Uniuscujusque rei finem, ante initium considera. *Parænes.* 30.

PETR. BLES. 71. Quod fecisti hactenus, feliciter consumma : sic agens quotidie, quasi semper incipias? Tract. *de Inst. episc.*

S. PETRUS DAMIANUS. 72. Quid prodest, si recte quis quodlibet opus incipiat, nisi illud recto fine concludat. Lib. 4, epist. 16, *ad Quemdam episc.*

73. Qui cœpta bona districte non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Lib. 7, epist. 10.

74. Electorum ac reproborum commune est, bona quælibet indifferenter incipere : sed specialiter electorum est, qui bene cœpta sunt, consummare. Lib. 8, epist. 5, *ad Petr. senator.*

75. Nihil prodest cuiquam bonum opus inci-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

pere, nisi studeat etiam, usque dum perficiat custodire. Opusc. 25, cap. 2.

THOMAS A KEMPIS. 76. Multorum est incipere, paucorum proficere, paucissimorum ad perfectionem pervenire. In *Hortulo rosar.*, cap. 4.

77. Qui proficere vult, omni die incipere debet. In *Dialogo novit.*, cap. 3, sent. 2.

IN VIT. PATR. 78. Inchoasti aliquid boni! non revoceris per impedimenta inimici, quoniam et ipse inimicus patientia tua destruetur. Lib. 5, libell. *de Fortitud.*, num. 8.

79. Nihil est opus quod incipitur si non perficitur. Lib. 7, cap. 27, num. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 80. Principium omne difficillimum perspectu est. Lib. 2, *Elenchor.*, cap. 9.

CICERO. 81. Ut bene vel male posuimus initia, sic cætera sequentur. Lib. 10, *Epist. ad Atticum*, epist. 20.

EPICTETUS. 82. In quovis incœpto, hæc optanda sunt. Duc me o Jupiter, et tu fatum, eo quo sum a vobis destinatus : sequar enim alacriter. Quod si noluero, et improbus ero, et sequar nihilominus. In suo *Enchirid.*, cap. 77.

SENECA. 83. Quam serum est, tunc velle incipere, cum desinendum est? *De Brevit. vitæ*, cap. 4.

84. Inter cætera mala hoc quoque habet stultitia, semper incipit vivere. *Prosec.*

85. Quid est autem turpius, quam senex vivere incipiens?

86. Molestum est, semper vitam inchoare : male vivunt, qui semper vivere semper incipiunt, quia semper illis imperfecta vita est.

87. Non potest stare paratus ad mortem, qui modo incipit vivere, et non incipit mori.

88. Quidam vivere tunc incipiunt, cum desinendum est, quidam autem, quod magis mirum, ante vivere desierunt, quam inciperent. Epist. 13 et 23.

89. Scito te in quibusdam debere perseverare, quia cœpisti : quædam vero nec incipere, in quibus perseverare sit noxium. *De Quatuor virt.*

SIXT. PHIL. 90. Exordium in agendo, a Deo sume, quæ agis. Sent. 278.

Vide etiam tit. *Conversio*, sent. 47; *Finis*, sent. 25; *Fructus*, sent. 31; *Negligentia*, sentent. 23; *Novitius*, sent. 7; *Obviatio*, sent. 9; *Opus*, sentent. 80; *Perseverantia*, sent. 40; *Præmium*, sentent. 60; *Præfectus*, sentent. 144 : *Propositum*, sent. 33.

INFERNUS.

S. AUGUST. *Etymologia.* Inferi eo quod infra sint, latine appellantur : sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora : ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora : unde et in græca lingua origo nominis, quo appellantur inferi, ex eo quod nihil suave habeant, resonare perhibetur. Lib. 12, *de Genes. ad litt.* cap. 34.

CASSIODOR. Infernus dictus est ab eo quod illic animæ jugiter inferantur, sive, ut quidam volunt, a parte inferiore. Super *Psalm.* IX, vers. XVIII.

HUGO CARD. *Definitio.* Infernus est locus tormentorum, ubi animæ igne perpetuo cruciantur. Super *Num.*, cap. XVI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANSELM. 1. Constat solos malos in inferna torqueri, et solos bonos in cœlesti beatitudine foveri. *De Similitud.*, cap. 190.

S. ANTONIUS DE PADUA. 2. Sicut in hoc mundo duo peccata magis abundant, luxoria et avaritia : sic in inferno duæ sunt pœnæ, quæ magis cruciant, scilicet ignis et frigus. Serm. *Dom.* 20, *post Trinit.*

S. AUGUST. 3. Cavendi sunt inferiores inferi, ubi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio, et ubi nemo est, qui memor Dei sit. *De Vera relig.*, cap. 52.

4. In Inferno etsi erit stimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis : a talibus enim iniquitas sua ita culpabitur, ut nullatenus possit ab eis vel desiderari justitia. Voluntas eorum talis erit, ut habeant in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen percipere possint bonitatis affectum. *De Fide ad Petrum*, cap. 3.

5. Sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt : ita illi, qui erunt in supplicio ignis æterni cum diabolo et ejus angelis deputati : sicut ulterius nullam habebunt requiem, sic nullatenus bonam habere poterunt voluntatem. *Ibid.*

6. Sicut cohæredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam, sic consortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiore lumine veritatis. *Ibid.*

7. Quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse a mansuete quærentibus a contentiose autem certantibus nunquam invenitur Lib. 8 *de Genesi ad litt.*, cap. 5.

8. Miseris in inferno mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu : quia et mors semper vivet et finis semper incipiet, et defectus deficere nesciet. *Prosec.*



9. Mors perimet, et non extinguet, dolor cruciabit, et pavorem non fugabit, flamma comburet, sed tenebras non discutiet : erit enim in igne obscuritas, in obscuritate pavor, in combustione dolor. *De Spiritu et anima*, cap. 56.

10. Reprobi ignibus inferni traditi, in suppliciis dolorem sentient, et in doloris angustia pavore ferientur, et semper tolerabunt, et semper timebunt : quia sine fine cruciati vivent sine spe veniæ et misericordiæ, quod est miseria super miseriam. *Prosec.*

11. Si enim post tot millia annorum quot capillos habuerunt, omnes quicunque fuerunt et erunt, pœnas suas finiri sperarent, multo levius eas sustinerent; sed quia spem non habent, nec habebunt, desperatione deficient, et ad tormenta non sufficient.

12. Ibi erit metus et mœror, luctus et dolor : tunc vere nihil nisi lugere erit, nisi flere : quia pœnitere tunc nulli poterit valere.

13. Ibi erit tortor cædens, vermis corrodens, ignis consumens : peccata detegentur, rei punientur, et hoc totum perenne.

14. Quisquis ad tormenta ibit, jam non amplius exibit, dolor combustionis eos foris cruciabit, pœna cæcitatis intus obscurabit.

15. Videbunt illa teterrima monstra dæmoniorum, et larvales facies eorum, videbunt tormenta inferni, et in tormentis sequaces suos, Deum autem non videbunt, quod est omnium miseriarum miserius. *Ibid.*, cap. 56.

16. Multi ex virtutibus in infernum per elationem corruerunt. *Ibid.*

17. Sepultura inferni, pœnarum profunditas, superbos et immisericordes post hanc vitam devorat. Lib. 2 *Quæst. Evangel.*, quæst. 38.

18. Tria sunt deteriora omni malo : anima peccatoris, quæ nigrior est corvo : mali angeli, qui eam rapiunt : et infernus, in quem ducitur. *De Salut. docum.*, cap. 50.

19. Mors illa in inferno potius æterna dicenda est, quam vita : nulla quippe major et pejor est mors quam ubi non moritur mors. Lib. 6, *de Civit. Dei*, cap. 12.

20. In pœnis malorum, et inextinguibilis ignis, et vivacissimus vermis ab aliis atque aliis, aliter atque aliter est expositus. *Prosec.*

21. Alii quippe utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam retulerunt : alii proprie ad corpus ignem, vermem vero tropice ad animam, quod credibilius esse videtur. *Ibid.*, lib. 20, cap. 22.

22. Ignis æternus cujusmodi sit, et in qua mundi vel rerum parte futurus, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui spiritus divinus ostendit. Lib. 20 *de Civit. Dei*, cap. 16.

23. Lacus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitis, famis, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, et omnis ineffabilis mali, quod nec dici, nec cogitari potest. *De Triplici habitaculo*, cap. 1.

24. In inferno nihil invenitur quod desideratur : in lacu miseriæ perennis, nihil videtur, nihilque sentitur, nisi quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat. *Ibid.*

25. Omne malum abundat in carcere diaboli, et nullum bonum; nullus dignus, nullus justus ad infernum trahitur. *Ibid.*

26. In inferno est : sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, severitas tortoris, præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium. *Ibid.*, cap. 2.

27. In inferno est vermis conscientiæ, ignitæ lacrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi quoad visionem ejus, quæ sola omnia supradicta superat, et omnibus pœnis intolerabilior. *Ibid.*

28. Duplex plaga, est ab æterno regno Dei separari, et semper in inferno cum diabolo damnari, præsentiam amittere angelorum, et terribilem semper pati dæmonum præsentiam. *Prosec.*

29. Quantum caveri, vitari, metui deberet dæmonum præsentia, nullo modo dici potest quis cum sano sensu pro unius diei deliciis centum annorum pœnam eligeret? *Ibid.*, cap. 3.

30. Quare in inferno mors quæritur et non invenitur? quia quibus in hoc sæculo vita offertur, et nolunt accipere, inferno quærunt mortem, et non poterunt invenire. Serm. 1 *Dedicat. Eccles.*

31. Damnatorum cibus est cruciatus, et mansio eorum cum diabolo : ubi nulla visitatio nisi pœna, ubi nulla requies, sed semper inquietudo : ubi nullum refrigerium, sed semper flamma : ubi lux nulla, sed semper tenebræ. Serm. 3 *de Defunctis.*

32. Infernus latus est, et mensuram non habet; profundus est, et nullum fundum habet; insatiabilis est, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus omni dolore innumerabili. *Prosec.*

33. Ibi omnis miseria, ibi tenebræ, ibi nullus ordo, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali; sed omne malum quod exco-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pere, nisi studeat etiam, usque dum perficiat custodire. Opusc. 25, cap. 2.

THOMAS A KEMPIS. 76. Multorum est incipere, paucorum proficere, paucissimorum ad perfectionem pervenire. In *Hortulo rosar.*, cap. 4.

77. Qui proficere vult, omni die incipere debet. In *Dialogo novit.*, cap. 3, sent. 2.

IN VIT. PATR. 78. Inchoasti aliquid boni! non revoceris per impedimenta inimici, quoniam et ipse inimicus patientia tua destruetur. Lib. 5, libell. *de Fortitud.*, num. 8.

79. Nihil est opus quod incipitur si non perficitur. Lib. 7, cap. 27, num. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 80. Principium omne difficillimum perspectu est. Lib. 2, *Elenchor.*, cap. 9.

CICERO. 81. Ut bene vel male posuimus initia, sic cætera sequentur. Lib. 10, *Epist. ad Atticum*, epist. 20.

EPICTETUS. 82. In quovis incœpto, hæc optanda sunt. Duc me o Jupiter, et tu fatum, eo quo sum a vobis destinatus : sequar enim alacriter. Quod si noluero, et improbus ero, et sequar nihilominus. In suo *Enchirid.*, cap. 77.

SENECA. 83. Quam serum est, tunc velle incipere, cum desinendum est? *De Brevit. vitæ*, cap. 4.

84. Inter cætera mala hoc quoque habet stultitia, semper incipit vivere. *Prosec.*

85. Quid est autem turpius, quam senex vivere incipiens?

86. Molestum est, semper vitam inchoare : male vivunt, qui semper vivere semper incipiunt, quia semper illis imperfecta vita est.

87. Non potest stare paratus ad mortem, qui modo incipit vivere, et non incipit mori.

88. Quidam vivere tunc incipiunt, cum desinendum est, quidam autem, quod magis mirum, ante vivere desierunt, quam inciperent. Epist. 13 et 23.

89. Scito te in quibusdam debere perseverare, quia cœpisti : quædam vero nec incipere, in quibus perseverare sit noxium. *De Quatuor virt.*

SIXT. PHIL. 90. Exordium in agendo, a Deo sume, quæ agis. Sent. 278.

Vide etiam tit. *Conversio*, sent. 47; *Finis*, sent. 25; *Fructus*, sent. 31; *Negligentia*, sentent. 23; *Novitius*, sent. 7; *Obviatio*, sent. 9; *Opus*, sentent. 80; *Perseverantia*, sent. 40; *Præmium*, sentent. 60; *Præfectus*, sentent. 144; *Propositum*, sent. 33.

## INFERNUS.

S. AUGUST. *Etymologia.* Inferi eo quod infra sint, latine appellantur : sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora : ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora : unde et in græca lingua origo nominis, quo appellantur inferi, ex eo quod nihil suave habeant, resonare perhibetur. Lib. 12, *de Genes. ad litt.* cap. 34.

Infernus dictus est ab eo quod illic animæ jugiter inferantur, sive, ut quidam volunt, a parte inferiore. Super *Psalm.* IX, vers. XVIII. CASSIODOR.

*Definitio.* Infernus est locus tormentorum, ubi animæ igne perpetuo cruciantur. Super *Num.*, cap. XVI. HUGO CARD.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Constat solos malos in inferna torqueri, et solos bonos in cœlesti beatitudine foveri. *De Similitud.*, cap. 190. S. ANSELM.

2. Sicut in hoc mundo duo peccata magis abundant, luxuria et avaritia : sic in inferno duæ sunt pœnæ, quæ magis cruciant, scilicet ignis et frigus. Serm. *Dom.* 20, *post Trinit.* S. ANTONIUS DE PADUA.

3. Cavendi sunt inferiores inferi, ubi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio, et ubi nemo est, qui memor Dei sit. *De Vera relig.*, cap. 52. S. AUGUST.

4. In Inferno etsi erit stimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis : a talibus enim iniquitas sua ita culpabitur, ut nullatenus possit ab eis vel desiderari justitia. Voluntas eorum talis erit, ut habeant in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen percipere possint bonitatis affectum. *De Fide ad Petrum*, cap. 3.

5. Sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt : ita illi, qui erunt in supplicio ignis æterni cum diabolo et ejus angelis deputati : sicut ulterius nullam habebunt requiem, sic nullatenus bonam habere poterunt voluntatem. *Ibid.*

6. Sicut cohæredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam, sic consortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiore lumine veritatis. *Ibid.*

7. Quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse a mansuete quærentibus a contentiose autem certantibus nunquam invenitur Lib. 8 *de Genesi ad litt.*, cap. 5.

8. Miseris in inferno mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu : quia et mors semper vivet et finis semper incipiet, et defectus deficere nesciet. *Prosec.*



9. Mors perimet, et non extinguet, dolor cruciabit, et pavorem non fugabit, flamma comburet, sed tenebras non discutiet : erit enim in igne obscuritas, in obscuritate pavor, in combustione dolor. *De Spiritu et anima*, cap. 56.

10. Reprobi ignibus inferni traditi, in suppliciis dolorem sentient, et in doloris angustia pavore ferientur, et semper tolerabunt, et semper timebunt : quia sine fine cruciati vivent sine spe veniæ et misericordiæ, quod est miseria super miseriam. *Prosec.*

11. Si enim post tot millia annorum quot capillos habuerunt, omnes quicunque fuerunt et erunt, pœnas suas finiri sperarent, multo levius eas sustinerent; sed quia spem non habent, nec habebunt, desperatione deficient, et ad tormenta non sufficient.

12. Ibi erit metus et mœror, luctus et dolor : tunc vere nihil nisi lugere erit, nisi flere : quia pœnitere tunc nulli poterit valere.

13. Ibi erit tortor cædens, vermis corrodens, ignis consumens : peccata delegentur, rei punientur, et hoc totum perenne.

14. Quisquis ad tormenta ibit, jam non amplius exibit, dolor combustionis eos foris cruciabit, pœna cæcitatis intus obscurabit.

15. Videbunt illa teterrima monstra dæmoniorum, et larvales facies eorum, videbunt tormenta inferni, et in tormentis sequaces suos, Deum autem non videbunt, quod est omnium miseriarum miserius. *Ibid.*, cap. 56.

16. Multi ex virtutibus in infernum per elationem corruerunt. *Ibid.*

17. Sepultura inferni, pœnarum profunditas, superbos et immisericordes post hanc vitam devorat. Lib. 2 *Quæst. Evangel.*, quæst. 38.

18. Tria sunt deteriora omni malo : anima peccatoris, quæ nigrior est corvo : mali angeli, qui eam rapiunt : et infernus, in quem ducitur. *De Salut. docum.*, cap. 50.

19. Mors illa in inferno potius æterna dicenda est, quam vita : nulla quippe major et pejor est mors quam ubi non moritur mors. Lib. 6, *de Civit. Dei*, cap. 12.

20. In pœnis malorum, et inextinguibilis ignis, et vivacissimus vermis ab aliis atque aliis, aliter atque aliter est expositus. *Prosec.*

21. Alii quippe utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam retulerunt : alii proprie ad corpus ignem, vermem vero tropice ad animam, quod credibilius esse videtur. *Ibid.*, lib. 20, cap. 22.

22. Ignis æternus cujusmodi sit, et in qua mundi vel rerum parte futurus, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui spiritus divinus ostendit. Lib. 20 *de Civit. Dei*, cap. 16.

23. Lacus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitis, famis, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, et omnis ineffabilis mali, quod nec dici, nec cogitari potest. *De Triplici habitaculo*, cap. 1.

24. In inferno nihil invenitur quod desideratur : in lacu miseriæ perennis, nihil videtur, nihilque sentitur, nisi quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat. *Ibid.*

25. Omne malum abundat in carcere diaboli, et nullum bonum; nullus dignus, nullus justus ad infernum trahitur. *Ibid.*

26. In inferno est : sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, severitas tortoris, præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium. *Ibid.*, cap. 2.

27. In inferno est vermis conscientiæ, ignitæ lacrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi quoad visionem ejus, quæ sola omnia supradicta superat, et omnibus pœnis intolerabilior. *Ibid.*

28. Duplex plaga, est ab æterno regno Dei separari, et semper in inferno cum diabolo damnari, præsentiam amittere angelorum, et terribilem semper pati dæmonum præsentiam. *Prosec.*

29. Quantum caveri, vitari, metui deberet dæmonum præsentia, nullo modo dici potest quis cum sano sensu pro unius diei deliciis centum annorum pœnam eligeret? *Ibid.*, cap. 3.

30. Quare in inferno mors quæritur et non invenitur? quia quibus in hoc sæculo vita offertur, et nolunt accipere, inferno quærunt mortem, et non poterunt invenire. Serm. 1 *Dedicat. Eccles.*

31. Damnatorum cibus est cruciatus, et mansio eorum cum diabolo : ubi nulla visitatio nisi pœna, ubi nulla requies, sed semper inquietudo : ubi nullum refrigerium, sed semper flamma : ubi lux nulla, sed semper tenebræ. Serm. 3 *de Defunctis.*

32. Infernus latus est, et mensuram non habet; profundus est, et nullum fundum habet; insatiabilis est, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus omni dolore innumerabili. *Prosec.*

33. Ibi omnis miseria, ibi tenebræ, ibi nullus ordo, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali; sed omne malum quod exco-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

gitari potest, damnatis in æternum erit. Serm. 26, *ad Fratr. in eremo.*

34. Ibi nulla vita, sed mansio dura, et mors æterna, ibi tenebrosus ignis, et locus horribilis, ibi flamma gehennalis et inextinguibilis, ibi immensa tormenta et suspiria valida, ibi luctuosi gemitus et languor sempiternus. *Ibid.*, serm. 68.

35. In inferno et dolor permanet ut affligat; et natura perdurat ut sentiat : quia utrumque ideo non deficit, ne pœna deficiat. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 28.

36. In ipso igne æterno pro disparibus ponderibus peccatorum, sunt disparia tormenta pœnarum. Lib. 4, *de Baptismo, contra Donatis.*, cap. 19.

37. In inferno non erunt homines ante mortem atque post mortem, sed semper in morte; ac per hoc nunquam viventes, nunquam mortui, sed sine fine morientes. Lib. 13, *de Civit. Dei*, cap. 11.

S. BERNARDIN. SENENS. 38. Ignis inferni semper ardebit, nunquam lucebit, semper uret et nunquam consumetur, semper efficiet et nunquam deficiet. Super *Apocal.*, cap. xv, vers. 11, in in illud : *Fumus tormentorum ascendit.*

39. Est apud inferos summa tenebrarum obscuritas, immensa pœnarum acerbitas, infinita miseriarum æternitas. *Ibid.*

40. O mors, quam dulcis esses, quibus tam amara fuisti! te solam ibi desideranter optabunt, qui te solam vehementer oderunt. *Ibid.*

S. BERNARD. 41. Per millia millium annorum in inferno cruciendi sunt miseri, nec inde unquam liberandi : ubi nec qui torquet, aliquando fatigatur; nec qui torquetur, aliquando moritur. *Prosec.*

42. Ibi dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ et corporis, sine spe veniæ et misericordiæ : sic tamen morientur ut semper vivant, ut semper moriantur. Lib. *Medit.*, cap. 3.

43. In inferno est ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum, innodatio vinculorum, horribilis dæmonum facies. Serm. *de quinque negotiat.*

44. Dirum execrabile, et horrendum sepulcrum infernus. Serm. *ad Pastores in synodo congregatos.*

45. Regio gehennalis, regio dura et extimescenda, terra afflictionis et miseriarum, terra tenebrarum, terra turbinis et caliginis, terra maledictionis et mortalitatis, terra sitis et famis, terra combustionis et frigoris. Serm. *de S. Nicolao.*

S. BONAV. 46. Mors malorum in inferno, est mors mortalis. Super *Psalm.* cxvii.

47. Ostium diaboli in inferno, luxuria est; cujus limen et simplex fornicatio, postes autem adulterium, superliminare peccatum contra naturam. Serm. 2, *Dom. 4, post Pent.*

48. In inferno est vita semper moriens, et mors semper vivens. Serm. 1, *de S. Laurent.*

49. Homo in inferno semper moritur; et ut semper mori possit, ad vitam continue reparatur. *Ibid.*

50. In inferno tunc desinet pœna miserorum, quando gloria desinet beatorum. Serm. 1, *de S. Matthæo.*

51. In inferno erit stimulus pœnitentis, nulla tamen erit correctio voluntatis. Tit. 10 *Diætæ*, cap. 1.

52. Tanta erit in inferno vis doloris, ut se non ferat altius intentio cogitationis. In *Soliloq.*, cap. 3.

S. CÆSARIUS ARELAT. 53. Intolerabilis dolor ibi erit, si inde quisque causas mortis incurrat, unde vitæ gaudia comparare potuisset. Homil. 1.

CASSIODOR. 54. Ignis infernalis sic absumit, ut servet; sic servat, ut cruciet. Super *Psalm.* xx.

55. Pœna ingens, formidolosa damnatio, de amœnissimo Domini tabernaculo evelli, et in perpetuis ignibus mancipari : ubi nec virere cuiquam datum est, nec florere concessum; sed tanquam arbor grandæva radicitus evulsa, æterna sterilitate siccari. Super *Psalm.* LI, vers. 5 : *Evellet te.*

S. DOROTH. 56. Quis potest horrenda inferni loca enarrare, tortores terribiles, animas infelices diro cruciatu torquentes? *Prosec.*

57. Quis potest enarrare ignem incorruptibilem et semper ardentem, tenebras inexplicabiles, asperos et rigidos judices, et ultores? *Doctrin.* 12.

S. EPHREM. 58. In inferno obviabit damnatis horrenda illa facies suorum delictorum, quæ omni tormento acerbior erit ac durior. *De Universali resurr.*

S. EUSEBIUS CÆSAR. 59. Quanto in mundo major fuit gloria et lætitia, tanto major in inferno præparatur pœna. Epist. 4, *ad Damas. Pap. de morte D. Hieronym.*

S. EUSEBIUS EMISS. 60. Dura separatio est a dulci intuitu sanctorum, et a societate felicium, et lacrymabiles gemitus planctusque lugentium, collegium triste miserorum, et a beata patria æternum teterrimæ noctis exilium. Homil. 4, *ad Monachos.*

61. Intolerabilis in inferno dolor erit, si inde causas mortis quisquam incurrat, unde vitæ gaudia comparare potuisset. *Ibid.*, homil. 10.

62. Ardens inferni puteus aperietur; descensus erit, reditus non erit. *Prosec.*

63. Illic denudati et capitaliter mortui in perpetuum demergentur, dejiciendi in tenebras exteriores, infeliciter exclusi, infelicius includendi.

64. Cum enim susceperit reos, claudetur sursum, et aperietur deorsum, dilatabitur in profundum : nullum spiramen, nullus liber anhelitus, claustris desuper urgentibus, relinquetur.

65. Detrudentur illuc valedicentes rerum naturæ, ultra nescientur a Deo, qui Deum scire noluerunt, morituri vitæ, et mortui sine fine victuri.

66. Felices, qui nunc bene agunt, utentes facultate, vel corpore suo contenti, et de suo largi, in se casti, in alios incruenti, ab hujus profundi flammea nocte se redimunt. *Ibid.*, homil. 3, *de Epiphan.*

FRANCISCUS TITELM. 67. Infernus latissimus est, et infinitæ capacitatis, quotquot advenerint capiens, et nunquam dicens, sufficit. In *Elucidat.*, super cap. xxxvi, *Job*, in illud : *Latissime, et non habens fundamentum.*

S. FULGENT. 68. Ibi mors miserorum talis erit, quæ non animam de corpore dolentis excludat : sed indolenti corpore ita jugiter teneat, ut animam simul et corpus æternitate doloris affligat : ac per hoc semper in corpore suo morietur anima, cum quo sine fine cogitur æterna communicare tormenta.

69. Ibi mors animæ corporisque non moritur, quia cruciatus corporis et animæ non finitur. Lib. 2, *de Remiss. peccator.*, cap. xiii.

GLOSS. ORD. 70. Caliginosus aer, infernus est dæmonum. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. ii.

S. GREGOR. MAGNUS. 71. Quem rapit iniquitas, infernus absorbet. Lib. 26, *Moral.*, cap. 24, num. 32.

72. Ignis infernalis concremationem habet, lumen non habet. *Ibid.*, lib. 9, cap. 36, in illud *Job* : *Ubi umbra mortis.*

73. Inferni claustra tenebrosa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna transitoria, vel phantastica imaginatione cruciant, sed ultione solida perpetuæ damnationi servant. *Ibid.*, cap. 30, num. 45.

74. Nequaquam ultra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus justitia judicis damnat : quia quisquis ad toleranda inferni mala descenderit, nequaquam ulterius ad lucem redibit. *Ibid.*

75. Qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento in inferno cruciantur. *Ibid.* cap. 39, num. 47.

76. Par cruciet flamma supplicii, quos in igne luxuriæ par succendit flamma peccati. *Ibid.*

77. Infernum umbra mortis obscurat, quia horrendo modo est reprobis dolor cum formidine, et flamma cum obscuritate. *Ibid.*, super illud *Job.* x : *Sempiternus horror inhabitat.*

78. Fit miseris in inferno mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu : quia et mors vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit. *Ibid.*

79. In inferno mors perimit, et non extinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit. *Ibid.*

80. In inferno edax flamma comburit, quos carnalis delectatio polluit; et infinite patens inferni barathrum devorat, quos inanis elatio exaltavit. *Ibid.*

81. Omnis peccator in inferno prudens erit in pœna, qui stultus fuit in culpa : quia ibi dolore constrictus ad rationem oculos aperiet, quos hic voluptati deditus clausit. *Ibid.*, lib. 15, cap. 31.

82. Pravi tanto in inferno gravioris vindictæ supplicia sentiant, quanto hic majoris providentiæ gratiam calcant. *Ibid.*, lib. 26, cap. 22, super illud *Job* xxxvi, *Revelabit aurem eorum.*

83. Infernus recte fundum non habere creditur : quia quisquis ab illo rapitur, in immenso profundo devoratur. *Ibid.*, cap. 24, num. 32.

84. Damnati hominis domus, infernus est; ubi nulla inveniri poterunt consilia salutis. Lib. 2, in i, *Reg.*, cap. iii.

85. Sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. Lib. 4, *Dialogi*, cap. 28.

S. HIERON. 86. Infernus insatiabilis est, et nunquam mortuorum multitudine completur. Lib. 2, super *Isaiam*, cap. v, super illud : *Propterea dilatavit infernus.*

87. In inferno cuncta pœnarum plena sunt, atque cruciatuum. Super *Joel*, cap. ii, super illud, *Magnus enim dies Domini.*

HUGO A S. VICTORE. 88. Infernus latus est sine mensura, profundus sine profundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili. *Prosec.*

89. Ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali.

90. Ibi transitur a frigore nivium ad calorem ignium, et utrumque intolerabile.

91. Ibi omnes comburuntur, et vermibus corroduntur, et consumuntur.

92. Nulla ibi vox, nisi væ, væ, væ habent, væ sonant, tortores diabolici torquent pariter et torquentur, et eorum nunquam finis erit, aut remedium. Talis est infernus, et millies pejor. Lib. 4, *de Anima*, cap. 13.

93. Hic locus indignis, quo non extinguitur ignis :
Nec qui torquetur, nec qui torquet morietur.

Serm. 68, *de Divers.*

HUGO CARD. 94. Quindecim pœnæ sunt inferni : fames insatiabilis, sitis inextinguibilis, æstus irremediabilis, frigiditas intolerabilis, ignis interminabilis, fœtor horribilis, fumus incredibilis, laceratio bestiarum infatigabilis, dolor sensibilis, clausio carceris in-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

flexibilis, desperatio insanabilis, horror execrabilis, invidia incessabilis, vermis corrosibilis, pœna infinibilis. Super *Psalm.* xx.

95. Mali deferunt secum malam voluntatem in inferno. Super *Prov.*, cap. xiv.

96. Triplex est infernus, primus, est pœna temporalis ; secundus, pœna purgatorii; tertius, pœna gehennalis. *Ibid.*, cap. xv.

97. Siesset aliquis in inferno sine peccato, nullam pœnam sentiret. Super *Isaia.*, cap. xiv.

98. In inferno sepeliuntur parochiani diaboli, in cœlo vero sepeliuntur parochiani Christi. Super *Luc.*, cap. xvi, in illud : *Et sepultus est in inferno.*

S. INNOC. III. 99. Est apud inferos summa tenebrarum obscuritas, immensa pœnarum acerbitas, infinita miseriarum æternitas. Lib. 3, *de Contemptu mundi*, cap. 6.

100. Ibi erit fletus et stridor dentium, gemitus et ululatus, luctus et cruciatus, stridor et clamor, timor et tremor, dolor et labor, ardor et fœtor, obscuritas et anxietas, acerbitas, et crudelitas, calamitas et egestas, angustia et tristitia, oblivio et confusio, torsiones et punctiones, amaritudines etsollicitudines, fames et sitis, frigus, et calor, sulphur et ignis. *ibid.*, cap. ultimo.

101. Erit tanta in reprobis ibi oblivio, tanta cæcitas animi, tanta confusio rationis, ut raro, vel nunquam ad cogitandum quidquam de Deo possint assurgere, nec ad confitendum valeant respirare. *Ibid.*, cap. 7.

102. Ordo quidem erit in inferno in quantitate pœnarum, sed ordo non erit in qualitate rerum. *Ibid.*, cap. 8.

103. Voluntas damnati in inferno, licet amiserit peccandi defectum semper tamen habebit malignitatis affectum. *Ibid.*, cap. 10.

S. JOANNES CHRYSOST. 104. In inferno damnatus duplex invenit supplicium : in gehenna enim uritur, et cœlorum regnum prorsus amittit, quæ pœna major est, quam cruciatus ille flammarum. Homil. 24, super *Matth. Oper. perfect.*, in illud : *Et in ignem mittetur.*

S. JOANNES DAMASC. 105. Mala, quæ in inferno sunt, Deum auctorem non habent, sed nos ipsos. Lib. 2 *Parall.*, cap. 52.

106. Infernus commune hospitium est, et luctuum officina. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 107. Infernus latus est sine mensura, profundus sine fundo. Super Prolog. *Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 29.

108. Omnium in inferno pœnarum longe gravissima existimanda est, quod illic damnati lucis æternæ visione perpetuo sunt privati. Lib. 2 *ad Monachos*, serm. 5.

109. Mali retributio, infernus est. Orat. 7 in *Conventu abbat. habita.*

PETRUS BLESENS. 110. Sicut lana ovium tonsa permittitur crescere, ut iterum tondeatur : sic moriendo in inferno vives, et non desines mori. Epist. 91, *ad Rodulph. episc. Lexoviens.*

111. Tota hominis miseri in inferno substantia devorabitur inextinguibilibus flammis : nec erit suppliciorum modus, vel intermissio sive finis. *Prosec.*

112. Nam ibi finis semper incipiet, mors non morietur, nec defectus deficiet; ut damnati hominis conditio, semper in doloris materiam, et mortis æternæ pabulum recidivet. *Ibid.*, epist. 131, *ad quemdam Prior.*

S. PETRUS DAMIANUS. 113. Regio gehennalis, regio dura, regio extimescenda, terra afflictionis, terra oblivionis, terra miseriarum, terra tenebrarum, terra turbinis et caliginis, terra maledictionis et mortis. *Prosec.*

114. Illic est ignis, qui non succenditur : vermis, qui non moritur, et frigus horrendum.

115. Ibi fœtor intolerabilis exoritur, percutientes mallei resonant incessanter, obfusæ tenebræ cumulatius indensantur.

116. Illic confusio peccatorum, horribilis facies dæmonum, inextricabilium vinculorum fertilis multitudo.

117. Ibi fletus et stridor dentium, planctus et gemitus, et alternantia mala impios sine pietate discerpunt. Serm. 59 *de S. Nicol.*

PHILO JUD. 118. Nihil sic valet ad extirpandas voluptatum radices, quam inferni memoria. *Ibid.*

119. Infernus nihil aliud est, quam vita miseri, scelerati, execrandique hominis. *De Congressu quærendæ eruditionis gratiæ.*

S. PROSPER. 120. Ubi continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus : ubi pœnales sensus torquent animas, nec extorquent : puniunt corpora damnata, nec finiunt. Lib. 3 *de Vita contemplat.*, cap. 12.

121. Cogitate quale malum sit, ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi ; beatissima sanctorum omnium societate privari ; fieri patriæ cœlestis extorrem ; mori vitæ beatæ, morti vivere sempiternæ ; in æternum ignem cum diabolo, et angelis ejus expelli, ubi mors secunda damnatis exilium, vita supplicium ; non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat ; exundantis incendii terribiles crepitus pati ; barathri fumantis amara caligine oculos obcæcari ; profundo gehennæ fluctuantis immergi ; edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri. *Ibid.*

TERTULL. 122. Nulli animæ omnino inferos patere sancitum est. *De Anima*, cap. 57.

S. THEOPH. ALEX. 123. Infernus mortuis non expletur : sed quanto plures susceperit, tanto plures desiderat. *Epist. Paschal.* 3.



THOMAS A KEMPIS. 124. Nullum vitium erit in inferno, quod suum proprium cruciatum non habebit : ibi erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in gravissima pœnitentia. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 24, sect. 4.

S. VINCENT. FERRAR. 125. Quatuor sunt loca in inferno : primus et inferior est carcer damnatorum ; secundus est limbus puerorum ; tertius est limbus purgandorum ; quartus est sinus Patrum sanctorum. Serm. *in Sabbat. sancto.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 126. Apud inferos antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt. *Orat.* 44.

PLATO. 127. Si qui propter peccatorum magnitudinem insanabiles esse videntur, perpetratis aut sacrilegiis multis et magnis, aut cædibus injustis, aut facinoribus commissis, hos consentanea sors projicit in tartarum, unde nunquam egredientur. Syzyg. 1, in *Dialogo Phædonis.*

128. Plenam multis sceleribus animam ad inferos descendere, illud omnium malorum extremum est. Syzyg. 3, *de Rhetor.*

129. Est carcer infernus, et perpetua nocte oppressa regio. Epist. 82.

Vide etiam tit. *Carcer*, sent. 315; *Deliciæ*, sent. 39; *Diabolus*, sent. 179; *Finis*, sent. 35; *Locus*, sent. 17; *Mors*, sent. 24, 59, 98; *Purgatorium*, sent. 26; *Timor mortis*, sent. 86; *Tribulatio*, sent. 92; *Visio Dei*, sent. 50.

## INFIRMITAS.

S. ISIDORUS HISPAL. *Etymologia.* Infirmus dicitur, quasi sine forma. Lib. 10 *Etymol.*, verbo *Infirmus.*

S. ANTONIN. *Definitio.* Infirmitas proprie carnis dicitur, qua elementorum, seu humorum concordia turbata caro ipsa afficitur, et tandem dissolvitur. Part. 1, tit. 5, *de Anima separata*, cap. 1, § 5.

RICHARD. A S. VICTORE. Infirmitas nihil aliud est, nisi sanitatis privatio, integritatisque corruptio. Part. 1, tract. 1, *de Statu interioris homin.*, cap. 11.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ægritudo carnis peccatum repellit, luxuria autem carnis culpam adolet. Lib. 1 *de Pœnit.*, cap. 13.

2. Non est obnoxius infirmitati, qui non est obnoxius passioni. *De Incarnat.*, cap. 7.

3. Nullo modo se erigere potest abjectus et vilis sensus, atque ignobilis, demersus in omnem infirmitatis voraginem vitæ hujus cupiditate. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplician.*

4. Non est excludenda infirmitas, sed juvanda. Lib. 7, super *Luc.*, cap. xix, in illud : *Nolite prohibere eos.*

S. ANTONIN. 5. Cum corpus est debile et infirmum, debilitatur hostis. Part. 2, tit. 4, cap. 4.

S. AUGUST. 6. Qui veram corporis ostendit infirmitatem, humane tractandus est : qui autem falsam, et convinci non potest, Deo dimittendus est. *De Opere monachor.*, cap. 19.

7. Multo misericordius operatur erga animas infirmorum, qui bonæ famæ servorum Dei consulit, quam erga corpora egentium, qui panem esurientibus frangit. *Ibid.*, cap. 22.

8. Non amat medicus ægrotum, et amat medicus ægrotum : si ægrotum amaret, semper ægrotum optaret : rursus si ægrotum non amaret, ad ægrotum non veniret; sed amat ægrotum, ut faciat sanum. Super *Psalm.* xlvii, vers. 3.

9. Ubi non est salus, succumbit infirmitas. Super *Psalm.* cxviii, conc. 29.

10. Nihil superbius est ægroto, qui deridet medicamentum suum. Super *Psalm.* cxli, vers. 4.

11. Ubi homo ægrotat, et Deus curat, magnum pietatis et sanitatis indicium est. Super *Psalm.* cxlvii.

S. BASILIUS MAGNUS. 12. Morbi sæpenumero veluti quædam peccatorum flagella sunt. Lib. *Regular. fusius disput.*, interrogat. 55.

V. BEDA. 13. Cum caput ægrotat, corpus simul omne laborat. In suis *Proverbiis*, verbo *Cum.*

14. Difficile est cuiquam agnoscere sanitatis gratiam, nisi per infirmitatis disciplinam. *Ibid.*, verbo *Difficile.*

15. Infirmitas carnis, si patienter sustineatur, est quasi purgatorius ignis. *Ibid.*, verbo *Infirmitas.*

16. Vehementior est animi, quam corporis febris. *Ibid.*, verbo *Vehementior.*

17. Volens retinere sanitatem, nullius irrideat infirmitatem. *Ibid.*, verbo *Volens.*

S. BERNARD. 18. Utilis prorsus infirmitas, quæ medici manum requirit : et salubriter a se deficit, quem perficit Deus. Serm. *de Convers. ad Clericos*, cap. 10.

19. In tua infirmitate non te despicias, sed ora Deum, et curabit te. *De Inter. domo*, cap. 51.

20. Bona est infirmitas carnis, quæ perducit hominem ad sanitatem animæ. Serm. 43, *ad Sororem.*

21. Ægritudo carnem vulnerat, mentem curat. *Ibid.*

S. BONAV. 22. Signa infirmitatis in sene sunt quatuor : tremor corporis, canities capitis, tumor ventris, infrigidatio libidinis. Super *Ecclesiasten*, cap. xii.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

23. Non est detestanda, sed optanda infirmitas, quæ Christi virtute firmatur. *Prosec.*

24. Non dicendus est destitutus, qui est in se infirmus, cum fortitudo sua sit Dominus. Serm. *de S. Agatha.*

25. Deus fortis, ut hostem vinceret, indutus est armis nostræ infirmitatis : si enim vicit per infirmitatem, quid fecisset si pugnasset per virtutem? Et si infirmum Dei fortius est hominibus, brachium Dei quis poterit infirmare? Super lib. 1 *Sent.*

26. Unde infirmitates multæ, nisi ex ciborum nimia copia, et frequenti mulierum usu? In collat. *de Contemptu sæculi.*

S. CYPRIAN. 27. Utilius est infirmum se homo cognoscat, ut fortis existat, quam fortis videri velit, ut infirmus emergat. *De Singularit. clericor.*

S. EUCHER. 28. Major ægritudo est languere animam vitiis, quam corpus morbis. In *Epist. parænetica ad Valerian.*

GILLEBERT. ANGLUS. 29. Melior est infirmitas monachi, quam sæcularis firmitas. Serm. 37, super *Cant.*, apud S. Bernard., n. 3.

S. GREGOR. MAGNUS. 30. Custos est virtutis infirmitas. Lib. 19 *Moral.*, cap. 6, super illud *Job* 28 : *Et aquas appendit in mensura.*

31. Ægra caro si studiose curari negligitur, squalore desuper ducto in infirmitate deterius gravatur; et dum calamitati ægritudinis, negligentiæ, miseria additur, gravior molestia oborto squalore toleratur. *Ibid.*, lib. 20, cap. 15, num. 12.

32. Molestia corporalis, salus est cordis, quæ ad cognitionem sui mentem revocat, quam plerumque salus abjicit, infirmitatis memoria reformat. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 13.

33. Omnes infirmi sumus; sed ille est infirmior, qui suam considerare non valet infirmitatem. Lib. 6 in *Registro*, indict. 15, cap. 160, epist. *ad Cyriacum episc.*

S. GREGOR. NAZ. 34. Si aliquis ægrotat, pugnet; quod si succumbit, vincat, et assequatur ne amplius pugnet. Orat. 25.

35. Morbo crucior, et gaudeo : quia morbus lavat me a peccatis, et similem reddit Domino virum dolorum. Orat. *de Nativit. Christi.*

S. HIERON. 36. Morbi ex saturitate nimia concitantur. Lib. 2 *advers. Jovian.*

37. Infirmitas corporis, sanitas animæ est. Super *Psalm.* CXLIX, expos. 2, vers. 1.

HUGO A S. VICTORE. 38. Infirmitas carnis animum privat a virtute. Lib. 1 *de Claustro anim.*, cap. 8.

39. Quando infirmitas carnis adunatur in tumorem, contingit quandoque ut generet languorem. *Ibid.*, lib. 2, cap. 13.

HUGO CARD. 40. Citius venit diabolus ad infirmum, quam sacerdos, quantumcunque acceleret. Super *Psalm.* CVIII.

41. Omnis infirmitas animæ, si bene attenderis, aut est tenebræ intellectus, aut putredo seu infectio affectus. Super *Proverb.*, cap. XII.

42. Omnis spiritualis infirmitas hominis, aut est vitium intellectus, et hoc est ignorantia : aut vitium affectus, et hoc est malitia. *Ibid.*, cap. 13.

S. INNOC. III. 43. Corporalis infirmitas, etsi sæpe, non tamen semper provenit ex peccato. Super *Psalm.* VI.

JOAN. CASS. 44. Infirmitas carnis ad puritatem cordis non officit, si hæc tantummodo quæ fragilitas carnis, non quæ voluptas exigit, usurpentur. Lib. 5 *de Cœnob. instit.*, cap. 7.

S. JOANNES CHRYSOST. 45. Infirmitas corporis miserenda est, non odienda; infirmitas autem animæ non est miserenda, sed odienda. Homil. 21 super *Matth. Oper. imperf.*

46. Qui infirmus est, non secus brevi, quam longa oratione perturbatur; et quæ manifesta et facillima sunt, difficilia esse autumat. Homil. 1, super *Joan.*

47. Fortium virorum esse ferre infirmos. Homil. 15 super *Acta Apost.*, in *Morali.*

48. Naturam habere infirmitatibus subditam, crimen non est; sed servire infirmitatibus, criminosum est. Homil. 6 *de Laudibus Divi Pauli.*

49. Nescit inter divitem et pauperem ullo modo morbus discernere, gloriosum et ingloriosum, nobilem et ignobilem non cognoscit. Homil. 59 super *Matth. Oper. perf.*

S. ISIDORUS HISPAL. 50. Infirmitate carnis nimia prævalente, ad perfectionem pertingere nemo potest. *Prosec.*

51. Corporis enim debilitas, etiam vires animæ frangit, mentis quoque ingenium facit marcescere. Lib. 2 *de Summo bono*, cap. 44, sent. 14.

52. Tribus ex causis infirmitates accidunt corpori : scilicet ex peccato, ex tentatione, et ex intemperantiæ passione sed huic tantum novissimæ humana potest medicina succurrere, illis vero sola pietas divinæ misericordiæ. *Ibid.*, lib. 3, cap. 3, sent. 4.

53. Qui valentiores sunt et sani, utile est illis infirmari, et non peccare : ne per vigorem sanitatis illicitis sordidentur cupiditatum et luxuriæ desideriis. *Prosec.*

54. Duritia, quæ mentem premit, nec sentitur, utiliter mutatur per infirmitatem in carne, ut sentiatur atque intellectu emendetur.

55. Nam citius infirmitatum vulnera carnis sentiuntur, quam animæ. *Ibid.*, sent. 5.

56. Est salubris infirmitas, quæ per divinam



correptionem mentem a duritia frangit. *Ibid.*, sent. 7.

57. In infirmitatibus tuis non contristeris, in languoribus tuis gratias age Deo. *Prosec.*

58. Valere te magis animo opta, quam corpore : valere te magis mente, quam carne.

59. Adversa corporis, remedia sunt animæ : ægritudo quidem corpus vulnerat, sed mentem curat.

60. Languor vitia excoquit, languor vires libidinis frangit. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 6.

LACT. FIRM. 61. Ægros, quibus defuerint, qui assistunt, curandos, fovendosque suscipere, summæ humanitatis et magnæ operationis est. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 12.

62. Quam primum latentibus morbis adhibenda est curatio. *Ibid.*, cap. 24.

63. In terra nihil est, quod non sit infirmum. *De Opificio Dei*, cap. 24.

64. Infirmitas habet in se mortis conditionem. *Ibid.*

S. NILUS. 65. In morbis oratione priusquam medicis et pharmacis utere. *Parænes.* 62.

S. PAULINUS. 66. Non proficeret spiritualis virtus, nisi subesset carnalis infirmitas. Epist. *ad Sebastian.*

S. PETRUS CHRYSOL. 67. Qui non fuerit cum infirmo infirmatus, non potest conferre sanitatem. Serm. 50.

PHILO JUD. 68. Non extremum morbum, sed peccata, quæ morbum accersunt, extimescamus, et morbum animi non corporis. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 12.

S. PROSPER. 69. Quid infirmo utile sit, magis novit medicus, quam ægrotus. Apud *D. August.* sent. 212.

RICHARD. A S. VICTORE. 70. Attende et cognosce magnitudinem morbi tui, ut anxius concupiscas, attentius requiras, ardentius diligas remedia medici. Part. 1, tract. 1, *de Statu inter. hom.*, cap. 1.

ROBERTUS BELLARM. 71. Infirmitas corporis, robur est animæ. Conc. 23, *Dom.* 1 *Quadr.*

72. Quicunque alium ægrotare facit morbo pœnæ, ipse ægrotat morbo culpæ. Super *Psalm.* XXXIV, vers. 16.

SALVIANUS. 73. Nequaquam nobis dolenda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum. Lib. 1 *de Gubern. Dei.* Super illud II *Cor.* XII : *Virtus in infirmitate perficitur.*

74. Si infirmitatem corporis appetendam sibi etiam Apostolus putat, quis sapienter evitat? *Ibid.*

75. Absit ut religiosos putemus, quia infirmi sunt, a Deo negligi per quod confidimus plus amari. *Ibid.*

76. Infirmandum est nobis carne, ut optata faciamus : infirmitas enim carnis, vigorem mentis excacuit. *Ibid.*

77. Quanto imbecillior est corpore, tanto purior sensu. *Ibid.*, epist. *ad Catturam sororem suam.*

S. THEODOR. 78. Triste est et admodum molestum, morbo laborare; sed longe molestius, ipsum morbum non agnoscere. Sect. 5 super *Ezech.*

S. VALER. EPISCOPUS. 79. Infirmitas quæ in diem crescit, medicinam in diem requirit. Homil. 9, *de Misericord.*

IN VIT. PATR. 80. Infirmo patienter serviens, instar angeli est. Lib. 7, cap. 19, num. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 81. Morbum signa præcurrunt. Lib. 3 *de Ira*, cap. 10.

82. Initia morborum quies curat. *Ibid.*, cap. 39.

83. Initium morbi est, ægris sana miscere. *De Tranquillit. animi*, cap. 5.

84. Tria hæc in omni morbo gravia sunt, metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatum. Epist. 78.

85. Longus morbus habet intercapedinem, dat refectioni locum, necesse est ut resurgat et desinat. *Prosec.*

86. Brevis autem morbus ac præceps, alterutrum faciet, aut extinguetur, aut extinguet. *Ibid.*

87. Est, mihi crede, etiam in lectulo virtuti locus : non tantum arma et acies dant argumenta alacris animi, indomitique terroribus; habes quod agas, bene luctare cum morbo : si nihil te coegerit, si nihil exoraverit, insigne prodis exemplum. *Ibid.*

88. Medicina ægro, non regio quærenda est. Epist. 104.

89. Morieris, non quia ægrotas, sed quia vivis : cum convalueris, non mortem sed valetudinem effugies. Epist. 78.

90. Turpe spectaculum præbet animus æger. *De Moribus.*

Vide etiam. tit. *Compassio*, sent. 21, 22, 23; *Consideratio sui*, sent. 57; *Desertio Dei*, sent. 72; *Fortitudo*, sent. 62; *Medicina*, sent. 14, 30, 31; *Religiosus*, sentent. 18; *Salus corporis*, sentent. 6, 11, 16, 18, 23, 25, 42; *Voluntas Dei*, sentent. 11.

## INGENIUM.

S. AUGUST. *Definitio.* Ingenium est vis ea animæ, sive intensio, qua anima se extendit et exercet ad incognitorum cognitionem. *De Spiritu et anima*, cap. 2.

COLLECTOR. Ingenium est extensio intellectus ad non intellectorum cognitionem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PLATO. Ingenium est velocitas discendi. Syzygia 6, *de Definit.*

SENECA. *Comparatio.* Sicut ignis quo clarior fulsit, citius extinguitur : sic ingenia quo illustriora, eo breviora sunt. *De Consolat. ad Marciam*, cap. 23.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Unusquisque suum ingenium noverit, et ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit. Lib. 1 *Offic.*, cap. 44.

S. AUGUST. 2. Quædam acutissima et excellentissima ingenia tanto in majores errores ierunt, quanto præfidentius, tanquam suis viribus cucurrerunt. Epist. 52, *ad Macedonium.*

3. Non inutiliter exercentur ingenia si adhibeatur disceptatio moderata. In *Enchirid.*, cap. 59.

4. Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Lib. 4 *de Doctrina christiana*, cap. 2.

5. Quanto tenacius et facilius puer meminit, quantoque acutius intelligit, et studet ardentius, tanto est laudabilioris ingenii. Lib. 10 *de Trinit.*, cap. 2.

6. Ingenium tuum, prudentia, eloquentia, et cætera quibus ornantur mores tui, dona sunt Dei. Epist. 238.

7. Sine vera pietate et religione, omne quamvis laudabile ingenium superbia vanescit et decidit. Lib. 2 *de Civit. Dei*, cap. 5.

8. Ingeniosum nasci, felicitatis est. *Ibid.*, lib. 4, cap. 21.

9. Accepisti a Deo ingenium spiritaliter aureum, et ministras inde libidinibus, et in illo satanæ propinas teipsum. Epist. 39.

10. Non vel ingenio, vel merito, sed Dei dono sum, si quid laudabiliter sum. Epist. 52.

11. Nihil est acutum ingenium, nisi a Deo. Lib. 1 *contra Faust.*, cap. 1.

12. Abutetis ingeniis tardioribus. Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 9.

S. BERNARD. 13. Semper in robusto vegetoque corpore, animus mollior, atque tepidior jacet : et rursum in corpore debili et infirmo, fortior viget promptiorque spiritus. Epist. 253, *ad Abbat. Garin.*

14. Qui callet ingenio, qui viget arte, qui præeminet intellectu, instrumenta sunt hæc ei tam vitiorum quam virtutum. *De Vita solit.*

15. Ingenium corpus adaptat, ars naturam informat, intellectus animum facit docibilem. *Ibid.*

S. BONAV. 16. Ne plus te extendas, quam ingenium tuum potest ascendere, nec infra maneas. Serm. 19 in *Hexam.*

17. Bonorum ingeniorum insignis indoles est, in verbis verum amare, non verba. Super *Sapient.*, cap. VI.

S. CYPRIAN. 18. Exilis ingenii angusta mediocritas, tenues admodum fruges parit. Epist. 2 *ad Donat.*, cap. 1.

S. CYRILLUS ALEX. 19. Splendida et admiranda sunt, quæ ex ingenii solertia patrantur egregie facta. Homil. 22, *de Festis Paschal.*

GILLEBERT. ANGLUS. 20. Quid bonum in te sinis ingenium terrenis obrui? super *Cant.*

GLOSS. INT. 21. Apis acriter pungit, et mel conficit : sic in parvo corpore anima ingeniosa et acerrima viget, et doctrinæ suavitatem profert. Super *Ecclesiast.*, cap. II, in illud : *Brevis in volatilibus Apis.*

GLOSS. ORD. 22. Perspicacitas ingenii frequenter Deum et proximum impugnat, ut patet in advocatis per hanc pervertentibus veritatem justitiæ. Super *Ezech.*, cap. XXVII.

S. GREGOR. MAGNUS. 23. Sæpe ingeniosi dum negligentia torpent, in pravis actionibus remanent : et simplices, quos ingenii penna non adjuvat ad obtinenda æterni regni mœnia, virtus operationis levat. *Prosec.*

24. Sæpe desidiosus ingenium accipit, ut ingeniosus de negligentia justius puniatur : quia quod sine labore assequi potuit, scire contemnit. Lib. 6, *Moralium*, cap. 5.

25. Sancti viri robur suum non deputant, quia quantolibet ingenio fulgeant, nihil se esse ex suis viribus pensant. *Ibid.*, lib. 22, cap. 2, num. 4.

26. Boni ingenii virtutem ad cognoscendam propriam infirmitatem dirigunt, atque ex infirmitatis suæ cognitionem melius convalescunt. *Ibid.*

S. HIERON. 27. Grandes materias ingenia parva non sustinent. Epist. 3, *ad Heliodor.*

28. Magnum ingenium, facilitasque et puritas mixta, prudentiæ est. Epist. 13, *ad Paulin.*

29. Calidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit. Epist. 21, *ad Paulum Concordiensem.*

30. Ingenia liberaliter educata, facilius verecundia quam metus superat : et quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. Epist. 26, *ad Pammach.*

31. Multa sunt quæ præclara ingenia nobilitant. Viros consulatus illustrat, eloquentia in nomen æternum effert, militaris gloria, triumphusque decorat. Lib. 7, *advers. Jovian.*

32. Ingenium docile, et sine doctore, laudabile est. Epist. 1, *ad Paulin.*

33. Occupandum est optimis rebus ingenium. Epist. 1, *ad Demetriad.*



HUGO A S. VICTORE. 34. Ingenium a natura proficiscitur, usu juvatur, immoderato labore retunditur, temperato acuitur exercitio. Lib. 3 *Didasc.*, cap. 8.

35. Duo sunt, quæ ingenium exercent, lectio et meditatio. *Ibid.*

36. Non in hoc ingenium hominis approbandum existimatur, si in iis quæ difficilia sunt pertinaciter insistit : sed potius si ea, quæ scienda sunt prudenter discernit. Lib. 1, *de Sacram.*, part. 6, cap. 3.

HUGO CARD. 37. Sicut humanum ingenium otium contundit et denigrat, et rubiginat, et consumit : sic exercitatio studii salutaris illud exacuit. Super *Ecclesiasten*, cap. X.

38. Sæpe Deus pigris et negligentibus acumen et subtilitatem ingenii præstat, et diligenter studentibus negat : ut hoc istis sit materia laboris et coronæ amplioris, illis autem occasio pœnæ justioris. Super *Luc.*, cap. VIII.

JOAN. SAR. 39. Ingratus beneficii, dignus est salutis dispendium sustinere. Lib. 8, *de Nugis curial.*, in prologo.

JOAN. TRITH. 40. Durum est puerorum ingenium : et quod duro inseritur, difficillime aboletur. Super prolog. *Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 9.

S. ISIDORUS HISPALENS. 41. Ingenium tardius etsi non per naturam, per assiduitatem tamen lectionis augmentatur. *Prosec.*

42. Nam quamvis sensus hebetudo sit, frequens tamen lectio intelligentiæ ingenium adhibet.

43. Qui vero præstitum sibi a Deo ingenium intelligentiæ negligit, condemnatione reus existit. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 9, sent. 6.

44. Sensum desidia obtundit, industria acuit : ardentius fit ingenium subjecto studio, et tarda ingenia studiis acuuntur. *Prosec.*

45. Torporem naturæ industria excitat, sensus tarditatem assiduitas acuit : exercitatione sensus proficit, experientia plus scit. Lib. 2, *de Synonym.* cap. 12.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 46. Argumento perspicuo illud est, quod ii qui ita vivunt, ut paucis rebus egeant, eos qui molle ac luxu diffluens vitæ genus sequuntur, ingenii acumine et prudentia superant. Lib. 2, epist. 57, *ad Palladium.*

S. LAURENT. JUSTIN. 47. Veritatis et rationis, qui perspicuitatem habet intellectus, magis est capax, quam qui est rudis ingenii, et ad discernendum tardus : et nihilominus ostensæ sibi expeditius isti, quam illi assentiant veritati. *De Regimine prælat.*, cap. 22.

MINUT. FEL. 48. Ingenium non datur facultatibus, nec studio paratur, sed cum ipsa mentis formatione generatur. In suo *Octavio.*

PETR. BLES. 49. Non semper ingenii vena respondet ad votum. Epist. 1, *ad Henric. regem Anglor.*

SALVIANUS. 50. Naturæ nobilioris ingenium, vita degenerante damnatur. Lib. 7, *de Gubern. Dei.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 51. Satis eminet meritis ingenii proprii, qui fuerit fautor alieni. Lib. 5, epist. 1, *ad Petronium.*

S. THOMAS AQUINAS. 52. Sicut in addiscendo dicitur boni ingenii esse, qui cito capit verba magistri : ita in operando boni ingenii dicitur, qui exemplo aliorum cito movetur ad bene operandum. Super II *Corinth.*, cap. VIII, lect. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 53. Magna ex parte, qui obtuso hebetique ingenio sunt, memoria magis vigent : et qui acuto docilique præstant, reminiscentia magis excellunt. *De Memor. et reminiscent.*

54. Is est ingenio bono, cui idipsum bene sese habet natura. Lib. 3 *Ethic.*, *ad Nicomach.*, cap. 5.

CICERO. 55. Magni est ingenii, revocare mentem a sensibus, et cogitationem a consuetudine abducere. Lib. 5, *Tusc. quæst.*

PLATO. 56. Qui vehementi sunt natura et ingeniosi, sæpenumero ad iracundiam vehementi quodam impetu sunt proni. *Prosec.*

57. Qui contra graviori sunt naturæ indole, segniores quodammodo ad disciplinas capessendas accedunt, et obliviosiores quidem existunt, sed majori mansuetudine atque fructuose proficiunt. Syzygia 2, *de Scientia.*

58. Ne censeamus obliviosum ingenium esse iis hominibus, qui vere sunt philosophi ; sed maximam memoriæ efficacitatem in iis investigemus. Syzygia 4, lib. 6, *de Republ.*

PLINIUS II. 59. Ingenium excelsum et subtile, dulce, facile, eruditum est in causis agendis. Lib. 2, epist. 13, *ad Priscum.*

60. Recta ingenia debilitat verecundia : perversa, confirmant audacia. Lib. 4, epist. 7, *ad Aulum Lepidum.*

SENECA. 61. Intolerabilis in malo ingenio felicitas est. Lib. *Suasor.*, suasor. 7.

62. Nihil est tam mortiferum ingeniis, quam luxuria. Lib. 1 *Controvers.*

63. Nihil iniquius his, qui nusquam putant esse subtilitatem, nisi ubi nihil est præter subtilitatem. *Ibid.*

64. Utilissima est dissimulata subtilitas, quæ effectu apparet, habitu latet. *Ibid.*

65. Magnum ingenium non est vitale. *Ibid.*, lib. 1, Controvers. 1.

66. Ingenii lassitudo non minor est, quam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

corporis, sed occultior. *Ibid.*, lib. 1, controvers. 1, in proœmio.

67. Curiosum nobis natura ingenium dedit. *De Beata vita*, cap. 32.

68. Nullam magnum ingenium, sine mixtura dementiæ fuit. *De Tranquillitate animi*, cap. 15.

69. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant et sordida, magnarum rerum species ad se vocat et extollit. Epist. 39.

70. Severior loci disciplina formal ingenium, aptumque magnis conatibus reddit. Epist. 51.

71. Nulla est sine difficultate ingenii subtilitas. Epist. 58.

72. Potest ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere. Epist. 66.

73. Multum mali facit nimia subtilitas, infesta veritati fit : odibilius nihil est subtilitate, ubi est sola subtilitas. *Prosec.*

74. Quid est acutius arista, et in quo est utilis? tale est ingenium, quod sola subtilitate lasciviens, nulla residet gravitate. Epist. 88.

75. Nullum sæculum magnis ingeniis clausum est. Epist. 102.

76. Facillime tenera concitantur ingenia ad honesti rectique amorem. Epist. 108.

77. Si animus sanus est, si compositus, si gravis, ingenium sobrium erit. Epist. 114.

78. Nullum sine venia placuit ingenium. *Ibid.*

79. Alius alio ingeniosior est; ingenii vis præceptis alitur et crescit. Epist. 64.

80. Recta ingenia debilitat verecundia, prava confirmat audacia. In suis *Proverbiis in fine positis*.

## INGRATITUDO.

S. ANTONIN. *Definitio.* Ingratitudo est vitium, quo beneficiatus non retribuit benefactori quod debet. Part. 2, tit. 3, cap. 9.

JOAN. GERS. Ingratitudo est vitium oppositum gratitudini, quo quis vel obliviscitur beneficii, vel in animo detrahit vel murmurat verbo, vel facto vicem non rependit. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Justitia.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Qui debitum gratiæ, ut a se exigatur, expectat, ingratus est. *De Noe et Arca*, cap. 22.

2. Quam deforme est, ut pro beneficio ei, qui te adjuvit, rependas molestiam! *De Tobia*, cap. 24.

S. ANTONIN. 3. Quanto quis recipit majora beneficia, tanto faciens mala magis ingratus est. Part. 2, tit. 3, cap. 9, § 4.

4. Non est dignus dandis, qui est ingratus de datis. *Ibid.*, cap. 9, § 6.

S. AUGUST. 5. Nemo est donis Dei beatus, qui donanti existit ingratus. *De Bono viduit.*, cap. 16.

6. Ingratus extitit, qui plenus virtutibus, Deum omnino non timuit : in hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quod est Deo acceptior. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 14.

7. Ingratitudo multum Deo displicet, quæ est radix totius mali spiritualis, et ventus quidam desiccans et urens omne bonum, obstruens fontem divinæ misericordiæ super hominem, qua et mala mortua jam oriuntur, et viva jam opera moriuntur, et ultra non adipiscuntur. In *Soliloq. animæ*, cap. 18.

8. Sunt homines ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi sauciæque naturæ. *De verb. Apost.*, serm. 2.

9. Si ingratus es in eo quod esse vis, jure cogeris esse quod non vis. Lib. 3, *de Lib. arbit.*, cap. 6.

V. BEDA. 10. Ingratus unus, multis miseris nocet. In suis *Proverb.*, verbo *Ingratus.*

S. BERNARD. 11. Nihil tam evidenter gratiæ adversatur, quam ingratitudo perniciosa. Serm. 3, *de Annunt.*

12. Peremptoria res est, ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Serm. 2, *de septem panibus.*

13. Nihil ita displicet Deo, quemadmodum ingratitudo : vias enim obstruit gratiæ, et ubi fuerit illa, jam gratiæ accessum non invenit, locum non habet. *Ibid.*

14. Perversi cordis est, occasiones ingratitudinis vestigare; nemo id facit nisi qui etiam gratis esset ingratus. Serm. 14, super *Qui habitat.*

15. Quodammodo amissum reputans dator quod ingratus accepit, cavet sibi de cætero ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato. Serm. *contra vitium ingratitud.*

16. Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Serm. 51, super *Cant.*

17. Ingratitudo ventus est urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. *Ibid.*

18. Accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus. Serm. 4, super *Qui habitat.*

S. BONAV. 19. Beneficiis ingratus exhibitis, ineptus efficitur exhibendis. In *Speculo disciplinæ*, part. 1, cap. 2.

20. Omnium vitiorum capitalium unum est initium, scilicet ingratitudo. *De modo confitendi*, etc. cap. 18.

S. CLEMENS PAPA. 21. Quid tam impium est, quam a Deo beneficium consequi, et ingratum esse? animam ingratam malus possidet dæmon. Lib. 5, *Recognit.*



CLEMENS ALEX. 22. Ingratus est quisquis est infidelis et ignarus. Lib. 2, *Stromat.*

DIONYSIUS CARTHUS. 23. Pessima ingratitudinis pars est, non attendere beneficia impartita. Super *hymn. S. Crucis.*

24. Ingratitudinis est, beneficium non recognoscere, gratias non referre, nec vicem pro posse rependere. *De fructuosa temp.*, *deduct.* art. 7.

25. Quanto benefactor est dignior, beneficiumque præstantius atque frequentius, eo gravioris est ingratitudinis, beneficium non pensare, nec regratiari, nec pro posse rependere vicem. *Ibid.*

26. Ingratissimum damnabilissimumque est, si benefactori grates et vicem non rependamus. *Ibid.*

FRANCISC. TITELMAN. 27. Ingratitudo eorum tanto magis est execranda et detestabilis qui quanto plura a Deo beneficia susceperunt, ingrati remanent. In *Elucid.* super cap. XXII, *Job.*

28. Gravius est malum, et toleratu difficilius, cum in quos beneficio nobis obstrinximus, pro bonis mala referunt. In *Annotat.* super *Psalm.* XL.

S. FULGENT. 29. Tanto quis deterioris tenetur superbiæ reus, quanto in melioribus donis existit ingratus. Epist. 6, *ad Theodor.*, cap. 8.

GLOSS. ORD. 30. Talem Dominus abominatur virum, quem sibi beneficiis videt ingratum. Sup. *Prov.*, cap. XVI.

S. GREGOR. MAGNUS. 31. Culpa, quia ab iniquo homine sine ulla retractatione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibatur. *Prosec.*

32. Qui illicita sine timore facit, quasi potum iniquitatis sine obstaculo glutit. Lib. 12, *Moral.*, cap. 18.

33. Nihil est iniquius, quam odium pro dilectione rependere, mala pro bonis retribuere, pro correptione injurias respondere. In *septem Psalm. pœnit.*, super *Psalm.* III, vers. 2 : *Qui oderunt me inique.*

S. GREGOR. NAZ. 34. Creaturæ ingratæ, diaboli sunt plasmata. Orat. 29, *de Modestia.*

S. GREGOR. THAUMAT. 35. Dura gravisque res ingratitudo : gravis, inquam, et gravis usquequaque. In *Orat. panegyr.*

36. Cui et sensus et cognitio est beneficiorum, nisi memoriam conservet, nisi gratiam referat bonorum auctori, iners ille est, et ingratus. *Ibid.*

HUGO CARD. 37. Ingratus est, qui beneficia Dei non memorat, qui ei bona quæ habet, non attribuit, qui gratias non agit, et ei vicem non rependit. Super *Tobiam*, cap. 13.

38. Ingratus est, qui nescit quod beneficium, et a quo, et ad quid receperit. Super I *Cor.* II.

S. JOANNES CHRYSOST. 39. Ubi magna ingratitudo, ibi multæ ingratorum fraudes. Hom. 3, super *Gen.*

40. Merito pœnas luit, qui ratione pollens ingratus existit post tot beneficia. *Ibid.*, homil. 7.

41. Ille sæpe servorum mos est, ut cum parum prosperitatis eis evenerit, statim in ingratitudinem sint propensi. *Ibid.*, homil. 38.

42. Ingratus indignus est ea, quam sibi natura dedit dignitate. *Ibid.*, homil. 50.

43. Beneficiis ingratus est, qui datorem tumoris arrogantia despicit. Homil. 2, *De Lapsu primi hom.*

44. Sicut bonus Deus gratis, ita ab ingratis rationem duram exigit. Serm. *de Adam et pœnit.*

45. Nihil tam ingratum, sicut avarus : nihil ita absque ullo gratitudinis sensu est, sicut pecuniæ cupidus. Homil. 7, super II *Tim.*

46. Ingratus scelestus est : qui enim erga beneficum ingratus est, qualem se erga alios præstabit? *Ibid.*, homil. 8.

47. Qui ingratus est, sine pace, sine affectione ille est. *Ibid.*

S. JOANNES DAMASC. 48. Grave est eum, qui maximis beneficiis obstrictus est, non modo nullam gratiam referre; sed etiam eum qui de se bene meritus sit, contumelia lacessere : grave est, inquam, istud, sed tamen facienti gravius malum est, quam patienti. *Prosec.*

49. Incredibilis quædam profecto ingratitudo hæc est, cujus beneficiis ornatus sis, ejus benignitatem in ingratitudinis ansam trahere.

50. Plerosque homines esse videmus, qui postquam beneficiis affecti fuerint, eos a quibus ea acceperint, perinde ac mancipia contemnant, superciliaque adversus eos attollant. Lib. 1 *Parall.*, cap. 29.

JOAN. TRITH. 51. Ingratitudo magna est Deo, si homo benefaciens, suam, non Dei gloriam quærit. Super *Prologum Regulæ sancti Benedicti*, cap. 2, text. 19.

52. Nil est quod adeo indignationem provocet Altissimi, sicut ingratitudo. *Ibid.*

S. IRENÆUS. 53. Exceptorium divinæ bonitatis, et organum clarificationis, ejus homo gratus : exceptorium vero justi judicii ejus, homo ingratus. Lib. 4, *advers. Hæres.*, cap. 24.

LACT. FIRM. 54. Constare homini ratio pietatis non potest, si cœlestibus beneficiis extiterit ingratus. Lib. 4, *de Divin. instit.*, cap. 3.

LAURENT. JUSTIN. 55. Ingratitudinis vitium ascendendi ad sublimiora virtutum impedimentum esse quam maximum, dubitet nemo : conspicimus hodie multos honore decoratos, hujus occasione ad ima repente fuisse dejectos. *De Regimine prælat.*, cap. 21.

56. Grande prorsus malum est ingratitudo. Quæ divinæ bonitatis exsiccat fontem; hominum benevolentiam dirimit; spoliat donis; dignitate privat; elationem parit; infert cæcitatem; amicos despicit; conturbat pacem; disseminat scandala; detractiones fovet; nutrit jurgia; odia auget;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

sceque possidentem coram Deo et hominibus facit inglorium. *Ibid.*

57. Nonne detestabile virus ingratitudo existit? quæ adversus benefactorem suum cordis cervicem erigit, perceptorum obliviscitur munerum, atque eorum quæ mereri poterat, reddit indignum? *Ibid.*

S. LEO I. — 58. Ingratæ mentis indicium est, beneficia tacere divina. Serm. 1, *de Anniver. die Assumpt. ejus ad Pontif.*

59. Magnum periculum est, esse homines ingratos Deo. Serm. *de Octava Apostolor. Petri et Pauli.*

PETR. BLES. — 60. Nihil est quod adeo provocet indignationem Altissimi, sicut ingratitudo. *Prosec.*

61. Ipsa est enim malorum provocatio, beneficiorum exinanitio, exterminatio meritorum. Epist. 66, *ad Gualter, archiep. Panormit.*

S. THOMAS AQUINAS. — 62. Nihil est tam superbum, quam ingratum videri. 2, 2, quæst. 162, art. 4, argum. 3.

63. Ingratus est, qui sibi attribuit, quod ab alio habet. 2, 2, quæst. 162, art. 4.

THOMAS A KEMPIS. — 64. Magnum vitium est ingratitudo, et apud Deum et homines vituperabile nimis. Medit. 25, *de Christi pass.*, cap. 4.

S. VALER. EPISCOPUS. — 65. Homo tantis Deo beneficiis obnoxius, in parvis officiis invenitur ingratus. Homil. 3, *de Arcta vita.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. — 66. Inter plurima maximaque vitia, nullum est frequentius, quam ingrati animi. Lib. 1, *de Benefic.*, cap. 1.

67. Multos experimur ingratos, plures facimus. *Ibid.*

68. Ingratitudinem tu cave, tanquam maximum crimen, ne admittas : ignosce tanquam levissimo, si admissum est. *Ibid.*, cap. 20.

69. De ingratis etiam ingrati queruntur. Lib. 3, *de Benefic.*, cap. 1.

70. Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit. *Ibid.*

71. Ingratus est, qui dissimulat : ingratus, qui non reddit : ingratissimus omnium, qui oblitus est. *Ibid.*

72. Apparet illum non sæpe de reddendo cogitasse, cui obrepsit oblivio. *Ibid.*

73. Valde ingratus est, qui oblitus est ut gratus sit, cui beneficium in mentem venit. *Ibid.*, cap. 5.

74. Sæpe et qui reddidit quod accepit, ingratus est : et qui non reddidit, gratus. *Ibid.*, cap. 7.

75. Tu infelicem vocas, qui caret acie oculorum, et non vocas miserum eum, qui sensum beneficiorum amisit. *Ibid.*, cap. 17.

76. Gratum hominem, semper beneficium delectat; ingratum, semel. *Ibid.*

77. Optimi viri et ingentis animi est, tamdiu ferre ingratum, donec fecerit gratum. *Ibid.*, lib. 5, cap. 1.

78. Ingrata est juventus. *Ibid.*, cap. 17.

79. Ingratus non mihi facit injuriam, sed sibi. *Ibid.*, lib. 7, cap. ult.

80. Nec ullum habet malum cupiditas majus, quam quod ingrata est. Epist. 73.

81. Ingratus est, qui beneficium reddit sine usura. Epist. 81.

82. Periculosissima res est beneficia in ingratum magna conferre : nam quia putat turpe, non reddere, non vult esse cui reddat. *Ibid.*

83. Dixeris maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris. In suis *Proverb.*, *in fine positis.*

SIXT. PYT. — 84. Ne te impediat a benefaciendo homo ingratus. Sent. 319.

Vide etiam tit. *Beneficium* in genere, sent. 10, 25, 2?, 29, 51, 57, 62, 125, 135, 170, 173, 181, 186, 190 ; *Beneficium Dei*, sent. 11, 108 ; *Donum*, sent. 19, 21 : *Gratia Dei*, sent. 54 ; *Oblivio*, sent. 4 ; *Parentes*, sent. 148.

## INIMICITIA.

HUGO CAR. — *Definitio.* Inimicitia est machinatio nocumenti, quæ ex odio procedit. Super *Ecclesiastic.*, cap. 5.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBR. — 1. Ubi inimicitiæ sunt, discordia est, nocendique studium. *De Fuga sæculi*, cap. 7.

2. Plus est clauso intra te hosti resistere, quam remoto. Lib. 2, *de Jacob.*, cap. 6.

S. AUGUST. — 3. Nescio qua horrenda pestilentia peccatorum latissime pervagante, non solum iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, sed etiam quæ non dicta sunt addere : cum contra animo humano parum esse debeat, inimicitias hominum nec exagitare, nec augere male loquendo, nisi eas etiam extinguere bene loquendo studuerit. Lib. 9 *Conf.*, cap. 9.

4. Adolescentes inimicitias vitent cautissime, ferant æquissime, finiant citissime. Lib. 2 *de Ordine*, cap. 8.

5. Inimicus similis est serpenti. In serpente maxima astutia est, et dolus nocendi, propterea serpit : non enim pedes habet, ut ejus vestigia, cum venit audiantur : in ejus itinere lenis est tractus, sed non est rectus : ita inimici repunt et serpunt ad nocendum, habentes occultum venenum, et sub leni contactu. Super *Psalm.* cxxxix vers. 3.



6. Multo mihi optabilius est inimicum non habere, quam vincere. *De Verb. Apost.*, serm. 12.

7. Virilis animi est et præclaræ mentis, dejicere a cervicibus animæ inimicum pondus. Serm. 1, *vigil. Pent.*

8. Hostis mutato genere sævit, nec aliqua pietate movetur, nec humanitate blanditur. Serm. 1 *Dom. 21 post Trinit.*

S. BASILIUS MAGNUS. — 9. Inimici proprium est nocere ac insidiari. Quæst. 176. *Quæst. compendio explicat.*

S. BASILIUS SELEUC. — 10. Infelix, qui habitationem inimico accommodans, de se arma ministrat adversario. Orat. 36.

S. BERNARD. — 11. Non semper gladio, sed sæpe servitio vincitur inimicus. Epist. *de Cura et regim. rei familiaris.*

BOETIUS. — 12. Quæ pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus? Lib. 3 *de Consolat. Philos.*, prosa 4.

S. BONAV. — 13. Nullus hostis timendus est, postquam Deum exercituum adjutorem habes. Serm. 6 *de SS. Apostolis.*

14. Debilis est hostis, qui non vicit, nisi volentem. Super lib. 2 *Sent.*, dist. 6, dub. 3.

CASSIODOR. — 15. Carnales hostes corpus impetunt; spirituales vero animas necare contendunt. Super *Psalm.* VII, vers. 1.

16. Voluntarie sacrificat Domino, qui pro inimicis studio pietatis exorat : nam qui petit inimicorum vindictam, voluntarie non sacrificat Domino. Super *Psalm.* XIII, vers. 6 : *Voluntarie sacrificabo tibi.*

17. Gravissimum inimicitiæ genus, esse corde adversarios, et lingua simulare devotos. Super *Psalm.* LIV, vers. 20.

18. Truculentior semper est inimicorum adunata collectio; et quod non dividitur, gravius uno fasce portatur. Super *Psalm.* LXX, vers. 11.

19. Non debemus inimicos æstimare, qui prosunt. Super *Psalm.* CXXXVII.

20. Possunt quidem in maligno pectore prius odia occulta versari; sed jam validissimæ nequitiæ est, qui profitetur inimicum. Super *Psalm.* CXXXVIII.

S. CLEMENS PAPA. — 21. Homini religioso parum esse debet, inimicitias aliorum non exercere, vel non augere male loquendo, nisi eas etiam extinguere bene loquendo studuerit. Epist. 2.

CLEMENS ALEX. — 22. Inimico ferendum est auxilium, ne maneat inimicus : auxilio enim vincitur benevolentia, dissolvuntur vero inimicitiæ. Lib. 2 *Stromat.*

23. Inimicum facilius est cavere, quam amicum. *Ibid.*, lib. 6.

S. CYPRIAN. — 24. Plus metuendus est et cavendus inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit. *De unit. Eccles.*

FRANCISCUS TITELM. — 25. Christianus homo non debet quemquam tam inimicum reputare, quam eum qui animam quærit in peccati et damnationis mortem quomodocunque pertrahere. *In Argumento super Psalm.* VII, sect. 1.

GLOSS. INT. — 26. Qualis est hostis sæviens, talis est blandiens. super *Job*, cap. 3.

27. Nulla pestis efficacior, quam domesticus hostis. Super *Apocalyps.*, cap. 2.

S. GREGOR. MAGNUS. — 28. Humana mens omnem inimicum quem tolerat, etiam impium et iniquum putat. Lib. 22 *Moral.* cap. 6.

S. HIERON. — 29. Levius est professum inimicum cavere, quam hostem latentem sub amici nomine sustinere. Epist. 21, *ad Pammach. et Marcellin.*, lib. 2.

HUGO A S. VICTORE. — 30. Sunt fortes inimici, sunt fortiores, sunt fortissimi. Fortes inimici, sunt vitia carnis ; fortiores : vitia mentis ; fortissimi, sunt diaboli. Lib. 3, *de Claustro anim.*, cap. 10.

S. JOANNES CHRYSOST. — 31. Omnis inimicitia beneficiorum assiduitate compescitur. Homil. 13, super *Matth.*, *Oper. imperf.*

32. Inimicus manifestus melior est, quam amicus fictus : ille dum timetur, facile vitatur : iste dum non cognoscitur, prævalet. *Ibid.*, homil. 42.

33. Nulla sunt arma tam valida diabolo, quam inimicitia. Homil. 2, super II *Cor.* in illud *Joan.* 14: *Pacem meam do vobis.*

34. Nihil est, nihil est, inquam, quod ita pariat inimicitias, sicut seductio et deceptio. Serm. 14, super *Epist. ad Ephes.*

35. Ex inimicitia oritur injuriarum memoria, et vindicandi libido. Serm. 14, super *Epist. ad Philip.*

36. Si inimicitiæ semel occupaverint animos, omnia quæ fiunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita accipiuntur, et intelliguntur, ut ad majores et longiores proficiant inimicitias. Lib. 1 *de Compunct. cordis.*

37. Si quid boni dicatur de inimico, non creditur, si quid autem mali, hoc solum creditur et confirmatur. *Ibid.*

38. Quis pejor est tibi, inimicus apertus, an qui se fingit amicum, et est inimicus? Puto quod melior est inimicus apertus, quam amicus falsus. Homil. 45, super *Matthæum*, *Oper. imperf.*

39. Quemadmodum existente amicitia, etiam vera mala videntur falsa : ita regnante inimicitia, vicissim vera videntur, quæ falsa sunt. Serm. 14, super *Epist. ad Ephes.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

40. Inimicitiæ pondus plumbo gravius est. *Ibid.*

41. Nihil non faciamus, ut ante solis occasum inimicitias extinguamus : nam si primo die inimicitiam detines, et sequenti, sæpe et in annum illam extendis; fit ut per seipsam excrescat, nec aliqua re alia deinceps opus habeat. *Ibid.*

42. Si dedero potum inimico meo, tunc eum magis punio. Homil. 25, super *Epist. ad Hebr.*

JOAN. GERS. 43. Inimici familiares plus nocent, quam extranei, et ideo potius sunt extirpandi. Serm. *ad Reg. Franc. nomine univers. Paris.*, partit. 2. *De Insidiatore, rapace*, etc., consid. 2.

JOAN. TRITH. 44. Non est inimicus pejor adversario occulto. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Solent.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 45. Cavendus est inimicus, qui manifestus est : sed magis ille, qui videri non potest. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 26, sent. 2.

S. LAURENT. JUSTIN. 46. Nullus est finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperemus iratis. *De Ligno vitæ*, tract. 5, *de Patient.*, cap. 4.

S. PETRUS CHRYSOL. 47. Perniciosus nimis est repentinus hostis : nam aut inscios prævenit, aut incautos præoccupat, aut opprimit dormientes. Serm. 27.

S. PROSPER. 48. Ille est insidiosior inimicus, qui in labiis portat bona, et in penetralibus animi occultat mala. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 2.

THOMAS A KEMPIS. 49. Citius exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit devastatus : non est molestior et pejor animæ hostis, quam tu ipse tibi. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 13, sect. 1.

S. VALER. EPISCOPUS. 50. Accrescunt inimicitiæ, si cum alter se verbis defendit, alterius dicta alter accuset. *Prosec.*

51. Nullus autem est finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperemus iratis. Homil. 12.

52. Solet insanabilis inimicitia ex contentione descendere. *Ibid.*

S. ZENO EP. ET MART. 53. Nihil his inimicitiis difficilius, quæ ex invidiæ amarissimo fonte descendunt. Serm. *de Livore.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 54. Qui palam est adversarius facile cavendo vitari potest : occultus vero, intestinus ac domesticus, opprimit, antequam prospicere atque explorare possis. Orat. 6, in *Verrem*, lib. 1, cap. 2.

MIMUS PUB. 55. Gravior inimicus, qui latet sub pectore. In suis *Sent.*, sent. 144.

56. Inimicum quamvis humilem, docti est metuere. *Ibid.*, sent. 201.

PLATO. 57. Non minus domesticus, quam externus hostis pertimescendus est. Lib. 3, *de Republ.*

SENECA. 58. Nullum magis adversarium timeas, quam qui vivere non potest, occidere potest. Lib. 4, *Controvers.* 9.

59. Mortales esse inimicitiæ debent. Lib. 5 *Declamat.*

60. Inimicitiæ potentum graves sunt. *De divina provid.*, cap. 3.

61. Imprimis finibus hostis arcendus est : nam cum intravit, et portis se intulit, modum a captivis non accipit. Lib. 1 *de Ira*, cap. 8.

62. Nullus perniciosior hostis est, quam quem audacem angustiæ faciunt. Lib. 2, *quæst.* cap. ult.

63. Te minus loquax inimicus offendit, quam tacitus. *De Moribus.*

64. Inimicitias tarde suscipe, amicitias exerce moderate. *De Moribus.*

SIXT. PHIL. 65. Neminem inimicum deputes. Sent. 97.

66. Opta, ut bene possis facere inimicis. *Ibid.*, sent. 204.

Vide etiam tit. *Amicitia* in genere, sent. 144; *Beneficium* in genere, sent. 36; *Caro*, sent. 61; *Certamen*, sent. 66; *Insidiæ*. sent. 14, 26; *Pænitentia*, sent. 265; *Reconciliatio*, sent. 36; *Vigilare*, sent. 7.

INIMICI DILECTIO. *Vide* Dilectio inimici.

## INIQUITAS.

S. ANSELM. *Etymologia.* Iniquitas græce dicitur ἀνομια, id est sine lege : quia lex νομος vocatur. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 4.

S. AUGUST. Nequitia ab eo quod nequidquam sit, dicta est : et ideo nequissimi homines, nihili homines appellantur. *De Vera relig.*, cap. 11.

DIONYSIUS CARTHUS. Iniquitas græce, ἀνομια appellatur, quod designat quasi contra legem, vel sine lege factum : lex autem divina est æquitas ipsa, sicque iniquitas, est non æquitas, ut pote violatio æquitatis. Super I *B. Joan.*, cap. 3, art. 4, in illud : *Omnis qui facit peccatum.*

PETR. BLES. Iniquitas est, quasi non æquitas, id est, contra æquitatem. Serm. 23, *de S. Maria Magdalena.*

S. ANSELM. *Definitio.* Iniquitas est contra legem, vel extra legem agere, vel a lege deviare. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 4.

S. AUGUST. Iniquitas non est appetitio naturarum malarum, sed desertio meliorum. *De Natura boni*, cap. 4.

GLOSSA. Iniquus est, qui pravitate operis ab æquitate discordat. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1.

S. FULGENT. *Differentia.* Inter impietatem et iniquitatem hæc est differentia. Impietas aut pravam in Deum fidem gerit, aut nullam : iniquitas autem, malis moribus polluit vitam. *Prosec.*

Blasphemat impietas Deum, lædit iniquitas proximum. Lib. 1, *de Remis. Peccator.*, cap. 16.

HUGO CARD. Nota differentiam inter injustitiam et iniquitatem :



sicut enim justitia est reddere unicuique quod suum est, et æquitas quantum suum est : sic injustitia est auferre quod suum est, iniquitas quantum suum est. Super *Psalm.* VII, in illud : *Et peperit iniquitatem.*

S. THOMAS AQUINAS. Differunt inter se iniquitas et peccatum : quia iniquitas opponitur justitiæ, quæ quidem proprie semper est ad alium : peccatum autem dicitur omnis defectus actionis, quia importat deordinationem. Et sic iniquitas est in proximum, sed peccatum in seipsum. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 8, lect. 3.

S. AMBROS. *Comparatio.* Recte fumo iniquitas comparatur, quæ velut quadam sæculari caligine aciem mentis obducit. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 1.

S. HIERON. Sicut justitia saturat, sic iniquitas substantiam non habens, vana comedentes fraude ludit, et uteros devorantium vacuos derelinquit. Lib. 1 super *Oseam*, cap. 4, in illud : *Et Comedent et non saturabuntur.*

Sicut famelicus refici cibis desiderat, impius, ut iniquitatis executione satietur, ardenter exquirit. Lib. 2, super *Proverb.*, cap. 19, in illud : *Et os impiorum*, etc.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Usu atque exercitatione iniquitas augetur, et impunitate nutritur ejus audacia. *De Noe et Arca*, cap. 10.

2. Radix est iniquitas, fructus autem radicis est culpa. Lib. 1, *Apolog. David*, cap. 9.

3. Ille facilius iniquitatem declinat, qui vias iniquitatis non fuerit ingressus. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 16, vers. 8.

4. Contagium colluvionis, consortium iniquitatis est. *Ibid.*, serm. 21, vers. 3.

5. Nihil squalidius iniquitate. Lib. 5, epist. 18, *ad Herontian.*

S. AUGUST. 6. Tanto quisque plenior iniquitatis, quanto inanior charitatis. Epist. 29, *ad D. Hieronym.*

7. Si quis nequiter velit vivere, tanto miserior esse convincitur, quanto facilius mala ejus voluntas impletur. Epist. 121, *ad Probam*, cap. 5.

8. Cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur : quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium. Epist. 5, *ad Marcellin.*

9. Quid hic magis persequitur vitam bonorum, quam vita iniquorum? non cum cogit imitari quod displicet, sed cum cogit dolere quod videt. Epist. 145, *ad Sebastian.*

10. Immundus est ante Deum, omnis iniquus : mundus est omnis justus. *De Mendacio ad Consentium*, cap. 7.

11. Qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, et sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, et nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. *De fide ad Petrum*, cap. 3.

12. Sæpe nihil nocet ei iniquitas, qui patitur injuriam : ei autem qui facit, necesse est ut noceat. *De serm. Dom. in monte*, lib. 2.

13. Qui noluerit servire charitati, necesse est ut serviat iniquitati. Exposit. 2, super *Psalm.* XVII vers. 14.

14. Qui perit de via justitiæ, cum magna miseria per vias iniquitatis errabit. Super *Psalm.* II.

15. Melior est tristitia iniqua patientis, quam lætitia iniqua facientis. Super *Psalm.* LVI, vers. 9.

16. Vana est iniquitas, nihil est iniquitas : florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest. Super *Psalm.* LXI, vers. 10.

17. Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas; quia iniquitas est, et simulatio. Super *Psalm.* LXIII, vers. 6.

18. Ferenda est magis omnis necessitas, quam perpetranda est aliqua iniquitas. Super *Psalm.* LXXII, vers. 7.

19. Necesse est ut, si proficis, inter iniquos vivas : ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate recede. Super. *Psalm.* XCII, vers. 2.

20. Malignus est omnis iniquus, et necesse est noxius sit, sive sit blandus, sive ferox. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 1.

21. Sæpe qui major est ætate, major est iniquitate. *De Verb. Dom.*, serm. 56.

22. Quandiu blanditur iniquitas, et dulcis est iniquitas, amara est veritas. *Prosec.*

23. Suavis sit veritas, dulcis contaminetur iniquitas, multo melior et suavior est veritas. *De Verbis Apostoli*, serm. 12.

24. Pejus est gaudere de iniquitate, quam dolere de corruptione. *De Natura boni*, cap. 20.

25. Dulciores sunt justitiæ fructus, quam iniquitatis. *De Catechis. rud.*, cap. 16.

26. Quæsivi quid esset iniquitas, et non inveni substantiam. Lib. 7, *Conf.*, cap. 16.

27. Pati melius est iniquitatem, quam facere. Lib. 1, *de Doctrina christiana*, cap. 36.

28. Tanto quisque tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem. In *Enchiridio*, cap. 93.

29. Si abundat iniquitas, vestra ferveat charitas. *De quinque hæresib.*, cap. 6.

30. Mors hominis iniquitas est. Homil. 37, *ex quinquag.* Homil., cap. 3.

31. Inimicum vides persequi te, iniquitas est quæ te persequitur. *Ibid.*, homil. 38, cap. 7.

32. Quantum accedit finis mundi, crescunt errores, crescit iniquitas. Tract. 25, super *Joan.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

33. Iniquitas quanto magis abundat, tanto magis adversus diabolum acrius pugnandum est. *Annotat. in Job*, cap. 38.

34. Tempus inimicorum est, donec transeat iniquitas. *Ibid.*

35. Nulla est iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 19.

36. Christus iniquitatem ignoscendo, aufert. Lib. 1, *Oper. imperfect. contra Julian.*, num. 83.

37. Iterata iniquitas concessam misericordiam exinanivit. Lib. *Medit.*, cap. 3.

38. Christus iniquos amavit, sed iniquitatem solvit : iniquos amavit, sed non ad iniquitatem congregavit. Tract. 7, super *Epist. Joannis*.

S. BERNARD. 39. Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Serm. 13, super *Qui habitat*.

40. Servus est cui dominatur iniquitas. Lib. 1, *de Consider. ad Eugen. Pap.*

41. Omne quod a veritate discordat, iniquitas est. Serm. 31, *ad Sororem*.

S. BONAV. 42. Iniquitas nascitur, trahitur, completur, nascitur in cogitatione; trahitur in delectatione; completur in consensione. Exposit. 2. super *Psalm.* CXVIII, cap. 10, vers. 6, art. 2.

43. Ubi lex est, ibi æquitas est : ubi vero æquitas abest, ibi iniquitas adest. *Ibid.*, cap. 5, vers. 13, art. 3.

44. Iniquitatis idoneus persecutor, æquitatis est executor. *Ibid.*, cap. 7, vers. 10, art. 4.

45. Ubi totum occupat æquitas, nullum habet locum iniquitas. *Ibid.*, cap. 7, vers. 12, art. 4.

S. CÆSARIUS ARELAT. 46. Consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiva pertransit. Homil. 4.

47. Iniquitatem tuam si tu agnoscis, Deus ignoscit. *Ibid.*, homil. 13.

CASSIODOR. 48. Remanet iniquitas desperata, cui subtrahitur saluberrima medicina. Super *Psalm.* CVIII, vers. 11.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 49. Morbus animæ acerbissimus est iniquitas, quæ et nervos illius omnes præcidit, et æterno igni obnoxiam facit. *Cateches.* 2.

FRANCISCUS TITELM. 50. Iniquitas id quod in omnibus rebus externis reputatur maximum bonum, homini aufert et violat. In *Elucid.* super cap. XXXI, *Job*.

GLOSS. ORD. 51. Peccator ut mundari possit ab iniquitatibus suis, reprobas cogitationes, origines scilicet malorum operum, abjiciat necesse est. Super 1, *Esdræ*, cap. 9.

52. Diabolus tot testes habet, quot iniquitatis suæ prædicatores. Super *Job*, cap. 40.

GLOSS. INT. 53. Iniquitas tua voluntatis est, non naturæ : omnis enim creatura bona et perfecta condita est. Super *Ezech.*, cap. 28.

S. GREGOR. MAGNUS. 54. Quem rapit iniquitas, infernus absorbet. Lib. 26 *Moral.*, cap. 24.

55. Iniquus dicitur, qui pravitate operis ab æquitate discordat. *Ibid.*, lib. 18, cap. 6.

56. Valde iniqua sunt, quæ iniqui sub boni specie moliuntur. *Ibid.*, lib. 33, cap. 24.

57. Peccator cum de iniquitate sua non confunditur, in iniquitate eadem etiam adminiculis pessimæ consuetudinis roboratur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 25, super illud *Job* 3 : *Quare exceptus genibus*.

58. Si vanitatis culpa nequaquam caute compescitur, ab iniquitate protinus mens incauta devoratur. *Ibid.*, lib. 10, cap. 9.

59. Vanitas mentem obnubilat, iniquitas cæcat. *Ibid.*

60. Apertus damnationis testis est ipse timor iniquitatis : quia et timetur quod agitur, et tamen malum non vincitur, quod timetur. *Ibid.*, lib. 12, cap. 21, super illud. *Sap.* 17 : *Cum sit timida nequitia veritatis.*

61. Manifestum perditionis indicium est, quando affectatis iniquitatibus, subsequens favet affectus, et nulla contrarietas impedit, quod mens perversa concepit. *Ibid.*, lib. 26, cap. 14.

62. Sive sit magna, sive parva iniquitas, nisi puniatur ab homine pœnitente, punietur a Deo judicante. In *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* IV, vers. 7.

63. Illi qui alios ad iniquitatem suadendo pertrahunt, in semetipsis ministerium dæmonum ad iniquitatem suscipiunt. Homil. 2, super *Ezech.*

64. Non vivit justitiæ, nisi qui moritur iniquitati. In *septem Psalm. pœnit.*, super *Psalm.* VII, vers. 12, *Vivificabis me*, etc.

65. Si quolibet modo incipienti negligitis iniquitati resistere, plurimos erroris sui gladio vulnerabit. Lib. 3, in *Registro*, indict. 12, cap. 35.

66. Iniquo non nocebit iniquitas sua, a die quo se ab iniquitate converterit. Epist. 14, *ad Celantiam.*

67. Justitia requiem habet, iniquitas laborem. Super *Ecclesiasten*, cap. 4, super illud : *Melior est plenus pugillus*, etc.

68. Nemo magis iniquus, quam ille qui iniquitatis inventor est æmulator sanctitatis, id est diabolus. Super *Psalm.* XXXXII, vers. 1.

S. HILARIUS. 69. Iniquitas inverecunda est, palam audet, palam molitur, palam perficit. Super *Psalm.* CXIX.

HUGO A S. VICTORE. 70. Quanto major es, tanto iniquitas tua deformior. Super II, *Reg.*

HUGO CARD. 71. Tolle iniquitates, et nulla erunt vana. Super *Ecclesiasticum*, cap. 3.

72. Iniquitas extrema, est cupiditas. Super *Thren.* cap. 35.

JOAN. CASS. 73. Abhorret ab illo justitiæ et pietatis auctore, quidquid bonitati æquitatique contrarium est. *Collat.* 23, *Abbat. Theonæ.*



S. JOANNES CHRYSOST. 74. Omnis homo quantumvis malus priusquam aliquam faciat iniquitatem, quasi tardior est ad opus iniquitatis : quod si semel cœperit, jam paratior fit ad omne opus iniquum. Homil. 6, super *Matth. Oper. imperf.*

75. Via perditionis est iniquitas, et via vitæ est omnis justitia. *Ibid.*, homil. 18.

76. Iniqui nec post mortem desinunt esse iniqui : quia etsi tunc peccare non possunt, tamen peccandi propositum tenent. *Ibid.*, homil. 19.

77. Iniquitas ex suggestione quadam diaboli nascitur, per pacem autem servatur. *Ibid.*, homil. 26.

78. Iniquitatem time, quæ mater est tormentorum. Homil. 26. *ex Divers.*

79. Injustus cum diabolo vivit. Homil. 16, super I *Cor.*

80. Iniquitatis multiplicatio, in causa est cur charitas refrigeratur. Serm. 8, super *Epist. ad Ephes.*

S. ISIDORUS HISPAL. 81. Malorum iniquitas, Sanctorum servit utilitati : quia unde mali corruunt, inde boni proficiunt. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 10. sent. 12.

82. Trahit iniquitatem ut funiculum, qui tardat ad Deum converti : trahere enim iniquitatem, est moram facere in iniquitatibus. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 23, sent. 12.

83. Iniquis molesta est veritas, et amara disciplina justitiæ. *Ibid.*, lib. 3, cap. 32, sent. 8.

S. LEO I. 84. Iniquitas cum justitia non habet pacem. Serm. 9, *Quadrag.*

S. NILUS. AB. MART. 85. Quando iniqua agens quis, propterea tamen nullo pudore afficitur : vulnus magis exasperat, et error ipsius tendit ad desperationem. *Parænes.* 96.

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 86. Salubrior est mordens pietas, quam mulcens iniquitas. Lib. 2, epist. 9, *ad Innocent. Pap.*

S. PROSPER. 87. Minus noxia est iniquitas aperta quam tecta. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 2.

ROBERTUS BELLARM. 88. Iniqui, membra sunt diaboli. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 4.

TERTULL. 89. Metu ultionis omnis iniquitas refrænatur. Lib. 4, *adversus Marcionem*, cap. 16.

THEODOR. 90. Fundamentum et radix impietatis, vitæ corruptela est. Super *Psalm.* XIII, vers. 2.

91. Si quis iniquam elegerit vitam, licet secundis ventis feratur, miserrimus tamen putandus est. Super *Psalm.* 14, vers. 5.

92. Infœcunditas maxima causa est iniquitatis. Super *Joel*, cap. 1.

S. THOMAS AQUINAS. 93. Iniqui vellent sine fine vivere, ut sine fine possent in iniquitatibus permanere. 1, 2, quæst. 87, art. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 94. Iniquitas omnem injustitiam continet. Lib. 5, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 1.

95. Iniquitatis est, mores ritusque patrios prævaricari, legibus et auctoritati publicæ subesse non velle, mentiri etiam ac pejerare, pactaque transgredi, et fidem fallere. Lib. 1, *de Virtutibus*, cap. 5.

CICERO. 96. Locus jam nullus est, neque tam longinquus, neque tamen reconditus, quo non per hæc tempora nostrorum hominum iniquitas pervaserit. Orat. 8, in *Verrem*, lib. 3, act. 4.

Vide etiam tit. *Damnatio*, sent. 9, 17, 20 ; *Differentiæ*, sent. 26 ; *Dissimulatio*, sent. 22 ; *Immunditia*, sent. 3 ; *Judicium in genere*, sent. 26 ; *Opus*, sent. 10 ; *Peccatorum defensio*, sent. 55 ; *Punitio*, sent. 14, 52 ; *Resurrectio a peccato*, sent. 52 ; *Seductio*, sent. 18 ; *Tractio*, sent. 34.

## INJURIA.

COLLECTOR. *Etymologia.* Injuria dicitur, quasi in jura, id est, contra jura.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Definitio.* Injuria est, quæ audet aliquid contra ordinem juris. Lib. 5, *Etymol.* cap. 26.

CICERO. Injuriæ sunt, quæ aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cujuspiam violant. Lib. *de Arte Rhetor.*

SENECA. *Differentia.* Dividamus injuriam a contumelia : prior illa natura gravior est, hæc levior, et tantum delicatis gravis, quia non læduntur, sed offenduntur. *De Constantia sapientis*, cap. 4.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Is, qui cito injuria movetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. *Prosec.*

2. Melior est qui contemnit injuriam, quam qui dolet : qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit : qui autem dolet, quasi senserit, torquetur. Lib. 1 *Offic.*, cap. 6.

3. Quos manet gloria, expectat injuria. *Ibid.*, cap. 16.

4. Non in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est : qui non enim repellat a socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. *Ibid.*, cap. 36.

5. Melius dissimulare injuriam, quam cum redarguis, vindicare. Super *Psalm.* XXXVII.

S. ANSELM. 6. Nullus est, qui facit alteri injuriam, nisi qui fieri nolit sibi. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2, in illud : *Quæ legis sunt, faciunt.*

S. ANTONIN. 7. Ex debito charitatis quilibet tenetur repellere injuriam a proximo, si potest : et qui non re-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

33. Iniquitas quanto magis abundat, tanto magis adversus diabolum acrius pugnandum est. *Annotat. in Job*, cap. 38.

34. Tempus inimicorum est, donec transeat iniquitas. *Ibid.*

35. Nulla est iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 19.

36. Christus iniquitatem ignoscendo, aufert. Lib. 1, *Oper. imperfect. contra Julian.*, num. 83.

37. Iterata iniquitas concessam misericordiam exinanivit. Lib. *Medit.*, cap. 3.

38. Christus iniquos amavit, sed iniquitatem solvit : iniquos amavit, sed non ad iniquitatem congregavit. Tract. 7, super *Epist. Joannis.*

S. BERNARD.

39. Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Serm. 13, super *Qui habitat.*

40. Servus est cui dominatur iniquitas. Lib. 1, *de Consider. ad Eugen. Pap.*

41. Omne quod a veritate discordat, iniquitas est. Serm. 31, *ad Sororem*.

S. BONAV.

42. Iniquitas nascitur, trahitur, completur, nascitur in cogitatione; trahitur in delectatione; completur in consensione. Exposit. 2, super *Psalm.* cxviii, cap. 10, vers. 6, art. 2.

43. Ubi lex est, ibi æquitas est : ubi vero æquitas abest, ibi iniquitas adest. *Ibid.*, cap. 5, vers. 13, art. 3.

44. Iniquitatis idoneus persecutor, æquitatis est executor. *Ibid.*, cap. 7, vers. 10, art. 4.

45. Ubi totum occupat æquitas, nullum habet locum iniquitas. *Ibid.*, cap. 7, vers. 12, art. 4.

S. CÆSARIUS ARELAT.

46. Consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiva pertransit. Homil. 4.

47. Iniquitatem tuam si tu agnoscis, Deus ignoscit. *Ibid.*, homil. 13.

CASSIODOR.

48. Remanet iniquitas desperata, cui subtrahitur saluberrima medicina. Super *Psalm.* cviii, vers. 11.

S. CYRILLUS HIEROSOL.

49. Morbus animæ acerbissimus est iniquitas, quæ et nervos illius omnes præcidit, et æterno igni obnoxiam facit. *Cateches.* 2.

FRANCISCUS TITELM.

50. Iniquitas id quod in omnibus rebus externis reputatur maximum bonum, homini aufert et violat. In *Elucid.* super cap. xxxi, *Job.*

GLOSS. ORD.

51. Peccator ut mundari possit ab iniquitatibus suis, reprobas cogitationes, origines scilicet malorum operum, abjiciat necesse est. Super 1, *Esdræ*, cap. 9.

52. Diabolus tot testes habet, quot iniquitatis suæ prædicatores. Super *Job*, cap. 40.

GLOSS. INT.

53. Iniquitas tua voluntatis est, non naturæ : omnis enim creatura bona et perfecta condita est. Super *Ezech.*, cap. 28.

S. GREGOR. MAGNUS.

54. Quem rapit iniquitas, infernus absorbet. Lib. 26 *Moral.*, cap. 24.

55. Iniquus dicitur, qui pravitate operis ab æquitate discordat. *Ibid.*, lib. 18, cap. 6.

56. Valde iniqua sunt, quæ iniqui sub boni specie moliuntur. *Ibid.*, lib. 33, cap. 24.

57. Peccator cum de iniquitate sua non confunditur, in iniquitate eadem etiam adminiculis pessimæ consuetudinis roboratur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 25, super illud *Job* 3 : *Quare exceptus genibus.*

58. Si vanitatis culpa nequaquam caute compescitur, ab iniquitate protinus mens incauta devoratur. *Ibid.*, lib. 10, cap. 9.

59. Vanitas mentem obnubilat, iniquitas cæcat. *Ibid.*

60. Apertus damnationis testis est ipse timor iniquitatis : quia et timetur quod agitur, et tamen malum non vincitur, quod timetur. *Ibid.*, lib. 12, cap. 21, super illud. *Sap.* 17 : *Cum sit timida nequitia veritatis.*

61. Manifestum perditionis indicium est, quando affectatis iniquitatibus, subsequens favet affectus, et nulla contrarietas impedit, quod mens perversa concepit. *Ibid.*, lib. 26, cap. 14.

62. Sive sit magna, sive parva iniquitas, nisi puniatur ab homine pœnitente, punietur a Deo judicante. In *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* iv, vers. 7.

63. Illi qui alios ad iniquitatem suadendo pertrahunt, in semetipsis ministerium dæmonum ad iniquitatem suscipiunt. Homil. 2, super *Ezech.*

64. Non vivit justitiæ, nisi qui moritur iniquitati. In *septem Psalm. pœnit.*, super *Psalm.* vii, vers. 12, *Vivificabis me*, etc.

65. Si quolibet modo incipienti negligitis iniquitati resistere, plurimos erroris sui gladio vulnerabit. Lib. 3, in *Registro*, indict. 12, cap. 35.

66. Iniquo non nocebit iniquitas sua, a die quo se ab iniquitate converterit. Epist. 14, *ad Celantiam.*

67. Justitia requiem habet, iniquitas laborem. Super *Ecclesiasten*, cap. 4, super illud : *Melior est plenus pugillus*, etc.

68. Nemo magis iniquus, quam ille qui iniquitatis inventor est æmulator sanctitatis, id est diabolus. Super *Psalm.* xxxxii, vers. 1.

S. HILARIUS.

69. Iniquitas inverecunda est, palam audet, palam molitur, palam perficit. Super *Psalm.* cxix.

HUGO A S. VICTORE.

70. Quanto major es, tanto iniquitas tua deformior. Super ii, *Reg.*

HUGO CARD.

71. Tolle iniquitates, et nulla erunt vana. Super *Ecclesiasticum*, cap. 3.

72. Iniquitas extrema, est cupiditas. Super *Thren.* cap. 35.

JOAN. CASS.

73. Abhorret ab illo justitiæ et pietatis auctore, quidquid bonitati æquitatique contrarium est. *Collat.* 23, *Abbat. Theonæ.*



S. JOANNES CHRYSOST.

74. Omnis homo quantumvis malus priusquam aliquam faciat iniquitatem, quasi tardior est ad opus iniquitatis : quod si semel cœperit, jam paratior fit ad omne opus iniquum. Homil. 6, super *Matth. Oper. imperf.*

75. Via perditionis est iniquitas, et via vitæ est omnis justitia. *Ibid.*, homil. 18.

76. Iniqui nec post mortem desinunt esse iniqui : quia etsi tunc peccare non possunt, tamen peccandi propositum tenent. *Ibid.*, homil. 19.

77. Iniquitas ex suggestione quadam diaboli nascitur, per pacem autem servatur. *Ibid.*, homil. 26.

78. Iniquitatem time, quæ mater est tormentorum. Homil. 26. *ex Divers.*

79. Injustus cum diabolo vivit. Homil. 16, super I *Cor.*

80. Iniquitatis multiplicatio, in causa est cur charitas refrigeratur. Serm. 8, super *Epist. ad Ephes.*

S. ISIDORUS HISPAL.

81. Malorum iniquitas, Sanctorum servit utilitati : quia unde mali corruunt, inde boni proficiunt. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 10. sent. 12.

82. Trahit iniquitatem ut funiculum, qui tardat ad Deum converti : trahere enim iniquitatem, est moram facere in iniquitatibus. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 23, sent. 12.

83. Iniquis molesta est veritas, et amara disciplina justitiæ. *Ibid.*, lib. 3, cap. 32, sent. 8.

S. LEO I.

84. Iniquitas cum justitia non habet pacem. Serm. 9, *Quadrag.*

S. NILUS. AB. MART.

85. Quando iniqua agens quis, propterea tamen nullo pudore afficitur : vulnus magis exasperat, et error ipsius tendit ad desperationem. *Parænes.* 96.

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN.

86. Salubrior est mordens pietas, quam mulcens iniquitas. Lib. 2, epist. 9, *ad Innocent. Pap.*

S. PROSPER.

87. Minus noxia est iniquitas aperta quam tecta. Super *Psalm.* cxxxix, vers. 2.

ROBERTUS BELLARM.

88. Iniqui, membra sunt diaboli. Super *Psalm.* cxxxix, vers. 4.

TERTULL.

89. Metu ultionis omnis iniquitas refrænatur. Lib. 4, *adversus Marcionem*, cap. 16.

THEODOR.

90. Fundamentum et radix impietatis, vitæ corruptela est. Super *Psalm.* xiii, vers. 2.

91. Si quis iniquam elegerit vitam, licet secundis ventis feratur, miserrimus tamen putandus est. Super *Psalm.* 14, vers. 5.

92. Infœcunditas maxima causa est iniquitatis. Super *Joel*, cap. 1.

S. THOMAS AQUINAS.

93. Iniqui vellent sine fine vivere, ut sine fine possent in iniquitatibus permanere. 1, 2, quæst. 87, art. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.

94. Iniquitas omnem injustitiam continet. Lib. 5, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 1.

95. Iniquitatis est, mores ritusque patrios prævaricari, legibus et auctoritati publicæ subesse non velle, mentiri etiam ac pejerare, pactaque transgredi, et fidem fallere. Lib, 1, *de Virtutibus*, cap. 5.

CICERO.

96. Locus jam nullus est, neque tam longinquus, neque tamen reconditus, quo non per hæc tempora nostrorum hominum iniquitas pervaserit. Orat. 8, in *Verrem*, lib. 3, act. 4.

Vide etiam tit. *Damnatio*, sent. 9, 17, 20 ; *Differentiæ*, sent. 26 ; *Dissimulatio*, sent. 22 ; *Immunditia*, sent. 3 ; *Judicium in genere*, sent. 26 ; *Opus*, sent. 10 ; *Peccatorum defensio*, sent. 55 ; *Punitio*, sent. 14, 52 ; *Resurrectio a peccato*, sent. 52; *Seductio*, sent. 18; *Tractio*, sent. 34.

## INJURIA.

*Etymologia.* Injuria dicitur, quasi in jura, id est, contra jura. COLLECTOR.

*Definitio.* Injuria est, quæ audet aliquid contra ordinem juris. Lib. 5, *Etymol.* cap. 26. S. ISIDORUS HISPALENS.

Injuriæ sunt, quæ aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cujuspiam violant. Lib. *de Arte Rhetor.* CICERO.

*Differentia.* Dividamus injuriam a contumelia : prior illa natura gravior est, hæc levior, et tantum delicatis gravis, quia non læduntur, sed offenduntur. *De Constantia sapientis*, cap. 4. SENECA.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS.

1. Is, qui cito injuria movetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. *Prosec.*

2. Melior est qui contemnit injuriam, quam qui dolet : qui enim contemnit, quasi non senserit, ita despicit : qui autem dolet, quasi senserit, torquetur. Lib. 1 *Offic.*, cap. 6.

3. Quos manet gloria, expectat injuria. *Ibid.*, cap. 16.

4. Non in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est : qui non enim repellat a socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. *Ibid.*, cap. 36.

5. Melius dissimulare injuriam, quam cum redarguis, vindicare. Super *Psalm.* xxxvii.

S. ANSELM.

6. Nullus est, qui facit alteri injuriam, nisi qui fieri nolit sibi. Super *Epist, ad Rom.*, cap. 2, in illud : *Quæ legis sunt, faciunt.*

S. ANTONIN.

7. Ex debito charitatis quilibet tenetur repellere injuriam a proximo, si potest : et qui non re-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pellit, tam est in vitio, quam ille qui facit. Part. 2, tit. 7, *de Ira*, cap. 8, § 2.

8. Injurias magnanimus debet parvipendere, et a memoria repellere, tunc in mente sua quietus erit. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 5.

9. Tanta est humana fragilitas, ut ad sibilum unius verbi dejiciatur. Part. 4, tit. 5, cap. 12, § 2.

S. AUGUST. 10. Non est interior litterarum scientia, quam scripta conscientia, id se alteri facere, quod nolit pati. Lib. 1, *Confess.*, cap. 18.

11. Nulli est injuria vel levior referenda, ut ab alio gravior repellatur. *De Mendacio ad Consentium*, cap. 11.

12. Sæpe nihil nocet ei iniquitas qui patitur injuriam : ei autem qui facit, necesse est ut noceat. *De serm. Dom. in monte*, lib. 2.

13. Quamvis te irritet quisque, quamvis conviciet, quamvis injuriam tibi faciat, tu tamen patiens esto, ne rependas contumelias, et melius tacendo vinces injuriam. *De rectitud. catholicæ conversat.*

14. Gloriosum est injurias oblivisci, sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui. *Prosec.*

15. Ille injuriam fecit, et injuriam faciendo gravi seipsum vulnere percussit, et tu ejus vulnus contemnis. *De verbis Domini*, serm. 16.

16. Romani accepta injuria ignoscere malebant, quam persequi. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 6.

17. Accipere quam facere præstat injuriam. *Contra Mendac.*, cap. 9.

18. Injuriosus ab eo ipso, cui fecit injuriam, discat, qualia sint propter quæ fecit injuriam. Epist. 5.

S. BASILIUS SELEUC. 19. Optabilius est injuriam ferre, quam inferre. Orat. 42.

V. BEDA. 20. Gloriosius est injuriam tacendo tolerare, quam respondendo vindicare. In suis *Proverbiis*, verbo *Gloriosius*.

21. Infeliciores sunt qui faciunt, quam qui patiuntur injuriam. *Ibid.*, verbo *Infeliciores*.

BOETIUS. 22. Miserior injuriæ illator quam acceptor esse videtur. Lib. 4, *de Consolat. philosoph.*, pros. 4.

S. BONAV. 23. Si injuriam pateris et taces, et proximum non corripis, plus peccas negligendo, quam ille affligendo. Super *Luc.*, cap. 6.

24. Benigni et justi judicis est, suas injurias contemnere, et aliorum injurias judicare. Lib. 1, *Pharetræ*, cap. 45.

25. Quanto injuria major, tanto honorabilior eris. In *Stimulo amoris*, part. 2, cap. 6.

S. GREGOR. MAGNUS. 26. Patienter illatam injuriam tolerat, qui pie meminit quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Lib. 5, *Moral.*, cap. 31.

27. Hujus sæculi dilectores pro terrenis lucris quaslibet injurias tolerant, et pro cœlesti mercede vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant. *Ibid.*, lib. 19, cap. 16.

28. Leve videbitur quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia pejus meremur. *Ibid.*, lib. 20, cap. 9.

29. Si contra veritatem injuriam pertuleris, lucrum puta. Lib. 10, in *Registro*, indict. 5, cap. 14, epist. 14, *ad Opportunum*.

30. Imitatione Dei gloriosius est tacendo injuriam fugere, quam respondendo superare. Homil. 18, super *Evang.*

31. Nihil est iniquius quam pro correptione, injuriam fugere, quam respondere. In *septem Psalm. pœnit. super Psalm.* III, vers. 20 : *Qui oderunt me inique.*

S. GREGOR. NAZ. 32. Qui per injuriam premitur, Deum habet adjutorem. Super *Ecclesiasten*, cap. 3.

33. Maximum malum est calumnia, nam illa animabus sapientum insidiatur, et generosam bonorum instantiam impedire conatur. *Ibid.*, cap. 7.

S. GREGOR. THAUM. 34. Gravissimum malum est calumnia, hæc enim sapientum animabus insidias struit, ac generosam bonorum virorum constantiam labefactare molitur. Super *Ecclesiast.*, cap. 7.

S. HIERON. 35. Irasci, hominis est : injuriam non facere, Christiani. Epist. 45, *ad Antonium*.

36. Meam injuriam patienter tuli, impietatem contra Deum ferre non potui. Epist. 33, *advers. Vigilant.*

37. Virum humilem, patientia ostendit injuriæ. Epist. 1, *ad Demetriad.*

38. Injustum est, si alteri quod tibi ab alio fit molestum est, patiaris inferri. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

39. Non tantæ virtutis est ab aliis factam injuriam sustinere, quantæ gratiæ Domini est placidum, mitem atque tranquillum injuriam facere non posse. Super *Nahum*, cap. 2, super illud : *Contemplare viam.*

S. HILARIUS. 40. Omnes humanæ injuriæ, quæ religiosis viris inferuntur, non eosdem habent auctores quos habent ministros : executio quidem hominum est, sed diaboli instinctus est. Super *Psalm.* CXXVIII.

HUGO CARD. 41. Rem injustam ante oculos suos proponit, qui ut ultionem quærat, memor est injuriarum. Super *Psalm.* C.

42. Quod jure quis patitur, non est injuria : aliud est enim pati injuriam, aliud pati supplicium : injuriam patimur injuste, supplicium juste. Super *Psalm.* CXXXXV.



43. Qui irrogatam sibi injuriam vult vindicare, usurpat sibi quod non est suum. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

44. Nulli injuriam facias, et etiam nocenti tibi, sed differ vindictam propter iram. Super *Ecclesiastic.*, cap. 10.

JOAN. CASS. 45. Qui de illata indignatur injuria, humilitatis satisfactione placatur. Collat. 18, *Abbat. Piammonis*, cap. 17.

S. JOANNES CHRYSOST. 46. Animæ fortis et constantis est, posse obluctari injuriis. Homil. 23, super *Gen.*

47. Tantum virtutis est robur, ut patiendo superet injuriam sibi facientes : ut cum impugnatur, hostibus fiat potentior. *Ibid.*

48. Qui prohibere potest eum, qui injuriam facit, et non prohibet, is non minorem luet pœnam, quam qui injuriam fecit. *Ibid.*, Homil. 33.

49. Consolare eum, qui injuria affectus est, sic et teipsum ab injuria affectum eriges. *Ibid.*

50. Hæc est optima philosophia, nunquam eis qui nobis injuriam faciunt adversari. *Ibid.*, homil. 34.

51. Quando quis in hominibus aliquem charum domino suo injuria quadam afficit, sibi injuriam factam putat dominus. *Ibid.*, homil. 45.

52. Qui paratus ad ingruentia mala fuerit, illatas injurias facilius feret. homil. 5, *de patientia*.

53. Nemo potest injuriam tibi inferre, præter teipsum : quare si injuriatos tibi persequi cupis, teipsum primo invadas, nullus enim prohibet : sed si alium aggredieris, majori injuria pressus jacebis. *Prosec.*

54. Non qui passus est, sed qui fecit injuriam patitur.

55. Omnium certe malorum hæc causa est; quia nec intelligimus quis facit, et quis patitur injuriam.

56. Nam si recte intelligeremus non injuriis nosipsos vexaremus adversus alium orantes, cum certiores essemus neminem in terris posse nobis officere. Homil. 52, super *Matth. Oper. perfect.*

57. Vere passus injuriam ille est, qui passione victus succubuit. *Ibid.*, homil. 61.

58. Quo majores quispiam injurias in te jaculatus est, eo majoris indulgentiæ tibi causa constitutus est. *Ibid.*, homil. 52, ante finem.

59. Magnum bonum est injuriarum oblivio, et summopere ea Deus placatur. *Ibid.*, homil. 80.

60. Quanto suavius sit amare injuriam, quam odisse, post depositas inimicitias optime percipies. *Ibid.*, ante fin.

61. Injuriarum memoria animi est perniciem diutius cogitantis. *Prosec.*

62. Nunquam ille tantum tibi facere potuit, quantum turpe tibi, læsionis memoriam retinendo. *Ibid.*

63. Illa clarissima atque fulgentissima victoria, qua injuriam inferentem patiendo superasti. *Prosec.*

64. Non luctari te oportet, Deus eas tibi concessit, ut non concertatione manuum, sed patientia vincas.

65. Non exeas in prælium, et vicisti : non collucteris, et coronatus es, sicque multo tu præstantior, et fortior adversario es.

66. Qui magno animo injurias tulit, ubique ut victor prædicatur. *Ibid.*, homil. 35.

67. Discamus exemplo Christi, nostras injurias illatas magnanimiter sustinere, Dei autem injurias, nec usque ad auditum sufferre. Homil. 5, super *Matth. Oper. imperf.*

68. In propriis injuriis patientem esse, laudabile est : injurias autem Dei dissimulare ; nimis impium est. *Ibid.*

69. Ubi recordatio injuriæ in medio est, ibi diabolus exultat. *Ibid.*, homil. 17.

70. Benigni et justi judicis est, suas injurias contemnere, et aliorum injurias vindicare : qui autem suas vindicat injurias, quamvis juste vindicet, nunquam tamen judex justus esse putatur. *Ibid.*, homil. 45.

71. Neque precatio, neque eleemosyna, neque jejunium, neque sacra communio, neque aliud quidquam simile (nisi injuriarum obliviscamur) poterit nobis præsidio esse in die judicii. Homil. 20, *ex divers.*, *in Matth.*

72. Non cum ulciscitur quis injurias, sed cum eas æquo animo tolerat, hoc magnum est, hoc laudabile. Homil. 3, super *Joan.*

73. Non is qui injuriatur, sed qui parvo animo injuriis dolet, is injurias confirmat et irritat injuriantem. *Ibid.*, homil. 82.

74. Si non posse injuriantem perpeti, id crimen est : ipsa injuria qua digna est accusatione? Homil. 16, super 1, *Cor.*

75. Injuriam reminisci, est animæ nequitiam meditantis. Homil. 52, *ad populum. Antioch.*

76. Suprema prorsus amentia est, seipsum ferire, et hoc ipsum nescire : sed eum alium injuria credat afficere, tum vero seipsum omnino jugulare. Serm. *de Virt. et vitiis.*

77. Virtutis vis magna est, quæ dum injuria læditur, lædentes superat : dum profligatur, profligantes tunc maxime debellat. *Ibid.*

78. Non injuriam pati, sed injuriam facere, aut nescire pati malum est. Homil. 43, super *Matth. Oper. perfect.*

79. Cogita quod qui injuria cederis, vincis :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ille autem qui cedit, vincitur. Momentum est, cave abripiaris, et totum statim effecisti : cave movearis, et totum extinxisti. Homil. 31, super *Acta Apost.*

80. Vis esse memor injuriarum et hostis? hostis esto, sed diaboli, non membri tui. Serm. 14, super *Epist. ad Ephes.*

81. Injurias et detrimenta maxima perpessus es, tu contraria operari stude. Homil. 3, super I, *Tim.*

82. Injuriam pati, hoc est Christiani. Homil. 20, super *Epist. ad Hebr.*

83. Si quis te injuriet, tu contra benedic, et attende quantum et ex hoc lucraberis. *Prosec.*

84. Malum extinguis, mercedem tibi comparas ampliorem, illi confusionem excitas, quæ ei causam correctionis apportet, et tu nihil pateris mali. *Ibid.*, homil. 30.

S. JOAN. CL. 85. Memoria injuriarum est furoris complementum, peccatorum custos, justitiæ odium, virtutum perditio, venenum animæ, mentis assiduus vermis, orationis confusio, deprecationis excisio, charitatis alienatio, clavus infixus animæ, injucundus sensus, juge peccatum, nunquam dormiens iniquitas, horis singulis admissa malitia. Gradu 9.

JOAN. GERS. 86. Suam injuriam non emendat, qui injuriam augmentat : injuria non vincitur injuria, sed patientia : qui patitur, vincit, sed pungitur spinis; qui a pungentibus non abstinet spinis. Serm. *in septuages. de Ira.*

87. Qui a socio, si potest, injuriam non repellit, tantus in vitio est, quantus ille qui facit. Tract. *contra proprietarios*, part. 2.

JOAN. TRITH. 88. Injuriam non facere, justitia est et dilectio : illatam patienter sufferre, virtus maxima est. In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Ait.*

89. Non melius vincitur injurians, quam silentio injuriati. *Ibid.*, verbo *Hinc.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 90. Cave ne sis ultor injuriarum tuarum, promptior esto ad suscipiendam, quam ad reddendam injuriam : disce mala ferre potius quam referre, disce potius tolerare quam facere. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 6.

91. Quam multi sunt, qui suas injurias tarde relaxant, Dei vero citius indulgent : fitque nonnunquam ut occasione Domini injurias vindicandi, suas vindicent irati. *De Conflict. vitior. et virt.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 92. Acceptarum injuriarum memoriam retinere haud generosi animi est. Lib. 3, *Epist.* 17, *ad Antiochum.*

93. Justum est, ab alio minime lædi : philosophicum autem, acceptam injuriam æquo animo ferre. *Ibid.*, epist. 320, *ad Asclepium Episcop.*

LACT. FIRM. 94. Non minus mali est referre injuriam, quam inferre. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 18.

95. Si quis lacessitus injuria, lædentem persequi cœperit, victus est. *Ibid.*

96. Patientia injuriarum perturbatum animum ac fluctuantem, ad tranquillitatem suam revocat, hæc mitigat, hæc hominem sibi reddit. *Ibid.*

S. NILUS. 97. In omnibus, in quibus injuria afficeris, ad patientiam confuge, et super injuriantes nocumentum devolvetur. *Parænes.* 90.

98. Memoria injuriæ obscurat rationem orantis, et ejus orationi tenebras offundit. *Ibid.*, *de Orat.*, cap. 19.

S. PAULINUS. 99. Vicem injuriæ reddere, humana ultio est : at inimicum etiam injuriantem diligere, vindicta cœlestis est. Epist. 2, *ad Severum.*

PETR. BLES. 100. Viri magnanimi fortitudo gravioribus injuriis lacessita grandescit. Epist. 87, *ad Guillelm. episc. Eliens.*

101. Turpe est, maxime homini orthodoxo, refricare injurias, et odiorum sopitos cineres denuo suscitare. *De Amicit.*, cap. 24.

PHILO JUD. 102. Qui per dolum inferunt injuriam, pejores sunt apertis hostibus. *De Creatione principio.*

103. Levius malum est pati, quam inferre injuriam. *Libro de Joseph.*

S. PROSPER. 104. Perfectorum est, etiam his, qui injuriam fecerunt, misericordiam magis, quam optare vindictam. Super *Psalm.* CII, vers. 6.

SALVIANUS. 105. Pati injurias servorum nolumus, et subditum injuriis nostris Deum esse volumus : et quæ ipsi toleratu humano indigna credimus, Deum a nobis digne hæc tolerare credamus. Lib. 3, *de Gubernat. Dei.*

106. Semper per dignitatem injuriam præferentis, crescit culpa facientis : quia necesse est, quanto major est persona ejus, qui contumeliam patitur, tanto major sit noxa ejus, qui facit. *Ibid.*, lib. 6.

SYNESIUS EPISC. 107. Qui injuriam inferre non vult, propulsandæ injuriæ facultatem sibi comparat. *De Regno ad Arcadium imperat.*

108. Majus malum est inferre, quam perpeti injuriam : illud enim proprium malum est, hoc alienum. Epist. 67, *ad Theophil.*

TERTULL. 109. Ubi minor injuria, ibi nulla necessitas impatientiæ : At ubi major injuria, ibi necessarior injuriæ medela patientiæ. *De Patient.*, cap. 11.

S. THEODOR. 110. Nullo modo decet esse injurium. Lib. 12, *de Virt. activa.*

S. THOMAS AQUINAS. 111. Qui injuriatur Deo, crudelis est sibi et noxius hominibus. Opusc. 9, *de Decem præcept.*, præcept. 2, verbo *Non assumes.*

112. Tanto major est injuria, quanto major est



is in quem committitur. *Contra Græcos et Armenos*, cap. 7.

S. VALER. EPISC. 113. Quicunque tu es, quem alienæ insolentiæ inquietat injuria, si vis perfectus esse, animorum iracundiam moderatione compesce. Homil. 12.

114. Cessant odia, ubi non reputatur injuria. *Ibid.*

115. Sicut illum qui injuriam fratri infert, gravis peccati manet culpa; ita te maxima protegit virtutis corona, si accepta non irasceris injuria. *Ibid.*

116. Multi accepta injuria vicariam injuriam parant, et vindictæ locum animo latrocinanti expectant. *Ibid.*

117. Ultra felicitatem constat esse victoriæ, inimicum salvum fecisse, et injuriam vindicasse. *Ibid.*, homil. 13.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

118. Amico injuriam facere, turpe est. Sect. 29, *Problem.*, quæst. 2.

119. Iniquius est injuriam homini infortunato quam fortunato intulisse. *Ibid.*

120. Graviorem facit injuriam, qui ex consulto quam qui non ex consulto injuriatur. *Ibid.*, sect. 29, quæst. 13.

121. Semper injustior est, qui se latere non putat, et tamen facit injuriam, quam qui se latere posse existimat. *Ibid.*

122. Injuria minor quidem est, injuriam pati : major autem, injuriam facere. Lib. 5, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 5.

123. Sponte is injuriam facit, qui scit et eum, qui facit, et modum, quo facit. *Ibid.*, cap. 11.

124. In magnis injuriis, nihil abjecte facere, celsi est animi. Lib. *Œconomic.*, cap. 1.

125. Qui afficit injuria, sponte facit injuriam : at affectus injuria invitus fert injuriam. Lib. 1, *Magnor. moral.*

126. Deus injuria vexatis opitulari creditur. Lib. 2, *Rhetor.*, cap. 5.

127. Viri magnanimi non est, memorem esse injuriarum; sed eas potius pro nihilo putare. Lib 4, *Moral.*, cap. 3.

CICERO. 128. Summorum virorum exemplo injurias deponere, præclarum est. Orat. 36, *de Provinc.*

129. Oblivisci nihil soles, nisi injurias, quod est animi ac ingenii præclarissimi. Orat. 41, *pro Ligario.*

130. Fortes et magnanimi sunt habendi, non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam. Lib. 1 *Offic.*

EPICTETUS. 131. Unaquæque res duas habet ansas : unam tolerabilem, alteram intolerabilem. Si frater injuriam fecerit, non ea parte capias, qua facit injuriam (ea enim ejus ansa non est tolerabilis), sed illinc potius, esse fratrem; sic capies eam, qua est tolerabilis. In suo *Enchirid.*, cap. 65, per totum.

MIMUS PUB. 132. Etiam qui faciunt, odio habent injuriam. In suis *Sent.*, sent. 113.

133. Injuriarum remedium, est oblivio. *Ibid.*, sent. 197.

PLATO. 134. Nullo modo facienda est injuria, neque cuiquam inferenda. In *Dialogo Critonis.*

135. Nullo modo rectum fasve est, neque facere, neque rependere injuriam. *Ibid.*

136. Injuriam facere, omnium malorum maximum est : mallem enim pati, quam facere injuriam. *De Rhetor.*

137. Qui nemini injuriam facit, apud omnes in pretio est : qui vero injuriam depellit, magis quam duplici honore dignus est præ illo : ille enim cum uno, hic cum multis hominibus confertur. Lib. 5, *de Legibus.*

138. Omnem hominem oportet animosum esse et mitem, maxime ad aliorum injurias perferendas. *Ibid.*

SENECA. 139. Bonus vir est, qui injuriam fecit? noli credere : malus? noli mirari. Lib. 2, *de Ira*, cap. 30.

140. Non ut in beneficiis honestum est merita meritis repensare, ita injurias injuriis. Illic vinci turpe est : hic vincere, inhumanum. *Ibid.*, cap. 32.

141. Magni animi est, injurias despicere. *Ibid.*

142. Ille magnus et nobilis est, qui more magnæ feræ; latratus minutorum canum securus deridet. *Ibid.*

143. Notissima vox est ejus, qui in cultu regum consenuerat : cum illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem : Injurias, inquit, accipiendo et gratias agendo. *Ibid.*, cap. 3.

144. Sæpe adeo injuriam vindicare non expedit; ut ne fateri quidem expediat. *Ibid.*

145. Non possum, inquis, injuriam pati, grave est injuriam sustinere, mentiris. Quis enim injuriam non potest ferre qui potest iram? Lib. 3, *de Ira*, cap. 26.

146. Maxima est factæ injuriæ pœna, fecisse : nec quisquam gravius afficitur, quam qui ad supplicium. *Ibid.*

147. Satius est sanari injuriam, quam ulcisci : multum temporis ultio absumit, multis se injuriis objicit, dum una dolet. *Ibid.*, cap. 27.

148. Magni animi est, injurias in summa potentia pati. Lib. 1, *de Clement. ad Neron.*, cap. 20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

149. Tutus est sapiens, nec ulla affici aut injuria, aut contumelia potest. *De Constant. sapient.*, cap. 2.

150. Discitur ipsa injuriarum assiduitate, patientia. *Ibid.*, cap. 3.

151. Sapientem melioris scito esse naturæ, si nullius illi injuria nocet, quam si nulla sit. *Ibid.*

152. Injuria non potest fieri non injuste. *Ibid.*, cap. 7.

153. Sapientis animus solidus est, et id roboris collegit, ut tam tutus sit ab injuria, quam illa, quæ retulit. *Ibid.*, cap. 3.

154. Beneficium est, hominis injuria. Lib. 2, *de Benefic.*, cap. 19.

155. Beneficio vis injuriæ extinguitur. Epist. 81.

156. Quid eo miserius, cui beneficia excidunt, hærent injuriæ? *Ibid.*

157. Qui ob hoc injuriam facit, quia potest: cito desinet, quia fecit. In suis *Proverb.*, in fine positis.

SIXT. PHIL. 158. Mali finis, injuria : injuriæ autem, perditio. Sent. 193.

VALERIUS MAXIMUS. 159. Sua culpa injuriam accipit, qui ei se objecit. Lib. 2, *Dict. memorabil.*, cap. 1.

Vide etiam tit. *Invidia*, sent. 63; *Ira*, sent. 227; *Mansuetudo*, sent. 24; *Memoria*, sent. 40, 41; *Monachus*, sent. 114; *Oblivio*, sent. 31; *Patientia*, sent. 77; *Patientia Dei*, sent. 44; *Pœnitentia*, sent. 265; *Vindicta*, sent. 22, 43, 58.

## INNOCENTIA.

S. BONAV. *Definitio.* Innocentia est puritas animi, injuriæ omnem illationem abhorrens. Part. 3, *Centiloquii*, sect. 44.

S. JOAN. CLIM. Innocentia lætus ac serenus est animi status, omni adinventione ac figmento liber. Gradu 24.

CICERO. Innocentia est affectio talis animi, quæ nocet nemini. Lib. 3, *Tuscul. quæst.*

S. BONAV. *Divisio.* Duæ sunt species innocentiæ. Prima est, non nocere ei, qui non nocuit tibi; secunda, non nocere ei, qui nocuit. Super *Psalm.* LXXXVII.

Tres sunt partes innocentiæ. Prima est, cum malis consortium non habere ; secunda est, non malis consentire ; tertia est, cum justis pacem habere.

GLOSS. DEC. Tres sunt innocentiæ gradus. Primus est, malum non facere; secundus est, facientibus non consentire; tertius, peccantes, si potest corrigere. In *Decret. Gratiani.*

S. ISIDORUS HISPALENS. *Differentia.* Inter innocentem et innoxium hoc interest, quod innocens sanctitate morum intelligitur : innocuus, qui non habet nocendi voluntatem. Lib. *de Differentiis*, different. 3.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Salomon ait, Innocens credit omni verbo. Non vituperanda facilitas, sed laudanda bonitas; hoc est innocentem esse, ignorare quod noceat. Lib. 3 *Officiorum*, cap. 10.

2. Servile est omne peccatum, libera est innocentia. *De Joseph.*, cap. 4.

3. Moriar innocens, ne moriar nocens. Lib. 2, *de Virginibus.*

S. ANSELM. 4. Innocentia talis esse debet, ut nulli noceat. *De Simil.*, cap. 116.

S. AUGUST. 5. Omnis improbitas ex imbecillitate animi venit; quia nihil innocentius est eo, qui in virtute perfectus est. *Serm. Dom. in monte*, lib. 1.

6. Ista est vera innocentia, quæ nec inimico nocet. Super *Psalm.* VII, vers. 8 : *Et secundum innocentiam meam.* etc.

7. Custodi innocentiam, pretiosa res est. Super *Psalm.* XXXVI.

8. Perversa et falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Super *Psalm.* L.

9. Qui timore pœnæ innocens est, non est innocens, quamvis non noceat cum vult nocere : non enim nocet alteri per affectum malum, sed sibi plurimum per cupiditatem malam. Super *Psalm.* XCIII.

10. Innocens est, qui cum aliis non nocet, nec sibi nocet : qui enim et sibi nocet, non est innocens. Super *Psalm.* C, vers. 3.

11. Arcta omnis malitia, sola innocentia lata est. *Ibid.*

12. Custodi os cordis a malo, et innocens eris : innocens erit lingua corporis tui, innocentes manus erunt, etiam pedes innocentes erunt, oculi innocentes erunt, et aures innocentes erunt. Super *Psalm.* CXXV, vers. 2.

13. Deus non damnat innocentes, nec facit nocentes, quos perspicit innocentes. Lib. 1, *de Anima et orig.*, cap. 18.

14. Propterea judex torquet accusatum, ne occidat nesciens innocentem. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 6.

15. Ignorantia judicis plerumque est calamitas innocentis. *Ibid.*

16. Fingebam me fecisse quod non feceram, ne viderer abjectior, quo eram innocentior. Lib. 2 *Conf.*, cap. 3.

17. Cum multi innocentes ab aliis occidantur, a scipso nullus innocens occiditur. Lib. 3, *contra Gaudent.*, cap. 13.

18 Humilis esse non potest nocens, superbus



esse non potest innocens. Homil. 20, *ex Quinquag. homil.*, cap. 2.

19. Qui est hominum, qui suam cogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere innocentiam? Lib. 2 *Confes.*, cap. 7.

20. Innocentiam sic tenere debetis, ut eam crescendo non amittatis. Lib. 20, *ex Quinquag. homil.*, cap. 1.

21. De incognitis non temere judicando, innocentiam custodimus. *De unit. Eccl.*, cap. 2.

V. BEDA. 22. In malis sperare bona nemo nisi innocens solet. In suis *Proverbiis*, verbo *In*.

S. BONAV. 23. Nulla melior præparatio ad gratiam, quam pura innocentia. Super lib. 2, *Sentent.*, dist. 4, art. 1, quæst. 2, argum. 3.

24. Gaude innocentia et exulta; gaude, inquam, quia ubique illæsa es, ubique secura : si tentaris, proficis : si humiliaris, erigeris : si pugnas, vincis : si occideris, coronaris. Lib. 4, *Pharetræ*, cap. 5.

CASSIODOR. 25. Ipse est innocens, qui nulli nocet. Super *Psalm.* LXXXIII.

S. CYPRIAN. 26. Esse jam inter nocentes innoxium, crimen est. Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 7.

27. Innocentiæ mater est pudicitia. *De bono pudicit.*, cap. 2.

28. Noxia est innocentia, quæ sponsæ Christi officit famæ. *De singulari. Cleric.*, cap. 20.

DIONYSIUS CARTHUS. 29. Absolute loquendo et cæteris paribus innocens plus tenetur Deum amare, plus amatur a Deo, quam peccator conversus. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 5, art. 8.

GLOSS. INT. 30. Innocens semper securus est. Super *Job*, cap. 15.

GLOSS. ORD. 31. Multo utilius est simplicis vitæ innocentiam cum charitate servare, quam virtutum exterius fulgere miraculis, et interiora mentis sorde non expurgare. Super *Proverb.*, cap. 15.

GRATIANUS. 32. Primus innocentiæ gradus, est odisse nefanda. In *Decret.*, part. 1, dist. 86, can. *Facientis.*

S. GREGOR. MAGNUS. 33. Innocentia non tempore defenditur, sed ratione. Lib. 26, *Moral.*, cap. 2, super illud *Job* 35 : *Tu enim cœpisti loqui*, etc.

34. Fit plerumque Deo gratior amore ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia. Part. 3, *Pastor.*, cap. 1, admonit. 29.

S. HIERON. 35. Christiana anima neque manu tantum, aut lingua, sed corde quoque custodit innocentiam. Epist. 14, *ad Celantiam.*

36. Multi nomen illud absolute atque integre definiunt, innocentem, qui ne in eo quidem ulli noceat, quo prodesse desistat, quod si est verum, tum demum lætare de innocentiæ conscientia, si cum potes, adjuvare non desinas. *Ibid.*

37. Difficile est pressam malis innocentiam non dolere, quod se videat injuste sustinere quod patitur. Epist. 34, *ad Julianum.*

38. Innocens inter ipsa tormenta fruitur conscientiæ securitate : et cum de pœna metuat, de innocentia gloriatur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

39. Nihil sic placet Deo, sicut simplicitas et innocentia. In *Regula monachorum*, cap. 24, *de Virtute humilitat.*

40. Innocentia est janua cœli. Super *Psalm.* LXXVII.

41. Innocentes sanitatem corpori, puritatem cordi, pacem fratri, imitationem sanctis, compassionem mortuis, auxilium Angelo, pietatem Deo debent. Super 2, *ad Thessalonicens.* 1. HUGO CARD.

42. Innocentia in tribus consistit : in bona fide, in bono opere, in bona voluntate. Super *Psalm.* XLIII. IDIOTA.

43. Animæ soror, est innocentia. Lib. 4, *Contemplat. de Innocent.*, cap. 1. S. JOANNES CHRYSOST.

44. Sicut contumacia est, celare quod Deo teste commiseris : sic periculosum est, si splendore cultus, innocentiam mentiaris. Homil. 2 *de Lapsu primi hominis.*

45. Levius est crimen innocentem servituti addici, sed gravius nihil est ipsum jugulari. Serm. *de Joseph. vendit.*

46. Gaude innocentia et exulta : tentaris, proficis : si humiliaris, erigeris : si pugnas, vincis : si occideris, coronaris. *Prosec.*

47. Innocentia in servitute libera est, in periculo tuta, in custodia læta.

48. O innocentia! tibi boni parent, mali invident, zelant æmuli, inimici succumbunt : te potentes honorant, suscipiunt principes, magnates exquirunt. *Ibid.*

49. Omnium bonorum fons atque origo, innocentia est. Homil. 39, super *Matth. Oper. perf.*

50. Innocentia facilius custoditur, quam perdita reparatur. Serm. *de Omnibus Sanctis.* JOAN. GERS.

51. Quanto es innocentior, tanto esse servitio Dei debes ardentior, ut custoditæ sanctitati uberius gratieris. Serm. *de Verbis Domini.*

52. Laudabilius est servare innocentiam, quam perditam recuperare. Serm. 1, *in Ramis Palmar.*

53. Innocentiæ solæ legitima et digna merces est immortalitas. *De ira Dei*, cap. 23. LACT. FIRM.

54. Nemo egregius est, nisi qui bonus et innocens fuerit. Lib. 5, *de Divin. inst.*, cap. 15.

55. Quid melius, quid charius homini esse debet, quam innocentia? *Ibid.*, cap. 18.

56. Innocentia tanto perfectior est, quanto

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

illam produxeris ad extremum, morique malueris, ne quid de innocentiæ ratione minuatur. *Ibid.*

57. Qui nihil patitur, innocentiam servare non potest. *Ibid.*, cap. 23.

58. Nihil sancta et singularis divina majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam : quam si quis obtulerit Deo, satis pie religioseque litavit. *Ibid.*, lib. 6, cap. 1.

S. LEO I. — 59. Quamvis in quolibet tempore innocens sit vita multorum, non adeo tamen de conscientiæ integritate fidendum est, ut humanam fragilitatem inter scandala tentationesque degentem, nihil potuisse arbitremur, quod læderet eam, incidere. Serm. 6, *Quadrag.*

SALVIANUS. — 60. Maxima accusatrix hominum noxiorum, est usurpatrix innocentiæ arrogantia. Lib. 4, *de Gubern. Dei.*

61. Augmentum reatus, est innocentiam jactare post culpam. *Ibid.*, epist. 3, *ad Agricium episcop.*

S. THOMAS AQUINAS. — 62. Nihil innocentius eo qui est in virtute perfectus. *De perfect. vitæ spirit.*, cap. 16.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. — 63. Innocens is dicitur, non qui leviter nocet, sed qui nihil nocet. Lib. 5, *Tusc. quæst.*

PLINIUS II. — 64. Animadverto Deum ipsum, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate lætari. In *panegyrico de Trajano Augusto.*

SENECA. — 65. Magnum est præsidium in periculis innocentia, et ubique innocentia tuta est. Lib. 3, *Controvers.* 16.

66. Adeo in publicum missa nequitia est, et in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Lib. 2, *de Ira Dei*, cap. 8.

67. Securior est innocentia, quam grata mens prosequitur. Lib. 4, *de Benefic.*, cap. 22.

68. Ridiculum est odio nocentis innocentiam perdere. *De Moribus.*

69. Vera felicitas innocentia est. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Conversatio*, sent. 17; *Honestas*, sentent. 2; *Humilitas*, sentent. 74; *Pravitas*, sentent. 17.

## INSIDIÆ.

S. BONAV. — *Definitio.* Insidiæ sunt investigatio, et consideratio factorum alterius, ut deprehendi possit. In *Speculo animæ*, cap. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. — 1. Tunc maxime insidiatur adversarius, quando videt nobis passiones aliquas generari, tunc fomites movet, laqueos parat. Lib. 1 *Offic.*, cap. 4.

S. ANTONIUS ABBAS. — 2. Adversarii virtutis, veritati semper insidiantur. Epist. 2, *ad Fratres.*

S. ANTONIUS DE PADUA. — 3. Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæ, quæ latent in similitudine officii. Serm. 2, *Dom.* 3, *post Pascha.*

S. AUGUST. — 4. Non cessat hostis persequi, etsi non aperte sævit, insidiis agit. Tract. 10, super *Evang. Joan.*, cap. 2.

5. Oves Christi, timete insidias luporum. *De cult. agri Dom.*, cap. 7.

6. Diabolus est draco propter insidias; draco occulte insidiatur. Homil. 35, *ex Quinquag.*

7. Hæreticorum insidiæ infirmiores quosque et negligentiores circumvenire non cessant. Tract. 2, super *Epist. Joan.*

S. BASILIUS MAGNUS. — 8. Inimici proprium est nocere ac insidiari. Quæst. 176, *Quæst. Compendio explicat.*

V. BEDA. — 9. Tentator pervigil hos acrioribus pulsat insidiis, quos maxime videt abstinere a peccatis. In suis *Proverbiis*, verbo *Tentator.*

CASSIODOR. — 10. Detestabilium hominum consuetudo est, mala vota tegere, ut latenter ad affectum possint eorum consilia pervenire. Super *Psalm.* XVI, vers. 13.

CASSIODOR. — 11. Pax esse in illius corde non potest, qui insidias blandiendo præparat. Super *Psalm.* XL, vers. 10.

S. CYPRIAN. — 12. Præoccupandus est aditus cunctis insidiis, ne hostilitas prior obrepens occurrat improvidis. *De Singular. clericorum*, cap. 3.

13. Salutare remedium est in insidiis prævenire potius, quam præveniri : anticipare potius, quam anticipari, viris fortibus congruit. *Ibid.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. — 14. Quanto laboramus, tanto cautiores esse debemus : proficientibus enim insidiatur inimicus Homil. 5, *ad Monachos.*

FRANCISCUS TITELM. — 15. Ipsimet plerumque qui aliis insidias posuerant, incedunt in laqueum ipsum eumdem, quem aliis paraverant. In *Elucidat.*, super *Psalm.*, vers. 9, sect. 1.

GILLEBERT. ANGLUS. — 16. Hostis carne nostra, quasi castro utens, regiones spiritus de vicino infestat, et de contermino præsidio insidias machinatur. Serm. 16 super *Cant.*, apud S. Bernard., n. 2.

GLOSS. INT. — 17. Si diabolus aperte jam non est potens, per insidias mordet. Super *Job*, cap. XL.

S. GREGOR. MAGNUS. — 18. Fit plerumque ut nonnulli insidiis vacantes, alienæ vitæ perversitatis suæ laqueos tendant. Lib. 11 *Moral.*, cap. 7.

19. Hostis insidians, quo sanctos vigilantes minime superat, eo dormientes pravius impugnat. *Ibid.*, lib. 8, cap. 13,



20. Hostes callidi dum insidiantur, affligunt. *Ibid.*, lib. 6, cap. 19, super illud *Job* V : *Et bestiæ terræ*, etc.

21. Antiquus hostis quo valentius vincitur, eo adhuc ad insidias ardentius instigatur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 8.

22. Diabolus quanto majora in hominibus dona conspicit, tanto hæc auferre subtilioribus insidiis exquirit. *Prosec.*

23. Via est vita præsens, et tanto quisque necesse est, ut insidiantes spiritus caveat, quanto majora sunt dona quæ portat. Lib. 7. in *Registro*, indict. 2, cap. 126, epist. 126, *ad Recharedum regem Visigot.*

24. Dæmonum insidiæ nihil obsunt mortuis. Lib. 5, in I *Regum*, cap. 4, super illud *Matth.* V : *Euge serve bone*, etc.

25. Maligni spiritus omnibus nostris sensibus insidiantur. *Ibid.*, cap 4, super illud : *Pugnabat contra inimicos.*

26. Qui inter inimicos graditur, in medio laqueorum graditur; undique pericula, undique insidiæ. Super *septem Psalm. pœnit.*, in *Psalm.* VII, vers. 11.

27. Qui super rem sibi creditam vigilat, hostis insidias declinat. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 8, epist. 8, *ad Bonum abbat. monast. Lirinens.*

28. Malignus spiritus cogitationi, locutioni, atque operi nostro semper insidiis insistit : si fortasse quid inveniat, unde apud examen æterni judicis accusator existat. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 19.

29. Laboriosum est valde contra inimici insidias semper intendere, et continuo quasi in acie stare. *Ibid.*, cap. 20.

30. Considerare non desinas quantis insidiis sibi subdere electos diabolus parat. *Prosec.*

31. Si modum insidiarum cognoscis, hostem superare facilius valebis. Lib. 6, in I *Reg.*, cap. 1, super illud XV : *Audi vocem Domini*, etc.

32. Nisi Dominus misericors humanis viribus tentamenta modificet, nullus est qui malorum insidias evitare possit. Hab. apud D. Bonavent., sem. 3 *Dom. Passion.*

S. GREGOR. THAUMAT. — 33. Si quis alteri insidias, moliatur imprudens sibiipsi primo, et soli insidias struit. Super *Eccles.*, cap. X.

S. HIERON. — 34. Insidiatur hostis ut rapiat, et tu frondosæ arboris tectus umbraculo molles somnos futurus præda, carpis? Epist. 1, *ad Heliodor.*

35. Sæpe videmus sub honestæ rei occasione latere antiqui hostis insidias : et nusquam diabolum aperta fronte se prodere. Epist. 52, *de Vita Malchi.*

36. Vacuus viator et nudus, non timet latronis insidias. Epist. 1, *ad Demetriad.*

37. Dei auxilio destitutus, insidiis hostium patet. In *Regula monachor.*, cap. 27, *de Fide.*

38. Ipsos reprobos insidiæ, quas proximis parant, in perpetuum damnant. Lib. 3, super *Prov.*, cap. XXIX, super illud : *Involvet laqueus.*

S. HILARIUS — 39. Faciles securis excubiis insidiæ sunt. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Defecit in salutare tuum*, etc.

HUGO CARD. — 40. Recedentes a castris diaboli, quanto magis proficiunt, tanto amplius insidiantur eis dæmones, et per se et per suos. Super *Genes.*, cap. 26.

S. INNOC. III — 41. Oportet hominem semper esse paratum, et ubique munitum, ut possit insidias malignantium præcavere. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 15.

S. JOANNES CHRYSOST. — 42. Quemadmodum qui alium lædit, non læditur, sed læditur : ita qui proximo insidiatur, seipsum primum interimit. Serm. 14, super *Epist. ad Philip.*

43. Quid fratrum insidiis periculosius? Homil. 28, super *Epist. ad Hebr.*

JOAN. TRITH. — 44. Facile quis insidias, quas novit, declinat : sed dolosum absconditum, quis evadere potest? In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Solent.*

S. ISIDORUS HISPAL. — 45. Dei servus semper fallentis diaboli prævidere debet insidias, ne pereat? Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 22, sent. 9.

46. Magis insidiis nostrorum, quam aliorum periclitamur. *Ibid.*, cap. 26, sent. 3.

S. LAURENT. JUSTIN. — 47. Mundus hic insidiis plenus est, nullum locum, nullum tempus invenies, in quo valeas esse securus. *De Discipl. monast. conversat.*, cap. 14.

S. LEO I. — 48. Malignorum spirituum adversus sanctos insidiæ non quiescunt. Serm. 19, *de Passione.*

49. Plus periculi est in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto. Serm. 9 *Quadrag.*

50. Insidiæ sunt in divitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis : illæ elevant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. *Ibid.*, serm. 11.

S. THOMAS AQUINAS. — 51. Insidiæ ordinantur ad fallendum hostes, quod sit ex facto, vel dicto. 1. 2, quæst. 40, art. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. — 52. Non sunt occultiores insidiæ, quam eæ quæ latent simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Orat. 6, *in Verrem*, lib. 1, art. 2.

53. Vigilandum est semper multæ : sunt insidiæ bonis. Orat. 31, *pro Plancio.*

SENECA. — 54. Magis nocent insidiæ, quæ latent. Lib. 1 *Controv.*

Vide etiam tit. *Discipulus*, sent. 62; *Laqueus*, sent. 43, 46; *Tentatio*, sent. 17; *Via*, sent. 36, 37.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## INSTABILITAS.

JOAN. GERS. *Definitio.* Instabilitas est vitium, quo quis in eodem statu nescit permanere, sed variabilis est. Part. 4, *in Descript. terminor.*, verbo *Fortitudo.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nihil longævum, nihil stabile in hac terra : et quod est diu, breve est, et magis lubricum. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellensem eccles.*

2. Proclivis et mutabilis in utrumque est humana conditio, ut quocumque intenderit, eo propendeat et vergat, vel ad studia virtutum, vel ad illecebram delictorum. Super *Psalm.* XLVII.

S. ANTONIN. 3. Quanto quis major est in bonis exterioribus, tanto est instabilior, nisi sustineatur. Part. 2, tit. 8, cap. 5, § 3.

4. Instabilitas mundi : prosperis succedunt adversa ; gloriosa juventus senectute frangitur ; ægritudine robustum corpus conteritur ; divitias paupertas fugat ; post gloriam et magnificentiam, adversantium rerum impetus surgunt ; delicias flagella repellunt : singula gaudia tristitiis permixta sunt. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 2.

S. ASTERIUS. 5. Facillime res fluxæ hujus vitæ mutantur, et qui hodie clarus et illustris, cras miseratione et ope dignus. *Prosec.*

6. Qui in præsentia locuples, ac divitiis affluens, paulo post egere, vixque domi panem ad victum habere deprehenditur. Homil. *de Œconomo iniquitatis.*

S. AUGUST. 7. Non est finis miseriæ, quandiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. Epist. 56, *ad Dioscor.*

8. Quam instabile et transitorium est, quidquid hujus mundi amor parturit ! *De Spiritu et anima*, cap. 49.

9. Nihil est stabile quod infidum est. *De Amicitia*, cap. 24.

S. BASILIUS MAGNUS. 10. Nihil in rebus humanis certum ac firmum est, nec ad extremum usque dominos comitatur. Epist. 42, *ad Maxim. philosoph.*

11. Homines similes sunt nubeculis, pro ventorum immutatione ad aliam atque aliam aeris partem jactatis. Epist. 82, *ad Patrophil. episc.*

12. Quorum mens ad mutationem propensa est, non est dissentaneum, quin quorum quoque vita non sit ordinata. Apud D. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 1.

13. Nihil in rebus humanis firmum ac stabile est : verum alia quidem ex nihilo ad perfectam magnitudinem progrediuntur, alia autem ad vigorem suum perducta atque in summam magnitudinem evecta, tacitis rursum decrementis tabescunt ac dissolvuntur. Apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parral.*, cap. 10.

S. BERNARD. 14. Mens instabilis et inquieta, dum semper nititur apprehendere quod appetit, desideriis suis circumagitata, nunquam requiescit. *De Inter domo*, cap. 65.

15. Cor vanum, vagum et instabile, dum suo ducitur arbitrio, et divino caret consilio, in seipso non potest consistere, sed omni mobili mobilius per infinita distrahitur, et huc atque illuc per innumera discurrit. *Prosec.*

16. Sibi non concordat, a se dissonat, a se resilit, voluntates alternat, consilia mutat, ædificat nova, destruit vetera, destructa reædificat, eadem iterum atque iterum mutat et ordinat, quia vult, et non vult.

17. Sicut molendinum velociter volvitur et nihil respuit, sed quidquid imponitur molit, si autem nihil apponitur, seipsum consumit, et sic semper est in motu, et nunquam requiescit. Lib. *Medit.* cap., 9.

S. BONAV. 18. In rebus mundi nihil est stabile : imo cras ad te veniet, quod hodie meum est. Serm. 2, *de Inventione S. Crucis.*

S. CYPRIAN. 19. Caduca sunt quæcunque fucata sunt ; nec fiduciam præbent possidentibus stabilem, quæ possessionis non habent veritatem. Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 10.

EVAGRIUS. 20. Planta quæ assidue transfertur, fructum nunquam edet. Habetur apud D. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 1.

FRANCIS. TITELM. 21. Omnis homo in hac vita, præ omnibus creaturis, maxime mutabilitati et instabilitati subjectus est. *In Elucid. Super Psalm.* XXXVIII, vers. 8.

GLOSS. ORD. 22. Omnia orta occidunt, aucta senescunt, infirmantur fortia, magna minuuntur, Super *Ecclesiastic.*, cap. VII.

S. GREGOR. MAGNUS. 23 Nemo potest immobilis stare, qui mobilia diligit. Lib. 8 *Moral.*, *cap.* 24.

24. Vita temporalis est instabilitate fluitans, in nocte dies optatur, in die nox quæritur, in algore calor, in æstu refrigerium, ante cibum suspiria, post cibum tribulatio. Super *Septem Psalm. pœnit.*, *in Psalm.* IX.

S. GREGOR. NAZ. 25. Nihil in rebus humanis stabile est natura, nihil plenum, nihil satis, nil quod in eisdem subsistat. Orat. 17, *de Paupertate.*

26. Præsentia fluxa sunt, instabilia ac temporanea, et tanquam in calculorum ludo, aliter trajiciuntur et transponuntur. *Ibid.*

27. Humana omnia multum falsi, ac instabilitatis habent. Orat. 25.

S. GREGOR. NYSS. 28. Natura nihil est in rebus humanis firmum et æquabile ac durabile, atque eodem statu manens ; verum omnia velut orbe quodam volvuntur. *De Pauper. amandis*, et hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 10.



S. GREGOR. THAUMAT. 29. Res humanæ nunc bello affictantur, nunc tranquillæ et pacatæ sunt : tantaque est earum inconstantia, ut quæ modo secundæ esse videntur, celeri momento in certissima mala dilabantur. Super *Eccles.*, cap. III.

S. HIERON. 30. Quid in hoc mundo stabile ? quid vero firmum est ? quid porro non breve, et incertum, et casui non serviens ? Epist. 1, *ad Demetriadem.*

HUGO A S. VICTORE. 31. Animus instabilis est, deficit et proficit, novit, ignorat, meminit, obliviscitur, modo vult, modo non vult. Lib. 2, *de Anima*, cap. 1.

HUGO CARD. 32. Totus orbis terræ est quasi quidam ludus pilæ, qui modo ab illo tenetur, modo ad illum projicitur : et aliquando in partes dividitur, et ille unam partem habet et alius aliam. Super *Prov.*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 33. Omnia humana et carnalia, deliciæ, vana gloria, potentia, divitiæ, prosperitas, priusquam advenerint, avolant, nihil firmum habentia, nihil stabile nihil fixum. Homil. 1, super Gen.

34. Homo hodie dives est, cras pauper : hodie sanus, cras ægrotus : hodie gaudet, cras dolet : hodie in gloria, cras in ignominia : hodie juvenis, cras senex. Homil. 4, *de Verb. Isaiæ.*

35. Res est subito inclinans, et omnigenis casibus quam maxime obnoxia, hominum natura. *Prosec.*

36. Ad senectam juventus festinat, dilabitur gratia in deformitatem, ad imbecillitatem robur decrescit, sanitas in languorem deficit, in contemptum gloria, divitiæ in penuriam, onor in despectum abit. Homil. 30, super I *Cor.*

37. In omnibus rebus instabilitas signatur : nunquam hiems perstat, nunquam ætas figitur, fugit verna temperies, autumnusque dilabitur, omnia currunt, labuntur ac defluunt. Homil. 15, super I *Timot.*

38. Præsentia cuncta variantur, et mutationi obnoxia sunt, omnia migrant atque dilabuntur. *Ibid.*, homil. 18.

39. Nihil in rebus humanis stabile, nihil inconcussum : sed hominum vita imitatur mare vesaniens, quotidie parturiens naufragia. Homil. *de Avaritia.*

S. JOAN. CLIM. 40. Est proprium mentis instabilitas, Dei vero sistere. Gradu 28.

S. JOANNES DAMASC. 41. Res hujusce vitæ, fluxæ et caducæ sunt : ac velut in calculorum ludo, nunc ad hos, nunc ad illos vicissim volvuntur. Lib. 1 *Parall.*, cap. 10.

42. Nihil æquale habet vita præter inæqualitatem : omnia enim facile commeant ac recedunt et immutantur : adeo ut certius in ventis et litteris in aqua scriptis, fiducia collocari possit, quam in hominum felicitate. *Ibid.*

43. Hæc ærumnosa vita, sursum deorsum fertur ; ac ne unum quidem diem quidquam firmi habet. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 44. Transeunt omnia sæculi hujus, nec permanent : quia omne quod venit, stare non potest. *Prosec.*

45. Nihil est diu, nihil tam longum, quod non in brevi finiatur. Lib. 1, *de Synonym.*

PETRUS BLESENS. 46. Status animi tui sicut auræ incertitudo est, sicut æstus maris, fumusque pertransiens. Epist. 86, *ad Alexandr. Carthus.*

47. Prosperitati annexa est tribulatio, stabilitatem variat mutabilitas, illudit felicitati adversitas, gaudium doloris aculeus vulnerat. *Ibid.*, epist. 166, *ad Reginam quamdam.*

48. Nihil potest consistere solidum, cujus est sub motu perpetuo fundamentum. *Ibid.*, epist. 177, *ad Reginam quamdam.*

S. PET. MAURIT. ABBAS CLUN. 49. Homo semper est instabilis, etiam in statu : ignorans quandiu quolibet in loco mansurus, quando vel quo inde sit recessurus. Lib. 6, epist. 30, *ad Nicolaum.*

PHILO JUD. 50. Una dies alium de fastigio detrahit, alium tollit in altum : cum nihil in eodem statu apud nos perpetuo maneat, sed cuncta variis omnifariisque mutentur vicissitudinibus. *Prosec.*

51. Annon ex plebeiis principes, plebeii fiunt ex principibus, pauperes e divitibus, e pauperibus locupletissimi, honorari ex contemptis, ex obscuris clarissimi ?

52. Hæc est via rerum humanarum acclivis declivisque, incertis obnoxia casibus, quorum instabilitatem ipsum tempus veritatis amicissimum non obscuris argumentis indicat. *De somniis.*

53. Humanæ res omnes nunquam in eodem statu manent. *Ibid.*

54. Nihil humanum vere stat. *Ibid.*

55. Nihil est in humanis rebus ac negotiis præter umbram auramque levissimam, sine mora prætervolantem. Lib. *Quod Deus sit immutabilis.*

PRUDENT. POETA. 56. Aurum, voluptas, gaudium,
Opes, honores, prospera,
Quæcunque nos inflant mala,
Fit mane, nil sunt omnia.

In *Cathemerino, de Hymno ad Galli cantum.*

S. THEODOR. 57. Nihil stabile in humanis rebus est ; verum vapori simile est sursum sublato, et actutum dissipato. Super *Psalm.* LXI, vers. 9.

58. Nihil firmum et constans humana natura habet, sed inter aranearum tela facile convellitur, Super *Psalm.* LXXXIX, vers. 10.

59. Nihil firmum, nihil stabile, nihil constans,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nihil perpetuum, ac vere existens habent ea, quæ jucunda videntur in hac vita. *Prosec.*

60. Non divitiæ, non gloria, non imperium, non corporis valetudo, non forma, non denique aliud quidquam; sed instabilia et inania sunt, et tanquam umbræ dissolvuntur. Lib. 2, super *Cant.* in illud : *Donec aspiret dies*, etc.

S. THOMAS AQUINAS. 61. Instabilitas ad exteriorum sensuum et membrorum, mutabilitatem indicat affectionum, et interiorum. *De divinis moribus*, cap. *Deus immutabilis.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 62. Vide quam sit varia vitæ commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna : quantæ infidelitates in amicitiis, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates. Orat. 38, *pro Milone.*

63. Nihil semper floret, ætas succ... ætati. Orat. 53, *Philipp.* 11.

SENECA. 64. Omnis instabilis, et incerta felicitas est. Lib. 1, *Controv.*, controvers. 1.

65. Nunquam id certum et stabile est, cujus in motu natura est. *De Vita beata*, cap. 7.

66. Quid tam volubile est, quam fortuitorum expectatio, et corporis, rerumque corpus afficientium varietas? *Ibid.*, cap. 15.

67. Omne quod fortuito evenit, instabile est : et quo altius surrexit, vergit pronius in occasum. *De Brevit. vitæ*, cap. 17.

68. Nihil in te per totum diem quidem certi est. In Lib. *de Consolat.*, *ad Polybium*, cap. 29.

69. Nihil non lubricum et fallax, et omni tempestate mobilius : jactantur cuncta et in contrarium transeunt, et in tanta volutatione rerum humanarum, nihil quidquam, nisi mors, certum. Epist. 99.

70. Maximum indicium est malæ mentis, instabilitatis fluctuatio. Epist. 120.

TRISMEGIS. 71. Nihil stabile, nihil fixum, nihil immobile, nec nascentium, nec cœlestium, nec terrenorum. *De Volunt. divina*, cui titulus. *Asclepius*, cap. 11.

VALERIUS MAXIMUS. 72. Bona (quæ opes humanæ vocantur) affluunt subito, repente dilabuntur : nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt : itaque neque debent æstimari, neque dici bona. Lib. 6. *dictor. memorabil.* cap. II.

## INTELLECTUS.

S. BONAV. *Etymologia.* Intellectus dicitur quasi interior lectus, quia animam informat, animam tranquillat et quietat, sicut corpus in lecto pausat. Tit. 6, *Diætæ*, cap. 3.

S. ANTONIN. Intellectus est rerum in se vere existentium perceptio. *De Spiritu et Animo*, cap. 38.

S. BERNARD. Intellectus est rei cujuscunque invisibilis, certa et manifestata notitia. Lib. 5, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

DIONYSIUS CARTHUS. *Definitio.* Intellectus est donum Spiritus sancti, per quod anima ea quæ fidei sunt penetrat, clare cognoscit, et firmiter eis inhæret. Super *Epist. ad Coloss.* cap. 1, art. 1.

S. THOMAS AQUINAS. Intelligere est cum quadam approbatione adjudicatis inhærere. Part. 1, *Summæ*, quæst. 79, art. 9.

Intellectus (ut est donum Spiritus sancti) est quædam acuta perspectio divinorum. 2, 2, quæst. 49, art. 2.

ARISTOTEL. Intellectus est lumen, quo Deus infundit animæ. 3, *Rhetor.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Intellectus noster pretiosus thesaurus est : si terrenus intellectus fuerit, si fragilis, hæretica cum tinea, et impietatis ærugo consumet. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 12.

S. ANTONIN. 2. Sicut instrumenta artis cum non exercentur, diu hebetantur, et rubiginem contrahentia destruuntur : ita et intellectus hebetatur, si torpescat desidia. Part. 1, tit. 3, cap. 4, § 2.

3. Abstinentia intellectum acuit. Part. 4, tit. 4, *de Temperant.*, cap. 4, § 1.

4. Sicut per luxuriam absorbetur intellectus, et per gulam hebetatur, et per rixam offuscatur : ita per castitatem supra se elevatur, per abstinentiam acuitur, et per patientiam quietatur. Part. 4, tit. 10, cap. 5, § 2.

S. ANTONIUS ABBAS. 5. Intellectum nobis tribuit Deus, ut ejus cognita voluntate, quod bonum est, operemur. Serm. *de Vanitate mundi.*

S. AUGUST. 6. Nemo recte intelligit, nisi acceperit spiritum intellectus. Epist. 105, *ad Sixtum.*

7. In homine nihil potest esse præstantius intelligentia, nec quisquam qui non intelligit, discit; et omnis qui discit, intelligit; et omnis qui intelligit, benefacit. Lib. 1, *de Lib. arbit.*, cap. 1.

8. Intellectus congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit quod corporeus oculus non vidit. *De serm. Dom. in monte*, lib. 1.

9. Intelligere magna et honesta, vel etiam divina, beatissimum est. *Prosec.*

10. Intelligere autem superflua, nihil nocet, sed fortasse discere nocet, cum tempus necessariorum occupatur.

11. Non intelligere vero noxia, sed facere ut pati miserum est. *De utilit. credendi*, cap. 11.

12. Quod intelligimus, debemus rationi; quod



credimus, auctoritati : quod opinamur, errori. *De utilit. credendi*, cap. 11.

13. Intellectus spiritualis, credentem salvum facit, et ubi non intelligitur, tenebræ ignorantiæ sunt. Super *Psalm.* XXXIII, concion. 1.

14. Prævolat intellectus, et tarde sequitur, et aliquando non sequitur humanus atque infirmus affectus. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 8.

15. Animam habere et intellectum non habere, hoc est, non secundum eum vivere, bestialis est vita : est enim in nobis quiddam bestiale, quo in carne vivimus, sed intellectu regendum est. *Prosec.*

16. Motus animæ secundum carnem, se moventis, et in delicias carnales immoderate diffluere cupientis, regit intellectus.

17. Cum autem ordinata vita est, intellectus animam regit, ad ipsam animam pertinens : non enim aliquid aliud est quam anima, sed aliquid animæ est intellectus. Tract. 15, super *Evang. Joan.*

18. Intellectus merces est fidei; ergo noli quærere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas. *Ibid.*, tract. 29, cap. VII.

19. Quæcunque intelligimus, intellectu intelligimus, et ipsum intellectum, unde nisi intellectu non intelligimus. *Ibid.*, tract. 47, cap. X.

20. Fides meritum est, intellectus præmium. *Ibid.*, tract. 48, cap. X.

21. Intellectus purus et simplex, incedens rapido volatu, ad ipsum pervenit Conditorem angelorum, et animarum, et omnium rerum. In *Medit.*, cap. 27.

22. Non potest dici solus intellectus, nisi operante memoria, voluntate et intellectu. *De Verbis Dom.* serm. 63.

23. Omnis anima nullo corporis sensu, sed solo intellectu percipi potest. *De duab. animab.* cap. 2.

24. Intellectu colligimus, ad quæ sensus nostri penetrare non possunt. *De decem Categor.* cap. 5.

25. Sensu corporis quæcunque attingimus, forinsecus nobis offeruntur : quod autem intellectu capitur, intus apud animum est. *De utilit. cred.*, cap. 13.

26. Intellectui fides aditum aperit, infidelitas claudit. Epist. 3.

27. Quandiu parvus et infirmus est intellectus hominis, divinæ debet credere veritati. Epist. 46, quæst. 2.

28. Nihil salubrius fides credit, quia nihil verius intellectus invenit. Epist. 105.

29. Ora fortiter, ut det tibi Deus intellectum. Epist. 222.

30. Apud Deum purus intellectus est, sine strepitu et diversitate linguarum. Lib. 1, *de Genesi contra Manich.* cap. 9.

31 Non distas a pecore, nisi intellectu. Tract. 3, super *Joan.*

32. Intellectus animam regit. *Ibid.*, tract. 15.

33. Aliquando sermo deficit, ubi etiam intellectus proficit. *Ibid.*, tract. 19.

34 Gradus pietatis est fides, fidei fructus intellectus. *Ibid.*, tract. 22.

35. Oculus carnis alia videt, se non potest, intellectus autem et alia intelligit, et seipsum. *Ibid.*, tract. 47.

36. Justitia ad fidem, ad sapientiam vero intelligentia pertinet. Lib. 22, *contra Faust.*, cap. 53.

37. Erroris præoccupatio impedit veritatis intelligentiam. Lib. 2, *de Nuptiis*, cap. 23.

38. Verius sunt quæ intelliguntur, quam ea quæ sentiuntur. *De duabus animab.*, cap. 2.

39. Omnis qui discit, intelligit, et omnis qui intelligit, bene facit. Lib. 1, *de Lib. arb.*, cap. 1.

40. Lætetur qui intelligit, patienter ferat qui non intelligit : quod non intelligit ferat, et ut intelligat differat. Homil. 32, ex Quinq. Homil., cap. 6.

41. Intelligebas heri modicum, intelligis hodie amplius, intelliges cras multo amplius. Tract. 15, super *Joan.*

42. Noli quærere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas. *Ibid.*, tract. 29.

43. Qui male intelligit, non intelligit. *Ibid.*, tract. 97.

44. Quod intelligo, id etiam credo : at non omne quod credo, etiam intelligo; omne autem quod intelligo, scio, non omne quod credo. *De Magistro*, cap. 2.

45. Quidquid intelligibile non est, intelligi non potest. Epist. 208.

V. BEDA. 46. Bonum intellectum habet, qui quod recte intelligit, facit. In suis *Proverb.*, verbo *Bonum.*

S. BERNARD. 47. Duo sunt, quæ in nobis purganda sunt, intellectus et affectus : intellectus ut noverit, affectus ut velit. Serm. 3, *Ascens.*

48. Affectu intellectui, et intellectu affectui repugnante, vita infernalis est. Serm. 6, *de Ascens.*

49. Animæ nostræ oculus, intelligentia est. Serm. 5, *Assumpt. B. M.*

50. Intellectus est fructus fidei. Epist. 18, *ad Petrum Cardinal.*

51. Intellectus rationi innititur. Lib. 5, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

52. Intellectus si signala fidei tentet irrumpere reputatur effractor et scrutator majestatis. *Ibid.*

53. Verus intellectus certam habet non modo veritatem, sed et notitiam veritatis. *Ibid.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

S. BONAV. **54.** Intellectus humanus sine radio fidei, circa divina est quasi cæcus. *De Itiner. æternit.* itin. 6, dist. 5.

S. GREGOR. MAGNUS. 55. Neque hoc est sapere, quod intelligere : quia multi æterna quidem sapiunt, sed hæc intelligere nequaquam possunt. Lib. 1 *Moral.*, cap. 16.

56. Intellectus in eo quod audita penetrat, tenebras mentis illustrat. *Ibid.*

57. Lumen intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit. *Ibid.*, lib. 25, cap. 11.

58. Intellectus cum intendit, ejus in Deum ardentior affectus aperitur. *Ibid.*, lib. 20, cap. 22.

59. Donum intellectus quod accipitur, cum tot difficultatibus vix custoditur, curandum est, ne otio torpeat, et ne in exercitatione operis vitio elationis evanescat. *Ibid.*, lib. 22, cap. 3.

60. Minus est recte intelligere, nisi studeat quis recte intellecta morum honestate complere. In *Septem. Psalm. pœnit.*, super *Psalm.* vers. 10.

61. Habens intellectum, curet omnino ne taceat. Homil. 9, super *Evang.*

S. HIERON. 62. Infinitæ stultitiæ est, non intellecta de magis non intellectis velle firmare. Super I, *ad Tim.* cap. 1, in illud : *Quidam aberrantes*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 63. Magistra intelligendi, experientia est. Lib. 7, super cap. 7, *Cœlestis hierach.*

64. Cavendum est, ne intellectus nimis alta sapiat, ne levitate subtilitatis a veritate discedat. *De animæ medicina*, cap. 2.

HUGO CARD. 65. Intellectus noster est sponsus summæ veritatis, ex quorum conjunctione generatur nobilis proles bonarum cogitationum. Super *Prov.*, cap. 2.

S. LEO I. 66. Quid laborat intellectus, ubi est magister aspectus ? Epist. 72, *ad Juvenal. episc. hierosol.*

PETR. CELL. 67. Nihil charius intellectu ; sed si depravatus fuerit in homine, quid perniciosius? *De Panibus*, cap. 14.

PHILO JUD. 68. Intellectus est corporeæ regionis rex. *De Agricult.*

69. Semper intellectus dux est sensui, sicut intelligibile sensibili. Lib. *Quod mundus sit incorruptib.*

70. Intellectus purus inculpatusque, purificatus perfectis virtutibus, ipsa est tota Deo grata et sanctissima hostia. Lib. 1, *de Victimis.*

S. PROSPER. 71. Bonum intellectum habet, qui quod faciendum est, recte intelligit et facit. sent. 13.

S. REMIGIUS 72. Quanto intellectus in affectum operis vertitur, tanto amplius innovatur. Super *Epist. ad Rom.* cap. 12, can. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 73. Ipse intellectus non subsistit in essentia sua, sed indiget robore, lumineque sursum immisso ad consistentiam promotionemque. Lib. 7, *Theolog.*, cap. 6.

74. Intellectio ita se habet intellectui, ut diuturna intellectum firmet deputetque, quatenus est intellectus. *Ibid.*, lib. 11, cap. 2.

SIXTUS PHILOSOPH. 75. Intellectum non prius habebis, quam intellexeris te habere. Sent. 323.

Vide etiam tit. *Fides*, sent. 34 ; *Immunditia*, sent. 8 ; *Ratio*, sent. 96 ; *Sapientia*, sent. 71.

## INTENTIO.

COLLECTOR. *Etymologia.* Intentio dicitur, quasi interior actio.

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio.* Intentio est motus quidam voluntatis in finem ultimum, secundum quod ordinatur in ipsum finis proximus. Super 2, *Sent.*, dist. 39, art. 4.

S. NILUS. *Comparatio.* Sicut sensus visus cæteris sensibus præstat, sic intentio omnibus virtutibus divinior est. *De Orat.*, cap. 144.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Penes mentis intentionem summa potestas est, membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi. Lib. 12, *de Trinit.*, cap. 12.

2. Ad divina enodatius explicanda, limatior accedat intentio. *Ibid.*, lib. 18, cap. 1.

3. Sæpe se aliter habet species facti, et aliter animus facientis. Lib. 3 *Confess.*, cap. 9.

4. Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Super *Psalm.* XXXI.

5. Tunc est vere opus bonum, cum a charitate jaculatur agentis intentio, et tanquam ad locum suum rediens, rursus in charitate requiescit. *De Catechiz. rud.*, cap. 11.

6. Diversa intentio, diversa facta facit. Tract. 7, super *Epist. Joan.*

7. Interest plurimum qua causa, quo fine, qua intentione aliquid fiat. *Contra Mendac.*, cap. 7.

S. BERNARD. 8. Cogitatio in memoria est, affectio in voluntate, intentio in ratione consistit. Serm. *de Triplici judicio.*

9. Facies animæ intentio est. Serm. 4, super *Cant.*

10. Duo ad intentionem necessaria requiruntur : res et causa, id est, quid intendas et propter quid : et ex his sane duobus, animæ vel decor, vel deformitas judicatur. *Ibid.*

11. Intendere non in Deum, sed in sæculum, sæcularis animæ est. *Prosec.*

12. Intendere quasi in Deum, sed non propter Deum, hypocritæ plane animæ est.

13. Intendere in alium, quam in Deum, tamen



propter Deum, non otium Mariæ, sed Marthæ negotium est. *Ibid.*, serm. 40.

14. Bonum prorsus condemnat intentio prava, et malum non penitus excusat intentio recta. *De præcepto et dispens.*

15. Magnam injuriam Deo facio, cum illum precor ut meam precem exaudiat, quam ego, qui fundo, non audio. *Prosec.*

16. Deprecor Deum ut mihi in precibus intendat, ego vero nec mihi nec illi intendo. Lib. *Medit.*

S. GREGOR. MAGNUS. 17. Bona intentio pura est, quam vividam reddit, et velut animatam, fervida et dulcis affectio. Serm. 29, super *Cant.*, apud S. Bernard. num. 3.

GLOSS. INT. 18. Si bona intentio non sit et bonum opus quod videtur, perit. Super *Job*, cap. XV.

GLOSS. ORD. 19. Quanto magis intentio cordis in rebus figitur terrenis, tanto ab interno lumine et pinguedine gratiæ marcescit. Super *Thren.*, cap. IV.

20. Si pura intentione, quæ potes bona agis, opera sunt lucis, etiamsi non ita ab hominibus videatur. *Prosec.*

21. Si autem perversa intentio est, pravum quidquid agitatur, etsi videatur rectum. Super *Matth.*, cap VI, in illud : *Si fuerit oculus tuus simplex*, etc.

22. Si intentio non est ex fide, totus homo interior tenebrosus est. *Ibid.*

23. Fructus bonos, non nisi bona voluntas parturit : sic malos, mala intentio nutrit. Super *Matth.*, cap. VII, in illud ; *Non potest arbor bona*, etc.

24. Nemo de mala intentione fructum bonum percipit : nec de bona, nisi bonum metit. *Ibid.*, etc.

GLOSS. INT. 25. Tantum boni quis facit, quantum intendit : tantum quoque mali, quantum intendit. *Ibid.*, cap. 12.

S. GREGOR. MAGNUS. 26. Intentio priusquam in actione se exerceat, hoc jam quod appetit, contemplatur. Lib. 28 *Moral.*, cap. 6.

27. Sicut lucerna corporis est oculus carnalis, lucens toti corpori : ita per radium intentionis illustrantur merita actionis. *Ibid.*

28. Unaquæque actio intentionem suam, quasi intuentem sequitur. *Ibid.*

29. Sæpe intentionem nostram, dum ante Dei oculos recte incipitur : occulte sibi subjuncta, et eam velut in itinere comprehendens, intentio humanæ laudis assequitur. *Ibid.*, lib. 35, cap. 16.

30. Rectam intentionem, qua soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. *Ibid.*.

31. Cum mentis intentio ad alta se sublevat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. *Ibid.*, lib. 8, cap. 14.

32. Vigilanti cura per cuncta opera intentio pensanda est, ut nihil temporale in his quæ agit, appetat, totam se in soliditate æternitatis figat. *Ibid.*, lib. 20, cap. 6.

33. Intentioni animæ si exterior evagatio clauditur interior secessus aperitur. *Ibid.*, lib. 30, cap. 9.

HESYCHIUS. 34. Quanto diligentius observamus animum, tanto magis illustramur : et quanto minus attendimus, tanto majoribus obruimur tenebris. Centuria 2, sent. 25.

S. HIERON. 35. Omnis intentio tua debet esse in custodia. Epist. 1, *ad Demetriad.*

HUGO A S. VICTORE. 36. Oculus actionum, intentio est. Super *Psalm.* XXIV, cap. 33.

37. Sine periculo via actionum curritur, cum intentio animi charitate duce gubernatur. *Ibid.*

38. Bona intentio est, quæ simplex est et recta : simplex sine malitia, recta sine ignorantia. *De Art. Meditandi.*

JOAN. TRITH. 39. Quidquid intentione vana incipitur, bono fine raro consummatur. Orat. 5, *in conventu Abbat. habita.*

S. ISIDORUS HISPAL. 40. Bona est intentio, quæ propter Deum est : mala vero, quæ pro terreno lucro, aut vana gloria est. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 27, sent. 5.

PETRUS BLESENS. 41. Sicut corporum non simulat, ita pura intentio non errat ; ubi autem non est error, aut simulatio, seu fictio, ibi est pura et simplex intentio. *De charit.*, cap. 2.

S. PETRUS CHRYSOL. 42. Ille attendit sibi, qui non alienis actibus importunis, impudens curiosus intendit. Serm. 139.

S. THOMAS AQUINAS. 43. Bona intentio non sufficit, imo oportet quod adsit bona voluntas, quæ per animam significatur. Tunc adest bona voluntas intentioni, quando ipsa voluntas voluntati divinæ concordat. Opusc. 9, *de Decem præceptis*, verbo *Jam.*

THOMAS A KEMPIS. 44. Hoc opus est perfecti viri, nunquam ab intentione cœlestium animum laxare, et inter multas curas quasi sine cura transire. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 26.

45. In omni cogitatione, locutione, et operatione tua, habeas semper rectam et puram intentionem. *In Valle Lilior.*, cap. 33.

IN VITIS PATR. 46. Difficile est ut cum duritia et austeritate ab intentione mala aliquis revocetur; sed magis benignitate revocabitur. Lib. 5., libell. 5, num. 28.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SIXTUS PHILOSOPH. **47. Corpus quidem tuum incedat in terra, anima autem semper sit apud Deum.** Sent. 48.

48. Consuesce teipsum semper respicere ad Deum. *Ibid.*, sent. 425.

Vide etiam tit. *Actio*, sent. 75; *Devotio*, sent. 29; *Evagatio mentis*, sent. 23, 38; *Finis*, sent. 20, 21; *Misericordia*, sent. 97.

## INTERCESSIO.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quo major est, eo majora sunt quærenda suffragia. Lib. 1, *de Pœnit.*, cap. 8.

2. Sanctorum quo majora merita, eo tutiora sunt patrocinia. Lib. 10, Epist. 85, *ad Sororem suam.*

3. Licet universi Sancti omnibus suis intercessionibus prosint, specialiter illi tamen pro nobis interveniunt, qui et supplicia pertulere pro nobis. Serm. 77.

4. Apud domesticos Dei tantum intercessionis promerueris quantum venerationis impenderis. Serm. 93.

5. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis : invocasti ; ubique te exaudit ille, qui honoratur in Martyre. *Ibid.*

6. Magnus Dominus, qui aliorum merito, ignoscit aliis : et dum alios probat, aliis relaxat errata. *Prosec.*

7. Cur apud te homo collega non valeat, cum apud Deum servus, et interveniendi meritum, et jus habeat impetrandi?

8. Disce qui judicas ignoscere, disce qui æger es impetrare : si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam, quæ pro te precetur, cujus contemplatione, quod tibi Dominus negare posset, ignoscit. Lib. 5, super *Luc.*, cap. 5, in illud : *Quorum fidem ut vidit*, etc.

9. Multi minimi dum congregantur unanimes, fiunt magni : et multorum preces impossibile est ut non impetrent. Super *Epist. ad Rom.*, cap. xv.

10. Si pro te roges tantum, pro te solus rogabis : si pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt. Lib. 1, *de Cain et Abel*, cap. 9.

S. AUGUST. 11. De quocunque pessimo in hac vita constituto non est desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. Lib. *Retract.*, cap. 19.

12. A familia Christi oratum est pro Petro, oratum est pro Paulo; et nos in ejus familia esse gaudemus, et incomparabiliter plusquam Petrus et Paulus orationum fraternarum auxiliis indigemus. Ep. 121. *ad Probam*, cap. 16.

13. Sum verecundior cum pro aliis intercedo, cum vero pro teipso, tanto liberior, quanto amicior; quia tanto amicior, quanto fidelior. Epist. 52, *ad Macedonium.*

14. Officium Sacerdotii est, intervenire pro reis. Epist. 54 *ad Macedonium.*

15. Ideo compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut ea finita non possint finire supplicium. *Ibid.*

16. Tanto sunt intercedentium, et parcentium beneficia gratiora, quanto peccantium justiora supplicia. *Ibid.*

17. Hoc Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium. In *Enchirid.* cap. 103.

18. Sancti nobis favent et nos adjuvant. *De Civit Dei*, lib. 10, cap. 25.

S. BERNARD. 19. Non sane parum fructuosa invenitur memoria Sanctorum, cum eorum intercessione juvatur infirmitas nostra. Serm. 2, *de Omnibus Sanctis.*

20. Sanctus, qui potens in terra fuit, potentior est in cœlis : si dum hic viveret, misertus est peccatoribus et oravit pro eis; nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem. *Prosec.*

21. Beata enim illa patria charitatem Sanctorum non imminuit, sed augmentat.

S. BRUNO 22. Neque quia sanctus impassibilis omnino, ideo et incompassibilis factus est : sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit. Serm. 155, *Vigil. sanct. Petri et Pauli.*

23. Habet usus vivorum fidelium, ut Sanctos qui jam ab hac vita decesserunt, pro se Dominum orare rogent. Super *Psalm.* 134.

CASSIODOR. 24. Irrita pro se reddit vota supplicantium, quisquis non reliquerit consortia peccatorum. Super *Psalm.* iv.

25. Plus valet unus Sanctus orando, quam innumeri peccatores prœliando. Super *Num.*, cap. xxxi.

GLOSS. ORD. 26. Qui mundi voluptate superatur, Sanctorum suffragiis et fraternis orationibus indiget. Super I, *Reg.*, cap. 3.

27. Tempestivis intercessionibus, non solum cedere nos, sed etiam delectari oportet. *Ibid.*, cap. 25.

GLOSS. INT. 28. Frustra quis pro illo orat, qui fratri debitam charitatem negat. Super *Ecclesiastic.*, cap. 28, in illud : *Quis exorabit?* etc.

S. GREGOR. MAGNUS. 29. Quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex ipsa charitate suffragatur. Lib. 35 *Moral.*, cap. 8, super illud *Job* 42 : *Suscepit Dominus faciem Job.*

30. Si homo apud hominem de quo minime



præsumit, fieri intercessor erubescit : qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ merita nescit? In *Pastor.*, part. 1, cap. 2.

31. Ne is, quem crimen depravat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum. *Ibid.*

32. Cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. *Ibid.*

33. Ante probandus est, qui populi intercessor assumitur. Lib. 7, ex *Registro*, indict. 2, epist. 110, *ad Syagrium*, cap. 110.

34. Tanto pœnitens pro semetipso exaudiri meretur, quanto devote pro aliis intercedit. Lib. 35 *Moral.*, cap. 7.

35. Qui indignum Deo se fecit, dignum intercessorem exigit : ut alienis precibus expietur, qui propriis mundari non posse cognoscitur. Lib. 2, in 1 *Reg.*, cap. III, super illud : *Ut oretur pro eo.*

36. Habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, si cum valet non apud eum pro pauperibus intercedit. Homil. 9, super *Evang.*

37. Cuncti liquido novimus, quia cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Part. 1, *Pastoralis*, cap. 2.

S. HIERON. 38. Si Apostoli et Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias, et triumphos? Epist. 6, *advers. Vigilant.*

HUGO CARD. 39. Sanctos adjutores tuos in afflictione non invenies, quos habere socios in prosperitate noluisti. Super *Job*, cap. v.

40. Janua cœli, est sanctorum suffragia. Super *Psalm.* 77.

41. Hæc est efficacissima apud Deum intercessio, scilicet miseriarum ostensio. Super *Prov.*, cap. 16.

S. JOANNES CHRYSOST. 42. Ubi misericordia non habet locum, nec intercessio valet. Homil. 52, super *Matth. Oper. imperfect.*

43. Quando quod ex nobis est simul afferimus, et accedit intercessio Sanctorum, plurimum nobis confert. *Prosec.*

44. Quod si ipsi negligentes simus, et spem in illis solis collocemus nostræ salutis, nihil amplius nobis prodest : non quod infirmi sint justi, sed quia propter nostram desidiam, nos ipsos perdimus.

45. Et ut discas, quod quando negligentes sumus, etiamsi justi sint, qui pro nobis orant, etiamsi Prophetæ nulla nobis inde fiet utilitas.

46. Illi enim suam virtutem et per hoc demonstrant, nobis autem nulla erit utilitas propter mores nostros.

47. Id scientes dilecti, confugiamus ad Sanctorum preces, et oremus ut pro nobis intercedant : sed non illorum precibus tantum confidamus sed et ipsi nostra, ut oportet, dispensemus recte, et ad meliora semper convertamur.

48. Peccatorum maculas purgemus, atque sic Sanctorum precibus nos commendemus. Homil. 44, super *Gen.*

49. Habent vim pro nobis, et quidem maximam, orationes supplicationesque Sanctorum; sed tunc cum nos pœnitentiam egerimus, et meliores reddemur. Homil. 5, super *Matth. Oper. imperf.*

50. Non oportet nos totum Sanctorum orationibus committentes, otiosos esse : nam plurimum potest et magna est precatio, quæ pro nobis fit, sed quando et nos cooperamur. Homil. 5, super II *Thess.*

51. Qui pro inimicis orat, pro se magis, quam pro illis orare cognoscitur. Homil. 6, super 1, *Tim.*

JOAN. TRITH. 52. Quanto plus intercesserimus pro inimicis nostris, tanto gloriosius Sancti Dei intercedent pro nobis. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Illam.*

S. LAURENT. JUSTIN. 53. Omnino Sanctorum patrociniis indigemus, eorum præcipue quos elegit Christus, commendat gratia, suscepit et gloria. Serm. *de S. Bartholom.*

54. Nemo sane est, quamvis sanctus, quamvis sit justus, qui Sanctorum non indigeat patrocinio. Serm. *de S. Marco.*

55. Nequaquam humani generis iniquitates tam æquanimiter sustineret Omnipotens, si non Sanctorum intercessionibus flecteretur. *De Obedient.*, cap. 24.

S. LEO I. 56. De sanctorum Petri et Pauli meritis et virtutibus, nihil diversum, nihilque debemus sentire discretum : quia illos et electio pares, et labor similes, et finis fecit æquales. Serm. 1, in *Natali sanctorum Petri et Pauli.*

57. Sicut et nos experti sumus, et nostri probavere majores credimus atque confidimus inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos. *Ibid.*

S. MAXIMUS MART. 58. Nihil confert precatio justi cum is cui necessaria est, magis delectatur peccatis, quam virtutibus. Centur. 3, *de Vir. et vitii*, cap. 81.

S. PAULIN. 59. Tunc vere erimus de tua charitate felices,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

si obtineas ne simus a tua charitate dissimiles. Epist. *ad Florentium, episc.*

PET. BLES. 60. Singulare est Beatæ Virginis auxilium, et quasi e quodam sublimi fastigio pro nobis intercedit. Serm. 23, *de S. Maria Magdal.*

61. Malo pro aliis se constituit intercessorem, qui in seipso judicem offendere non timuit. *Prosec.*

62. Temerarius est, qui patronum in eo negotio se exhibet, in quo et ipse patrono indiget. *Ibid.*, serm. 38.

SALVIANUS. 63. Si quis pro inimico intercedere se cogit, facit tamen ore non mente : præstat quidem vocis officium, sed animi non mutat affectum : ac per hoc, etiamsi pro adversario suo orare se cogit; loquitur, non precatur. Lib. 3, *de Gubern. Dei.*

S. THOMAS AQUINAS. 64. Quanto Sancti, qui sunt in patria, sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari possunt. Lib. 2, 2, quæst. 83, art. 2.

THOMAS A KEMPIS. 65. Melius est sanctos devotis precibus et lacrymis exorare, et eorum gloriosa suffragia humili mente implorare, quam eorum secreta vana inquisitione perscrutari. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 58, sect. 7.

66. Melior est unius Sancti oratio, quam omnium sæcularium amicorum visitatio. *De discipl. Claustr.*, cap. 15.

S. VALER. EPISC. 67. Occurrendum est semper Dei amicis, et incessabiliter supplicandum, ut sanctæ intercessionis possimus obtinere suffragium : quis apud justum judicem locus erit veniæ, si amicis Regis nescias supplicare? Homil. 15.

68. Studiose expetenda sunt suffragia patronorum, quibus solis datum est irascentis Domini animos nosse mollire, et iracundiam temperare : in magna domo post dominum, secundus est semper gradus amicorum. *Prosec.*

69. Soli sunt, per quos apud Dominum et suggerendi liber locus, et impetrandi facilis præbeatur accessus.

70. Peculiari itaque veneratione excolenda nobis est memoria Sanctorum, ut januam salutis aperiant, et in notitiam Domini desideria nostræ pervenire faciant servitutis.

71. Magna securitatis est portio, in rebus asperis de domo regis habuisse suffragium : nam decrescit quodammodo invidia criminis, ubi reus ad amicitias regalis familiæ coeperit pertinere.

72. Ita sine periculo homo vitam transigit, si sit qui apud Dominum negligentiam peccatoris excuset.

73. Nemo est, cui non opus sit potentioris (etiam in maxima securitate) suffragium : nam quamvis aliquos in hoc numero fides probata sanctificet; opus tamen est; ut sit qui ipsam fidem Domino supplici intercessione commendet.

74. Nec enim tam fortem ivenias, ut non egeat auxilio fortioris.

75. Sicut bene sub scuto militatur, ita tuto testibus sub patrono res agitur.

76. Ubi quamvis immineat pœna, si sit qui intercedat, non dubie obnoxia legibus donatur injuria.

77. Quis modus potest esse mortis, si cum judex sententia feriat, non sit qui reo supplici intercessione subveniat? *Ibid.*, homil. 15.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

78. Multi precati non caruerunt ope animarum a corporibus ad mundum alium reversarum. Lib. 1, *Theolog.*, cap. 4. ARISTOTE.

79. Ad divos adeunto caste, pietatem adhibento: qui secus facit, Deus ipse vindex erit. Lib. 2, *de Legibus.* CICERO.

80. Intercessor rei malæ, salutaris civis est. *Ibid.*, lib. 3.

81. Boni viri adjuvare nos possunt; non tantum qui sunt, sed et qui fuerunt. Epist. 52. SENECA.

82. Qui hominum curam gerit, et orat Deum pro eis, iste vere a Deo esse putandus est. Sent. 358. SIXT. PHILOSOPH.

83. Cultoris Dei est, orare Deum pro salute hominum. *Ibid.*, sent. 360.

Vide etiam tit. *Civitas*, sent. 61; *Martyrium*, sent. 32; *Multitudo*, sent. 17; *Sacerdos*, sent. 49.

## INTERROGATIO.

*Definitio.* Interrogatio est aliquid scire velle, quod nesciebatur. Super *Psalm.* II, vers. 1. CASSIODOR.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Est humani affectus hæc consuetudo, ut interrogemur sæpissime quod videmus. Lib. 9, epist. 76, *ad Studium.* S. AMBROS.

2. Versuta interrogatio, arguta responsio. Lib. 8, super *Luc.*, cap. XVIII, in illud : *Interrogavit eum quidam princeps.*

3. Deus cor interrogat, non manum. Homil. 9, *ex Quinquaginta Homil.* S. AUGUST.

4. Arbitror non judicem fieri eum, qui rogatur ut interroget aliquem, et quod ei responsum fuerit rescribere dignetur. Epist. 169.

5. Interrogamus aliquando quod nescimus, audire volentes ut discamus : aliquando interrogamus quod scimus, scire volentes utrum et ille



sciat quem interrogamus. Tract. 24, super *Joannem.*

6. Inter percontationem et interrogationem hoc veteres interesse dixerunt, quod ad percontationem multæ responderi possunt; ad interrogationem vero aut non, aut etiam. Lib. 3, *de Doctr. Christ.*, cap. 3.

7. Interrogatio ignorantiam habet. *De quinque hæres.*, cap. 4.

GLOSS. ORD. 8. Hæretici inquisitionibus non intendunt veritatem assequi, sed victores videri. Super *Job*, cap. VI.

GLOSS. INT. 9. Interrogat Christus, quid scriptum est? ut ex suis responsis justificetur vel damnetur. Super *Luc.*, cap. X, in illud : *In lege quid scriptum est?*

10. Quare Christus, qui scrutator est cordium, nihilque ignorat, interrogat? non hoc facit ut discat sicut nos, sed ut doceat et manifestet aliorum fidem. Super *Joan.*, cap. 21.

S. GREGOR. MAGNUS. 11. Nihil est quod responderi valeat apertæ rationi. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 15, verbo *Nihil.*

HAYMO. 12. Sicut ignorantia unius aliquando multis obesse solet : sic unius interrogatio, multis prodesse. Serm. in *Octava Pent.*

S. HIERON. 13. Si quid ignoras, si quid de Scripturis dubitas, interroga eum quem vita commendat, excusat ætas, fama non reprobat. Epist. 22, *ad Eustoch.*

HUGO A S. VICTORE. 14. Tribus modis interrogat nos Deus : promulgatione præcepti, injectione flagelli, revelatione secreti. Lib. 3 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 73.

HUGO CARD. 15. Tribus modis interrogat nos Deus : flagello, præcepto, exemplo. Primæ interrogationi, respondetur per patientiam; secundæ, per obedientiam; tertiæ, per sapientiam. Super *Job*, cap. 38.

16. Interrogatio facta per Numquid, supponit frequenter negativam : facta autem per Nonne, supponit affirmativam. Super *Psalm.* LXXVI.

17. Non aliud desideres tuis interrogationibus scire, quam quod necessarium est scire : neque nimis etiam de necessariis inquiras, aut subtilius quam valeat. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

S. JOANNES CHRYSOST. 18. Ubi misericordia flagitatur, interrogatio cessat. Homil. 2, super *Psalm.* L.

19. Hypocrita simplicissimus est interrogator, sed malignantissimus insidiator. Homil. 42, super *Matth. Oper. imperf.*

20. Interrogantibus quocunque proposito, prius rationem exponamus, postea auctoritatem : ut ratione quidem eos placemus, auctoritate confirmemus. Quoniam calumniatores convincere oportet, interrogatores autem docere. Homil. 42, super *Matth. Oper. imperf.*

JOAN. TRITH. 21. Non meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat. Super. *Prolog. Regul. S. Benedicti*, cap. 2, text. 16.

22. Tace usquequo interrogeris, non loquaris nisi interrogatus, interrogatio os tuum aperiat. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 8. S. ISIDORUS HISPAL.

23. Interroga libenter, et audi tacens verba Sanctorum. Lib. *de Imit. Christi*, cap. 5, sect. 2. THOMAS A KEMPIS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

24. Facilius est interrogare, quam respondere. Lib. 1, *de Republ.* PLATO.

25. Solent testes in reos, non in damnatos interrogari. Lib. 1, epist. 5 *ad Voconium Roman.*

26. Ego ne interrogare quidem fas puto, de quo pronuntiatum est. *Ibid.*

27. Requirenti facile responde, contemnenti facile cede. *De Quatuor virt.* SENECA.

## INVENIRE.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Nemo invenit, nisi qui ante quæsierit. Lib. 5, super *Luc.*, cap. XII, in illud : *Cui simile æstimabo!* etc. S. AMBROS.

2. Anima avertens se a luce justitiæ, quanto magis quærit quod inveniat contra justitiam, tanto plus a luce repellitur, et in tenebrosa demergitur. Super *Psalm.* LXIII, vers. 6 : *Scrutati sunt iniquitates*, etc. S. AUGUST.

3. Quod difficilius quæritur, solet dulcius inveniri. Super *Psalm.* CIII.

4. Deus difficile invenitur ubi sit, sed multo difficilius ubi non sit. *de Speculo*, cap. 32.

5. Quicunque aliquid invenerit, ei qui perdidit sine ulla dilatione restituat. Homil. 9. *ex quinquaginta homil.*

6. Quicunque rem cujuscunque invenerit, tanquam alienam cito restituat : quia sine dubio si ipse et perdidisset, hoc sibi de alio fieri voluisset. *Ibid.*

7. Si quis inveniat in via alienum sæculum solidorum, debet reddere; sed nescit cui : se excusat ignorantia, si non dominetur avaritia. *Ibid.*

8. Si quid invenisti et non reddidisti, rapuisti : quantum potuisti fecisti; quia plus non invenisti, ideo plus non rapuisti. *Prosec.*

9. Qui alienum invenisse negat, si posset et tolleret : si non tollis, timor te cohibet, non bonum facis, sed malum metuis. Deus cor interrogat, non manum. *Ibid.*

10. Errat omnis qui semper quærit, nec invenit. Lib. 1, *contra Academicos*, cap. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

si obtineas ne simus a tua charitate dissimiles. Epist. *ad Florentium, episc.*

PET. BLES. 60. Singulare est Beatæ Virginis auxilium, et quasi e quodam sublimi fastigio pro nobis intercedit. Serm. 23, *de S. Maria Magdal.*

61. Malo pro aliis se constituit intercessorem, qui in seipso judicem offendere non timuit. *Prosec.*

62. Temerarius est, qui patronum in eo negotio se exhibet, in quo et ipse patrono indiget. *Ibid.*, serm. 38.

SALVIANUS. 63. Si quis pro inimico intercedere se cogit, facit tamen ore non mente : præstat quidem vocis officium, sed animi non mutat affectum : ac per hoc, etiamsi pro adversario suo orare se cogit; loquitur, non precatur. Lib. 3, *de Gubern. Dei.*

S. THOMAS AQUINAS. 64. Quanto Sancti, qui sunt in patria, sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari possunt. Lib. 2, 2, quæst. 83, art. 2.

THOMAS A KEMPIS. 65. Melius est sanctos devotis precibus et lacrymis exorare, et eorum gloriosa suffragia humili mente implorare, quam eorum secreta vana inquisitione perscrutari. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 58, sect. 7.

66. Melior est unius Sancti oratio, quam omnium sæcularium amicorum visitatio. *De discipl. Claustr.*, cap. 15.

S. VALER. EPISC. 67. Occurrendum est semper Dei amicis, et incessabiliter supplicandum, ut sanctæ intercessionis possimus obtinere suffragium : quis apud justum judicem locus erit veniæ, si amicis Regis nescias supplicare? Homil. 15.

68. Studiose expetenda sunt suffragia patronorum, quibus solis datum est irascentis Domini animos nosse mollire, et iracundiam temperare : in magna domo post dominum, secundus est semper gradus amicorum. *Prosec.*

69. Soli sunt, per quos apud Dominum et suggerendi liber locus, et impetrandi facilis præbeatur accessus.

70. Peculiari itaque veneratione excolenda nobis est memoria Sanctorum, ut januam salutis aperiant, et in notitiam Domini desideria nostræ pervenire faciant servitutis.

71. Magna securitatis est portio, in rebus asperis de domo regis habuisse suffragium : nam decrescit quodammodo invidia criminis, ubi reus ad amicitias regalis familiæ cœperit pertinere.

72. Ita sine periculo homo vitam transigit, si sit qui apud Dominum negligentiam peccatoris excuset.

73. Nemo est, cui non opus sit potentioris (etiam in maxima securitate) suffragium : nam quamvis aliquos in hoc numero fides probata sanctificet; opus tamen est; ut sit qui ipsam fidem Domino supplici intercessione commendet.

74. Nec enim tam fortem ivenias, ut non egeat auxilio fortioris.

75. Sicut bene sub scuto militatur, ita tuto testibus sub patrono res agitur.

76. Ubi quamvis immineat pœna, si sit qui intercedat, non dubie obnoxia legibus donatur injuria.

77. Quis modus potest esse mortis, si cum judex sententia feriat, non sit qui reo supplici intercessione subveniat? *Ibid.*, homil. 15.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 78. Multi precati non caruerunt ope animarum a corporibus ad mundum alium reversarum. Lib. 1, *Theolog.*, cap. 4.

CICERO. 79. Ad divos adeunto caste, pietatem adhibento : qui secus facit, Deus ipse vindex erit. Lib. 2, *de Legibus.*

80. Intercessor rei malæ, salutaris civis est. *Ibid.*, lib. 3.

SENECA. 81. Boni viri adjuvare nos possunt; non tantum qui sunt, sed et qui fuerunt. Epist. 52.

SIXT. PHILOSOPH. 82. Qui hominum curam gerit, et orat Deum pro eis, iste vere a Deo esse putandus est. Sent. 358.

83. Cultoris Dei est, orare Deum pro salute hominum. *Ibid.*, sent. 360.

Vide etiam tit. *Civitas*, sent. 61; *Martyrium*, sent. 32; *Multitudo*, sent. 17; *Sacerdos*, sent. 49.

## INTERROGATIO.

CASSIODOR. *Definitio.* Interrogatio est aliquid scire velle, quod nesciebatur. Super *Psalm.* II, vers. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Est humani affectus hæc consuetudo, ut interrogemur sæpissime quod videmus. Lib. 9, epist. 76, *ad Studium.*

2. Versuta interrogatio, arguta responsio. Lib. 8, super *Luc.*, cap. XVIII, in illud : *Interrogavit eum quidam princeps.*

S. AUGUST. 3. Deus cor interrogat, non manum. Homil. 9, *ex Quinquaginta Homil.*

4. Arbitror non judicem fieri eum, qui rogatur ut interroget aliquem, et quod ei responsum fuerit rescribere dignetur. Epist. 169.

5. Interrogamus aliquando quod nescimus, audire volentes ut discamus : aliquando interrogamus quod scimus, scire volentes utrum et ille



sciat quem interrogamus. Tract. 24, super *Joannem.*

6. Inter percontationem et interrogationem hoc veteres interesse dixerunt, quod ad percontationem multæ responderi possunt; ad interrogationem vero aut non, aut etiam. Lib. 3, *de Doctr. Christ.*, cap. 3.

7. Interrogatio ignorantiam habet. *De quinque hæres.*, cap. 4.

GLOSS. ORD. 8. Hæretici inquisitionibus non intendunt veritatem assequi, sed victores videri. Super *Job*, cap. VI.

GLOSS. INT. 9. Interrogat Christus, quid scriptum est? ut ex suis responsis justificetur vel damnetur. Super *Luc.*, cap. X, in illud : *In lege quid scriptum est?*

10. Quare Christus, qui scrutator est cordium, nihilque ignorat, interrogat? non hoc facit ut discat sicut nos, sed ut doceat et manifestet aliorum fidem. Super *Joan.*, cap. 21.

S. GREGOR. MAGNUS. 11. Nihil est quod responderi valeat apertæ rationi. Lib. 3 *Dialogi*, cap. 15, verbo *Nihil.*

HAYMO. 12. Sicut ignorantia unius aliquando multis obesse solet : sic unius interrogatio, multis prodesse. Serm. in *Octava Pent.*

S. HIERON. 13. Si quid ignoras, si quid de Scripturis dubitas, interroga eum quem vita commendat, excusat ætas, fama non reprobat. Epist. 22, *ad Eustoch.*

HUGO A S. VICTORE. 14. Tribus modis interrogat nos Deus : promulgatione præcepti, injectione flagelli, revelatione secreti. Lib. 3 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 73.

HUGO CARD. 15. Tribus modis interrogat nos Deus : flagello, præcepto, exemplo. Primæ interrogationi, respondetur per patientiam; secundæ, per obedientiam; tertiæ, per sapientiam. Super *Job*, cap. 38.

16. Interrogatio facta per Numquid, supponit frequenter negativam : facta autem per Nonne, supponit affirmativam. Super *Psalm.* LXXVI.

17. Non aliud desideres tuis interrogationibus scire, quam quod necessarium est scire : neque nimis etiam de necessariis inquiras, aut subtilius quam valeat. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

S. JOANNES CHRYSOST. 18. Ubi misericordia flagitatur, interrogatio cessat. Homil. 2, super *Psalm.* L.

19. Hypocrita simplicissimus est interrogator, sed malignantissimus insidiator. Homil. 42, super *Matth. Oper. imperf.*

20. Interrogantibus quocunque proposito, prius rationem exponamus, postea auctoritatem : ut ratione quidem eos placemus, auctoritate confirmemus. Quoniam calumniatores convincere oportet, interrogatores autem docere. Homil. 42, super *Matth. Oper. imperf.*

JOAN. TRITH. 21. Non meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat. Super. *Prolog. Regul. S. Benedicti*, cap. 2, text. 16.

S. ISIDORUS HISPAL. 22. Tace usquequo interrogeris, non loquaris nisi interrogatus, interrogatio os tuum aperiat. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 8.

THOMAS A KEMPIS. 23. Interroga libenter, et audi tacens verba Sanctorum. Lib. *de Imit. Christi*, cap. 5, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 24. Facilius est interrogare, quam respondere. Lib. 1, *de Republ.*

25. Solent testes in reos, non in damnatos interrogari. Lib. 1, epist. 5 *ad Voconium Roman.*

26. Ego ne interrogare quidem fas puto, de quo pronuntiatum est. *Ibid.*

SENECA. 27. Requirenti facile responde, contemnenti facile cede. *De Quatuor virt.*

## INVENIRE.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nemo invenit, nisi qui ante quæsierit. Lib. 5, super *Luc.*, cap. XII, in illud : *Cui simile æstimabo!* etc.

S. AUGUST. 2. Anima avertens se a luce justitiæ, quanto magis quærit quod inveniat contra justitiam, tanto plus a luce repellitur, et in tenebrosa demergitur. Super *Psalm.* LXIII, vers. 6 : *Scrutati sunt iniquitates*, etc.

3. Quod difficilius quæritur, solet dulcius inveniri. Super *Psalm.* CIII.

4. Deus difficile invenitur ubi sit, sed multo difficilius ubi non sit. *de Speculo*, cap. 33.

5. Quicunque aliquid invenerit, ei qui perdidit sine ulla dilatione restituat. Homil. 9, *ex quinquaginta homil.*

6. Quicunque rem cujuscunque invenerit, tanquam alienam cito restituat : quia sine dubio si ipse et perdidisset, hoc sibi de alio fieri voluisset. *Ibid.*

7. Si quis inveniat in via alienum sacculum solidorum, debet reddere; sed nescit cui : se excusat ignorantia, si non dominetur avaritia. *Ibid.*

8. Si quid invenisti et non reddidisti, rapuisti : quantum potuisti fecisti; quia plus non invenisti, ideo plus non rapuisti. *Prosec.*

9. Qui alienum invenisse negat, si posset et tolleret : si non tollis, timor te cohibet, non bonum facis, sed malum metuis. Deus cor interrogat, non manum. *Ibid.*

10. Errat omnis qui semper quærit, nec invenit. Lib. 1, *contra Academicos*, cap. 4,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

11. Si quis non intelligit te, gaudeat et amet non inveniendo invenire potius, quam inveniendo non invenire. Lib. 1, *Confessionum*, cap. 6.

12. Qui prorsus non inveniunt quod quærunt, fame laborant. Lib. 2, *de Doctr. christ.*, cap. 6.

13. Plus loquitur inquisitio quam inventio. Lib. 12 *Conf.*, cap. 1.

14. Inventum dici non potest, quod incognitum creditur. Lib. 2, *de Lib. arb.*, cap. 2.

15. Anima amplius delectatur inventis rebus quas diligit quam si res semper habuisset. Lib. 8, *Conf.*, cap.3.

S. BERNARD. 16. Pius pulsator plerumque inveniet, quod temerarius scrutator invenire non posset. Serm. 26 super *Cant.*

GLOSS. ORD. 17. Multi putant hoc sine peccato esse : sed si quis inventum non reddit, simile est rapinæ. Super *Levit.*, cap. 6.

18. Justorum labor est, ut semetipsos inveniant invenientes flendo, atque corrigendo ad meliora perducant. Super *Job*, cap. 13.

GLOSS. INT. 19. Modo potest Deus inveniri merito fidei, in futuro videbitur, non invenietur. Super *Isaiam*, cap. LV, in illud : *Quærite Dominum*.

GRATIANUS. 20. Furtum committit, qui inventum non reddit. In suis *Decret.*, part. 2, causa 14, 5, quæst., can. *Rapinam* § *Furtum*.

S. GREGOR. THAUMAT. 21. Is qui invenit res fratris, illi debet restituere. In *Epist. canonica*, canon. 4.

22. Qui rem alienam invenit, etiamsi ignorat cujus sit, est furti actioni obnoxius, nisi forte dominus eam ita reliquerit, ut ejus nullam curam gerat. *Ibid.*

23. Quando quod inventum est, pro derelicto habetur, non punitur, qui id denuit : sed si aliter sit, cogitur illud domino restituere. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 24. Quanto rarior invenitur fidelis et prudens, tanto qui inventus fuerit, est beatior. Homil. 51, super *Matth. Oper. imperf.*, in illud 25 : *Quis fidelis servus et prudens?* etc.

25. Ne quæras tuum, ut invenias tuum : qui enim sua quærit, non inveniet sua. Homil. 33, super I *Cor.*, in illud 13 : *Non quærit quæ sua sunt.*

JOAN. GERS. 26. Quod difficilius quæritur, citius invenitur. *Sermone coram Papa Benedicto.*

JOAN. TRITH. 27. Quod difficilius quæritur, solet dulcius inveniri, et inventum diligentius custodiri. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 33.

28. Quanto contristat res perdita, tanto magis lætificat si fuerit inventa. In cap. 3, *Regul. S. Bened.*, verbo, *Prima*.

S. ISID. HISP. 29. Quanto contristat res perdita, tanto magis lætificat si fuerit inventa. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 14, sent. 5.

ORIGENES. 30. Multi sine peccato putant esse, si alienum quod est, invenerint, teneant : et dicunt, Deus mihi dedit invenire, cui habeo reddere? Discant ergo peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat. Homil. 4, in cap. VI, *Levitici*.

S. PETRUS CHRYSOL. 31. Plus accepta sapiunt, quam possessa: inventa magis, quam subjecta delectant. Serm. 96.

32. Semper cum perdita reperimus, novum capimus cumulum gaudiorum : et est jucundius nobis invenisse perdita, quam non perdidisse servata. *Ibid.*, serm. 168.

RICHARD. A S. VICTORE. 33. Invenire, quæ in terra sunt, difficile est : investigare autem quæ in cœlis sunt, impossibile. Part. 1, tract. 2, *de Extermin. mali.*

34. Nequaquam negligenda sunt, quæ per investigationem inveniri possunt. *Ibid.*

35. Deus inveniri non potest ab anima, priusquam prætereuntis mundi figuram despexerit. Part. 1, *de Gradib. charit.*, cap. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 36. Stude verum invenire. Lib. 4, *de Arte Rhetor.*

37. Utinam tam facile vera invenire possim, quam falsa convincere. Lib. 1, *de Natura Deor.*

SENECA. 38. Nullius rei difficilis inventio est, nisi cujus unus inventæ fructus est, invenisse. Lib. 7, *de Benef.*, cap. 1.

39. Id quære, quod invenire possis. *De Quatuor virt.*

## INVIDIA.

S. ANTONIN. *Etymologia.* Invidus dicitur, quasi non videns, quia scilicet bonum alterius sine tristitia videre non potest. Part. 2, tit. 8, *de Invidia*, cap. 1.

HUGO CARD. Invidus latine, sed significantius dicitur fascinator Græce. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

S. BASILIUS MAGNUS. *Definitio.* Invidia est tristitia ex alieno successu oriens. Conc. 10, *de Invidia*.

S. BONAV. Invidia est dissensio ab alieno bono, existimato diminuere proprium. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 19.

Invidia est dolor, vel odium felicitatis alienæ. In *Declarat. terminor. Theologiæ*, verbo *Invidia*.

GLOSS. ORD. Invidia est amaritudo animi de bono proximi. Super *Josue*, cap. 11.

HUGO CARD. Invidia proprie est tristitia de felicitate aliena, quam vellet ei deesse. Super *Epist. Judæ*.

JOAN. GERS. Invidia est vitium, quo quis in animo suo lætatur de malis, et tristatur de bonis proximorum. Part. 4, *de Descript. terminor.*, cap. *Justitia*.



JOAN. SARR. Invidia est tristitiæ ex apparenti prosperitate alicujus initium. Lib. 7, *de Nugis curial.*, cap. 24.

S. THOMAS AQUINAS. Invidia est tristitia de bono proximi. Secunda secundæ, quæst. 36, art. 4.

HUGO A S. VICTORE. Invidia est, quæ fervidum in dolore reddit animum ob alterius bonum, et honorem, ea videre nolentem. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 5.

S. ZENO EP. ET MART. Invidia est tristitia et mœror quidam de prosperitatibus proximorum. Serm. *de Livore*.

CICERO. Invidia est ægritudo animi suscepta propter alterius res secundas, quæ nihil noceant invidenti. Lib. 4, *Tuscul. quæst.*

PLATO. Invidia est dolor ob bona proximorum, quæ aut sunt, aut aliquando contigerunt. *De Definit.*

S. HIERON. *Differentia.* Inter invidum et invidiosum hoc interest, quod invidus feliciori invidet, invidiosus autem is est, qui ab alio patitur invidiam. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. V.

S. BONAV. *Productio.* Invidia est proles primogenita superbiæ. Super *Psalm.* LXXXI.

Duæ sunt filiæ invidiæ, scilicet : tristitia in prosperis proximi, exultatio in adversis. Tit. 1, *Diætæ*, cap. 4.

S. CYPRIAN. Invidia radix est malorum, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. *De Zelo et livore*, cap. 3.

S. EDMUND. De invidia nascuntur alterius mali gaudium, et dolor boni alterius. In *Speculo Ecclesiæ*, cap. 8.

S. GREGOR. MAGNUS. De invidia, odium, susurratio, detracio, exultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis, nascuntur. Lib. 31, *Moral.*, cap. 17, super illud *Job* 39 : *Exhortationem ducum.*

S. GREGOR. NYSS. Invidia est malorum principium, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ causa, ignominiæ principium. *De Vita Moysi.*

HUGO A S. VICTORE. In invidiæ comitatu sunt odium, afflictio, exultatio, malitia, detractio, amaritudo, susurratio. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 5.

S. BASILIUS MAGNUS. *Comparatio.* Quemadmodum rubigo ferrum, sic invidia animam, in qua est, consumit. Conc. 10, *de Invidia*.

Quemadmodum viperas tradunt exeso materno utero generari, ita et invidia animam ipsam parientem consumere solet. *Ibid.*

S. BONAV. Invidia est sicut vermis in ligno, rubigo in ferro, tinea in vestimento. Tit. 1 *Diætæ*, cap. 4.

Invidus comparatur cani, qui blanditur in facie et mordet a tergo. Lib. 3 *Compendii Theolog. verit.*, cap. 16.

S. ZENO. Sicut proprium est boni Dei liberalitas et largitio, ita propium est diaboli livor et invidia. Serm. *de Livore*.

S. PROSPER. *Indicia invidorum.* 1. Omnia suis æmulis fingunt, eorum profectu deficiunt, odia intra se abscondunt, et in suos cruciantur, enutriunt, proficientibus invident, peccantibus favent.

2. De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, de inimicitiis gratuitis ardent.

3. Deprehendi peccati sui malitiam timent, semper amari, nunquam certi.

4. Amici diaboli, inimici etiam sui, omnibus odiosi.

5. Ad gaudenda anxii, ad plagenda læti, utrobique perversi.

6. Inter amicos discordias seminant, discordantes ad tempus, si possunt, in discussione confirmant.

7. Opinionem bonorum mendaciis decolorant.

8. In spiritualibus carnalia laudant, ut spiritualia bona eis deesse persuadeant.

9. Amicitias simulant, ut eos qui se incaute sibi commiserunt, qua possunt arte decipiant.

10 Odiorum sibi occasiones, pravis suspicionibus coacervant.

11. Dæmones, quorum sectantur facta, lætificant.

12. Sanctos viros, quibus sunt noti, contristant velut amici in obsequio, hostes in animo.

13. Continentes sunt in verbo, turpes in facto, prodigi secretorum, tenaces malorum.

14. Prompti suspicionum malarum, inanes bonarum, pleni sordium, præditi fraudibus.

15. Adversarii corde virtutibus, pravi moribus, et insidiosi cunctis secum in simplicitate viventibus.

Hæc et his similia, quæ omnes invidos bonis, voto, sive animo inimicos ostendunt. Lib. 3 *de Vita contemplat.*, cap. 9.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Fuge invidiam, quæ non solum alienos, verum multo magis eum, quem possederit lacerare consuevit. *De Fuga sæculi*, cap. 4.

2. Qui invidet, non alium prius quam seipsum occidit. Precat. 2, *ante Missam*.

S. ANSELM. 3. Qui bonis alterius arridet, sanctis consentit : qui vero invidet, diabolis similis est. *De Similitud.*, cap. 45.

S. ANTONIN. 4. Invidia non habet modum permanens jugiter sine fine ; et cum alia vitia et scelera finiantur, quantum ille cui invidetur profecerit major successu, tantum invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit. Part. 2, tit. 8, cap. 1, § 3.

5. Invidi ita male sunt dispositi, ut de lumine aliorum obscurentur, de sanitate infirmentur, et de aliorum vita moriantur. *Ibid.*

S. ANTONIUS DE PADUA. 6. Invidi sunt sedes diaboli. Serm. 1, *Dom.* 3 *post Pascha*.

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UANL ®

7. Invidia succensi nolunt alios vivere, quos se conspiciunt non posse possidere. *Serm. post Trinit.*

S. AUGUST. 8. Quis dubitat immane vitium esse invidentiam, qua necesse est torqueatur et subjiciatur, qui non vult in rebus temporalibus vinci? melius est ut homo nos vincat, quam invidentia. *De vera Relig.*, cap. 45.

9. Invidia diaboli vitium est. Epist. 48, *ad Vincentium.*

10. Invidia sequitur superbiam, non præcedit : non enim causa superbiendi est invidentia, sed causa invidendi superbia. Lib. XI, *de Genesi ad lit.*, cap. 14.

11. Vir invidus similis est navi, quæ jactatur fluctibus maris, in perturbatione est semper, ut lupus rapax insanit inaniter, in miseria detinetur, et tabescens ad nihilum redigitur, semper furore plenus particeps dæmoniorum efficitur. *De Salutar. docum.*, cap. 22.

12. Invidentia illa diabolica est, qua invident bonis mali : nulla alia causa est, nisi quia illi boni sunt, illi mali. Lib. 15 *de Civit. Dei*, cap. 5.

13. Superbiam sequitur invidentia, tanquam filia pedissequa : eam quippe superbia continuo parit, nec unquam est sine tali prole atque comite. *De Sancta Virginit.*, cap. 31.

14. Superbiæ et invidentiæ, diabolus præest. *Ibid.*

15. Invidia opus est diaboli, quod opus et processit ex illo, et manet in illo. Lib. 1 *contra Julian.*, cap. 3.

16. Justus injusto oneri est, quia injustum eum esse non vult, sed eum justum fieri, et optat votis, et conatur factis : injustus autem sic odit justum, ut nolit eum esse, non ut bonum velit esse : quanto enim bonum est, tanto magis oneri est iniquitati illius. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 2.

17. Quid est invidere? horrendum malum. Ipso malo diabolus dejectus est, ipso dejecto dejecit multos : maligna pestis est invidia. Tract. 5, super *Evangelium Joannis*, de cap. I.

18. Tolle invidiam, et tuum est quod habeo : tolle invidiam et meum est quod habes; livor separat, charitas jungit. *Ibid.*, tract. 32, de cap. VII.

19. Ubi est invidia, amor fraternus esse non potest. Qui invidet, non amat : peccatum diaboli est in illo, qui et diabolus invidendo dejecit. Cecidit enim et invidit stanti ; non ideo voluit dejicere, ut ipse staret, sed ne solus caderet. Tract. 5, super *Epist. Joan.*, de cap. III.

20. Invidia est vitium diabolicum, quo solus diabolus reus est, et inexpiabiliter reus. *De Disciplina christiana*, cap. 1.

21. O invide infelix, qui aliena felicitate torqueris, alieno damno depasceris ! ipsis rebus probas te ex parte diaboli esse, qui invides aliis quod tu ignoras scire. *De Cognitione veræ vitæ*, cap. 5.

22. Invidentia diaboli convicium est, sed habet matrem suam : superbia vocatur mater invidiæ. superbia invidos facit : suffoca matrem, et non erit filia. *De Disciplina christiana*, cap. 1.

23. Invidia filia est superbiæ, sed ista mater nescit esse sterilis : ubi fuerit, continuo parit. *De Verbis Domini*, serm. 53.

24. Invidia omnes virtutes concremat, omnia bona dissipat, omnia mala generat. Serm. 18, *ad Fratr. in eremo.*

25. Ille invidus est, qui alienum bonum suum facit, et si facere non potest, clamat per vicos et plateas, et velut canis latrat et ardet, sed primo seipsum more phœnicis occidit. *Ibid.*

26. Invidia omni vitio pejor est, et omni peste deterior. *Ibid.*

27. Invidia nequissima pestis, tormentum sine refrigerio, morbum sine remedio, laborem sine respiratione, pœnam sine intermissione, famem sine saturitate semper habere videtur. *Ibid.*

28. Invidus vermis mortifer est, qui in hedera Jonæ quotidie nascitur : igneus serpens, quo populus Israel pungitur : hic est bruchus, quo fructus terrarum depascitur. *Ibid.*

29. Invidia est illa pessima tinea, quæ purpuramenta virtutum demolitur, ærugo quæ thesaurum sapientiæ deprædatur, bruchus qui terrarum virentia comburrit : quia quidquid boni operis virescit in homine, pena pestis invidiæ perdit. *Prosec.*

30. Hæc est quæ Angelum de cœlo projecit, quæ hominem de paradiso exulavit, quæ filios Israel in deserto percussit, quæ contra Joseph fratres armavit, quæ Danielem in lacum leonum misit, quæ Christum cruci affixit, quæ Judam suspendi fecit.

31. Invidia est illa fera pessima, quæ fidem tollit, concordiam dissipat, tertiam linguam multiplicat, justitiam disperdit, et omnia mala generat.

32. Hæc est quæ Abel occidit, Adam oneravit et exulavit, Judam suspendit, Petrum jugulavit, dum Christum negavit, Paulum decollavit et Joannem, Stephanum lapidavit, David decepit, muros Jerusalem evertit, Romam depopulavit, Carthaginem destruxit, Trojam devastavit. *Ibid.*

33. Nunquam melius invidos torquere poteritis, quam virtutibus et gloriæ serviendo : tunc enim latrant ut canes, rugiunt ut leones, facie pallescunt, capite minantur, oculis scintillant, manus cancellatas astringunt, dentibus strident, et sic anima et corpore moriuntur. *Ibid.*



34. Charitati nihil adversius quam invidentia : mater autem invidentiæ, superbia est. *De Catechiz. rudib.*, cap. 4.

35. Est peccatum diabolicum invidia, et pœna peccati; quæ protinus ipsum de quo oritur, vexat auctorem. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 1.

S. BASILIUS MAGNUS. 36. Invidia est vitium intolerabile, serpentis documentum, dæmonum inventum, seminatio inimici, arrhabo supplicii, impedimentum pietatis, via ad gehennam, privatio regni. Conc. 10, *de Invidia.*

37. Nula perniciosior affectio animis hominum innascitur, quam invidia, quæ extraneos minime lædens, primum et domesticum malum est possidenti. *Ibid.*

V. BEDA. 38. Unde bonus proficit, inde invidus tabescit. In suis *Prov.*, verbo *Unde.*

S. BERNARD. 39. Invidia immanis est bestia, flatu igneo quidquid attigerit, necat. Serm. 13, super *Qui habitat.*

40. Quis tam gravis pruritus oculi, quam invidia? nec vero aliis livor invidus, quam aliena gloria et felicitate torquetur. Serm. 5, *de Verbis Isaiæ.*

41. Invidus ut basiliscus, venenum in oculo gerit : pessimum animal et præ omnibus execrabile, oculum habet venenatum invidus, oculum nequam, oculum fascinantem. Serm. 13, super *Qui habitat.*

42. Quam rara virtus est, alienæ non invidere virtuti ! Serm. 49, super *Cant.*

43. Quid est invidere, nisi malum videre? Serm. 13, super *Qui habitat.*

44. Invidia est animi tinea, sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi pestis depascit, et cuncta bona ardore pestifero devorat. *De Inter. domo*, cap. 42.

45. Tristius invidia nihil est, quæ protinus suum auctorem torquet et discruciat. *Ibid.*, cap. 61.

46. Invidia duplices evomit flammas ; modo illum urit, qui meliori invidet, in id quod ipse non est : modo illum afficit, qui quemlibet consimilem dolet sibi esse æqualem. *De Ordine vitæ.*

47. Homo invidus membrum est diaboli. Serm. 34, super *Qui habitat.*

48. Invidia tinea est animæ, prius nocet sibi quam alteri. *Ibid.*

49. Invidia sensum hominis comedit, pectus urit, mentem lacerat, cor quasi quædam pestis pascit. *Ibid.*

S. BONAV. 50. Invidi pervertunt quod bonum est, dissimulant quod est verum, diminuunt quod magnum est. Super *Psalm.* CXXX.

51. Invidia est mala, de bono proximi dolendo ; pejor, de malo ejus gaudendo ; pessima, in utroque ei nocendo, scilicet impediendo bonum, vel malum inferendo. Serm. 1, *Dom.* 20, *post Pent.*

52. Invidiæ passio, et fornicatione et adulterio multum est deterior. Lib. 2, *Pharetræ*, cap. 8.

53. Si multos tibi inimicos facit injuria, multos facit invidia. *Ibid.*

54. Invidus bono alieno insidiatur, judicio pravæ suspicionis, et postea mordet vel pungit aculeo murmurationis, et inficit veneno detractionis. Tit. 1, *Diætæ*, cap. 4.

55. Invidus de bonis aliorum affligitur, de melioratione deterioratur, de profectu deficit, de pinguedine marcescit, de sanitate infirmatur, de vita moritur. *Ibid.*

56. Invidus ipse amittere se putat, quod alii lucrantur. *Ibid.*

57. Gravis invidia est, malum pro malo reddere : gravior, odire illum, qui nihil nocuit : gravissima autem, malum pro bono restituere. Lib. 4, *de Profectu Relig.*, cap. 18.

58. Qui invidus est, sine dæmone esse non potest. Homil. 23. S. CÆSARIUS ARELAT.

59. Nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne invidia et livore ipse capiatur. *De Zelo et Livore*, cap. 2. S. CYPRIAN.

60. In adulterio cessat facinus perpetrato stupro, in latrone conquiescit scelus homicidio admisso, prædonis rapacitas cessat præda possessa, falsario modum ponit impleta fallacia : invidia vero terminum nescit. *Ibid.*, cap. 3.

61. Quisquis magnanimus est, a livore alienus est. *Ibid*, cap. 4.

62. Invidia impuram semper ingressum habet, et per æqualia mala procedit. Lib. 6, *Glaphyr. in genesim*, cap. *de Joseph.* S. CYRILLUS ALEX.

63. Invidia sæpe in cædem desinit. *Ibid.*

64. Invidia cum directe adversetur charitati, quæ est animæ vita, maxime perhibetur mors esse animæ. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 5, art. 5. DIONYSIUS CARTHUS.

65. Bestialis invidia, haud secus quam telum vulnerat. *De Morbo linguæ.* S. EPHRÆM.

66. Invidia manifestat nos charitatem Dei penitus non habere. Et hab. apud Bedam, tom. 7, in suis *scintillis*, cap. 15.

67. Invidia est subtilius quoddam rapacitatis genus. Serm. 19, super *Cant.*, apud S. Bernard., num. 4. GILLEBERT. ANGLUS.

68. Invidia non vult homines salvari. Super *Luc.*, cap. 15. GLOSS. ORD.

69. Cum devictum cor livoris putredo corrupexit, ipsa quoque exteriora indicant, quam graviter animum vesania instigat. Lib. 2 *Moral.*, cap. 32. S. GREGOR. MAGNUS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

70. Malos non solum ignis per vindictam postea cruciat, sed nunc etiam per livorem cremat : quia qui postea puniendi sunt retributionis supplicio, nunc semetipsos afficiunt invidiæ tormento. *Ibid.*, lib. 1, cap. 20.

71. Parvulus est, qui invidia occiditur : quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. *Ibid.*, lib. 5, cap. 32.

72. Invidi color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, et membra frigescunt : fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor. *Ibid.*

73. Nihil lætum de propriis libet, quia tabescentem mentem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena. *Ibid.*

74. Invidia cum mentem tabefecerit, cuncta quæ invenerit bene gesta consumit. *Ibid.*

75. Imminutio livoris est affectus surgens internæ dulcedinis, et plena mors ejus, est perfectus amor æternitatis. *Ibid.*

76. Quid invidis infelicius, quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit ? Part. 3, *Pastor.*, cap. 1, admon. 2.

S. GREGOR. NAZ.

77. Ex omnibus passionibus invidia injustissima pariter est, et justissima ; cum quia omnes perturbat, tum quia consumit noxios. Orat. 24, *de Seipso.*

78. Invidia Adamum e paradiso ejecit, a voluptate et muliere deceptum ; Cain fratricidam fecit, quoniam sacrificium sanctius non attulisset ; mundum immundum aqua cooperuit, et Sodomitas igne obruit ; Dathan et Abiron instigavit, cum adversus Moysen insanirent ; Mariam lepra percussit, quoniam tantummodo contra fratrem Moysen obmurmurasset ; prophetarum sanguine terram infecit, et sapientissimum Salomonem mulieribus obnoxium reddidit ; Judam ad proditionem induxit, qui ob parvum argentum perpetravit quod strangulatione dignum esset ; Herodem puerorum fecit homicidam, et Pilatum Christi interfectorem ; populum Israeliticum eo peccato contaminavit et maculavit, ut ne nunc quidem ab illo respiret ; apostatam tyrannum Julianum contra nos excitavit, cujus adhuc relicti sunt carbones, licet flammam evaserimus ; pulchrum Ecclesiæ corpus dissecuit, ac in diversa et contraria studia divisit. *Ibid.*

79. Pulchrum invideri, turpis invidentia :

Incede celsus, invidos linquens humi. In sua *Poesi.* Et hab. apud D. Joan Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 110.

S. HIERON.

80. Virtus semper invidiæ patet. Epist. 8, *ad Demetriad.*

81. Facessat invidia, quam nomini Christiano maledicorum semper genuinus infigit : ut dum probra metuunt, ad virtutes non provocentur. Epist. 10, *ad Furiam.*

82. Invidia primum mordax est sui. Epist. 57, *ad Asellam.*

83. Plurimi stimulante invidia, quod consequi non valent, despiciunt. In Præfat. super *Isaiam.*

84. Quid invido delectationis præstat invidia, quem secretis quibusdam conscientiæ ungulis livor ipse decepit, et alienam felicitatem tormentum ejus facit ? Epist. 1, *ad Demetriad.*

85. Invidere non cessat auctor invidiæ, quia cum ipse a Deo projectus est, tanto majori livore torquetur, quanto aliquem apud Deum viderit clariorem. *Ibid.*

86. Ille absque invidiæ infectione esse non poterit, qui soli Deo placere gestierit. *Prosec.*

87. Invidia enim non tam humanas amicitias, quam solam justitiam persequitur.

88. Qui invidus est, aliena felicitate torquetur, quoniam virtus semper invidiæ patet. In *Regula Monachor.*, cap. 19, *de Laude et Detract.*

89. Venena invidiæ possunt quidem superari, sed difficile conquiescunt. Lib. 4, super *Matth.*, cap. 22.

90. Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum auctorem rodit, excruciatque ipsius animum. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. 5, in illud : *Manifesta sunt opera carnis.*

91. Nemo illi, quem vere amat, invidet, cujusvis eum esse conspiciat gloriæ, vel honoris sed omnem ejus felicitatem, quasi suam libenter amplectitur. Super. 1, *ad Cor.*, cap. 13, in illud : *Charitas non æmulatur.*

HUGO A S. VICTORE.

92. Invidus pallidus est, macie confectus, cito prorumpit in iram, vultum commutat livore, oculis truculentus, animo inquietus. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 9.

93. Invidia semper mala aliorum revelat, et bona celat. Super III, *Reg.* XVIII.

HUGO CARD.

94. Invidia peccatum est gravissimum, quia et proprium subjectum lædit et destruit. Super *Epist. Judæ.*

95. Invidia cibus est mentis, virulentis eam succis corrumpens, et prosperitate alieni successus jugiter miseram excruciare non desinens. Lib. 5, *de Cœnob. Inst.*, cap. 11.

JOAN. CASS.

96. Sciendum sane est, invidiæ morbum difficilius ad medelam, quam cætera vitia pervenire : nam eum, quem semel veneni sui peste corruperit, pene dixerim, carere remedio. Collat. 18, *Abb. Piammonis*, cap. 17.

97. Cunctis vitiis perniciosiorem atque ad purgandum difficiliorem esse constat invidiam, quæ ipsis remediis, quibus reliqua extinguuntur, accenditur. *Ibid.*



98. Invidiæ quasi a regulo serpente effusum virus, vitam ipsam religionis ac fidei, priusquam vulnus in corpore sentiatur, excludit. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST.

99. Invidia telum est diaboli. Homil. 3, super *Gen.*

100. Sicut vermis, qui a ligno producitur, lignum ipsum primo consumit : ita invidia illam primo animam, corrumpit ex qua nata est, et ei cui invidetur plane diversa quam vult, affert. *Ibid.*, homil. 46.

101. Vide ad principium eorum, quibus invidetur, sed etiam ad finem respice : quia malitia invidentium eos quibus invidet clariores efficit. *Ibid.*

102. Is qui invidetur subsidiarium habet Dei auxilium, et gratia fruitur : qui autem invidet, gratia spoliatur. *Ibid.*

103. Invidia perniciosissima est, et perniciosior omnium affectionum, quæ ab hostibus infestata consumitur salutemque corrumpit. *Ibid.*

104. Invidia diaboli est inventum. *Ibid.*

105. Invidia deceptionem operatur, deceptio transgressionem, transgressio inobedientiam, inobedientia mortem. *Ibid.*

106. Invidia nihil cum ratione operatur. *Ibid.*, homil. 52.

107. Invidentia non potest benigniter videre aliorum felicitatem : quia felicitatem proximi suam putat infelicitatem, et tabescit bonis proximi. *Ibid.*

108. Invidia ignis inextinguibilis est, et omni malitia cumulata. Homil. 1, *Psalm.* L.

109. Sicut tinea comedit vestimentum, sic et invidia eum qui zelat, consumit; eum cui invidet clariorem reddit. *Ibid.*

110. Perniciosum malum, ac sibi ipsi contrarium atque repugnans est invidia. Homil. 33, super *Matth. Oper. perf.*

111. Adeo perniciosum malum est invidia, ut non solum alienis, sed domesticis et illis ipsis qui invident, pestifera est. *Ibid.*, homil. 41.

112. Tale malum invidia est, qua nulla unquam malignitas pejor invenitur. *Ibid.*

113. Invidi multo ante ipsos, quam quibus invident, perturbant et cruciant : et ita in agendo semper invidendoque sunt, ut nunquam peccandi afferant finem. *Ibid.*

114. Quemadmodum sues lutosa immunditia, et dæmones alienis damnis lætantur, sic invidi calamitate proximorum exultant. *Ibid.*

115. Quemadmodum scarabæi alieno stercore, sic invidi adversa aliorum fortuna nutriuntur. *Ibid.*

116. Invidia pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immanissimum convertit. *Ibid.*

117. Quanto majore invidia laboras, tanto majora illi offers bona, cui invides. *Ibid.*

118. Magna, etiam in Ecclesia et in Clero, multoque major sæpe quam in laicis, est invidia. *Ibid.*

119. Talis protervitas invidiæ est, ut non facile terminetur. *Ibid.*, homil. 89.

120. Hoc proprium est invidiæ quando alteri aliquid additur, sic dolent invidi, quasi illis sit aliquid subtractum, quod illi est additum. Homil. 34, super *Matth. Oper. imperf.*

121. Invidia sibi semper est inimica : nam qui invidet, sibi quidem ignominiam facit : illa autem cui invidet, gloriam parat. *Ibid.*, homil. 89.

122. Invidia sibi soli nociva est : alterum autem cui invidet non solum non gravat, sed adhuc magis commendat. *Ibid.*

123. Invidia nihil pejus : invidus enim ut proximum perdat, perdit seipsum. Homil. 54, super *Joan.*

124. Fera venenosa invidia est, fera immunda, et morbus voluntatis omni venia et excusatione indigna, omnium malorum et mater et auctor. *Ibid.*

125. Invidus Ethnicis pejor est, nihilque aliud habet quam insaniam, et mentem omnino satanicam : cui poterit conferri ? cui viperæ, cuinam aspidi, cui vermi, cui cantharidi ? Serm. 7, super *Epist. ad Rom.*

126. Quid scelestius invidia ? hæc enim ecclesias evertit, hæreses peperit, fraternam manum armavit, dexteram in sanguinem justi immersit. *Ibid.*

127. Invidia naturæ leges dissipat, morti portas aperit. *Ibid.*

128. Invidia omnia dispergit dissipatque, communis hominum naturæ hostis est, et expressa quædam satanæ imago. Homil. 51, super I *Cor.* super illud : *Lucæ* XI : *Regnum in se divisum*, etc.

129. Insania manifesta est, alienis bonis cruciari : hoc enim rabidorum canum, et insanientium hominum est. Homil. 27, super II, *Cor.*

130. Melius esset habere serpentem in visceribus sese volutantem, quam livorem intus depascentem. *Ibid.*

131. Invidia fornicatione pejor est, et adulterio : hoc enim in operato tantum sistit, invidiæ vero vis toti nocet terrarum orbi. Homil. 44, *ad Popul. Antioch.*

132. Talis est hujus vitii malitia, ut prius se parientem offendat. *Ibid.*

133. Sicut vermis de ligno nascens, ipsum prius

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

absumit : sic et invidia, illam prius quæ se peperit animam corrumpit. *Ibid.*

134. Invidere pejus est, quam bellum inferre. Qui enim bellum gerit, soluta causa propter quam bellum gerebatur, inimicitiam quoque dissolvit : invidus autem, nunquam efficitur amicus. *Ibid.*, homil. 53.

135. Cui viperæ, cui aspidi, cui vermi, cui scarabæo comparabitur invidus? nihil enim hujusmodi scelestius anima, pejus nihil. *Ibid.*

136. Invidi oculus consumitur dolore, morte vivit perpetua. Homil. 54, super *Joan.*

JOANNES SARESB. 137. Plane nihil est, quæ quod magis charitatem impugnet, quam venenum invidiæ. Lib. 7, *de nugis Curial.*, cap. 24.

138. Invidia est, quod sibi vult abesse, idem proximo abesse desiderat : et si non absit, infeliciter cruciatur ; et sæpe in eo quod non desiderat (dum illud proximo videt abesse) torquetur. *Ibid.*

139. Non est qua via declines invidiam, nisi miserrimus fias : celebre namque est ab antiquo proverbium, quia sola miseria nescit invidiam : fortunaque hominis miserrima est, cui non invidetur. *Ibid.*

140. Non est cœtus conviventium, nisi religiosissimus sit, quem livoris stimulus non attingat. *Prosec.*

141. Ubique tamen qui illustrioribus clarescunt meritis, acrius invidiæ toxicato dente roduntur. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 142. Nulla est virtus, quæ non habeat contrarium invidiæ malum : sola miseria invidia caret. In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Odium.*

S. IRENÆUS. 143. Invidia aliena est a Deo. Lib. 5, *advers. Hæres.*, cap. *Omnia.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 144. Livor alieni boni suum punit auctorem : nam unde bonus proficit, inde invidus contabescit. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 25, sent. 1.

145. Invidus membrum est diaboli : cujus invidia mors introivit in orbem terrarum. *Ibid.*, sent. 3, etc.

146. Nulla est virtus, quæ non habeat contrarium invidiæ malum. *Prosec.*

147. Sola miseria caret invidia, quia nemo invidet misero, cui revera non livor objicitur, sed sola misericordia adhibetur. *Ibid.*, sent. 4.

148. Multi et bonos imitari volunt, et de bonorum profectibus invidiæ livore tabescunt : quo ut nec illi corrigantur a malo suo, sed per invidentiam deteriorentur, et bonos a recto studio (quantum in ipsis est) depravare conentur. *Ibid.*, sent. 5.

149. Invidia cuncta virtutum germina, concremat, invidia cuncta bona ardore pestifero devorat. *Prosec.*

150. Hæc primum sibimet nocet, primum se mordet, primum suum auctorem rodit.

151. Invidia animæ tinea est, sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 8.

S. LAURENT JUSTIN. 152. De invidiæ morbo cum plenus est animus, suasione diaboli non indiget, ipse namque sibiipsi laqueus et insidiator est. *De discipl. monast. conversat.* cap. 13.

153. Nullum profecto vitium fraternæ ita se opponit dilectioni, quemadmodum invidia : detractioni semper vacat, bonis alienis derogat, cordium occulta dijudicat. Lib. 1, *de Spirituali interitu*, cap. 24.

S. NILUS 154. Invidus seipsum mulctat. *Parænet.* 15.

PETR. BLES. 155. Invidia mel intoxicat, et dum aliena virtute torquetur, bonum quod apud se non invenit, malitiose depravat. *Prosec.*

156. Opinionis enim alienæ dispendium, suæ famæ reputat lucrum ; totumque sibi detrahi credit, quod ad titulos vicinæ bonitatis accedit. Epist. 92, *ad Reginald. episc. Bathoniens.*

157. Invidiæ proprium est, laudem alterius, suam reputare injuriam. *Ibid.*, epist. 97, *ad Abbat.*

158. Invidus visis rebus opimis macrescit. *Ibid.*, serm. 11, *Quadrag.*

S. PETRUS CHRYSOL. 159. Invidia malum vetustum, prima labes, antiquum virus, sæculorum venenum, causa funeris, intestinus hostis. Serm. 4, *de Prodigo.*

160. Invidia non carnis quatit muros, non elidit septa membrorum, sed in ipsam cordis arietat arcem, et antequam viscera sentiat, ipsam dominam corporis animam prædo capit, et adducit inclusam. *Ibid.*

161. Invidus avarus est, quando quidquid habet alter, se computat perdidisse. *Ibid.*

162. Invidia de cœlo abjecit Angelum, de Paradiso exclusit hominem. *Prosec.*

163. Ipsa primum contaminavit terras germano sanguine : ipsa germanos compulit venumdare germanum. Ipsa Moysen fugavit, Aaron in fratris excitavit injuriam, Mariam maculavit livore germani : ac quod pavet mens, quod visus tremit, quod auditus non capit ; ipsum Christum attendit, et pervenit ad sanguinem. *Ibid.*, serm. 43.

164. Invidia omnibus malis pejor, quos ceperit, liberari nequeunt : quos vulneravit, ad curam non veniunt, non redeunt ad salutem. *Ibid.*

165. Invidia delictorum venenum, criminum virus, peccatorum mater, origo vitiorum. *Prosec.*

166. Hanc qui non viderit, bona videt : hanc qui nescierit, mala nescit : hanc qui fugerit, vivit. *Ibid.*



167. Invidia vitari fuga potest, non potest superari conflictu. *Ibid.*

168. Dolet invidus, agit infelix, ne videat felicem, quem aliquando putaverat infelicem. *Ibid.*, serm. 123.

169. Omnia quidem vitia ad suorum semper intendunt et prosiliunt læsionem, sed suos semper amplius invidia consumit. *Prosec.*

170. Invidia suorum carnifex semper extitit, extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit.

171. Hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia ; quia in se domesticum semper diligit habere tortorem.

172. Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna est, ubi cruciatus est aliena felicitas? Malum multiplex, quot sunt prosperitates hominum, tot tormenta sunt invidorum. *Ibid.*, serm. 172.

173. Cum aliis vitiis animus poterit confligere Christianus, invidiam quisquis antequam sentiat non fugerit, non evadit. *Ibid.*

PHILO JUD. 174. Invidia magnarum felicitatum adversaria perpetua, tunc domum fortunatam aggressa, perturbat. *De Joseph.*

175. Sapientum animos non subit invidia. *De nobilit.*

S. PROSP. 176. Tantos invidus habet, pœna justa, tortores, quantos invidiosus habuerit laudatores. *Prosec.*

177. Siquidem invidiosum facit excellentia meriti, invidum pœna peccati. Lib. 3, *de Vita Contemplat.*, cap. 5.

178. Quis ei poterit subvenire, qui se sibi exhibet invidendo carnificem? *Ibid.*, cap. 9.

S. SYNESIUS, EPISCOPUS. 179. Livor non tam virtute reprimi, quam inardescere atque inflammari solet, qui cum natura secundis rebus immineat, quo cumulatius obveniunt, eo et æmulatio mœrorque in dies magis ac magis augetur. *De Provid.* sect. 1.

TERTULL. 180. Impietas profunda mali, mens invida vitæ. Lib. 1, *Poemat.* cap. 1.

S. THEODOR. 181. Nihil est invidia sceleratius. Orat. 6, super *Daniel.*

THEOPHYLACTUS. 182. Invidi quando beneficiis afficiuntur, tunc insaniunt. Super *Matth.* cap. 12, in illud : *Ceperunt consilium.* etc.

183. Invidia semper obscurat bona, nec illa ab invidis videri sinit. Super *Marc.*, cap. 6.

S. THOMAS AQUINAS. 184. In damnatis est tanta invidia, quod invident etiam proximorum saluti. Super 4. *Sent.* dist. 40, art. 1.

S. THOMAS A VILLANOVA. 185. Nihil habet bonum invidia, nisi quod merito torquet habentem. Serm. *fer. 6, post Dominicam Passion.*

186. Invidia pura malitia est, nihil habens commodi, sed tormenti plena, nihil solatii, nihil voluptatis. *Ibid.*

187. Invidia ad omnem litem animos humanæ mentis accendit. Homil. 2. S. VALER. EPISCOPUS.

188. Invidi adversus se pugnas instituunt, et domos suas proprio igne incendunt ; in quorum sinu clauso flamma tenetur incendio. *Ibid.*, homil. 13.

189. Felicem plane illum judicio, cujus gloriosam vitam torvis oculis alter aspexit : nam satis bono loco est illius causa, qui aliena laborat invidia ; quia non livet homo, nisi melioribus. *Prosec.*

190. Nec invidiæ subjacet, nisi quem ad celsiora melior vitæ profectus evexerit : illos vero plusquam miseros puto, quos lucra alienæ felicitatis exagitant, et iracundia impia æmulatione concepta occultis cordis jaculis inquietat. *Ibid.*

191. Videtur mihi ipsa invidia aliquid habere discretionis, cum auctoris sui cor repercutit, et male conscium pectus cruento jugiter livore consumit. *Ibid.*

192. Nihil humanæ invidiæ malo perniciosius accidere potest : quod malum lædit parum quidem etiam eos, in quos intenditur, gravius vero eos prius, a quibus procedit affligit. Serm. *de Livore.* S. ZENO EP. ET MART.

193. Quid hoc invidiæ malo tetrius? quid humanæ vitæ perniciosius? quid tam naturæ inimicum? quid tam Deo ipsi adversum? *Ibid.*

194. Fugiamus invidiam obicem pietatis obstaculum regni cœlorum, viam gehennæ, pignus et primitias quasdam pœnæ perpetuæ. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

195. Quod rubigo ferro, hoc livor homini. In *Sent.*, sent. 3. ANTHISTH. PHILOSOPH.

196. Invidus de omnibus dolet. Lib. 2, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7. ARISTOTEL.

197. Invidens tristatur, cum quempiam prorsus sive dignum, sive indignum bene agere viderit. Lib. 1, *Magnor. Moral.*, cap. 28.

198. Invidus ob successum, plusquam deceat, angitur. Lib. 2, *Ethic. ad Eumdem.*

199. Invidus est alienis malis gaudens, et angitur dignorum successu. *Ibid.*, lib. 3.

200. O virtutis comes invidia ! quæ bonos insequeris plerumque, atque adeo insectaris. Lib. 4, *de Arte Rhetor.* CICERO.

201. Nihil homini tam timendum est, quam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

invidia : et nihil innocenti suscepta invidia tam optandum, quam æquum judicium. Orat. 14, *pro Cluentio.*

PLATO. 202. Is qui invidet, ob vicinorum mala gaudere comperietur. *De Voluptate.*

203. Invidus dum cæteris detrectando, ipse unus cæteros supereminere arbitratur, sed ipse minus recte ad veram virtutem tendit. Lib. 2, *de Legib.*

PLINIUS II. 204. Nihil est tam pronum ad simultates, quam æmulatio : ea porro maxime nascitur ex conjunctione, alitur æqualitate, ardescit invidia, cujus finis est odium. In *panegyr. de Trajano augusto.*

SENECA. 205. Quam periculosa res est invidia! quam magnos viros oppressit. Lib. 1, *Controvers.* 8.

266. Nihil est invidia periculosius, hanc sapientes viri pestiferam vitandam esse præcipiunt. *Ibid.*, lib. 3, *Controvers.* 21.

207. Invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non jactaveris, si scieris in sinu gaudere. Epist. 95.

Vide etiam tit. *Diabolus*, sent. 127; *Felicitas*, sent. 51, 52, 129; *Ira* in genere, sent. 58; *Occisio*, sent. 56; *Potestas* in genere, sent. 9, 74; *Superbia*, sent. 46, 47.

## INVITUS, SEU VIOLENTIA.

HUGO A S. VICTORE. *Definitio.* Violentia est, per quam malitia seu injuria commodi gratia in inferiorem potenter et per vim exercetur. *De fruct. carnis et spirit.*, cap. 8.

S. JOANNES DAMASC. Invite fieri id dicitur, quod principium extrinsecus habet, nihil suopte motu atque conatu ad actionem conferente eo, cui vis affertur. Lib. 2, *de Fide orthodox.*, cap. 24.

HUGO CARD. *Divisio.* Aliquis potest dici invitus aliquid facere tripliciter, quando facit coactione effectiva, non sufficiente; quando murmurando, et recalcitrando; quando facit quod secundum se non placeret ei, nec faceret, nisi injunctum esset ei. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 8.

S. JOANNES DAMASC. Invite duplici modo aliquid fit, nempe, per vim, per imprudentiam. Lib. 2, *de Fide orth.*, cap. 24.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Sapiens neque cogi, neque prohiberi potest. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplician.*

2. Virtutis non coactus, sed voluntarius executor est sapiens ; unde liquet quia nihil invitus facit, neque cogitur. *Ibid.*

3. Necessitas, quæ invito imponit obsequium, affert plerumque fastidium. *Prosec.*

4. Nihil est enim tam facile, quin habeat difficultatem, quod facias invitus. Lib. 5, *Hexam.*, cap. 15.

S. ANSELM. 5. Hominem invitum mori miserum est. Lib. 1 *Cur Deus*, cap. 9.

S. AUGUST. 6. Nemo invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit. Lib. 1 *Confess.*, cap. 12.

7. Nemo securus est in his bonis, quæ potest invitus amittere. *Prosec.*

8. Veritatem atque sapientiam nemo amittit invitus : nemo autem vult aliquid nolens. Lib. 2 *de Libero arbitr.*, cap. 14.

9. Onerosior est quam utilior diligentia, ut quamvis magnum deseratur malum, et magnum teneatur bonum, cogi tantum homines, non doceri. Epist. 127, *ad Donatum.*

10. Quidquid in virgine nec commisit, nec permisit libido patientis, solius erit culpa facientis, omnisque illa violentia non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis vulnere deputabitur. 122, *ad Victorian.*

11. Violentia non violatur pudicitia, si mente servatur : quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis sua turpiter carne non utitur, sed sine consensione tolerat, quod alius operatur. Epist. 180, *ad Honoratum.*

12. Multa bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati. In *Enchirid.*, cap. 72.

13. Potes aurum perdere, et nolens, potes domum, potes honores, potes ipsam carnis salutem : bonum vero quo vere bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis. Serm. 12, *de Verbis Domini.*

14. Nihil proficit bene operari ex coactione, nisi ex voluntate libera faciatis : qui enim bene faciunt coacte, Deo non sunt accepta, quæ faciunt. Serm. 34, *ad Fratres in eremo.*

15. Nemo bonus esse potest invitus. Et apud Gratian., in *Decret.* part. 2, causa 23, quæst. 6, can. *Vides.*

16. Potentior non cogit in aliquid, nisi quod suæ potestati subditum est. *De Immort. animæ*, cap. 13.

17. Omnis invitus faciens cogitur, et omnis qui cogitur, si facit, nonnisi invitus facit : restat ut volens a cogente sit liber, etiamsi se quispiam cogi putet. *Prosec.*

18. Et hoc modo, omnis qui volens facit, non cogitur : et omnis qui non cogitur, aut volens facit, aut non facit. *De Duab. animab.*, cap. 10.

19. Non cogeris Deus, invitus ad aliquid; quia voluntas tua non est major potentia tua. Lib. 7, *Conf.*, cap. 4.



20. Deus non aliquid invitus facere cogitur. Lib. 22, *contra Faustum*, cap. 12.

21. Qui cogitur necessitate aliquid facere non peccat. *contra Fortunat.*, disputat. 1.

22. Diabolus sollicitare potest, cogere non potest : non enim cogendo, sed suadendo nocet. Homil. 12, *ex Quinquag. homil.*

23. Propria cogitatione non peccat invitus. Lib. 3 *de Libero arbitr.*, cap. 10.

24. Quod invitus facerem, pati me potius quam facere videbam. Lib. 7 *Conf.*, cap. 3.

25. Ex magna parte id patiebar invitus, quod faciebam volens. *Ibid.*, lib. 8, cap. 5.

26. Non sane quidquid ab invito sumitur, injuriose aufertur. Epist. 54.

27. Si pœnam meretur qui peccat invitus, debet et præmium mereri qui bene facit invitus. *Contra Fortunat.*, dist. 2.

28. Ad veritatem recipiendam cogendi sunt etiam inviti. Lib. 1 *contra Gaudent.*, cap. 25, per totum.

29. Cujus voluntas superat omnia, nulla ex parte quidquam sentit invitus. Lib. 2 *de Gen. contra Manich.*, cap. 29.

30. Noli te cogitare invitum trahi, trahitur animus et amore. Tract. 26, super *Joan.*

31. Invitum errare, pœna peccati est. *Annot. in Job*, cap. 14.

S. BASILIUS MAGNUS. 32. Nihil coactum laudabile est. Super *Psalm.* CXIV, conc. 16, vers. 3.

33. Quod coactum est, postquam ad breve quoddam tempus ortum est, statim in ea, ex quibus conflatum est, dilabitur. Apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1, *Parall.*, cap. 58.

S. BERNARD. 34. Invitum tenere ad quod invitus tractus est, durum pro illo, fructuosum nemini est. Epist. 258, *ad Eugen. Pap.*

S. BONAV. 35. Coacta servitia Deo non placent, quia generosus est animus hominis, et facilius ducitur, quam trahitur. In cap. 5, *Luc.*

36. Agenda sunt multa cum invitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potius est utilitati consulendum, quam voluntati. *Ibid.*, cap. 6.

S. BRUNO. 37. Vim vi repellere nullæ leges prohibent. *De festis Sanctor. de Nat. Dom.*

S. CÆSAR. ARELAT. & S. EUSEBIUS EMISSEN. 38. Quidquid inviti atque compulsi facimus, noverimus nos ex eo non solum non habere profectum, sed maximum detrimentum. Homil. 28, *ad Monach.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 39. Ante omnia caveamus, ut quod nobis agere necesse est, non agamus inviti. *Ibid.*, homil. 8.

GLOSS. DEC. 40. Vim vi repellere licet. In *Decret Gratiani.*

GLOSS. ORD. 41. Regnat Deus voluntariis, invitis imperat. Super *Psalm.* II.

42. Omnis, qui vim sibi facit, vehementi studio properat, non torpenti lentescit. *Prosec.*

43. Est ergo fidei religiosa violentia, segnities criminosa.

44. Faciamus itaque vim naturæ, ut non ad terrena demergat, sed ad superna se erigat. Super *Luc.*, cap. XVI, in illud : *Omnis in illud vim facit.*

S. GREGOR. MAGN. 45. Quod mens sponte non recipit, congrue non disponit. Lib. 1, in *Registro*, ind. 9, cap. 5, epist. 5, *ad Theotistam.*

S. GREGOR. NAZ. 46. Vi adigi, nequaquam legis est nostræ : nec aliquid quod violentum est, sed voluntarium : volentium enim, et non coactorum, salutis est mysterium. Orat. 4, *Cum a Patre in consortium assumptus*, etc.

47. Quidquid coactum est, diuturnum non est : voluntarium autem quod est, tum diuturnius est, tum etiam tutius. Lib. 5, *de Theologia.*

48. Quod invite fit, præterquam quod tyrannicum est, ac laudis expers, ne quidem firmum ac stabile est. *Prosec.*

49. Solet enim quod coactum est, non secus ac planta manibus per vim inflexa, simul atque dimissa est ad seipsam redire. *Ibid.*

50. Quod invite fit, statim molestiam affert : quod autem sponte, satietatem non admittit, sed semper et gratia et desiderio virescit. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 3 *Parall.*, cap. 101.

S. GREGOR. THAUM. 51. Repugnante naturâ, inania omnia sunt. Et hab. apud D. Joan. Damasc. lib. 3, *Parall.*, cap. 101.

S. HIERON. 52. Nulla res facilis est, quin difficilis fiat, si invitus facias. Epist. 19, *ad Præsidium de Cereo Paschali.*

53. Factum inviti acceptum non est. Super II, *ad Cor.*, cap. 8, in illud : *Facto perficite.*

HUGO CARD. 54. Nemo illius rei mercedem accipit, quam invitus facit. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 8.

S. JOAN. DAMASC. 55. Virtutis nomen obtinere non potest, quod quis per vim atque atque invitus efficit. Lib. 2, *de Fide orthod.*, cap. 12.

PETR. BLES. 56. Non est meritorium apud Deum, quod præter liberam arbitrii benevolentiam est extortum. Epist. 54, *ad Pictaviens. archidiacon.*

57. Coacta servitia Dominus non acceptat : Ego homo sum, non asinus, ut spontaneus inviter ad onera, non compellar invitus. *Ibid.*, epist. 123, *ad Richard Londonens. episcop.*

PHILO JUD. 58. Quidquid violentum, non diuturnum est. Lib. *Quod Deus sit immut.*

59. Ubi deest assensio in violentia, nec qui patitur vere patitur, nec qui præter animi sui sententiam lædit, reus est patrati facinoris. *De migrat. Abrahami.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SALVIANUS. 60. Nihil est tam leve, quod ei non grave sit, qui invitus facit. Lib. 1, *de Gubernat. Dei.*

61. Totum durum est quidquid imperatur invitis. *Ibid.*, lib. 4, *ad Eccles. Catholic.*

IN VIT. PATR. 62. Quod ab invito fit, id est valde molestum: quod autem est voluntarium, etiamsi sit laboriosum, minorem affert dolorem. Lib. 9, cap. 28.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 63. Videtur ea invitus facere quispiam : quæ violentia, vel per ignorationem facit. Lib. 3 *Ethic. ad Nicomach.*

64. Id est violentum, cujus principium est foris, in quod nihil is qui agit aut patitur, confert. *Ibid.*

65. Id violentum est, cujus principium est foris, nihil prorsus eo conferente, cui vis est illata. *Ibid.*

66. Ab invito id effectum est omne, pro quo dolet, qui egit, ipsumque pœnitentia subit : non tamen erit invitus ; quippe cum non doleat ob id. *Prosec.*

67. Qui igitur ob ignorationem quippiam agit, si ipsum pœniteat, invitus fecisse videtur : si non pœniteat, cum is alius fit, non sponte dicitur egisse. *Ibid.*

68. Beatus nemo est invitus, sponte autem nostra pravitas comparatur. *Ibid.*, cap. 5.

69. Quæcunque inviti agimus, coacti faciamus necesse est. Lib. 1, *Magnor. Moral.*, cap. 13.

CICERO. 70. Nisi coactus, recte facere nescis. Orat. 8, *in Verrem*, lib. 3, act. 4.

71. Vis abesto, nihil est enim exitiosius, nihil minus humanum, quam quidquam agi per vim. Lib. 3, *de Legibus.*

72. Non debet ratum esse quod actum est per vim, quasi vero forti viro vis possit adhiberi. Lib. 3, *Offic.*

73. Soli hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. *De Paradoxis*, cap. 5.

PLATO. 74. Non sane invito animo fit voluntarium. In *dialogo de Justo.*

SENECA. 75. Nihil cogor, nihil patior invitus, nec invitus servio Deo, sed assentio. Lib. *de Divina provid.*, cap. 5.

76. Turpe est non ire, sed ferri. Epist. 37.

77. Nihil invitus facit sapiens. Epist. 54.

78. Da operam, ne quid unquam invitus facias quidquid necesse est, futurum est. *Prosec.*

79. Repugnanti non volenti, necessitas est; in volente, necessitas non est.

80. Non qui jussus aliquid facit, miser est ; sed qui invitus facit. Epist. 61.

81. Non est gloriosum, quod ab invito et tergiversante fit. Epist. 82.

VALERIUS MAXIMUS. 82. Quidquid imperio cogitur, exigenti magis, quam præstanti acceptum refertur. Lib. 2, *Dictor. memorabil.*, cap. 1.

83. Plerumque plus valet quod violentia cogit, quam quod suadet et præcipit verecundia. *Ibid.*, lib. 3, cap. 8.

Vide etiam tit. *Bonum*, sent. 83; *Cœlum*, sent. 32; *Continentia*, sent. 16; *Honestas*, sent. 55; *Obedientia*, sent. 100, 229; *Occupatio*, sent. 49; *Punitio*, sent. 38; *Rapina*, sent. 5; *Servire Deo*, sent. 40; *Timor pœnæ*, sent. 28; *Voluntas* in genere, sent. 7, 8.

## IRA in genere.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Etymologia.* Iratus dicitur, quasi ira actus. Lib. 10, Etym. verbo *Iratus.*

S. ANTONIN. *Definitio.* Ira est turbatus appetitus vindictæ. Part. 2, tit. 7, *de Ira*, cap. 1.

S. AUGUST. Ira est turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Epist. 115 *ad Nebridium.*

Quid est ira? libido vindictæ. Homil. 42, *ex Quinquoginta homil.*

DIONYSIUS CARTHUS. Ira est appetitus vindictæ propter parvipensionem, injuriamve illatam. *De Mortificat. vivifica*, art. 7.

S. GREGOR. NYSS. Ira est appetitio nocendi ei, qui concitaverit, et ad iram provocaverit. *De Anima et Resur.*

HUGO A S. VICTORE. Ira est strictus concitati animi furor, ulciscendi libidine fervens. *De fruct. carnis et spirit.*, cap. 6.

S. JOAN. CLIM. Ira est toleratio occulti odii, memoria scilicet injuriarum alte animo impressa. Gradu 8.

Iracundia est subita cordis excandescentia, nec diuturna. *Ibid.*

S. JOANNES DAMASC. Ira est ebullitio sanguinis in corde, hinc existens quod ad superiores partes exhalet, aut certe perturbetur : unde et χολὴ et χόλος, id est, bilis, et indignatio dicitur. Lib. 2, *de Fide orthodox.*, cap. 16.

Ira est ulciscendi libido, et rationis velut satelles ac vindex concupiscentiæ. *Ibid.*

LACT. FIRM. Ira est cupiditas doloris rependendi. *De Ira Dei*, cap. 17.

Ira est cupiditas ulciscendæ injuriæ. *Ibid.*

Ira bona est motus animi ad coercenda peccata insurgentis. *Ibid.*

ARISTOTEL. Ira est appetitus in tristitia propter apparentiam suiipsius vel suorum. 2, *Rhetor.*, et apud Bedam.

CICERO. Ira est libido puniendi ejus, qui videatur læsisse injuria. Lib. 4, *Tusc. quæst.*



PLATO. Ira est provocatio animæ partis ad vindictam. *De Definit.*

SENECA. Ira est concitatio animi ad ultionem voluntate et judicio pergentis. Lib. 2, *de Ira*, cap. 3.

Ira cupiditas est pœnæ exigendæ. *Ibid.*, lib. 1, cap. 3.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Differentia.* Inter iram et iracundiam hoc distat : Ira est præsens, et ex causa nascitur : iracundia vero vitium naturale, vel perpetuum est. Serm. *Dom.* 6, *post Trinit.*

CASSIODOR. Ira et furor inter se differunt : ira longa indignatio est, furor repentina mentis accensio. Super *Psalm.* VI, vers. 1.

S. ISIDORUS HISPALENS. Inter iram et iracundiam hoc interest, quod ira sit ad tempus, iracundia continetur in corde. Lib. 1, *de Differentiis*, differentia 22.

S. REMIGIUS Hoc distat inter iratum et iracundum : quia iratus pro tempore est ; iracundus vero facile irascitur, et semper pronus est ad irascendum. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 5.

RICHARD. A S. VICTORE. Furor et ira inter se differunt : Furor est perturbatio mentis totius expers rationis; Ira est mentis perturbatio magna, sed a ratione non penitus aliena. Part. 1, lib. 1, *de Erudit. hominis inter.*, cap. 7.

SENECA. Ira ab iracundia distat. Iratus potest non esse iracundus, iracundus potest aliquando iratus non esse. Lib. 1, *de Ira*, cap. 4.

Nihil interest inter iratum et insanum, nisi unus dies : alter non semper irascitur, alter semper insanit. *De Moribus.*

S. AUGUST. *Productio.* Ab ira procedit rancor, a rancore odium quod est ira inveterata in animo : inde nascitur homicidium, etsi non opere saltem voluntate : inde contumelia, inde detractio, inde susurratio, suspicio et injuria, quæ sunt opera carnis et diaboli. Serm. 9, *ad Fratr. in eremo.*

S. EDMUND. De ira nascuntur rixæ, contentiones, inflatio cordis, verba prava, dedignatio, blasphemia. In *Speculo Ecclesiæ*, cap. 8.

S. GREGOR. MAGNUS. De Ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ, oriuntur. Lib. 31, *Moral.*, cap. 17, super illud : *Job* XXI, *Exultationem ducum*, etc.

HUGO A S. VICTORE. Iræ comites sunt, clamor, blasphemia, contumelia, luctus, temeritas, furor, indignatio. *De fruct. carnis et spiritus*, cap. 8.

S. NILUS, ABB. ET M. Ira cum supra modum efferbuit, furorem parit. Orat. 4, *de Ira.*

SALVIANUS. Ira mater est odii. Lib. 3, *de Gubernat. Dei.*

ARISTOTEL. Ira est factiva inimicitiæ et odii. 2, *Rhetor.*, et apud Bedam.

SENECA. Causa iracundiæ, opinio injuriæ est. Lib. 2, *de Ira*, cap. 22.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Si irascimur, quia affectus naturæ est, non potestatis, malum sermonem non proferamus, ne in culpam ruamus. Lib. 1, *Offic.*, cap. 3, in illud *Psalm.* IV : *Irascimini et nolite peccare.*

2. Caveatur iracundia, aut si præcaveri non potest, cohibeatur : resiste iræ si potes, cede si non potes. *Ibid.*, cap. 21.

3. Si prævenerit et præoccupaverit mentem tuam iracundia et ascenderit in te, non relinquas locum tuum : Locus tuus patientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. *Ibid.*

4. Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius quam omnino non commoveri : hoc nostrum est, naturæ illud. *Ibid.*

5. Irascimini ubi culpa est, cui irasci debeatis : non potest enim fieri, ut non rerum indignitate moveamur; alioquin non virtus, sed lenitudo et remissio judicatur. *Prosec.*

6. Irascimini, ita ut a culpa abstineatis : vel si irascimini, nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam.

7. Si irascimini, vobis irascimini : qui enim sibi irascitur (quia cito commotus est) desinit irasci alteri. Qui autem vult iram suam justam probare, plus inflammatur, et cito in culpam cadit. *Ibid.*

8. Perturbata mente latius se ac longius fundit iræ appetitus, et tanquam efferato impetu frænos rationis non suscipit, nec ulla sentit aurigæ moderamina, quibus possit reflecti. *Ibid.*, cap. 47.

9. Iræ sæpe etiam innocentes in crimen abducit, quia dum justo amplius irascimur, et volumus alienum coercere peccatum, graviora peccata committimus. *De Joseph.*, cap. 13.

10. Inter cætera vitia, nihil ira asperius, nihil invenitur amarius. Precat. 2, *ante Missam.*

11. Ira dum ultra modum efferbuerit, atrociter mentem exulcerat, sensum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totumque corpus perturbat. *Ibid.*

12. Ira gravis est magistra peccati. Super *Psalm.* XXXVI.

13. Præclarum est motum temperare consilio, nec minoris virtutis ducitur cohibere iracundiam, indignationem compescere, quam omnino non irasci, cum plerumque illud lentius, hoc fortius æstimetur. Lib. 5, super *Luc.*, cap. VI, in illud *Psalm.* IV : *Irascimini et nolite peccare.*

14. Nulla est iracundia, ubi plenitudo est charitatis. *Ibid.*, lib. 7, cap. IX, in illud : *Nolite prohibere eos, etc.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

SALVIANUS. 60. Nihil est tam leve, quod ei non grave sit, qui invitus facit. Lib. 1, *de Gubernat. Dei.*

61. Totum durum est quidquid imperatur invitis. *Ibid.*, lib. 4, *ad Eccles. Catholic.*

IN VIT. PATR. 62. Quod ab invito fit, id est valde molestum: quod autem est voluntarium, etiamsi sit laboriosum, minorem affert dolorem. Lib. 9, cap. 28.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 63. Videtur ea invitus facere quispiam : quæ violentia, vel per ignorationem facit. Lib. 3 *Ethic. ad Nicomach.*

64. Id est violentum, cujus principium est foris, in quod nihil is qui agit aut patitur, confert. *Ibid.*

65. Id violentum est, cujus principium est foris, nihil prorsus eo conferente, cui vis est illata. *Ibid.*

66. Ab invito id effectum est omne, pro quo dolet, qui egit, ipsumque pœnitentia subit : non tamen erit invitus ; quippe cum non doleat ob id. *Prosec.*

67. Qui igitur ob ignorationem quippiam agit, si ipsum pœniteat, invitus fecisse videtur : si non pœniteat, cum is alius fit, non sponte dicitur egisse. *Ibid.*

68. Beatus nemo est invitus, sponte autem nostra pravitas comparatur. *Ibid.*, cap. 5.

69. Quæcunque inviti agimus, coacti facimus necesse est. Lib. 1, *Magnor. Moral.*, cap. 13.

CICERO. 70. Nisi coactus, recte facere nescis. Orat. 8, *in Verrem*, lib. 3, act. 4.

71. Vis abesto, nihil est enim exitiosius, nihil minus humanum, quam quidquam agi per vim. Lib. 3, *de Legibus.*

72. Non debet ratum esse quod actum est per vim, quasi vero forti viro vis possit adhiberi. Lib. 3, *Offic.*

73. Soli hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. *De Paradoxis*, cap. 5.

PLATO. 74. Non sane invito animo fit voluntarium. In *dialogo de Justo.*

SENECA. 75. Nihil cogor, nihil patior invitus, nec invitus servio Deo, sed assentio. Lib. *de Divina provid.*, cap. 5.

76. Turpe est non ire, sed ferri. Epist. 37.

77. Nihil invitus facit sapiens. Epist. 54.

78. Da operam, ne quid unquam invitus facias; quidquid necesse est, futurum est. *Prosec.*

79. Repugnanti non volenti, necessitas est; in volente, necessitas non est.

80. Non qui jussus aliquid facit, miser est; sed qui invitus facit. Epist. 61.

81. Non est gloriosum, quod ab invito et tergiversante fit. Epist. 82.

VALERIUS MAXIMUS. 82. Quidquid imperio cogitur, exigenti magis, quam præstanti acceptum refertur. Lib. 2, *Dictor. memorabil.*, cap. 1.

83. Plerumque plus valet quod violentia cogit, quam quod suadet et præcipit verecundia. *Ibid.*, lib. 3, cap. 8.

Vide etiam tit. *Bonum*, sent. 83; *Cœlum*, sent. 32; *Continentia*, sent. 16; *Honestas*, sent. 55; *Obedientia*, sent. 100, 229; *Occupatio*, sent. 49; *Punitio*, sent. 38; *Rapina*, sent. 5; *Servire Deo*, sent. 40; *Timor pœnæ*, sent. 28; *Voluntas* in genere, sent. 7, 8.

## IRA in genere.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Etymologia.* Iratus dicitur, quasi ira actus. Lib. 10, Etym. verbo *Iratus.*

S. ANTONIN. *Definitio.* Ira est turbatus appetitus vindictæ. Part. 2, tit. 7, *de Ira*, cap. 1.

S. AUGUST. Ira est turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Epist. 115 *ad Nebridium.*

Quid est ira? libido vindictæ. Homil. 42, *ex Quinquaginta homil.*

DIONYSIUS CARTHUS. Ira est appetitus vindictæ propter parvipensionem, injuriamve illatam. *De Mortificat. vivifica*, art. 7.

S. GREGOR. NYSS. Ira est appetitio nocendi ei, qui concitaverit, et ad iram provocaverit. *De Anima et Resur.*

HUGO A S. VICTORE. Ira est strictus concitati animi furor, ulciscendi libidine fervens. *De fruct. carnis et spirit.*, cap. 6.

S. JOAN. CLIM. Ira est toleratio occulti odii, memoria scilicet injuriarum alte animo impressa. Gradu 8.

Iracundia est subita cordis excandescentia, nec diuturna. *Ibid.*

S. JOANNES DAMASC. Ira est ebullitio sanguinis in corde, hinc existens quod ad superiores partes exhalet, aut certe perturbetur : unde et χολὴ et χόλος, id est, bilis, et indignatio dicitur. Lib. 2, *de Fide orthodox.*, cap. 16.

Ira est ulciscendi libido, et rationis velut satelles ac vindex concupiscentiæ. *Ibid.*

LACT. FIRM. Ira est cupiditas doloris rependendi. *De Ira Dei*, cap. 17.

Ira est cupiditas ulciscendæ injuriæ. *Ibid.*

Ira bona est motus animi ad coercenda peccata insurgentis. *Ibid.*

ARISTOTEL. Ira est appetitus in tristitia propter apparentiam suiipsius vel suorum. 2, *Rhetor.*, et apud Bedam.

CICERO. Ira est libido puniendi ejus, qui videatur læsisse injuria. Lib. 4, *Tusc. quæst.*



PLATO. Ira est provocatio animæ partis ad vindictam. *De Definit.*

SENECA. Ira est concitatio animi ad ultionem voluntate et judicio pergentis. Lib. 2, *de Ira*, cap. 3.

Ira cupiditas est pœnæ exigendæ. *Ibid.*, lib. 1, cap. 3.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Differentia.* Inter iram et iracundiam hoc distat : Ira est præsens, et ex causa nascitur : iracundia vero vitium, naturale, vel perpetuum est. Serm. *Dom.* 6, *post Trinit.*

CASSIODOR. Ira et furor inter se differunt : ira longa indignatio est, furor repentina mentis accensio. Super *Psalm.* VI, vers. 1.

S. ISIDORUS HISPALENS. Inter iram et iracundiam hoc interest, quod ira sit ad tempus, iracundia continetur in corde. Lib. 1, *de Differentiis*, differentia 22.

S. REMIGIUS Hoc distat inter iratum et iracundum : quia iratus pro tempore est; iracundus vero facile irascitur, et semper pronus est ad irascendum. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 5.

RICHARD. A S. VICTORE. Furor et ira inter se differunt : Furor est perturbatio mentis totius expers rationis; Ira est mentis perturbatio magna, sed a ratione non penitus aliena. Part. 1, lib. 1, *de Erudit. hominis inter.*, cap. 7.

SENECA. Ira ab iracundia distat. Iratus potest non esse iracundus, iracundus potest aliquando iratus non esse. Lib. 1, *de Ira*, cap. 4.

Nihil interest inter iratum et insanum, nisi unus dies : alter non semper irascitur, alter semper insanit. *De Moribus.*

S. AUGUST. *Productio.* Ab ira procedit rancor, a rancore odium quod est ira inveterata in animo : inde nascitur homicidium, etsi non opere saltem voluntate : inde contumelia, inde detractio, inde susurratio, suspicio et injuria, quæ sunt opera carnis et diaboli. Serm. 9, *ad Fratr. in eremo.*

S. EDMUND. De ira nascuntur rixæ, contentiones, inflatio cordis, verba prava, dedignatio, blasphemia. In *Speculo Ecclesiæ*, cap. 8.

S. GREGOR. MAGNUS. De Ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ, oriuntur. Lib. 31, *Moral.*, cap. 17, super illud : *Job* XXXI, *Exaltationem ducum*, etc.

HUGO A S. VICTORE. Iræ comites sunt, clamor, blasphemia, contumelia, luctus, temeritas, furor, indignatio. *De fruct. carnis et spiritus*, cap. 8.

S. NILUS. ABB. ET M. Ira cum supra modum efferbuit, furorem parit. Orat. 4, *de Ira.*

SALVIANUS. Ira mater est odii. Lib. 3, *de Gubernat. Dei.*

ARISTOTEL. Ira est factiva inimicitiæ et odii. 2, *Rhetor.*, et apud Bedam.

SENECA. Causa iracundiæ, opinio injuriæ est. Lib. 2, *de Ira*, cap. 22.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Si irascimur, quia affectus naturæ est, non potestatis, malum sermonem non proferamus, ne in culpam ruamus. Lib. 1, *Offic.*, cap. 3, in illud *Psalm.* IV : *Irascimini et nolite peccare.*

2. Caveatur iracundia, aut si præcaveri non potest, cohibeatur : resiste iræ si potes, cede si non potes. *Ibid.*, cap. 21.

3. Si prævenerit et præoccupaverit mentem tuam iracundia et ascenderit in te, non relinquas locum tuum : Locus tuus patientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. *Ibid.*

4. Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius quam omnino non commoveri : hoc nostrum est, naturæ illud. *Ibid.*

5. Irascimini ubi culpa est, cui irasci debeatis : non potest enim fieri, ut non rerum indignitate moveamur; alioquin non virtus, sed lenitudo et remissio judicatur. *Prosec.*

6. Irascimini, ita ut a culpa abstineatis : vel si irascimini, nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam.

7. Si irascimini, vobis irascimini : qui enim sibi irascitur (quia cito commotus est) desinit irasci alteri. Qui autem vult iram suam justam probare, plus inflammatur, et cito in culpam cadit. *Ibid.*

8. Perturbata mente latius se ac longius fundit iræ appetitus, et tanquam efferato impetu frænos rationis non suscipit, nec ulla sentit aurigæ moderamina, quibus possit reflecti. *Ibid.*, cap. 47.

9. Iræ sæpe etiam innocentes in crimen abducit, quia dum justo amplius irascimur, et volumus alienum coercere peccatum, graviora peccata committimus. *De Joseph.*, cap. 13.

10. Inter cætera vitia, nihil ira asperius, nihil invenitur amarius. Precat. 2, *ante Missam.*

11. Ira dum ultra modum efferbuerit, atrociter mentem exulcerat, sensum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totumque corpus perturbat. *Ibid.*

12. Ira gravis est magistra peccati. Super *Psalm.* XXXVI.

13. Præclarum est motum temperare consilio, nec minoris virtutis ducitur cohibere iracundiam, indignationem compescere, quam omnino non irasci, cum plerumque illud lentius, hoc fortius æstimetur. Lib. 5, super *Luc.*, cap. VI, in illud *Psalm.* IV : *Irascimini et nolite peccare.*

14. Nulla est iracundia, ubi plenitudo est charitatis. *Ibid.*, lib. 7, cap. IX, in illud : *Nolite prohibere eos, etc.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

15. Solemus modum egredi, dum corripiendo irascimur; et invenimur ipsi peccare, qui peccantes arguimus, dum plus irascimur et amplius oneramus peccantem, quam meretur. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 4, in illud *Psalm.* IV : *Irascimini*, etc.

16. Necesse est iratus animus male cogitet, quod cupit diabolus. *Ibid.*

S. ANTONIN. 17. Finis iræ est vindicta. Part. 2, tit. 7, *de Ira*, cap. 6.

S. ANTONIUS DE PADUA. 18. Quo minus presseris iram, tunc magis premeris ab ira. Serm. *Dom.* 4, *post Pascha.*

19. Iracundus cum irasci desierit, tunc irascitur sibi. *Ibid.*

S. AUGUST. 20. Melior est, qui quamvis ira sæpe tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat cui se fecisse agnoscit injuriam : quam qui tardius irascitur, et ad veniam petendam tardius inclinatur. Regula 3.

21. Nulli irascenti ira sua videtur injusta, ita enim inveterascens ira fit odium, dum quasi justi doloris admixta dulcedo, diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vasque corrumpat. *Prosec.*

22. Multo melius nec juste cuiquam irascimur, quam velut juste irascendo in alicujus odium iræ occulta facilitate delabimur.

23. Incomparabiliter salubrius est iræ etiam juste pulsanti non aperire penetrale cordis, quam admittere non facile recessuram et perventuram de surculo ad trabem; audet impudenter etiam crescere citius quam putatur. Epist. 149, *ad Profuturum.*

24. Plerumque non hominibus tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus atque frangimus : et aleatores tesseris, et pictores penicillo, et cuique instrumento quilibet ex quo difficultatem se pati arbitratur. Epist. 115, *ad Nebridium.*

25. Assiduitate irascendi fel crescere, etiam medici affirmant; cremento autem fellis, rursus et facile, ac prope nullis causis existentibus irascimur. *Ibid.*

26. Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? *De Agone christiano*, cap. 11.

27. In disciplina non tantum quæritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur : irasci enim peccanti, ut corrigatur, ne pereat, nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat. Lib. 9, *de Civit. Dei*, cap. 5.

28. Cum irascimur et clamare non possumus, interiora nostra turbantur. Super *Psalm.* XXXI, vers. 11.

29. Ira si fuerit inveterata, jam odium est; ira turbat oculum, odium extinguit : ira festuca est, odium trabs est. Super *Psalm.* LIV, vers. 3,

30. Surgit ira, noli dare iræ linguam ad maledicendum, noli dare iræ manum aut pedem ad feriendum. Tract. 41, super van. *Joan.*, cap. 8.

31. Festuca in oculo, ira est : trabs in oculo, odium est; festuca initium trabis est, nam trabs quando nascitur, prius festuca est, rigando festucam, perducis ad trabem. Alendo iram malis suspicionibus, perducis ad odium. *De Verb. Dom.* serm. 16.

32. Humanum est irasci, sed non debet iracundia natos surculos diversis suspicionibus irrigare, et ad trabem odii pervenire. Homil. 40, *ex Quinquaginta homil.*

33. Sæpe pater irascitur filio, sed non odit filium : irascitur ut corrigat, si propterea irascitur, ut corrigat, amando irascitur. *Ibid.*

34. Humanum est turbari, et irasci, et iram incurrere, bonorum et malorum communis est conditio, sed in ira perseverare, diabolicum est. Serm. 9, *ad Fratr. in eremo.*

35. Fortiter spiritum irascibilem continere, magnæ prudentiæ est et perfectionis. *Ibid.*

36. Qui iram in corde portat, infamiæ fœtor statim eum corrumpit. *Ibid.*

37. Ira rationem suffocat, mensuram justitiæ ignorat, solem justitiæ nescit, amicitias rumpit, aufert pacem mentis, sapientiam calcat, sapientes infatuat, monachos deviat, castitatem evacuat, gravitatem in pastoribus dilacerat. *Ibid.*

38. Ita repletus, consilii capax esse non potest. *Ibid.*

39. Vir iratus fœdus aspectu est. Homil. 10, *de Ira.* S. BASILIUS MAGNUS.

40. Quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram convertit, nec hominem qui rationis sit compos esse sinit. *Ibid.*

41. Irati impetu feruntur, insiliunt, rabie ut canes afficiuntur, pungunt ut scorpii, mordent ut serpentes. *Ibid.*

42. Qui non dominatus est iræ, omnibus ridiculus est. Homil. 10, in *Hexameron.*

43. Iracundus cum irasci desierit, tunc sibimet maxime irascitur. In suis *Proverb.*, verbo *Iracundus.* V. BEDA.

44. Iracundus etiamsi mortuum suscitet, nulli placet. *Ibid.*

45. Hæc est natura iræ, ut dilata languescat et pereat : prolata vero; magis magisque conflagret. Lib. 2, super *Proverb.*, cap. XII, in illud : *Fatuus indicat iram suam.*



S. BERNARD. 46. Ira immanis est bestia, flatu igneo quidquid attigerit, necat. Serm. 13, super *Qui habitat.*

47. Mira perversitas : medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti. Serm. 42, super *Cant.*

48. Affectio naturalis ira hominum est, sed abutentibus bono naturæ, gravis perditio est et miseranda pernicies. Serm. 13, super *Qui habitat.*

49. Irascere et noli peccare; peccabis autem non minus nimis irascendo, quam omnino non irascendo; nam non irasci ubi irascendum sit, nolle emendare, peccatum est : plus vero irasci quam irascendum sit, peccatum peccato addere est. Epist. 69, *ad Guidon. Abbatem de Tribus Fontibus.*

50. Iræ genera tria sunt; unum quod ardet extrinsecus; aliud quod in verba sine operis effectu prorumpit, tertium quod per dies et tempora reservatur. *De ordine vitæ.*

S. BONAV. 51. Ira reddit hominem nequam, et in profundum ruit. Super *Ecclesiasten*, cap. 11.

52. Ira excæcat rationis oculum, reddit hominem stultum, et illi aufert seipsum. Tit. 1 *Diætæ*, cap. 5.

53. Homo iratus, non est homo, sed incipit esse bestia. *Ibid.*, tit. 7, cap. 2.

S. CÆSARIUS ARELAT. 54. Adjutores sunt diaboli, qui statim ubi viderint aliquos nimia iracundia commoveri, venenosum consilium, unde amplius irascantur, conantur ingerere. Serm. 18.

CASSIODOR. 55. Venialis est ira, quæ ad effectum indignationis suæ non pervenit. Super *Psalm.* IV, vers. 5, *Irascimini*, etc.

56. Quid formidolosius quam illum irasci, qui si non misereatur, extinguitur? Super *Psalm.* VI, vers. 7.

57. Ira et invidia judicio carent, dum voluntates suas mente præcipiti subsequuntur. Super *Psalm.* CXXIII, vers. 3 *Cum irasceretur*, etc.

S. CYRILLUS ALEX. 58. Superari nequit ab iracundia mens, quæ se in facilitatis serenitate exercuit. Homil. 11, *de festis Paschal.*

DIONYSIUS CARTHUS. 59. Non solum foris refrænanda est ira a verbis et factis pravis, sed est etiam ab arcanis pectoris funditus eruenda. *De profess. Monast.* art. 18.

S. EPHRÆM. 60. Vere beatus ac felicissimus est, qui a se quam longissime spiritum iracundiæ propulsat : quoniam hujus corpus et anima et mens, perpetua sanitate fruitur. *De Lenitate.*

61. Vere miser atque infelix, qui passionibus iræ vincitur : nam iracundus animam suam occidit. De Iracundia, in principio.

GLOSS. INT. 62. Qui ad iram facilis est, nec seipsum potest sustinere. Super *Prov.* cap. XVIII. in illud : *Ad irascendum facilem*, etc.

63. Janua omnium vitiorum iracundia : qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur quies : aperta vero, ad omne facinus armabitur animus. *Ibid.*, cap. XXIX, in illud : *Vir iracundus*, etc. GLOS. ORD.

64. Nulla est iracundia, ubi est charitatis plenitudo. Super *Lucam*, cap. 9.

65. Ira per silentium clausa, magis æstuat. Super *Prov.*, cap. 11. GLOSS. INT.

66. Ira intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit. Lib. 5 *Moral.*, cap. ultimo. S. GREGOR. MAGNUS.

67. Nonnullos ira citius accendit, sed facilius deserit, nonnullos vero tarde quidem commovet, sed diutius tenet. *Ibid.*

68. Tranquillitatem mentis ira diverberat, dilaniatam quodammodo, scissamque perturbat, ut sibimetipsi non congruat, ac vim intimæ similitudinis amittat. *Ibid.*

69. Quanta sit iracundiæ culpa pensemus, per quam dum mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur. *Prosec.*

70-71. Per iram sapientia perditur, ut quid quove ordine agendum sit, omnino nesciatur, sicut scriptum est.

72. (Ira in sinu stulti requiescit.) Quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit.

73. Per iram vita amittitur, etsi sapientia teneri videatur, sicut scriptum est; ira perdit etiam prudentes : quia scilicet confusus animus nequaquam explet, etiamsi quid intelligere prudenter valet.

74. Per iram justitia relinquitur; quia dum perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat.

75. Per iram gratia vitæ socialis amittitur; quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est ut bestialiter solus vivat.

76. Per iram concordia rumpitur; et iracundus etiam malos, quos incaute ad discordiam provocat, pejores facit.

77. Per iram lux veritatis amittitur; quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit.

78. Per iram sancti Spiritus splendor excluditur : quia cum ira quietem menti subtrahit, suam sancto Spiritui habitationem claudit : cujus recessione animus vacuus, ad apertam mox insaniam ducitur, et usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. *Ibid.*, super illud, *Job* V : *Virum stultum interficit iracundia.*

79. Iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignes-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cit, exasperantur oculi, lingua clamorem format, sed quid loquatur, ignorat. *Ibid.*

80. Aliquando iracundus manus non exerit, sed in maledictionis jaculum linguam vertit : fratris namque interitum precibus exposcit, et hoc Deum perpetrare expetit. *Ibid.*

81. Plerumque ira per silentium clausa intra mentem vehementius æstuat, et clamosas tacita voces format, verba sibi quibus exasperetur, objicit, et quasi in causæ examine posita durius exasperata respondet. *Ibid.*

82. Alia est ira, quam impatientia excitat : alia, quam zelus justitiæ format : illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. *Prosec.*

83. Ira per vitium, oculum mentis excæcat, ira autem per zelum, turbat.

84. Cum per zelum animus movetur, curandum summopere est, ut ira, quæ instrumento virtutis menti dominatur, non quasi domina præeat : sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo nunquam recedat.

85. Tunc ira robustius contra vitia erigitur, cum subdita rationi famulatur.

86. Ira per zelum sapientes turbat, per vitium stultos trucidat : quia illa sub ratione restringitur, hæc vera irrationabiliter devictæ menti dominatur. *Ibid.*

87. Ira cum delinquentium culpas exequitur, non debet menti quasi domina præire; sed post rationis tergum velut ancilla famulari, ut ad faciem jussa veniat. Lib. 7, in *Regist.*, indict. 2, cap. 126, epist. 126, *ad Rechored. reg. Visigothor.*

88. Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris ; et cum tranquilla mens fuerit, quod placet vindica. *Ibid.*, lib. 8, indict. 3, cap. 41, epist. 51, *ad Leontium exconsul.*

89. Ira in vindicta malorum sequi debet rationem animi, non præire, ut quasi ancilla justitiæ post tergum veniat, et non lasciva ante faciem prorumpat. *Ibid.*

90. Ira aliquando ostendenda est, et non exhibenda, aliquando exhibenda, sed nunquam sequenda. *Ibid.*

91. Sanctis viris timor exhibendus est, templa enim Dei sunt, et cum ad iracundiam vir sanctus trahitur, quis alius ad irascendum, nisi ejusdem templi inhabitator excitatur? *Prosec.*

92. Metuenda ergo tanto est ira justorum, quanto et constat quia in eorum cordibus ille præsens est, qui ad inferendam ultionem quam voluerit, invalidus non est. Lib. 1 *Dialog.*, cap. 9.

93. Ira si semel mentem possidere cœperit, justum esse deputat etiam illud quod crudeliter facit. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 126, epist. 126, *ad Rechored. regem.*

S. GREGOR. NAZ.

94. Ira admodum est cavenda, nec præpropere in illam proruendum, cui insipientes serviunt. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

S. HIERON.

95. Debet amor læsus irasci. Epist. 2, *ad Heliodor.*

96. Irasci hominis est; et finem iracundiæ imponere, Christiani. *Ibid.*, Epist. 8, *ad Demetriad.*

97. Jam te verberibus enecassem, nisi iratus essem. Epist. 9, *ad Salvinum.*

98. Qui irascitur, non se esse indicat Christianum. Epist. 23, *ad Marcellam.*

99. Irasci, hominis est; injuriam non facere, Christiani. Epist. 55, *ad Antonium.*

100. Quid iracundo furor suus confert? quem sævissimis exagitatum stimulis conscientiæ, ita ab omni consilio, ac mente deturbat, ut dum irascitur, insanire credatur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

101. In iram exardescere, seminarium est odii. *Ibid.*

102. Janua vitiorum omnium iracundia est, qua clausa virtutibus intrinsecus dabitur quies; aperta vero ad omne facinus armabitur animus. Lib. 3, super *Proverb.*, cap. XXIX, super illud : *Vir iracundus*, etc.

103. Risus dissolvit sapientem, ira corripit et emendat. Super *Ecclesiasten*, cap. 7, super illud : *Melior est ira, quam risus.*

104. Iracundus est qui semper irascitur, et ad levem responsionis auram, atque peccati, quasi a vento folium commovetur. Super *Epist. ad Tit.*, cap. 1, in illud : *Non iracundum.*

HUGO CARD.

105. Iracundus cum aliis irasci desierit, sibiipsi irascitur. Super *Proverb.*, cap. 29.

106. Janua omnium vitiorum est iracundia, qua clausa virtutibus intrinsecus dabitur quies : aperta, ad omne facinus armabitur animus. *Ibid.*

107. Non est pater, qui peccatis aut vitiis filiorum non irascitur : hæc enim ira bona est, quæ etsi turbet oculum rationis ad tempus, postea limpidiorem reddit. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

S. IGNATIUS MART.

108. Ubi ira et odium, ibi Deus minime habitat. Epist. 9, *ad Philadelph.*

JOAN. CASS.

109. Non solummodo in effectu operis iracundia est moderanda, sed potius ab arcanis pectoris eruenda. Lib. 8, *Cœnob. inst.*, cap. 11.

110. Sicut nihil præponendum est charitati, ita iracundiæ nihil est e contrario postponendum. *Prosec.*

111. Omnia quamvis utilia ac necessaria videantur, spernenda tamen sunt, ut iræ perturbatio devitetur; et omnia etiam quæ putantur adversa, suscipienda atque toleranda sunt, ut charitatis pacisque tranquillitas illibata servetur.



112. Quia nec ira perniciosius quidquam, nec charitate utilius credendum est. Collat. 13, *Abbat. Joseph.*, cap. 7.

113. Hæc natura est iræ, ut dilata languescat et pereat : prolata vero magis magisque conflagret. *Ibid.*, cap. 27.

114. Nihil dispendiosius iracundia, nec pretiosius animi tranquillitate, ac perpetua cordis puritate. Collat. 19, *Abbat. Joan.*, cap. 14.

S. JOANNES CHRYSOST.

115. Qui irascuntur non agnoscunt præsentes, non memores sunt cogitationis, non amicitiam, non consuetudinem, non dignitatem accipiunt : sed iræ vi pressi, in præceps miserabiliter feruntur. Homil. 53, super *Gen.*

116. Separatio et temporis processus plerumque mitigat iram. *Ibid.*, homil. 54.

117. Ira quædam bestia est : nullus enim leo, nulla sic vipera viscera queunt laniare, ut hominis iracundia. Homil. 4, super *Matth. Oper. imperfect.*

118. Ira non solummodo corpori nocet, sed ipsius etiam corrumpit animæ sanitatem : cunctas ejus vires discerpit, devorat, dilaniat, et ad omnia inutilem facit. *Ibid.*

119. Multum laboriosum est et difficile posse non irasci : quia naturaliter in hominibus iracundia est plantata : et quia difficile est atque laboriosum abstinere ab ea, ideo in remuneratione magna est. Homil. 10, super *Matth. Oper. imperfect.*

120. Justa ira mater est disciplinæ : itaque non solum non peccant, qui cum causa irascuntur, sed e contra, nisi irati fuerint, peccant. *Ibid.*, homil. 11.

121. Iracundia quæ cum causa est, non est iracundia, sed judicium : iracundia enim proprie intelligitur commotio passionis. *Ibid.*

122. Iræ morbus, nisi mox sedetur, multas generat calamitates et familias totas evertit, veteres dissolvit consuetudines, et brevi momento res infandas molitur. Homil. 3, super *Joan.*

123. Victoria contra iram, et quidem maxima est. *Ibid.*

124. Ira vehemens ignis est, omnia consumit, corpus corrumpit, animam coinquinat et tristitiam affert. *Ibid.*, homil. 24.

125. Nihil irato turpius; turpis enim visu est : si iratus seipsum intueri posset, nulla alterius indigeret admonitione. *Ibid.*

126. Ira quædam ebrietas est, vel potius ebrietate gravior, et dæmone miserabilior. *Ibid.*

127. Ira fera est vehemens, et furibunda : et vir iratus immodestus est. *Ibid.*, homil. 47.

128. Inter iram et insaniam nihil differt, sed brevis quidam dæmon est iratus : imo quam qui dæmonio vexatur gravior est : ille venia dignus est, iratus nulla. *Ibid.*

129. Nulla ira ejus animum, qui exemplaris est vitæ, expugnat. *Ibid.*, homil. 86.

130. Iracundus sibiipsi, et aliis est damnosus. Homil. 6, super *Acta Apost.*

131. Nihil insuavius homine iracundo, nihil onerosius, nihil molestius, nihil fœdius. *Ibid.*

132. Nihil suavius est eo, qui nescit irasci. *Ibid.*

133. Melius est cohabitare bestiæ, quam homini iracundo : nam illa si semel cicuretur, servat suam legem : illum autem quoties placaveris, iterum exasperatur. *Ibid.*

134. Quis lictor latera sic confringere poterit? quæ verba ignita sic transfigunt et explorant corpus? quæ insania sic stupida reddit naturalia præcordia, sicut ira? *Ibid.*

135. Etsi orat quis cum ira, frustra orat ; etsi tacet, etsi comedat, etsi bibat, etsi eat, etsi surgat, etsi dormiat, semper turbatur et damnum habet. *Ibid.*, homil. 7.

136. Quid iracundo non turpe? oculi sunt insuaves, os distortum, membra tremula, lingua infrænis, nullique parcens, mens stupida, figura indecens, et multa insuavitas. *Ibid.*,

137. Ira nihil est aliud quam irrationalis impetus : nihil autem quod rationem requirit, per id quod ratione caret geri potest. *Ibid.*

138. Ira non permittit videre, sed quasi in nocturna pugna omnia ligat, et oculos et aures, et trahit quoquo voluerit. *Ibid.*

139. Canis impudens, est ira, et omnia contemnit. *Ibid.*

140. Qui irascitur plusquam vomens inflat venas, incendit oculos, disrumpit viscera, vomit verba, nihilque perfectum illum sinit ira loqui. *Ibid.*, homil. 31.

141. Sicut putredo quædam ac tinea, ita mentis nostræ radicem ira arrodit. *Prosec.*

142. Quare bestiam in viscera tua includis? melius esset viperam vel serpentem in corde positam esse quam iram.

143. Nam illæ quidem statim nos liberarent : hæc autem manet semper, dentes fortiter infigens immissoque veneno pessimarum cogitationum exercitus producit. *Ibid.*, homil. 41.

144. Iræ imperium ferre, pusilli animi est : imperare autem, fortitudinis. *Ibid.*

145. Habet dulce quiddam ira permixtum, eli-

cit charitas ut non habeat, nervosque hujus omnes incidit. Homil. 32, super 1 *Cor.*

146. Nihil iracundo homine insuavius, nihil gravius, nihil infestius, nihil turpius. Homil. 29. *ad Popul. antioch.*

147. Nihil ira turpius, nihil ignobilius, gravius nihil, nihil injucundius, damnosius nihil. *Ibid.*, homil. 62.

148. Nihil sic ingenii perspicuitatem, nihil mentis aciem sic hebetat, sicut ira, nullum ordinem servans. Lib. 3, *de Sacerdot.*

149. Vir iracundus insuavis est obviis, insuavis et vicinis. Serm. *de Mansuetud.*

150. Qui irascitur, diaboli ludibrium est, dæmonum officina, et nequitiæ diaboli dignus minister. *Ibid.*

151. Quem tenet ira, ebrius est : huic turget facies, vox fit asperior, oculi fluunt sanguinolenti, mens obtenebratur, prudentia submergitur, lingua tremit, oculi intorquentur, aures alia pro aliis audiunt. Orat. 5, *advers. Judæos.*

152. Radix homicidii, iracundia est : quiigitur radicem ipsam abscindit, multo facilius ramos ejus poterit amputare, imo ne germinare quidem illos ab initio patietur. Homil. 16, super *Matth. Oper. imperf.*

S. JOAN. CL. 153. Mens iracunda, nequitiæ est opifex. Gradu 24.

JOAN. GERS. 154. Ira hoc habet proprium, quod ipsa colonum conscientiæ suæ a possessione cordis ejiciat. Serm. *de Verb. Dom.*

JOAN. TRITH. 155. Ira est crudelissima pestis, quia fraternam extinguit dilectionem, sapientiam expellit, virtuti resistit, Deo non obedit, hominem non timet. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Ira.*

156. Ira verum discernere nescit. *Ibid.*

157. Janua vitiorum est iracundia, qua clausa virtutibus interius dabitur requies. *Ibid.*

158. Humanum est irasci ; sed qui iram reservat, dæmones imitatur. *Ibid.*

S. ISID. HISP. 159. Ira semetipsam necat sustinendo autem patientia victoriam portat. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 37, sent. 4.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 160. Iracundia aurigæ munere fungitur, habenas infregit, hominis mentem extra naturæ terminos, plerumque transversam agit. Lib. 2, epist. 189, *ad Ammonium.*

LACT. FIRM. 161. Cum ira in animum cujusdam incidit, velut sæva tempestas tantos excitat fluctus, ut statum mentis immutet, ardescant oculi, os tremat, lingua titubet ; dentes concrepent. *De ira Dei*, cap. 5.

162. Illa ira justa est, quæ movetur adversus delinquentes, ubi non est cupiditas ultionis propter injuriam. *Ibid.*, cap. 17.

163. Iram, quam possumus, vel furorem, vel iracundiam nominare ; hæc ne in homine quidem debet esse, quæ tota vitiosa est. *Ibid.*

164. Ego laudarem illum, qui (si cum fuisset iratus) dedisset iræ suæ spatium ; ut residente per intervallum temporis animi tumore, haberet modum castigatio. *Ibid.*, cap. 18.

165. Ira justa necessaria est ad pravitatis correctionem. *Ibid.*, cap. 17.

166. Ira, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo potest : quia et utilis est rebus humanis, et necessaria. *Ibid.*

167. Irasci, rationis est : auferuntur enim delicta, et refrænatur licentia, quod utique juste sapienterque fit. *Ibid.*

168. In coercitione peccatorum, non est cohibenda ira ; sed etiamsi jacet, excitanda est. *Ibid.*, cap. 18.

169. Perfectæ virtutis nunquam, nisi merito irascitur. *Ibid.*, cap. 21.

170. Non in totum prohibet Deus irasci, quia is affectus necessario datus est : sed prohibet in ira permanere ; ira enim mortalium, debet esse mortalis. *Prosec.*

171. Rursus enim irasci quidem, sed tamen non peccare, præcepit : non utique evellit iram radicitus, sed temperavit, ut in omni castigatione modum ac justitiam teneremus. *Ibid.*

172. Ira ad coercitionem peccatorum, id est, ad regendam subjectorum disciplinam, data est a Deo, ut metus licentiam comprimat, et compescat audaciam. In *Epitome*, cap. *Duas.*

173. Animum vincere ; iracundiam cohibere, fortissimi viri est. Lib. 1, *de Divin. Inst.*, cap. 9.

174. Quid bono viro potest esse tam calamitosum, tamque contrarium, quam iræ fræna laxare, quæ illum non solum boni ; sed etiam hominis appellatione dispoliet? *Ibid.*, lib. 6, cap. 18.

175. Sicut irasci adversum minores, et justum est et necessarium : sic et adversum pares, et perniciosum est et impium. *Ibid.*, cap. 19.

176. Non est morbus irasci, sed iracundum esse, morbus est. *Ibid.*, cap. 16.

S. LAURENT. JUSTIN. 177. Nullum sanum consilium, nulla natura potest esse deliberatio, ubi iræ passio dominatur. *De casto Connub.*, cap. 11.

LUDOVICUS BLOSIUS. 178. Modice nonnunquam irasci, humanum est : sed iram servare, plane satanicum est. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 7.

S. NILUS. 179. Ira oculum mentis turbat, et statum rationis subvertit. *De Orat.*, cap. 25.

180. Iracundus est aper silvestris : videt aliquem, et dentes exacuit. *Ibid.*, orat. 4, *de Ira.*

181. Ira cum semel pectus obsederit, atque exarserit, mentem fumo excæcat, judiciumque corrumpit. *Ibid.*



S. PETRUS CHRYSOL. 182. Ira si pervenerit ad totum furoris incendium, sine sanguine non sedatur. Serm. 38.

S. PETRUS DAMIANUS. 183. Per iram sane concordia rumpitur, unde cohabitantium sæpe societas violatur. Opusc. 40, cap. 2.

184. Per iram lux veritatis amittitur, et obtenebratæ mentis obtutibus inoccidui solis radius occultatur. *Ibid.*, cap. 3.

S. PETRUS MAUR. ABB. CLUNIAC. 185. Pro justitia moveri, non est charitatis læsio, sed æquitatis actio. Lib. 4, epist. 8.

PHILO JUD. 186. Ira immanes furiosasque rabies, et cætera (quibus gravida est) mala parit. *De confus. linguar.*

SALVIANUS. 187. Prima semper irarum tela, maledicta sunt : et quidquid non possumus imbecilli, optamus irati : ac sic in omni animorum indignantium motu, votis malis pro armis utimur. Lib. 3, *de Gubern. Dei.*

THOMAS A KEMPIS. 188. Quidam valde inconstantes, rident pro levi fabula, et pro musca volante irascuntur. Serm. 19, *ad Novit.*, divis. 13.

189. Nullus hostis pejor tibi, quam tu ipse tibi, graviter commotus. In *hortulo Rosar.*, cap. 10.

S. VALER. EPISCOPUS. 190. Provocasse quidem ad iracundiam fratrem, crimen est : sed provocatum non cessasse deforme est. Homil. 12.

191. Nullam habet virtutem iracundia, si desit unius in contentione persona. *Ibid.*

IN VIT. PATR. 192. Ira per quatuor humanos sensus obscurat, si odio habuerit homo proximum suum, aut si illi inviderit, aut si pro nihilo duxerit, aut si detraxerit ei. Primum ex corde, secundum ex facie, tertium ex lingua, quartum ex facto. Lib. 3, num. 76.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 193. Irasci cujuslibet est, et facile : sed cui, et quantum, et quando, et quomodo, et gratia cujus oportet, non cujuslibet est, neque facile. Lib. 2, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 9.

194. Is, qui pro quibus, et quibus oportet, et ut oportet, et cum oportet, et quanto in tempore oportet, irascitur, laudatur. *Prosec.*

195. Qui vero non irascuntur pro quibus oportet, et ut oportet, et cum oportet, et quibus oportet, fatui sunt. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5.

196. Mansuetus ac mitis perturbatione vacare et non ab affectu duci, sed pro his, et tanto in tempore irasci solet, perinde atque ratio jubet. *Ibid.*

197. Iracundus dicitur, qui vehementius et citius et ob plura quam deceat, excandescit. Lib. 2, *Ethic. ad Eudemium.*

198. Iratus, de re incerta contendere noli : CATO PORT.
Impedit ira animum, ne possit cernere verum.
Lib. 2, *distichor.*, metr. 17.

199. Ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest. Lib. 1 *de Offic.* CICERO.

200. Fulmen est ubi cum potestate habitat iracundia. In suis *Sentent.*, sent. 138. MINUT. FEL.

201. Homo extra corpus est suum, cum irascitur. *Ibid.*, sent. 158.

202. Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum. *Ibid.*, sent. 198.

203. Nullum est animal tam horrendum, tamque perniciosum natura, ut non appareat in illo, ubi ira invasit, novæ feritatis accessio. Lib. 1, *de Ira*, cap. 1. SENECA.

204. Quid ira crudelius? quid ira infestius? ira est in exitium et nocere vult. *Ibid.*, cap. 5.

205. Quomodo ratio occupata et oppressa vitiis resurget, quæ iræ cessit? *Ibid.*, cap. 8.

206. Irasci pro suis, non est pii animi, sed infirmi. *Ibid.*, cap. 12.

207. Omnes quos vecors ira animus supra cogitationes extollit humanas, altum quidem et sublime spirare se credunt : cæterum nihil solidi subest, sed in ruinam prona sunt, quæ sine fundamento crevere. *Prosec.*

208. Non habet ira, cui insistat, non ex infirmo mansuroque oritur, sed ventosa et inanis est. *Ibid.*, cap. 19.

209. Ira muliebre maxime, et puerile vitium est. *Ibid.*

210. Virtus ut honestis rebus propitia est, ita turpibus irata esse debet. Lib. 2, *de Ira*, cap. 6.

211. Temperatus sit sapiens, et ad res fortius agendas, non iram, sed vim adhibeat. Lib. 2, *de Ira*, cap. 17.

212. Opportunissima ad iracundiam fervidi natura est. *Ibid.*, cap. 18.

213. Nihil magis facit iracundos, quam educatio mollis et blanda. *Ibid.*, cap. 21.

214. Causa iracundiæ, opinio injuriæ est. *Ibid.*, cap. 22.

215. Nulla res magis iracundiam alit, quam luxuria intemperans, et impatiens. *Ibid.*, cap. 26.

216. Magna pars hominum est, quæ non peccatis irascitur, sed peccantibus. *Ibid.*, cap. 28.

217. Maximum remedium est iræ, mora. *Ibid.*

218. Quid est gloriosius, quam iram amicitia mutare? *Ibid.*, cap. 34.

219. Irascitur aliquis? tu contra, beneficiis provoca. *Ibid.*

220. Nulla celerior ad insaniam via est, quam ira. *Ibid.*, cap. 36.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

221. Nullus affectus est, in quem non ira dominetur. *Ibid.*, cap. 37.

222. Alia vitia a ratione, ira a sanitate desciscit : alia accessus tenues habent, et incrementa fallentia : in ira dejectus etiam animorum est. Lib. 3, *de Ira*, cap. 1.

223. Non vis esse iracundus? ne sis curiosus : qui inquirit quid de se dictum sit, seipsum inquietat. *Ibid.*, cap. 11.

224. Maximum remedium iræ, dilatio est, ut primus ejus fervor languescat, et caligo quæ premit mentem, aut residat, aut minus densa sit. *Ibid.*, cap. 12.

225. Nihil tibi liceat, dum irasceris : quare? quia vis omnia licere, pugna tecum ipse. *Prosec.*

226. Si iram vincere non potes, illa incipit te vincere : si absconditur, si illi exitus non datur, signa ejus obruamus. *Ibid.*, cap. 12.

227. Plus mihi nocitura est ira, quam injuria : quidni plus? illius modus certus est, ista quousque me latura sit, incertum est. *Ibid.*, cap. 25.

VALERIUS MAXIMUS. 228. Diutius irascimur, quam lædimur. *Ibid.*, cap. 27.

229. Satius est iram relinquere, quam ab ira relinqui. *Ibid.*

230. Frivolis turbamur et inanibus. *Ibid.*, cap. 30, in princ.

231. Numquid amplius isti cui irasceris, quam mortem optas? etiam te quiescente morietur, perdis operam. *Ibid.*, cap. 43.

232. Inique irascitur, qui suis irascitur. *De Moribus.*

233. Iræ severitas, in vitio est. *Ibid.*

234. Ira et odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant. Lib. 9, *dictor. memorabil.*, cap. 3.

Vide etiam tit. *Abstinentia*, sent. 21; *Cogitatio*, sent. 47; *Dies*, sent. 12; *Domare*, sent. 44; *Felicitas*, sent. 128; *Furor* per totum, *Ingenium*, sent. 55; *Monachus*, sent. 16; *Occisio*, sent. 60; *Persecutio*, sent. 106, *Punitio*, sent. 54, 85, 86; *Ratio*, sent. 57, *Rex*, sent. 47, 70; *Risus*, sent. 13; *Timor Dei*, sent. 108.

## IRA DEI.

S. ANSELM. *Differentia.* Ira Dei non est ut hominis perturbatio concitati animi, sed tranquilla dispositio justi simpliciter constituti. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 3.

S. AUGUST. Irasci dicitur Deus non animi motu, vel qualibet perturbatione, quæ illi omnino accidere non potest : sed creaturæ delinquenti justam inferre dicitur ultionem. *De essentia divinit.*

CASSIODOR. Ira Dei vocatur retributio peccatorum : nam motus divinitas beata non patitur, quia semper eadem æterna atque immobilis perseverat. Super *Psalm.* II, vers 5 : *Tunc loquetur ad eos in ira sua.*

Ira Dei dicitur quando omnia peccatoribus obstinatis, suis meritis apta redduntur. *Ibid.*

HUGO CARD. Ira Dei est punitio ejus per gehennam, quæ timenda est : vel inflictio pœnæ temporalis, quæ appetenda est. Super *Psalm.* VII.

Ira Dei est, quando aliqua flagella inferuntur homini ad correptionem : sed furor Dei, quando ad reprobationem. Super *Threnos.* cap. 2.

Ira Dei est vindicta ejus in malos. in *Prolog.*

S. MAXIMUS MART. Ira Dei est eorum, qui instruuntur, sensus molestus. Centuria 3, *de Virtute et vitio*, cap. 9.

S. PROSPER. Ira Dei, non perturbatio est ejus, sed judicium quo irrogatur pœna peccato. Sent. 157.

HUGO CARD. *Divisio.* Quadruplex est ira Dei reprobationis, subtractionis gratiæ, comminationis, extremæ examinationis. Super *Psalm.* XXXIII.

S. ISIDORUS HISPALENS. Distat inter iram Dei mereri, et provocare : gravior namque est ira quæ provocatur, quam ea quæ meretur. *Prosec.*

Meremur iram Dei, quando ignorando peccamus : provocamus, quando scimus bonum facere, nec volumus. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 19, sent. 7.

S. PETRUS CHRYSOL. Inter iram Dei, et furorem differt : ira Dei est delinquentium pœna, furor Dei est supplicium peccatorum. Serm. 45.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Cum irascitur Deus in reum, differt : cum miseretur, properat, ut absolvat : terret ut corrigat, admonet ut emendet, prævenit ut cognoscat. Super *Psalm.* XXXVII.

2. Deus non passioni patet, ut irascatur, cum sit impassibilis : sed quia vindicat, videtur irasci. *Ibid.*

3. Nescit irasci qui auctor est legum, cui terrendi est voluntas, non puniendi. *Ibid.*

4. Nequaquam est desperandum, etsi irascitur Deus, ignoscit : etsi percutit, sanat : etsi tradit in interitum carnem, spiritum salvat. *Ibid.*

S. AUGUST. 5. Cum Deus irascitur, non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis : sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus (quæ non nisi justa est) iræ nomen accepit. In *Enchirid.*, cap. 33.

6. Qui ab iniquitabus suis recedere negligunt, et sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. *De fide ad Petrum*, cap. 3.



7. Non est quo fugias a Deo irato, nisi ad Deum placatum. Super *Psalm.* LXXIV, vers. 6.

8. Illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat. Super *Psalm.* LXXXXVIII.

9. Qui Deum non habet placatum, nequaquam evadet iratum. In *Medit.*, cap. 30.

10. Magna est ira Dei, parcendo sævit, sed juste sævit. *De Verb. Dom.*, serm. 37.

S. BERNARD. 11. Tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur. Serm. 42, super *Cant.*

S. BONAV. 12. Tria sunt quæ detestatur Deus, et propter quæ irascitur : primum est elatio superbiæ in præeminendo : secundum est negotiatio avaritiæ in acquirendo : tertium est defœdatio luxuriæ in lasciviendo. Serm. 2, *Dom.* 19, *post pent.*

13. Præter finalem damnationem, nulla Dei ira gravior, quam non defendere a peccato. Lib. 2, *de Profect. Relig.*, cap. 61.

CÆSAR. ARELAT. 14. In peccatis perseverantes respicit ira Dei. Homil. 17.

CASSIODOR. 15. Ira in Domino abusive, non proprie dicitur, quæ ab ejus tranquillitate cognoscitur aliena. Super *Psalm.* LXXVI.

16. Ille nescit pius creator irasci, nisi quando nobis existere videmur adversi. Super *Psalm.* LXXXXI, vers. 9.

S. CYPRIAN. 17. Ira Dei est ejus censura, ut qui beneficiis non intelligitur vel plagis intelligatur. Lib., *ad Demetrianum*, cap. 9.

S. CYRILLUS ALEX. 18. Est ea natura Numinis, ut irasci nesciat : cæterum non fert eos, qui effræni licentia ad prava quæque patranda facinora proclives aguntur, idque nos in Deo nostris utentes vocibus, iracundiam vocamus. Homil. 25, *de Festis Paschal.*

DIDYM. ALEX. 19. Etsi acerba et gravis est Dei ira, tamen cum medendi vim habeat, eos qui ipsam experiuntur, ad bonum provehit. Hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 49.

20. Natura quidem ac per essentiam Deus hoc habet, ut misericordia commoveatur : ut autem irascatur, non natura ipsi comparatum est, sed ob alios contingit. Et hab. apud D. Joan Damasc., lib. 3, *Parall.*, cap. 100.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 21. Longe est cum irascitur Deus : prope est, cum placatur. Homil. *de Resurr.*

S. FULGENT. 22. Notum est iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse. Lib. 1, *ad Monimum*, cap. 26.

GLOSS. ORD. 23. Excitat iracundiam Dei, qui mala coram Deo committit : Super Orat. *Manassis*, in illud : *Excitavi iracundiam tuam.*

24. Aliquando Deus irascitur ut pater, quando verbis increpat delinquentem, et facit pœnitentem : aliquando irascitur ut Dominus, quando corripit ut durus, et statim ulciscitur, cum videt quod nec pœnitentiæ, nec veniæ locus sit. Super *Thren.*, cap. V, in illud : *Iratus est contra nos*, etc.

25. Irato Deo nihil est humana fortitudo. Super *Ezech.*, cap. VII, in illud : *Ira mea super populum.*

GLOSS. INT. 26. Cessat jam ira Dei, cui satisfecit pœna. Super *Thren.*, cap. 4.

GLOSS. ORD. 27. Nulla creatura posset iram Dei omnipotentis, quanta est, sustinere. Super *Amos*, cap. 7, illud ; *Non stillabis*, etc.

28. Ira Dei non perturbationem ejus, sed merita et peccata puniendorum signat : qui ideo puniuntur a Deo, ut emendentur. *Prosec.*

29. Ira Dei non perturbationem ejus significat, qui non irascitur, sed eorum peccata in quos desævit : nec iratus ulciscitur, sed corripit ut emendet. Super *Zachar.*, cap. 1, in illud : *Iratus est Dominus.*

S. GREGOR. MAGNUS. 30. Iram Dei provocare ; est mandatis illius sciendo contraire, scire bonum, sed despicere : facere posse, sed non velle. Lib. 26 *Moral.*, cap. 23.

31. Sicut mali ideo Deum exasperant, quia loquuntur et faciunt mala : ita nonnunquam boni exasperant, quia reticent bona. Homil. 9, super *Ezech.*, super illud : *Tu autem, Fili hominis, audi.*

S. GREGOR. NAZ. 32. Ira Dei præter naturam ejus est. Orat. 8, *ob Patrem episcop.*

HAYMO. 33. Deus omnipotens illis iratus videtur, quos justo judicio propter peccata damnat et punit : cæterum in sua natura semper immutabilis, semperque tranquillus permanet. Serm. *Dom.* 21, *post Pent.*

S. HIERON. 34. Magna ira est, quando peccantibus non irascitur Deus. Epist. 38, *ad Castratium.*

35. Deus differt iram, ut præbeat misericordiam. Lib. 9, super *Isaiam*, cap. XXVIII, super illud : *Quem docebit scientiam.*

HUGO CARD. 36. Ira Dei non est perturbatio animi, sed judicium quod irrogatur peccatori. Super *Genes.*, cap. 6.

37. Iram Dei potest quis mereri nesciens : provocare vero iram Dei, est cum mandatis ejus scienter contradicit ; sciens bonum, sed despiciens. Super *Job*, cap. XXXVI.

38. Magna est ira Dei, quando medicina versa est in venenum. Super *Psalm.* VII.

39. Ira Dei in præsenti quasi momentanea est, et quasi ros : sed in futuro ira ejus erit velut ignis in æternum duraturus. Super *Psalm.* LXXVIII.

40. Summa ira Dei est, cum hic parcit : ad hoc enim hic parcit, ut in æternum puniat : si

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non parcit, ad hoc non parcit, ut in æternum parcat. Super *Prov.*, cap. 14.

41. Triplex est signum iracundiæ Dei. Primum est, quod hic peccatum non punit; secundum est præsens prosperitas; tertium est, quod Deus dimittat peccatores diabolo, vel sibi ipsis.

42. Hæc est maxima ira Dei, cum peccati fræna relaxat. Super *Ecclesiastic.*, cap. 36.

43. Vehementer irascitur Deus, quando non revocat peccantem. Super *Thren.*, cap. 5.

IDIOTA. 44. Vehementer peccatori irascitur Deus, cum permittit cuncta ei ad votum succedere, et postea eum supplicia tolerare. Lib. 1, *Contemplat. de vera patient.*, cap. 1.

45. Ira Dei paterna est erga miseros peccatores, quæ licet ad illorum utilitatem sit, videtur tamen in eos quandoque sævire. *Ibid.*, cap. 8.

S. INNOC. III. 46. Prædestinatis Deus irascitur temporaliter, reprobis autem irascitur æternaliter. Lib. 3, *de Contemptu mundi*, cap. 10.

S. JOANNES CHRYSOST. 47. Quando iram Dei contemnimus, vehementius irascitur: quando vero ejus curam habemus, remissius, vel potius non amplius irascitur. Homil. 8, super 1 *Cor.*

JOAN. TRITH. 48. Si vis ut non irascatur tibi Deus, iram adversum fratrem tuum non serves. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Ira.*

S. ISID. HISP. 49. Nunc iram Dei, dum vivimus, vitare possumus; veniente autem illo terrore judicii, sentiri poterit, vitari non poterit. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 19, sent. 7.

LACT. FIRM. 50. Cum sint in rebus humanis bona et mala, necesse est ad utramque partem moveri Deum: et ad gratiam, cum justa fieri videt: et ad iram, cum cernit injusta. *De Ira Dei*, cap. 5.

51. Gratia et ira et miseratio habent in Deo materiam, recteque illis utitur summa illa et singularis potestas ad rerum conservationem. *Ibid.*

52. Ira in malos, charitas in bonos, miseratio in afflictos, affectus sunt virtutis: et quoniam divina potestate sunt digni, illos proprios et justos et veros habet. *Ibid.*, cap. 16.

53. Hæc est ira justa, quæ sicut in homine necessaria est ad pravitatis correctionem: sic utique in Deo, a quo ad hominem pervenit exemplum. *Prosec.*

54. Nam nos potestati nostræ subjectos coercere debemus, ita etiam peccata universorum Deus coercere debet; quod ut faciat, irascatur necesse est. *Ibid.*, cap. 17.

55. Cum velit Deus homines bonos esse, eorum vitiis irascitur. *Ibid.*, cap. 19.

56. Cum Deus sanctissimam legem posuerit, velitque universos innocentes ac beneficos esse; potestne non irasci, cum videt contemni legem suam abjici virtutem, appeti voluptatem? *Prosec.*

57. Si est Pater ac Deus universorum, certe et virtutibus hominum delectatur, et vitiis commovetur: ergo et justos diligit, et impios odit. *Ibid.*

58. Malorum felicitas, iræ Dei contradicit. *Ibid.*, cap. 20.

59. Si Deus potest ignoscere, potest igitur irasci: cur ergo, inquiet aliquis, et qui peccant sæpe felices sunt, et qui pie vivunt sæpe miseri? quia fugitivi et abdicati libere vivunt, et qui sub disciplina patris, aut domini sunt, strictius et frugalius. *Ibid.*, cap. 20.

60. Non ideo intelligere debemus, quia, cum sit æternus Deus, iram quoque ejus in æternum manere: sed quia virtute maxima cum sit præditus, in potestate habere iram suam, nec ab ea regi, sed ipsum illam, quemadmodum velit, moderari. *Prosec.*

61. Nam si prorsus immortalis fuisset ira ejus, non esset satisfactioni aut gratiæ post delictum locus, cum ipse homines ante solis occasum reconciliari jubet.

62. Sed ira divina in æternum manet adversus eos, qui peccant in æternum: et qui peccare desinit, iram Dei mortalem facit. *Ibid.*, cap. 21.

63. Incorruptibilis est conditor æternus, in æthere habitans, bonis bonum præferens multo majorem mercedem: malis autem et injustis iram et furorem colligens. *Ibid.*, cap. 22, verbo græco ἄφθαρτος post Sybillam.

S. LAURENT. JUSTIN. 64. Impune contemptores suos Deus transire non patitur, quo enim latius misericordiam prærogat, eo districtius delinquentibus infert iram. *De Triumphali Christi agone*, cap. 25.

ORIGENES. 65. Deus zelans, si te corripit, si castigat, si indignatur, si irascitur, et velut zelotis typia quadam erga te utitur, spem tibi esse salutis agnosce. Homil. 8, in cap. xx, *Exod.*

S. PAULINUS. 66. Tanta est summi Patris pietas, ut etiam ira ejus ex misericordia sit: et ideo castigat, ut parcat. Epist. 10, *ad Severum.*

S. PETRUS CHRYSOL. 67. Christus irascitur ut Dominus; contristatur ut parens: dolet ut homo; intuetur ut Deus. Serm. 32.

68. Deum irasci in ira, indignari in furore, non est Creatoris pii, sed severissimi cognitoris. *Ibid.*, serm. 45.

S. PROSPER. 69. Divina bonitas ideo maxime irascitur in hoc sæculo, ne irascatur in futuro: et misericorditer temporalem adhibet severitatem, ne æternam juste inferat ultionem. Apud D. Aug.

SALVIANUS. 70. Ira est divinitatis, pœna peccantis. Lib. 1, *de Gubern. Dei.*



71. Exacerbamus Deum impuritatibus nostris, et ad puniendum nos trahimus invitum. *Prosec.*

72. Cum ejus naturæ sit mens Dei, ut nulla iracundiæ passione moveatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci.

73. Cumque ejus benignitatis sit, ut velit nobis jugiter parcere, cogitur malis nostris scelera quæ admittimus vindicare. *Ibid.*, lib. 4.

74. Vim Deo facimus iniquitatibus nostris, ipsi in nos iram divinitatis armamus. *Ibid.*, lib. 5.

S. THEODOR. 75. Apud Dominum Deum, majores sunt comminationes, quam pœnæ. Quæst. 40, super *Exod.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 76. Perierat totus orbis, nisi iram finisset misericordia. Libro I. *Controvers.* I.

S. VALER. MAX. 77. Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Lib. *Dictor. memorabil.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Beneficium Dei*, sent. II; *Dilatio*, sent. 59; *Monachus*, sent. 6; *Patientia Dei*, sent. 35; *Prophetia*, sent. 56; *Satisfactio*; sent. 16.

## JACTANTIA.

S. ANTONIN. *Definitio.* Jactantia est vitium, quo quis se verbis extollit super illud quod est, vel quod homines, opinantur de eo. Part. 2, titulo 4, cap. 4.

S. BONAV. Jactantia est voluntas propter apparentem potestatem propriam se ostentans. Part. 1, *Centiloquii*, sect 18.

HUGO A S. VICTORE. Jactantia est fastu mentis id agente, majora quam sint de te inaniter prædicare, et promittere. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 4.

HUGO CARD. Iactare se est facta vel dicta sua laudare. Super *Psalm.* II.

JOAN. GERS. Jactantia est vitium, quo quis appetit excedere in divulgatione sufficientiarum suarum. Part. 4, in *Descript. terminorum*, cap. *Temperantia.*

S. THOMAS AQUINAS. Jactantia est, qua quispiam suas laudes immodice prædicando, rationis et veritatis limites transgreditur. Secunda secundæ quæst. 112, in axiomate.

Jactantia proprie dicitur quando effert se supra id quod in ipso est, et quando effert se supra id quod est in opinione aliorum. *Ibid*, quæst. 112.

CICERO. Jactantia est voluptas gestiens, et se efferens insolentius. Lib. 4 *Tusc. quæst.*

S. ANTONIUS. *Productio.* Jactantia est filia inanis gloriæ. Part. 2, tit. 4.

CICERO. *Comparatio.* Qui divitias suas jactat, sicut gallus e Phrigia, aut ariolus quispiam depressus et oneratus auro, clamat et delirat. Lib. 4, *de Arte rehetor.*, *ad Herenium.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Inter vita aut nulla est, aut rara jactantia, et facile spernitur, qui de opprobrio gloriatur. Lib. 10, epist. *ad Demetriadem.*

2. Malum jactantiæ maxime virtutibus est cavendum, quia nullis opportunius insidiatur, quam quibus laus justa debetur. *Ibid.*

3. Si vere jactantia declinanda est, quanto magis nemo debet falsa jactare pro veris? Lib. 1, *de Cain et Abel.*, cap. 5.

4. Dum homines gloriam virtutis suæ jactare desiderant, de loco meritorum suorum et statione decidunt. Lib. 4, super *Luc.*, cap. 4, in illud: *Non in solo pane.*

5. Ita est jactantia, ut dum se putat unusquisque ad altiora conscendere, sublimium usurpatione factorum ad inferiora trahatur. *Ibid.*

S. AUGUST. 6. Tolle jactantiam, et omnes homines quid sunt, nisi homines? Lib. 5. *de Civ. Dei*, cap. 17.

7. Non est jactantia vitium laudis humanæ, sed animæ perverse amantis laudari ab hominibus, spreto testimonio conscientiæ. *Ibid.*, lib. 12, cap. 8.

8. Superborum vana et inepta jactantia, et inflata et non solidata, tanquam vento elatus pulveris globus est. Super. *Psalm.*, vers. 5: *In pulverem deducat.*

9. Si vis esse alienus a gratia, jacta merita tua. Super *Psalm.* XXXI.

10. Noveris non jactare te de meritis tuis, nec præsumere de impunitate peccati. Super. *Psalm.* XXXI. Enarrat. 2, vers. 1.

11. Jactet se quisque de divitiis, jactet de pulchritudine et de viribus corporis: ista certe omnia mortalia sunt, et ridendi sunt, qui se de mortalibus jactant. Super. *Psalm.* LVIII, conc. 2, vers. 14.

12. Totum de misericordia. Merita tua nusquam jactes, quia et ipsa tua merita, Dei dona sunt. Super. *Psalm.* CXXXXIV, vers 14.

V. BEDA. 13. Nihil tam periculosum est, quam jactantia virtutum tumens. Super *Numeros*, cap. penult.

S. BERNARD. 14. Mirabile jactantiæ genus, ut non possis putari sanctus, si non appareas sceleratus. Serm. 16. super *Cant.*

15. Tu te depretiaris in secreto apud teipsum veritatis trutina ponderatus, et foris alterius pretii mentiens, majori te pondere vendis nobis, quam ab ipsa accepisti. *Ibid.*, serm. 42.

16. Quid tam indecorum, quam ostentatio sanctitatis? *Ibid.*, serm. 86.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non parcit, ad hoc non parcit, ut in æternum parcat. Super *Prov.*, cap. 14.

41. Triplex est signum iracundiæ Dei. Primum est, quod hic peccatum non punit ; secundum est præsens prosperitas; tertium est, quod Deus dimittat peccatores diabolo, vel sibi ipsis.

42. Hæc est maxima ira Dei, cum peccati fræna relaxat. Super *Ecclesiastic.*, cap. 36.

43. Vehementer irascitur Deus, quando non revocat peccantem. Super *Thren.*, cap. 5.

IDIOTA. 44. Vehementer peccatori irascitur Deus, cum permittit cuncta ei ad votum succedere, et postea eum supplicia tolerare. Lib. 1, *Contemplat. de vera patient.*, cap. 1.

45. Ira Dei paterna est erga miseros peccatores, quæ licet ad illorum utilitatem sit, videtur tamen in eos quandoque sævire. *Ibid.*, cap. 8.

S. INNOC. III. 46. Prædestinatis Deus irascitur temporaliter, reprobis autem irascitur æternaliter. Lib. 3, *de Contemptu mundi*, cap. 10.

S. JOANNES CHRYSOST. 47. Quando iram Dei contemnimus, vehementius irascitur : quando vero ejus curam habemus, remissius, vel potius non amplius irascitur. Homil. 8, super 1 *Cor.*

JOAN. TRITH. 48. Si vis ut non irascatur tibi Deus, iram adversum fratrem tuum non serves. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Ira*.

S. ISID. HISP. 49. Nunc iram Dei, dum vivimus, vitare possumus ; veniente autem illo terrore judicii, sentiri poterit, vitari non poterit. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 19, sent. 7.

LACT. FIRM. 50. Cum sint in rebus humanis bona et mala, necesse est ad utramque partem moveri Deum : et ad gratiam, cum justa fieri videt : et ad iram, cum cernit injusta. *De Ira Dei*, cap. 5.

51. Gratia et ira et miseratio habent in Deo materiam, recteque illis utitur summa illa et singularis potestas ad rerum conservationem. *Ibid.*

52. Ira in malos, charitas in bonos, miseratio in afflictos, affectus sunt virtutis : et quoniam divina potestate sunt digni, illos proprios et justos et veros habet. *Ibid.*, cap. 16.

53. Hæc est ira justa, quæ sicut in homine necessaria est ad pravitatis correctionem : sic utique in Deo, a quo ad hominem pervenit exemplum. *Prosec.*

54. Nam nos potestati nostræ subjectos coercere debemus, ita etiam peccata universorum Deus coercere debet ; quod ut faciat, irascatur necesse est. *Ibid.*, cap. 17.

55. Cum velit Deus homines bonos esse, eorum vitiis irascitur. *Ibid.*, cap. 19.

56. Cum Deus sanctissimam legem posuerit, velitque universos innocentes ac beneficos esse ; potestne non irasci, cum videt contemni legem suam abjici virtutem, appeti voluptatem ? *Prosec.*

57. Si est Pater ac Deus universorum, certe et virtutibus hominum delectatur, et vitiis commovetur : ergo et justos diligit, et impios odit. *Ibid.*

58. Malorum felicitas, iræ Dei contradicit. *Ibid.*, cap. 20.

59. Si Deus potest ignoscere, potest igitur irasci : cur ergo, inquiet aliquis, et qui peccant sæpe felices sunt, et qui pie vivunt sæpe miseri ? quia fugitivi et abdicati libere vivunt, et qui sub disciplina patris, aut domini sunt, strictius et frugalius. *Ibid.*, cap. 20.

60. Non ideo intelligere debemus, quia, cum sit æternus Deus, iram quoque ejus in æternum manere : sed quia virtute maxima cum sit præditus, in potestate habere iram suam, nec ab ea regi, sed ipsum illam, quemadmodum velit, moderari. *Prosec.*

61. Nam si prorsus immortalis fuisset ira ejus, non esset satisfactioni aut gratiæ post delictum locus, cum ipse homines ante solis occasum reconciliari jubet.

62. Sed ira divina in æternum manet adversus eos, qui peccant in æternum : et qui peccare desinit, iram Dei mortalem facit. *Ibid.*, cap. 21.

63. Incorruptibilis est conditor æternus, in æthere habitans, bonis bonum præferens multo majorem mercedem : malis autem et injustis iram et furorem colligens. *Ibid.*, cap. 22, verbo græco ἄφθαρτος post Sybillam.

S. LAURENT. JUSTIN. 64. Impune contemptores suos Deus transire non patitur, quo enim latius misericordiam prærogat, eo districtius delinquentibus infert iram. *De Triumphali Christi agone*, cap. 25.

ORIGENES. 65. Deus zelans, si te corripit, si castigat, si indignatur, si irascitur, et velut zelotis typia quadam erga te utitur, spem tibi esse salutis agnosce. Homil. 8, in cap. XX, *Exod.*

S. PAULINUS 66. Tanta est summi Patris pietas, ut etiam ira ejus ex misericordia sit : et ideo castigat, ut parcat. Epist. 10, *ad Severum*.

S. PETRUS CHRYSOL. 67. Christus irascitur ut Dominus ; contristatur ut parens : dolet ut homo ; intuetur ut Deus. Serm. 32.

68. Deum irasci in ira, indignari in furore, non est Creatoris pii, sed severissimi cognitoris. *Ibid.*, serm. 45.

S. PROSPER. 69. Divina bonitas ideo maxime irascitur in hoc sæculo, ne irascatur in futuro : et misericorditer temporalem adhibet severitatem, ne æternam juste inferat ultionem. Apud D. Aug.

SALVIANUS. 70. Ira est divinitatis, pœna peccantis. Lib. 1, *de Gubern. Dei.*



71. Exacerbamus Deum impuritatibus nostris, et ad puniendum nos trahimus invitum. *Prosec.*

72. Cum ejus naturæ sit mens Dei, ut nulla iracundiæ passione moveatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci.

73. Cumque ejus benignitatis sit, ut velit nobis jugiter parcere, cogitur malis nostris scelera quæ admittimus vindicare. *Ibid.*, lib. 4.

74. Vim Deo facimus iniquitatibus nostris, ipsi in nos iram divinitatis armamus. *Ibid.*, lib. 5.

S. THEODOR. 75. Apud Dominum Deum, majores sunt comminationes, quam pœnæ. Quæst. 40, super *Exod.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 76. Perierat totus orbis, nisi iram finisset misericordia. Libro I. *Controvers.* I.

S. VALER. MAX. 77. Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Lib. *Dictor. memorabil.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Beneficium Dei*, sent. II; *Dilatio*, sent. 59 ; *Monachus*, sent. 6 ; *Patientia Dei*, sent. 35 ; *Prophetia*, sent. 56 ; *Satisfactio*; sent. 16.

## JACTANTIA.

S. ANTONIN. *Definitio.* Jactantia est vitium, quo quis se verbis extollit super illud quod est, vel quod homines, opinantur de eo. Part. 2, titulo 4, cap. 4.

S. BONAV. Jactantia est voluntas propter apparentem potestatem propriam se ostentans. Part. 1, *Centiloquii*, sect 18.

HUGO A S. VICTORE. Jactantia est fastu mentis id agente, majora quam sint de te inaniter prædicare, et promittere. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 4.

HUGO CARD. Jactare se est facta vel dicta sua laudare. Super *Psalm.* II.

JOAN. GERS. Jactantia est vitium, quo quis appetit excedere in divulgatione sufficientiarum suarum. Part. 4, in *Descript. terminorum*, cap. *Temperantia*.

S. THOMAS AQUINAS. Jactantia est, qua quispiam suas laudes immodice prædicando, rationis et veritatis limites transgreditur. Secunda secundæ quæst. 112, in axiomate.

Jactantia proprie dicitur quando effert se supra id quod in ipso est, et quando effert se supra id quod est in opinione aliorum. *Ibid*, quæst. 112.

CICERO. Jactantia est voluptas gestiens, et se efferens insolentius. Lib. 4 *Tusc. quæst.*

S. ANTONIUS *Productio.* Jactantia est filia inanis gloriæ. Part. 2, tit. 4.

CICERO. *Comparatio.* Qui divitias suas jactat, sicut gallus e Phrigia, aut ariolus quispiam depressus et oneratus auro, clamat et delirat. Lib. 4, *de Arte rehetor.*, *ad Herenium*.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Inter vita aut nulla est, aut rara jactantia, et facile spernitur, qui de opprobrio gloriatur. Lib. 10, epist. *ad Demetriadem*.

2. Malum jactantiæ maxime virtutibus est cavendum, quia nullis opportunius insidiatur, quam quibus laus justa debetur. *Ibid.*

3. Si vere jactantia declinanda est, quanto magis nemo debet falsa jactare pro veris? Lib. 1, *de Cain et Abel.*, cap. 5.

4. Dum homines gloriam virtutis suæ jactare desiderant, de loco meritorum suorum et statione decidunt. Lib. 4, super *Luc.*, cap. 4, in illud : *Non in solo pane.*

5. Ita est jactantia, ut dum se putat unusquisque ad altiora conscendere, sublimium usurpatione factorum ad inferiora trahatur. *Ibid.*

S. AUGUST. 6. Tolle jactantiam, et omnes homines quid sunt, nisi homines? Lib. 5. *de Civ. Dei*, cap. 17.

7. Non est jactantia vitium laudis humanæ, sed animæ perverse amantis laudari ab hominibus, spreto testimonio conscientiæ. *Ibid.*, lib. 12, cap. 8.

8. Superborum vana et inepta jactantia, et inflata et non solidata, tanquam vento elatus pulveris globus est. Super. *Psalm.*, vers. 5 : *In pulverem deducat.*

9. Si vis esse alienus a gratia, jacta merita tua. Super *Psalm.* XXXI.

10. Noveris non jactare te de meritis tuis, nec præsumere de impunitate peccati. Super. *Psalm.* XXXI. Enarrat. 2, vers. 1.

11. Jactet se quisque de divitiis, jactet de pulchritudine et de viribus corporis : ista certe omnia mortalia sunt, et ridendi sunt, qui se de mortalibus jactant. Super. *Psalm.* LVIII, conc. 2, vers. 14.

12. Totum de misericordia. Merita tua nusquam jactes, quia et ipsa tua merita, Dei dona sunt. Super. *Psalm.* CXXXXIV, vers 14.

V. BEDA. 13. Nihil tam periculosum est, quam jactantia virtutum tumens. Super *Numeros*, cap. penult.

S. BERNARD. 14. Mirabile jactantiæ genus, ut non possis putari sanctus, si non appareas sceleratus. Serm. 16. super *Cant.*

15. Tu te depretiaris in secreto apud teipsum veritatis trutina ponderatus, et foris alterius pretii mentiens, majori te pondere vendis nobis, quam ab ipsa accepisti. *Ibid.*, serm. 42.

16. Quid tam indecorum, quam ostentatio sanctitatis? *Ibid.*, serm. 86.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

17. Jactator actuum suorum, vel sibi arrogat, quod est, vel mentitur de se quod non est. Epist. 87, *ad Ogerium*.

18. Postquam vesica jactantiæ grossescere cœperit, necesse est ut ut ampliori foramine, laxato sinu ventositas eructetur, alioquin rumpetur. *De Grad. humil.*, grad. 1.

19. Jactator non curat docere, vel doceri ipse quod nescit, sed ut scire sciatur quod scit. *Ibid.* gradu 4.

20. Jactator loquitur aut rumpitur : plenus est sermonibus, et coarctat eum spiritus uteri sui : esurit et sitit auditores, quibus suas jactitet vanitates : quibus omne quod sentit, effundat : quibus qualis et quantus sit, innotescat. *Prosec.*

21. Inventa autem occasione loquendi, si de litteris sermo exoritur, vetera proferuntur et nova : volant sententiæ, verba resonant ampullosa. Prævenit interrogantem, non quærenti respondet : ipse quærit, ipse solvit, et verba collocutoris imperfecta præscindit. *Ibid.*

22. Fructum boni operis sibiipsi auferunt, qui per studium humanæ jactantiæ prodeunt. *De Interiori domo*, cap. 48.

23. Hypocritæ semper jactantia oculos, quibus Deus videri potest, claudit. *De Ordine vitæ.*

24. Procul dubio immundus est coram Deo, omnis qui exaltat per jactantiam cor suum. In *Formula honestæ vitæ.*

25. Nihil de te loquaris quod laudem importet, quantumcunque sit familiaris ille cum quo loqueris : imo plus laborat celare virtutes, quam vitia. In *Notabili documento.*

26. Si tu taces et abscondis, plus placebis : si autem prodis et commendes, irrideberis et vilesces. *De Institut. novit.*, cap. 25.

S. CYPRIAN. 27. In proprias laudes, odiosa jactatio est. Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 3.

28. Arrogans ac superba jactatio, non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de antichristi spiritu nascitur. Epist. 55, *ad Cornelium pap.*, cap. 2.

DIONYSIUS CARTHUS. 29. Nunquam profuerunt verba ventosa, semper alta cadunt, inflata crepant, semper tumefacta perimuntur. In conclus. *Exhort. ad novit.*, cap. *Longe.*

S. DOROTH. 30. Bonum quamvis minimum quis faciat cum jactantia, totum perdit quidquid egit. Doctrina 12.

FRANCISCUS TITELM. 31. Mali sibi in malis complacendo se jactitant de malo actis, quod consummatæ nequitiæ efficax indicium est. In *Annotatione super Psalm.* XLVIII, vers. 30 : *In ore suo complacebunt.*

GLOSS. ORD. 32. Diabolus alta petit, ad alta semper ducit : elevando per jactantiam, ut præcipitare possit. Super *Matth.*, cap. IV.

33. Multi habent dona Dei, et nesciendo a quo habeant, impia vanitate jactantur. Super I *ad Cor.*, cap. II.

GRATIANUS. 34. Nemo jactare se de statu perfectionis suæ debet, quia et Petrus post jactantiam lapsus est. In *Decret.*, part. 2, caus. 6, quæst. 1, can. *Imitare.*

S. GREGOR. MAGNUS. 35. Procaces quique etiam nota jactanter proferunt, ut loquentes docti videantur. Lib. 8 *Moral.*, cap. 22.

36. Eo ipso superbiens ab integritate salutis corruit, quo jactantia cujuslibet virtutis intumescit. *Ibid.*, lib. 25, cap. 8, num. 10.

37. Auget reatum culpæ sequentis, præconium gloriæ præcedentis. *Ibid.*, lib. 18, cap. 19.

38. Nonnulli jactant se habere quod non habent. *Ibid.*, lib. 23, cap. 4, num. 7.

39. Mens, quæ per jactantiam proditur, decorticata recte ficus vocatur : quia et candida est, per hoc quod cernitur : et siccitati proxima, per hoc quod tegmine corticis nudatur. *Ibid.*, lib. 8, cap. 30.

40. Sciunt inter magna quæ ostendunt magni per jactantiam non apparere. Lib. 4 in I *Regum*, super illud *Exod.* 33 : *Ostende mihi faciem tuam.*

S. HIERON. 41. Nihil tam periculosum est, quam jactantia. Epist. 5, *ad Fabiolam.*

HUGO CARD. 42. Gravis est bonis jactantia peccatorum. Super *Psalm.* XCIII.

S. JOANNES CHRYSOST. 43. Omnem jactantiam subsequitur ruina. Homil. 5 super *Matth. Oper. imperfect.*

44. Tuba est omnis actus, vel sermo, per quem operis jactantia demonstratur. *Ibid.*, hom. 13, super illud *Matth.* VI : *Noli tuba canere.*

45. Altius de se efferre sermonem, gloriosi est, et insolenter de se jactantis. Hom. 5 *de Laudib. D. Pauli.*

46. Nihil sic est diabolicum, sicut quippiam ad ostentationem facere. Homil. 24 super II *Cor.*

47. Plerosque quos neque decora facies, neque libidinandi cupiditas ceperit, jactantiæ libido intercipit. Serm. *de Gloriæ cupidit.*

JOAN. TRITH. 48. Verecundum est pauperi progenitorum suorum jactare divitias, qui sua negligentia vel culpa ad illas venire non festinat. Lib. 3 *de Vir. illustr. ord. S. Bened.*, cap. 357.

49. Nihil est quod magis diminuat laudis præconium, quam suos quotidie jactare successus, et singulis diebus anni vendere diem unum. In cap. 4 *Regul. S. Bened.*, verbo *Jactantia.*

50. Jactantia vanam gloriam redolet, et per consequens stultitiam designat. *Ibid.*

S. ISID. HISP. 51. Nisi præcesserit occulta elatio mentis, non sequitur aperta jactantia laudis. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 38, sent. 9.



52. Culpabiliter manus ad Deum expandit, qui facta sua orando, jactanter prodit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7, sent. 20.

53. Tam in factis, quam in dictis cavenda est jactantia. *Ibid.*, cap. 23, sent. 1.

54. Virtutes Sanctorum per ostentationis appetitum dominio dæmonum immundorum subjiciuntur. *Ibid.*, sent. 9.

55. Hominum jactantia oculos, quibus Deus videri poterat claudit. *Ibid.*, sent. 16.

56. Bonum quod facis misericordiæ causa, non jactantiæ facito. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 17.

57. Absconde quod facis, in quantum potes : quod si ex toto non vales, sit in corde tuo occultandi voluntas, et non erit de ostentatione temeritas. *De Conflict. vitiorum et virtutum.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 58. Quid obscuriorum scelerum non admiserint, qui etiam de manifestis gloriantur ? Lib. 2, Epist. 153, *ad Martinian.*

S. NILUS. 59. Nihil aliud fere homines stulti sibi proponunt, nisi ostentationem, et inanes rumusculos, miseriæ suæ vilem ac futilem mercedem captantes. In *Libro ascetico.*

PETR. BLES. 60. Nihil est quod magis laudis imminuat pretium, quam suos assidue jactitare successus, et singulis diebus anni vendere diem unum. Epist. 94, *ad Joan. archidiac.*

PHILO JUD. 61. Quis posset esse infestior animæ hostis, quam qui per jactantiam quæ Dei sunt sibi usurpat ? *De Cherubim.*

62. Arrogantiæ plena jactantia vitium est. *De Migrat.*

S. PROSPER. 63. Hi, qui bona sua vane ac deformiter jactant, decora quibus remordentur, et humiliantur, occultant. Lib. 3 *De Vita contempl.*, cap. 11.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 64. Præconem sui esse, atque ad ostentationem omnia facere, non sapientiæ est, sed sophisticæ versutiæ. Serm. *De Domo astrolabii.*

S. THEODOR. 65. Si te vis jactare ac gloriari, tuam ipsius vitam considera, et tunc in teipso gloriare. Super *Epist. ad Galat.*, cap. VI.

S. VALER. EPISCOPUS. 66. Non per jactantiam, victoriæ corona componitur, sed per bonorum operum studia. Homil. 11.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 67. Jactabundus plura quam possideat, ostentat. Lib. 2 *Ethicorum ad Eudomium.*

68. Ostentator ineptus pluribus se dignum arbitratur, quam deceat. *Ibid.*

69. Qui majora prædicat, jactabundus est. *Ibid.*

CHILO LAC. 70. Tu bene si quid facies, non meminisse fas est. In *Dictis sapient.*, *ex Ausonio*, dict. 4.

CICERO. 71. Qui se magnifice jactat atque ostentat, se veniit. Lib. 4 *de Arte rhetor.*

72. Qui divitias suas jactat, sicut gallus e Phrygia aut ariolus quispiam depressus et oneratus auro, clamat et delirat. *Ibid.*

EPICTETUS. 73. Nulla aliena præstantia efferaris animo : si equus semet jactans, diceret : Sum pulcher, ferendum esset ; tu vero insolenter gloriaris. In suo *Enchirid.*, cap. 11.

PLATO. 74. Turpe est nos, quales quidem modo esse constitit, juveniliter nosmet ventitare, quasi aliquid simus, quibus tamen de eadem re nunquam potuit esse constans et certa sententia, Syzyg. 3, *de Rhetor.*

PLINIUS II. 75. Qui benefacta sua verbis jactatoriis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint, sed ut prædicarent, fecisse creduntur : sic quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserat recensente evanescit. *Prosec.*

76. Homines enim cum rem destruere non possunt, jactationem ejus incessunt : ita si silenda feceris, factum ipsum, si laudanda, quod non sileas ipse, culpatur. Lib. 1, epist. 8 *ad Pompeium Saturnin.*

SENECA. 77. Omnes sua extollunt, omnes etiam minima, quæ in alios contulere, jactant, dilatant. Lib. 3 *de Benef.*, cap. 7.

78. Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed vanæ gloriæ. Epist. 13.

SIXTUS PHILOSOPH. 79. Male sentire de fide, amor jactantiæ facit. *Sent.* 178.

80. Jactans se, non est sapiens. *Ibid.*, sent. 274.

Vide etiam tit. *Arrogantia*, sent. 11, 29, 37 ; *Contemptus*, sent. 32, 33 ; *Dignitas*, sent. 49 ; *Eleemosyna*, sent. 34 ; *Hypocrisis*, sent. 9 ; *Innocentia*, sent. 16 ; *Nobilitas*, sent. 99 ; *Peccatum in genere*, sent. 109 ; *Scientia*, sent. 47 ; *Studium*, sent. 56 ; *Superbia*, sent. 182.

## JEJUNIUM.

CASSIODOR. *Etymologia.* Jejunium dictum est, quasi inedium quod abstinentes diutius ad inediam usque perducat. Super *Psalm.* XXXIV, vers. 25.

S. AUGUST. Quid est jejunium, nisi cunctorum membrorum debita satisfactio ? Serm. 24, *ad Fratres, in eremo.*

DIONYSIUS CARTHUS. Jejunium est moderata alimenti carentia. Super *Matth.*, cap. 6, art. 14.

HUGO A S. VICTORE. Jejunium est interiorum vigilantia, discreta parcimoniæ custodia. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 15.

HUGO CARD. Jejunium est abstinentia a cibo et potu pro animæ salute. Super *Marc.*, cap. IX, *Moraliter.*

S. ISIDORUS HISPAL. Jejunium est parcimonia victus, abstinentiaque ciborum. Lib. 6 *Etymol.*, cap. 19.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Comparatio.* Sicut subtrahendo ligna, vel ignem de sub olla, cessat ejus bullitio : sic corpori subtrahendo cibaria, cessat tentatio carnis. Unde versus :

Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam :
Luxuriat raro non bene pasta caro.

Tit. 2 *Diætæ*, cap. 6.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quando caro tabescit jejuniis, anima puritate pinguescit. *Prosec.*

2. Quantum enim illi ciborum succus subtrahitur, tantum huic justitiæ virtus augetur. Serm. 25, *de Quadragesima.*

3. Quid prodest jejunare visceribus, et luxuriare venatibus ? abstinere cibis, errare peccatis? castigare corpus inedia, mentem exercere nequitia? Serm. 33, *in tempore jejunii.*

4. Qui sic jejunat ut nihil pauperibus de suis epulis largiatur, videtur quæstum sibi suum fecisse jejunium, et negotiationem parcendo. *Ibid.*

5. Bonum est quidem cunctis temporibus jejunare, sed melius est quadragesimam jejunare cum Christo. Serm. 34, *de Quadrages.*

6. Quisquis christianus consecratam jejunando non impleverit quadragesimam, prævaricationis et contumaciæ reus tenebitur. *Prosec.*

7. Qualis autem christianus es, cum Domino jejunante tu prandes?

8. Qualis christianus es, cum Christo esuriente tu reficeris? ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis jejunare formidas? *Ibid.*

9. Quamvis abstineat quis certis diebus, quamvis ciborum dulcia alimenta non sumat, non tamen illius acceptum fertur jejunium, qui non diebus quadraginta jejunat. *Prosec.*

10. Pudet dicere, senes et aniculæ quadragesimam faciunt, juvenes et juvenculæ non faciunt.

11. Ille facit quadragesimam, qui jejunando et vigilando ascendit ad Pascha : nam sicut reliquo anno jejunare præmium est, ita in quadragesima non jejunare peccatum est.

12. Illa enim sunt voluntaria jejunia, ista necessaria : illa de arbitrio veniunt, ista de lege : ad illa invitamur, ad ista compellimur. *Ibid.*

13. Qui constitutum numerum una die manducando præterit, non ut unius diei violator accusatur, sed ut totius quadragesimæ transgressor arguitur. Serm. 36, *de Quadrages.*

14. Quadragesimæ jejunium in totum non observare, sacrilegum est : ex parte violare, peccatum est. Serm. 37, *Quadrag.*

15. Jejuni hominis sputum, si serpens gustaverit, moritur : vides quanta vis jejunii sit, ut et sputo suo homo terrenum serpentem interficiat, et merito spiritalem. Lib. 6 *Hexam.*, cap. 4.

16. Ne terrenum quis aut novellum putet esse jejunium : primus usus mundi a jejunio cœpit, et ubi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi. *De Elia et jejunio*, cap. 4.

17. Quid est jejunium, nisi substantia et imago cœlestis? *Ibid.*, cap. 3.

18. Jejunium refectio animæ, et cibus mentis est. *Ibid.*

19. Jejunium vita est angelorum. *Ibid.*

20. Jejunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. *Ibid.*

21. Jejunium est continentiæ magisterium, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, custodia juventutis, infirmitatis allevamentum, salutis alimentum. *Ibid.*, cap. 8.

22. Indictum est jejunium, abstinentiæ lex a Domino Deo, prævaricatio legis a diabolo : culpa per cibum, latebra post cibum : cognitio infirmitatis in cibo, virtus firmitatis in jejunio. *Ibid.*, cap. 4.

23. Jejunium sobrietas est mentis, jejunium custodit disciplinam. *Ibid.*, cap. 8.

24. Dulcis voluptas est, amarum jejunium. *Ibid.* cap. 11.

S. ANTONIN. 25. Sit nostrum simplicitatis jejunium, de puritate purum, hominibus occultum, diabolo ignotum : quia donatum thesaurum qui non abscondit, perdit : virtutes proditæ non manebunt. Part. 2, tit. 4, cap. 7, § 4.

S. APOLLIN. 26. Jejunia sane legitima, in quarta et sexta feria non sunt solvenda, nisi grandis aliqua necessitas fuerit. *Prosec.*

27. Quia quarta feria Judas traditionem Domini cogitavit, sexta feria crucifixus est Salvator. Hab. in *Decretis Gratiani*, part. 3, dist. 3, can. *jejunio.*

S. ATHANAS. MAGNUS. 28. Jejunium morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat, malasque cogitationes expellit, et mentem nitidiorem reddit, et cor purgatius, et corpus salubrius. *De Virginit.*

29. Jejunium angelorum est cibus; et qui eo utitur, ordinis angelici censendus est. *Ibid.*

30. Non qui a cibis jejunat solummodo, probe se gesserit : sed qui abstinet ab omni opere malo, et hoc jejunium censetur. *Ibid.*

31. Jejuniorum non sit volentibus certa mensura, sed in quantum possibilitas valet, nisi laborantis extensa. In *Exhort. ad monachos.*



S. AUGUST. 32. Jejunia prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus sed continuum triduum, vel amplius sæpissime sine cibo ac potu ducere. *De Morib Eccles.*, cap. 33.

33. Jejunia humilitatem significant. Epist. 86, *ad Casulan.*

34. Si aliud est gravare corda in crapula et ebrietate, quæ semper est malum : aliud est autem modestia et temperantia custodita relaxare jejunium. Epist. 86, *Ibid.*

35. Generale jejunium non est a concupiscentia ciborum tantum, sed ab omni lætitia temporalium delectationum. Lib. 2 *Quæst. Evang.*, quæst. 18.

36. Necessaria sunt nobis jejunia, sicut vulneribus medicina. *De Quæst. vet. et novi Testam.*, quæst. 120.

37. Jejunia intemperantiam corporis mitigant, motus adversos reprimunt, pressuram animæ auferunt. *Ibid.*

38. Sicut equis fræna sunt imponenda, ita corpora nostra jejuniis sunt infrænanda. *De Salutar. docum.*, cap. 35.

39. Jejunium voluntatis est, fames necessitatis. Super *Psalm.* XXXXII.

40. Magnum opus, christianum opus jejunium. Super *Psalm.* LXXXVI.

41. Jejunium Magnum et generale est, abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium. Tract. 17 super *Evang. Joan.*, cap. V.

42. Caro nostra jumentum nostrum est, tale ergo jumentum cohibeamus jejuniis. *De Cantico novo*, cap. 3.

43. Quid prodest pallidum esse jejuniis, si odio et invidia livescas? Serm. 1 *Dom. 1, Quadrag.*

44. Quanto plures dies sunt jejunii, tanto major est causa remedii. Serm. 1 *Feriæ 4, post Dom. 1, Quadrag.*

45. Cur corpus fame discrucias, cui turpiter peccando blandiris? Serm. I, *Fer. 3. Rogat.*

46. Cum sit jejunium animæ humiliatio, quale est humiliari cibo, et augeri peccato?

47. Jejunandum est ut et caro impleat de castigatione militiam, et anima impetret de humilitate victoriam. Serm. I, *Dom. in oct. Paschæ.*

48. Jejunium, purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contribulatum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit, verbositatem non amat, divitias superfluitatem judicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat homini seipsum intelligere. Serm. I, *Fer. 4. Dom. 16 post Trinit.*

49. Per jejunium prosternuntur vitia, augmentantur virtutes, humiliatur caro, diabolicæ devincuntur virtutes. Serm. 23, *ad fratr. in eremo.*

50. Jejunium est res sancta, opus cœleste, janua regni, futuri sæculi forma. *Ibid.*

51. O sacrum jejunium! tu corpus refrænas, ne surgat, tu virtutes incitas ut resurgant, tu reum illuminas et sanas ut vivat. *Ibid.*

52. O sacrum jejunium! suave es bonis, tu odibile es malis, tu delectabile es sanctis, sed detestabile pravis. *Ibid.*

53. O sacrum jejunium! tu divina mysteria pandis, quæ sapientiæ et prudentiæ sunt agnoscis, recordari præterita facis, ordinare præsentia non negligis, et prævidere futura festinas. *Ibid.*

54. Qui jejunat ut bonus appareat, ut conservetur, ut sanior fiat, et ut ne corpore nimis impinguescat : jejunium quod facit, non virtutis est, sed præsumptionis; non virtutis est, sed attenuationis. *Ibid.*, serm. 25.

55. Ægrotus jejunat ut valeat, fastiditus ut appetat, avarus ut parcat, hypocrita ut appareat. *Prosec.*

56. Jejunium ægroti est sanitatis, jejunium fastidii est gulositatis, jejunium avari est parcitatis, jejunium hypocritæ est simulationis. *Ibid.*, serm. 41.

S. BASILIUS MAGNUS. 57. Quæ utilitas est jejunare corpore, animam autem innumeris malis repletam esse? Hom. 8, *in Hexam.*

58. Antiquum donum est jejunium, non inveterascens, non senescens, sed rejuvenescens semper, et in ætatis vigorem efflorescens. Conc. 1, *de jejunio.*

59. Etiam lege antiquius est jejunium; itaque quidquid antiquitate excellit, venerabile est. *Prosec.*

60. Reverere jejunii canitiem, coætaneum est humanitati jejunium, in Paradiso sancitum est. *Ibid.*

61. Verum jejunium est ab alienatio a malis : dimitte proximo debita, et jejunium exequeris. *Prosecutio.*

62. Carnibus non vesceris, sed comedis fratrem : a vino abstines, sed injuriis non dominaris : vesperam expectas ad assumendum cibum, sed diem in foro judiciali consumis. *Ibid.*

63. Jejunium civitatis est ornamentum, fori stabilimentum, domorum pax, rerum ac bonorum salus. *Ibid.*

64. Jejunium custodit infantes, temperatos reddit adolescentes, reverendum facit senem, rempublicam administrat, omnem civitatem gubernat, populum ad bonam disciplinam adaptat, sopit



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

clamores, exæquat contentiones, compescit convitia. *Conc.* 2, *de Jejunio.*

65. Venerabilior est canities, jejunio ornata. *Ibid.*

66. Mulieribus mundus convenientissimus est jejunium. *Ibid.*

67. Jejunium est in vigore ætatis consistentium frænum, conjugii propugnaculum, virginitatis nutrix. *Ibid.*

68. Verum, bonum et laudabile jejunium est abalienatio a malo, continentia linguæ, iræ inhibitio, cupiditatis separatio, detractionis submersio, mendacii destructio, perjurii declinatio. *Ibid.*

V. BEDA. 69. Jejunium non est perfecta virtus, sed multarum virtutum fundamentum. In suis *Proverb.*, verbo *Jejunium.*

S. BERNARD. 70. Jejunat gula, jejunet oculus, jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. *Prosec.*

71. Jejunet oculus a curiosis aspectibus, et omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa.

72. Jejunet auris nequiter pruriens, a fabulis et rumoribus, et quæcunque otiosa sunt, et ad salutem minime pertinentia.

73. Jejunet lingua a detractione et murmuratione, ab inutilibus, vanis, atque scurrilibus verbis.

74. Jejunet manus ab otiosis signis, et ab operibus quæcunque non sunt imperata.

75. Multo magis anima ipsa jejunet a vitiis et propria voluntate sua. Serm. 3, *Quadr.*

76. Bonum et salubre est jejunium, quo redimuntur æterna supplicia : non solum est abolitio peccatorum, sed et extirpatio vitiorum : non solum obtinet veniam sed et promeretur gratiam. *Ibid.*, serm. 4.

77. Si in die jejunii inveniatur voluntas propria, non tale jejunium elegit sponsus ; nec sapit illi jejunium quod non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Serm. 71 super *Cant.*

78. Per jejunium fornicatio superatur : per jejunium luxuria restringitur. Serm. 24, *ad Sororem.*

79. Caro tunc Deum sitit, quando per jejunium abstinet et arescit. *Ibid.*

S. BONAV. 80. Jejunat luxuriosus ut ventrem repleat, avarus ut plus habeat, hypocrita ut hominibus appareat jejunans, medicus ut convaleat. Super *Psalm.* XLIII.

81. Jejunium perficitur plena conversione, pura intentione, devota continuatione, vera humiliatione. Serm. 6, *in die Cinerum.*

82. Jejunium est vita angelorum, culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis. In *Apolog. pauper.*, resp. 2, cap. 3.

83. Per jejunium obtinetur perfecta custodia sanctitatis ; impetratur perfecta intelligentia veritatis ; acquiritur constantia virtutis. *Ibid.*

84. Jejunium est reconciliationis sacrificium, et virtutis incrementum. *Ibid.*

85. Jejunia humiliata corpora macerant, maculata corda purificant. Hom. 1. S. CÆSARIUS ARELAT.

86. Aliis diebus jejunare, aut remedium aut præmium est : in quadragesima vero non jejunare peccatum est. *Prosec.*

87. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam : in his quadragesimæ diebus qui potest, et non jejunat, sentiet pœnam. *Ibid.*, Hom. 2.

88. Nulli religionis exercitio fraudulentius inanis gloria adulatur, quam jejunio ; nulli virtuti favor ita blanditur. *De Jejunio et tent. Christi*, cap. 1. S. CYPRIAN.

89. Jejuniis vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitivæ abeunt voluptates. *De Jejun. et tent. Christi*, cap. 2.

90. Jejunium, si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, et tyrannidem gulæ spoliat et exarmat. *Ibid.*

91. Jejunium extraordinarios motus in cippo claudit, et arctat, et appetitus vagos distringit et ligat. *Ibid.*

92. Jejunium carnes azymas mundat et solidat, et putredines quæ ex adipe prodeunt, consumit et siccat. *Ibid.*

93. Jejunium Scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cœlesti pane nutritur. *Ibid.*

94. Hic est vere jejunii modus : scilicet ne flagitiosis voluptatibus alas mentem, nulli sint apud te libidinum stimuli, sceleratorum hominum societatem fac averseris. Hom. *de Festis Paschal.* S. CYRILLUS ALEX.

95. Jejunium est simulacrum Angelicæ vitæ, temperantiæ fons, continentiæ principium, lasciviæ ac libidinis abolitio. *Ibid.*

96. Jejunio illa adjuncta utilitas est, ut voluptatis (cum tempus inciderit) jucundior sit oblectatio. *Ibid.*

97. Jejunium velut omnis boni ac lætitiæ parentem amplectamur. *Ibid.*

98. Purum vere ac sanctum alacres amplectamur jejunium, totius alumnum modestiæ, sanctitatis parentem, supernæ conciliatorem, atque administrum benevolentiæ. *Ibid.* Hom. 20.

99. Utilissimum est jejunium : abstergit enim sordes, ac maculas eluit, tum nos exiguo labore ab æternis suppliciis vindicat. *Prosec.*



100. Subigit voluptates, cupiditatum impetus ad turpitudinem et libidines tollit.

101. Veluti feram rabidam et furentem peccati legem insitam membris emollit ac domat.

102. Denique bonorum omnium studiosos reddit, mentemque superne illustratam veræ Dei visionis, amabili complet lumine. *Ibid.*, Hom. 24.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 103. Tot annorum circulos transegisti, mundo frustra operam navans, et quadraginta diebus non vacabis pro anima tua? Cateches. 1.

S. ELIGIUS. 104. Jejunia sunt gratiæ Dei primordia, reconciliationis sacrificia, salutis remedia, castitatis fundamenta. Hom. 3.

105. Jejunia fortia tela sunt adversus tentamenta dæmoniorum. *Ibid.*, Hom. 2.

106. Illud jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat. *Ibid.*

S. EPHRÆM. 107. Nihil fit jejunium, si detractio adsit. *De morbo linguæ.*

108. Frænum monachi est jejunium, quod qui rejicit, equus insanus comperietur. *Ad Monachos parænes.* 1.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 109. Quid prodest jejunare, et mores non corrigere? abstinentia enim corporalis sola non sufficit, nisi et animæ quoque jejunium per abstinentiam vitiorum fuerit sociatum. Hom. 4, *ad Monachos.*

110. Nonne ipse se fallit, nonne ipse se irridet, et decipit, qui credit se solis jejuniis sanctificandum? *Ibid.*

111. Ita corpus exerceamus jejuniis, ut mentem purgemus a vitiis. *Ibid.*

112. Jejunia humiliata corpora macerant, sed maculata corda purificant : membris subtrahunt fortitudinem, sed conscientiis addunt nitorem. Hom. 10, *Ibid.*

S. FULGENT. 113. Jejuniis sic est adhibenda temperies, ut corpus nec saturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Epist. 3, *ad Probam*, cap. 13.

114. Talis tantaque jejunium refectio subsequatur, ut nec suavitate corpus alliciat, nec saturitate succendat. *Ibid.*

115. Jejunium nec debilitas præcipitat, nec saturitas extollat : utraque enim nostris adversariis militat, quia una utilitatem jejunii præcedentis adimit, altera facultati jejunii subsequentis obsistit. *Prosec.*

116. Saturitas facit, ut inaniter jejunemus : debilitas facit, ut jejunare non possimus. *Ibid.*

GLOSS. ORD. 117. Quod gula peccavit, jejunium corrigat. Super *Levit.*, cap. XV.

S. GREGOR. MAGNUS. 118. Non Deo, sed sibi quisque jejunat, si ea quæ ad tempus subtrahit, non egenis tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 20.

119. Illud jejunium Deus approbat, ut hoc quod tibi subtrahis, alteri largiaris : ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Hom. 16, super *Evang.*

120. Bene jejunat, qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona Conditoris, cum indigentibus percipit. *Ibid.*

121. Bene jejunat, qui ea quæ sibi subtrahit, non ventri postmodum offerenda custodit, sed pauperibus tribuit. *Ibid.*

122. Incassum caro atteritur, si a pravis suis voluptatibus animus non refrænatur. *Ibid.*

123. Jejunium animæ est adjutorium. Orat. 7, *in Funere Gorgoniæ sororis suæ.* S. GREGOR. NAZ.

124. Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Epist. 2, *ad Nepotian.* S. HIERON.

125. Tantum tibi modum jejuniorum impono, quantum ferre potes. *Ibid.*

126. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, et non superstitiosa jejunia. *Ibid.*

127. Fortissimum jejunium est, aqua et panis : sed quia gloriam non habet, et omnes pane et aqua vivimus, quasi publicum et commune jejunium non putamur. *Ibid.*

128. Jejunia moderata sint, ne nimia debilitent stomachum, et majorem refectionem poscentia, erumpant in cruditatem, quæ parens libidinum est. *Ibid.*, Epist. 4, *ad Rustic.*

129. Displicent mihi in teneris maxime ætatibus longa et immoderata jejunia : experimento didici asellum in via cum lassus fuerit, diverticula quærere. *Ibid.*, epist. 7, *ad Lætam.*

130. Hoc in perpetuo jejunio sit præceptum, ut longo itineri vires perpetes suppetant, ne in prima mansione currentes, in mediis corruamus. *Ibid.*

131. Monachus sic in quadragesima suos admittat equos, ut sibi meminerit esse currendum. *Ibid.*

132. Sic debes jejunare, ut non palpites, et respirare vix possis. Jejunium enim non perfecta virtus est, sed cæterarum virtutum fundamentum est, et sanctificatio atque pudicitia. *Ibid.*, Epist. 8, *ad Demetriad.*

133. Ardentes diaboli sagittæ, jejuniorum et vigiliarum rigore restinguendæ sunt. Epist. 10, *ad Furiam.*

134. Nihil est grande, tristi et lurida facie, vel simulare, vel ostentare jejunia. Epist. 13, *ad Paulin.*

135. Plenus venter, facile de jejuniis disputat. *Ibid.*

136. Cave ne si jejunare cœperis, te putes esse jam sanctam : hæc enim virtus adjumentum est, non perfectio sanctitatis. Epist. 14, *ad Celantiam.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

137. Quam laudem apud Deum merebimur de pallore jejunii, si invidia lividi sumus? *Ibid.*

138. Sint tibi quotidiana jejunia, et refectio satietatem fugiens. *Prosec.*

139. Nihil prodest biduo triduoque transmisso, vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, et compensetur saturitate jejunium! Epist. 22, *ad Eustoch.*

140. Quam pulchra res est jejunium, quod placet Deum, et dæmones terret. Lib. 2, *advers. Jovian.*

141. Nos unam quadragesimam secundum traditionem apostolorum toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus. Epist. 7, *ad Marcellam.*

142. Sint moderata, et sancta, et simplicia in omni mentis humilitate jejunia: quæ ita attenuent corpus, ne animum elevent, ne res humilitatis gignat superbiam, et vitia de virtute nascantur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

143. Saccus et jejunium, arma sunt pœnitentiæ, et auxilia peccatorum. Super *Jonam*, cap. II, super illud: *Et Crediderunt viri Ninivitæ.*

**HUGO A S. VICTORE.** 144. Jejunant milites, ut aliena bona rapiant: jejunant scholares, ut subtiliores fiant, et nolunt jejunare ut audiant illud: Ego reficiam vos. Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 11.

145. Jejunium corpus castigat, vitia comprimit, libidines arcet, mentem erigit, animam impinguat. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 9.

**JOAN. CASS.** 146. Utilis et omnimodis observanda est canonica jejuniorum custodia: sed nisi hanc frugi fuerit ciborum refectio subsecuta, ad integritatis calcem non poterit pervenire. Lib. 5, *de Cœnob. inst.*, cap. 9.

147. Longorum jejuniorum inedia, saturitate corporis subsequente, lassitudinem potius temporalem, quam puritatem castitatis acquirit. *Ibid.*

148. Quamvis districta jejunia succedente superflua remissione vacuantur, in gastrimargiæ tamen vitium collabuntur. *Ibid.*

149. Melior est rationabilis cum moderatione quotidiana refectio, quam per intervalla arduum longumque jejunium. *Ibid.*

150. Non solum istud jejunium visibilium ciborum ad perfectionem cordis et corporis puritatem sufficere nobis posse credamus, nisi fuerit animæ quoque jejunium copulatum. *Ibid.*, cap. 21.

151. Si corporaliter jejunantes perniciosissimis animæ vitiis implicimur, nihil nobis proderit carnalis afflictio pretiosiore parte pollutis. *Ibid.*

152. Oportet exteriore homine jejunante, interiorem quoque similiter a cibis noxiis temperare. *Ibid.*

153. Melius est interdictis escis animæ temperasse, quam voluntariis minusque noxiis corporaliter jejunasse. *Ibid.*, cap. 22.

154. Jejunium licet utile sit, ac jugiter necessarium, tamen voluntarii muneris est oblatio. *Ibid.*, cap. 24.

155. Perfectionis puritatem magnam non poterit obtinere, quisquis eam de sola continentia, id est, jejunio corporali, speraverit acquirendam, nisi noverit ob id se hanc exercere debere, ut humiliata carne jejuniis, facilius adversus alia vitia possit inire certamen, non insolescente carne saturitatis ingluvie. Collat. 5, *Abbat. Serapionis*, cap. 26.

**S. JOANNES CHRYSOST.** 156. Mater omnium bonorum et prudentiæ aliarumque virtutum omnium magistra, est jejunium. Homil. 1, super *Gen.*

157. Jejunium animæ est alimentum: sicut corporalis cibus impinguat corpus, ita et jejunium, efficit valentiorem. *Ibid.*

158. Jejunium est animarum tranquillitas, senum decor, adolescentum pædagogus, continentium magister, et omnem ætatem et sexum, quasi diademate quodam, exornat. *Ibid.*, Homil. 2.

159. Jejunium corpus comprimit, lascivias inordinatas refrænat, animam autem clariorem efficit, et sublimem et levem facit. Homil. 10, super *Genes.*

160. Jejunium bene sensatæ animæ festum est. Homil. *de Job et Abraham.*

161. Cibus de paradiso ejecit, jejunium te reducit. *Ibid.*

162. Mœstum quid jejunium est, non natura sui, sed comparatione illorum, qui adhuc infirmiores sunt. Homil. 31, super *Matth. Oper. perf.*

163. Jejunare quidem non potes, sed non vivere in deliciis potes: quod sane parvum non est, nec magno intervallo a jejunio distat. *Ibid.*, homil. 68.

164. Jejunium non est tantum irritatio passionis, sed et repugnatio. Homil. 5, super *Matth. Oper. imperf.*

165. Si jejunaveris, ut non intres in tentationem, et si tibi non proficit jejunium tuum, ut non tenteris, tamen ad illud sine dubio tibi proficiet ut tentationibus non vincaris. *Ibid.*

166. Corporale jejunium est abstinere a cibis, spirituale jejunium est abstinere a peccatis. *Ibid.*, homil. 15.

167. Qui misericors est, magis jejunat corde quam corpore, magis abstinet se a peccato quam



a cibo: et ideo non hominibus, sed Deo jejunat. *Ibid.*

168. Medicina est jejunium, sed medicina licet millies utilis sit, per utentis imperitiam inutilis sæpe fit. Homil. 3, *ad Pop. Antioch.*

169. Jejunii nimietas morbos inducit. *Ibid.*, homil. 59.

170. Jejunans levis est et alatus, et cum solertia orat, et improbas extinguit concupiscentias, Deum placat et insurgentem animum humiliat. *Ibid.*, homil. 71.

171. Dolet in jejuniis caro, sed epulatur anima. Serm. 1, *de Jejunio.*

172. Deliciæ sunt, jejunium. *Ibid.*

173. Ille jejunat, qui non peccat; qui autem peccat et jejunat, non ad gloriam Dei jejunat, sed substantiæ suæ parcit. Homil. 15, super *Matth. Oper. imperf.*

**S. JOAN. CL.** 174. Jejunium est naturæ violentia, circumcisio suavitatis faucium, incentivorum omnium abscissio, malarum cogitationum liberatio, orationis munditia, insigne lumen animæ, mentis custodia, obcæcationis solutio, compunctionis janua, suspirium humile, læta contritio, loquacitatis abdicatio, quietis occasio, obedientiæ custos, somni leviatio, sanitas corporis, tranquillitatis auctor, peccatorum remissio, paradisi porta. *Grad.* 14.

**JOAN. SAR.** 175. Quale illud jejunium, aut qualis refectio post jejunium, cum pridianis epulis distendimur, et guttur nostrum meditatorium efficitur latrinarum? Lib. 8, *de Nugis curial.*, cap. 6.

**JOAN. TRITH.** 176. Amare jejunium, libertatis est; jejunare et non diligere, servitutis. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Quare.*

177. Perfectum jejunium non est, quando a cibis, et non a vitiis abstinemus. *Ibid.*

**S. ISIDORUS HISPALENS.** 178. Jejunia fortia tela sunt adversus tentamenta dæmoniorum; cito enim per jejunium devincuntur. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 44, sent. 3.

179. Spernitur jejunium, quod in vesperum deliciosa repletione ciborum reficitur. *Ibid.*, sent. 10.

180. Ante diem Pentecostes indicendum jejunium est, ut per cordis humilitatem, et abstinentiam carnis mereamur cœlis promissum spiritum sanctum accipere. Lib. 1, *de Offic. Eccles.*, cap. 37.

**PETR. BLES.** 181. Quis jejunium non prædicet? Jejunium res sancta est, opus cœleste, janua regni, forma futuri. *Prosec.*

182. Quod qui sancte agit, Deo jungitur, alienatur mundo, spiritualis efficitur.

**S. ISIDORUS HISPAL.** 183. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, temperamenta vincuntur. *Ibid.*, cap. 42.

184. Jejuniis inservias, non potes enim tentationes vincere, nisi de jejuniis erudiaris. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 4.

185. Jejunio libido frangitur, jejunio luxuria superatur. *Ibid.*, etc.

**S. JUSTIN. MART.** 186. Anima dum cibo et potu male tractatur, fit melior. Epist. ad *Dignetum.*

**S. LAURENT. JUSTIN.** 187. Jejunium est sanitas corporis, valetudo membrorum, mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis, vitæ diuturnitas. *De ligno vitæ*, tract. 11, cap. 2.

**S. LEO I.** 188. Quid potest esse efficacius jejunio; cujus observantia appropinquamus Deo; et resistentes diabolo, vitia blanda superamus? Serm. 2, *de Jejun. decimi mensis.*

189. Semper virtuti cibus, jejunium fuit. *Ibid.*

190. Jejunia contra concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, et omnes bonæ voluntatis effectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt. *Ibid.*, serm. 4.

191. Ficta et simulata jejunia non ad purificationem, sed ad perditionem proficiunt animarum. Serm. 4, *de Nativit.*

**S. MAXIMUS EP. TAURIN.** 192. Non Deo jejunat, sed hominibus, quicunque ostentatione jejunii sui gloriam requirit humanam. *Hom. in die ciner.*

193. Jejunium Christiani, egentis debet esse refectio. Homil. 3, *Quadrag.*

194. Bene jejunat quicunque esuriem suam refecti pauperis satietate sustentat. *Ibid.*, homil. 4.

195. Gratissimum Deo defert jejunium, qui mentem suam a pravis cogitationibus, oculos a concupiscentia, linguam manusque a lite custodit. *Ibid.*

**S. NILUS AD. MART.** 196. Bonus jejunii est panis, quandoquidem a voluptatis pane immunis existit. Parænes. 175.

197. Jejuni mens, ut stella sereno cœlo fulget: saturi vero tenebris oppressa, jacet obscura. *Ibid.*, orat. 1, *de Gula.*

**ORIGENES.** 198. Vis tibi ostendam quale te oporteat jejunare jejunium? Jejuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiæ, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ concalescas. Homil. 10, in cap. XVI, *Levitici.*

**S. PAULIN.** 199. Vestimentum animæ, jejunium est. Epist. 10, *ad Severum.*

200. Quadruplex est jejunium: jejunat ægrotus, jejunat fastiditus, jejunat avarus, jejunat hypocrita: ægrotus jejunat ut valeat; fastiditus, ut appetat: avarus, ut parcat; hypocrita, ut appareat: jejunium ægroti, facit medicina; jejunium fastiditi, gulositas; jejunium avari,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

parcitas; jejunium hypocritæ, vana gloria; jejunium ægroti videt et approbat medicus; jejunium fastiditi, Epicurus; jejunium avari, hæres institutus; jejunium hypocritæ, populus : jejunium ægroti, est sanitas; jejunium fastiditi gulositas; jejunium avari, parcitas; jejunium hypocritæ, simulata religio. Serm. 10, *In Die cinerum*.

PETR. BLES. — 201. Jejunare et jejunio non affligi, non habet vim, aut meritum jejunandi. Super *Job*, cap. II.

S. PETRUS CHRYSOL. — 202. Vacuandus est venter moderatione jejunii, ut exoneratus animus possit ad alta pertendere, conscendere ad virtutes, possit ad ipsum pietatis auctorem totus aliger pervolare. Serm. 2.

203. Sit de simplicitate jejunium, de innocentia sit sanctum, de puritate purum, de sinceritate sincerum, sit hominibus occultum, ignotum diabolo, Deo notum. *Ibid.*, serm. 7.

204. Esurit jejunium, jejunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. *Ibid.*, serm. 8.

205. Est jejunium, vitiorum mors, vita virtutum, pax corpori, membrorum decus, ornamentum vitæ, robur mentium, vigor animarum, castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas sanctitatis, schola meritorum, magisterii magisterium, disciplinarum disciplina, ecclesiasticæ vitæ viaticum salutare, invictus christianæ militiæ principatus. *Ibid.*, serm. 8.

206. Qui non jejunat pauperi, Deo fingit. *Ibid.*

207. Qui jejunans prandium suum non erogat, sed deponit, cupiditati probatur jejunare, non Christo. *Ibid.*

208. Jejunium scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. *Ibid.*, serm. 12.

209. Jejunium est singulare sanctitatis aratrum : colit corda, eradicat crimina, evellit delicta, vitia subruit, charitatem serit, copiam nutrit, parat innocentiæ messem. *Ibid.*, serm. 31.

S. PETRUS DAMIAN. — 210. Ama jejunium, ut dum inedia corpus atteritur, anima cœlestis gratiæ pinguedine saginetur. Lib. 2, epist. 11, *ad Desiderium*.

211. Ille bene jejunat, qui in die refectionis communibus contentus est alimentis. Opusc. 13, cap. 21.

S. PIUS PAPA. — 212. Nihil prodest homini jejunare, et alia religionis opera facere, nisi mens ab iniquitate revocetur. Habet. in *Decretis Gratiani*, part. 2, *de Pœnit.* dist. 3, can. *Nihil*.

S. PROSPER. — 213. Sic jejunare debemus, ut non nos jejunandi necessitati subdamus : ne jam devoti, sed inviti rem voluntariam faciamus. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 24.

S. THOMAS AQUINAS. — 214. Per jejunium sic vitia carnis sunt refrænanda, quod tamen naturæ necessitas non subtrahatur. *De Jejun. Christi*.

IN VITIS PATR. — 215. Esca charitatis jejunium non frangit. Lib. 3, num. 46.

216. Jejunium frænum est peccati : qui autem abjicit jejunium, velut equus fervens desiderio concupiscentiæ rapitur. Lib. 5, libell. 4, *de Continent*, num. 46.

217. Siccatum jejunio corpus, animam de profundo elevat, et siccat fistulas delectationum. *Ibid.*, num. 47.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SIXT. PHIL. — 218. Pro reficiendo paupere, etiam jejunare bonum est. *Sent.* 259.

Vide etiam tit. *Abstinentia*, per totum; *Ascendere*, sent. 80; *Cibus*, sent. 4, 5; *Corpus*, sent. 52; *Dispensatio*, sent. 40; *Fames*, sent. 40, 43; *Luxuria*, sent. 32; *Monachus*, sent. 102; *Nimietas*, sent. 10, *Obedientia*, sent. 147; *Sacrilegium*, sent. 11; *Solitudo*, sent. 11; *Timor pœnæ*, sent. 45; *Virtutum connexio in specie*, verbo *Jejunium*.

## JESUS.

S. ANSELM. — *Etymologia.* Quid est Jesus, nisi Salvator? ergo Jesu propter temetipsum, esto mihi Jesus. *De Miseria hominis*.

S. CYRILLUS HIEROSOL. — Jesus apud Hebræos significat Salvatorem, in lingua vero græca medicum sonat, quandoquidem et corporum medicus est, et animarum curator atque Salvator. *Catech.* 10.

DIONYSIUS CARTHUS. — Filius Virginis Mariæ Jesus, dictus est vere nomine et re per mysterium Jesus a salvando, Christus ab unctionis dono. *De Perfect. charit.*, art. 49.

S. ISID. HISP. — Jesus hebraici, græce σωθηρ, latine autem salutaris, sive Salvator, interpretatur, pro eo quod cunctis gentibus salutifer venit. Lib. 7, *Etymol.*, cap. 2.

THEOPHYLACTUS. — Nomen Jesu non est græcum, sed hebraicum, et interpretatur Salvator; Jesus enim salus apud Hebræos dicitur. Super *Matth.*, cap. I.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. — 1. Bonum et jucundum est habitare cum Jesu, quia si ceciderit, qui cum Domino est Jesu, erigit eum Jesus. Lib. 4, epist. 17, *ad Clericos*.

2. Dominus Jesus christianorum est requies. Lib. 6, epist. 39, *ad Herontianum*.

3. Perfidis dormit Jesus, fidelibus vigilat. Super *Psalm.* XLIII.

S. ANSELM. — 4. Jesu, Jesu, propter hoc nomen tuum, fac mihi secundum nomen tuum. *De Miseria hominis*.



5. Jesu, Jesu nomen dilectum, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, et nomen beatæ spei. *Ibid.*

6. Jesu, Jesu miserere, dum tempus est miserendi, ne damnes in tempore judicandi. *Ibid.*

7. Nihil sine Jesu dulcescit, nihil complacet, nihil pretiosum, nihil præter illum arridet speciosum : vilescunt omnia, sordescunt universa. In *Meditationibus*.

8. Tædeat me gaudere sine te; et delectet me tristari pro te. *Ibid.*

9. Nomen Jesu refocillatio est, et memoria ejus consolatio. *Ibid.*

S. AUGUST. — 10. Quid suavius Jesu Christo? Salvator noster totus est unctus, totus est pius, totus est dulcis atque suavis. *De Spiritu et anima*, cap. 55.

11. Dulcissime Jesu, benignissime, amantissime, charissime, potentissime, desideratissime, pretiosissime, amabilissime, pulcherrime : tu melle dulcior, lacte et nive candidior, nectare suavior, gemmis et auro pretiosior, cunctisque terrarum divitiis et honoribus charior. In *Medit.*, cap. 35.

12. Certe melius est mihi non esse, quam sine Jesu esse : melius est non vivere, quam vivere sine vita. *Ibid.*, cap. 39.

13. O bone Jesu! si ego commisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. *Ibid.*

14. O bone Jesu! accipe me tu, et trahe me ad te, ut tuus sim imitatione et dilectione, sicut tuus sum conditione et creatione. *Ibid.*

15. Vocabulum Jesu gloriosum omni ornatu, cultuque dignissimum, Nomen quod est super omne nomen, non decuit ab hominibus appellari, neque ab eis efferri in mundum, sed ab excellentiori quadam meliorique natura. *De Assump. B. M.*, cap. 3.

S. BERNARDIN. SEN. — 16. O bone Jesu! fac ut te amem ardenter. *Prosec.*

17. Dulcis amor Jesu, fac me sentire quam immenso amore nos amasti et amas.

18. Amorosissime Jesu, vellem te amare, sed sine te non possum.

19. Amor meus Jesu, fac me mori amore tui.

20. Amor meus Jesu, da mihi ad te amorem ferventem, humile obsequium et regratiamen.

21. O mi Jesu pro me crucifixe! eviscera te in me, et clavis tui amoris te in me totum confige. In suis *Aspirationibus*.

22. Nomen Jesu, nomen est gloriosum, omni cultu dignissimum. *Prosec.*

23. Tam singularis reverentiæ est nomen Jesu, quod ab ejus venerabili laude nullus excipitur status, nullus excluditur locus, nullum præscribitur tempus, nullum removendum est opus. Serm. *de Circumcisione*, art. 3, cap. 4.

S. BERNARD. — 24. Bona et desiderabilis umbra sub alis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, et gratum fessis refrigerium. Homil. 2, super *Missus*.

25. Vir erat Jesus, necdum etiam natus, sed sapientia non ætate, animi vigore non viribus corporis, maturitate sensuum non corpulentia membrorum. *Ibid.*

26. Nulli deest Christus, nulli deest Jesus, nulli deest unctio, nulli deest salus. Serm. *de S. Martino*.

27. Jesus dicitur ter flevisse : in ipso ortu genus humanum, processu temporis Lazarum, ad ultimum in Jerusalem, futurum casum. In suis *Sentent.*, verbo *Jesus*.

28. Jesus interpretatur Salvator : quid tam necessarium perditis, quid tam optabile miseris, quid tam utile desperatis? Serm. 6, *Vigil. Nativit.*

29. Cum nomino Jesum, hominem mihi mitem propono et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum. Serm. 15, super *Cant.*

30. Quam charum nomen Jesu, quam vile! vile, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur : si salubre non esset, non me lucraretur. *Ibid.*

31. Nomen Jesu lucet prædicatum, pascit cogitatum, invocatum lenit et ungit. *Ibid.*

32. Non tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibus an non toties confortaris, quoties recordaris? *Ibid.*

33. Nomen Jesu exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones. *Ibid.*

34. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonne si invocet nomen vitæ, contestim respirabit ad vitam? *Ibid.*

35. Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem, quam nomen Jesu. *Ibid.*

36. Habes in nomine Jesu unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas, et unde tuos sensus aut serves ne corrumpantur, aut si corrumpuntur sanes. *Ibid.*

37. Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere : et qui tibi non sapit, desipit : et qui curat esse nisi pro te, pro nihilo est, et nihil est; et qui esse vult sibi et non tibi, nihil esse incipit. *Ibid.*, serm. 20.

38. Jesus speculum est patiendi, et præmium

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

patientis; utrumque fortiter provocat, ac vehementer accendit. *Ibid.*, serm. 47.

39. Spiritus Jesu, Spiritus bonus, Spiritus sanctus, Spiritus rectus, Spiritus dulcis, Spiritus principalis. *Prosec.*

40. Quidquid in hoc sæculo nequam, videtur difficile et angustum, Spiritus ille leve facit : et illatum opprobrium, gaudium judicat, et despectionem, exultationem esse persuadet. Serm. 4, *Ascensionis Domini.*

41. Nomen Jesu lucet, pascit, et ungit; fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina. Serm. 15, super *Cant.*

42. Si scribas, non sapit, nisi legero ibi Jesum. *Prosec.*

43. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus.

44. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. *Ibid.*

45. Tristatur aliquis? veniat in cor ejus Jesus, et inde saliat in os, et ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, redit serenum. *Ibid.*

46. Tibi electuarium habes, o anima, reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est Jesus, salutiferum certe, quodque nulli unquam pesti inveniatur inefficax. *Ibid.*

47. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur et actus. *Ibid.*

48. Peccatum mors animæ est, Jesus vita. *Ibid.*

49. Quidquid dulcissimi Domini mei nomen decolorat, cor meum excoriat. Epist. 179, *ad Innocent. Pap.*

50. Sequi Jesum, salubre consilium : tenere et amplecti, solemne gaudium : manducare vita beata. Epist. 190, *ad Eumdem.*

51. Jesus tibi sit cibus et potus, dulcedo et consolatio tua, mel tuum et desiderium tuum, lectio tua et meditatio tua, oratio et contemplatio tua, vita, mors et resurrectio tua. *In Formula honestæ vitæ.*

52. Ipse Jesus, qui dulcis est in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere, dulcior apparebit in Deitatis visione. Serm. 1, *in Cœna Dom.*

53. O dulcis ardor Jesu, dulcis splendor, dulcis amor? ardor confortans, splendor illuminans, amor inebrians. *Prosec.*

54. Quam dulciter ardes, quam mirabiliter splendes, quam sufficienter totum cor hominis amore imples. Homil. *de Duobus discipulis euntibus in Emmaus.*

55. Cum Jesus in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de ejus corde nisi dulcedo. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 12.

56. Si ægrotus es, tibi Jesus medicus est : si exulas, dux est : si desolatus es, rex est : si impugnaris, pugil est : si sitis, potus est : si alges, vestimentum est : si tristaris, gaudium est : si obtenebraris, lux est : si orphanus es, pater est. *Prosec.*

57. Jesus sponsus est, amicus est, frater est, summus, optimus, misericordissimus, fortissimus, pulcherrimus, sapientissimus est. *Ibid.*, cap. 22.

58. Nomen Jesu, quod est super omne nomen, nulli potius est nominandum, nulli dulcius sapiendum, quam virginibus et sponsis ejus. *Ibid.*, cap. 31.

59. Illa vitis vera, dulcis Jesus, apparuit in Nativitate, præcisa fuit in Circumcisione, circumfossa in insidiis, perfossa clavis, ligata vinculis, fronduit in virtutibus, fructificavit in passione. Lib. *de Passione Domini*, cap. 46.

60. Tam dulcis est Jesus gustantibus eum, tam speciosus ad videndum, tam suavis ad amplectendum, ut brevis ejus absentia maximi doloris materia sit. Homil. *infra octavam Epiphaniæ.*

61. Jesus dulcedo non fallax, dulcedo felix, dulcedo delectabilis, dulcedo gloriosa, decus angelorum, splendor et gloria est Sanctorum. Serm. 3 *de Cœna Domini.*

62. Jesus odor est bonus, odor suavissimus, melle et lacte dulcior, nectare suavior, gemmis et auro pretiosior. *Ibid.*, serm. 4.

63. O bone Jesu! esto mihi Jesus. *Ibid.*

64. O Jesu, Jesu! utinam merear te videre mihi Jesum : nihil aliud volo, nihil aliud quæro, nihil aliud desidero, nihil aliud cupio, nisi te videre Jesum. *Ibid.*

65. Jesus totus est desiderabilis, totus amabilis, thesaurus incomparabilis, margarita inæstimabilis, vita viventium, spes morientium, æterna fidelium felicitas. *Ibid.*

66. O bone Jesu! si tam dulce est flere de te, S. BONAV.
quam dulce est gaudere de te. Super *Lamentationes Hieremiæ.*

67. Jesus dignus est laudis præconio : nam per ipsum tria nobis donantur, remissio peccatorum omnium, infusio charismatum divinorum, consummatio mentalium desideriorum. Serm. 4. *Dom.* 12, *post Pentecost.*

68. Omnis dulcedo gratiæ est per Jesum. *Ibid.*

69. In nullo alio possunt quietari et quiescere humilia desideria, nisi in Christo Jesu. *Ibid.*

70. O quanta aviditate appetendus est Jesus! unica enim salus est humana, totum bonum



christianorum, et plenum gaudium bonorum. *Prosec.*

71. In quo corporaliter habitat plenitudo Deificæ voluptatis, in quo anima absorpta proficit, omniaque ejus desideria consummantur.

72. Nomen Jesu, nomen sacratissimum, a prophetis prophetatum; hoc est nomen virtuosum, gratiosum, gaudiosum, deliciosum et gloriosum. *Prosec.*

73. Nomen Jesu, nomen virtuosum : quia superat hostes, congregat cives, reparat vires, revocat mentes.

74. Nomen Jesu, nomen gratiosum : quia in ipso est fidei fundamentum, spei firmamentum, charitatis unguentum, justitiæ complementum.

75. Nomen Jesu, nomen gaudiosum; quia jubilus in corde, melos in aure, mel in ore, splendor in mente.

76. Nomen Jesu, nomen deliciosum : quia pascit cogitatum, lenit prolatum, ungit invocatum, reficit scriptum, instruit factum.

77. Nomen Jesu, nomen gloriosum : quia dedit cæcis visum, surdis auditum, sermonem mutis, vitam mortuis, et gressum claudis. *De Quinque festivit. Pueri Jesu*, solemnit. 3.

78. O anima, sive scribas, sive legas, sive doceas, sive aliud quodcunque opus facias, nihil tibi sapiat, nihil tibi placeat nisi Jesus. *Ibid.*

79. Quæritur Jesus meditationibus, requiritur affectionibus, interrogatur devotis cogitationibus. *Ibid.*, solemnit. 4.

80. Tædet, o Jesu, gaudere sine te, delectat gaudere tecum et flere tecum : o si tam dulce est flere de te, quam dulce erit gaudere de te! *Ibid.*

81. O felix Maria, in qua Jesus concipitur, de qua Jesus nascitur, et cum qua tam dulciter et gaudenter Jesus invenitur. *Ibid.*

82. Jesus est, fons universæ dulcedinis et pietatis, fons odoris et sapientiæ, auctor scientiæ, consiliator casti consilii. In *Soliloq.*, cap. 1.

83. Quid te dulcius, quid suavius, quid amabilius, bone Jesu? In *Stimulo amoris*, part. 4, cap. 17.

84. Jucundatio tua sit semper in Jesu, et meditatio tua sit semper in Jesu. In *Regula novit.*, cap. 1.

85. Nomen Jesu est, ab æterno consecratum, ab antiquis præfiguratum, a prophetis desideratum, a sanctis Patribus prophetatum, a Deo nominatum, ab angelo prænuntiatum, a beata Virgine prædicatum, ab apostolis magnificatum, a martyribus testificatum, a confessoribus collaudatum, a sanctis Virginibus prægustatum, ab omnibus Sanctis exaltatum. Lib. 4, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 12.

86. Jesus est jucunditas mœrentium, æternitas viventium, sanitas languentium, ubertas egentium, satietas esurientium. *Ibid.*

87. Jesus Christo convenit, primo ratione naturæ, secundo ratione decentiæ, tertio ratione efficaciæ. *Ibid.*

88. Dulcis est Jesus, cum corrigit, dulcis dum CASSIODOR.
parcit, dulcis cum credentibus æterna præmia compromittit. Super *Psalm.* XXX, vers. 23.

89. Jesus Christus vocatur duplici nomine : S. CYRILLUS
Jesus propter salvationem, Christus propter sacer- HIEROSOL.
dotium, quo fungitur. *Cateches.* 20.

90. Pro muro munitissimo atque tutissimo sit S. EPHREM.
tibi nomen Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi. *De Vita S. Abramii.*

91. O quam est excellens, quam gloriosum, FRANCISCUS
quam honorandum nomen tuum benedictum, TITELM.
dignum quoque quod omnes ubique terrarum summis efferant laudibus. In *Elucid. super Psalm.* VIII, vers. 1.

92. Dulce satis te, bone Jesu, quærere, dulcius GILLEBERT.
tenere : in uno pius labor, in altero perfecta ANGLUS.
lætitia. Serm. 1 super *Cant.*, apud S. Bernard., num. 2.

93. Ubique est nomen Jesu, et utinam quo vox sonat, vita depromat. *Ibid.*, serm. 5.

94. Qui sub Jesu militat, non suscipit inimici GLOSS. INT.
ignita jacula. Super *Josue*, cap. X.

95. Merito Jesus appellatus est, quia salutis GLOSS. ORD.
nostræ causa in hunc mundum ingressus est. Super *Luc.*, cap. I.

96. Non decuit tam gloriosum nomen Jesu ab hominibus appellari, sed ab excellentiori natura, ne homo videatur machinator hujus nominis. *Ibid.*, cap. II, in illud : *Vocatum est ab angelo.*

97. Ille in nomine Jesu petit, qui animæ suæ HAYMO.
salutem quærit. Serm. *Dominicæ*, 5, *post Pascha.*

98. Nullum præstantius auxilium in tota vita HESYCHIUS.
tua reperies, præterquam a Jesu. *Centuria* 1, sent. 39.

99. Facilius anima demergitur a dæmonibus, quæ ingruentibus invocare nomen Jesu non curat. *Ibid.*, centur. 2, sent. 67.

100. Beatus est ille, cui sic adhæret in animo deprecatio Jesu, et qui sine intermissione resonat ipsum in corde, sicut utitur aer corporibus nostris, aut flamma candelæ. *Ibid.*, sent. 94.

101. Quocumque humanus sermo esse potest, S. HIERON.
ibi Jesus resonet. Super *Psalm.* LXVI, vers. 4.

102. Per lumen Jesum accessum habuimus ad HUGO A S.
lumen Patrem : Jesus enim lumen est, et Pater VICTORE.
Jesu lumen. Lib. 2 super cap. 1, *Cœlestis Hierarch.*, in illud : *Per quem ad principale lumen.*

103. Invocatio nominis Jesu est turris fortis- HUGO CARD.
sima, et tutissimum refugium; ad quod contra sa-

gittas et spicula diaboli et satellitum ejus recurrere debemus. Super *Prov.*, cap. XVIII.

104. Sepulcrum Jesu est mens devota, ubi Jesus multum desiderat sepeliri. Super *Marc.*, cap. XIV, *Mystice.*

105. Multi nolunt Jesum regnare super se; scilicet aliquem nolunt, qui salutem quærat animarum. Super *Luc.*, cap. XIX, in illud : *Nolumus hunc regnare super nos.*

106. Tota Jesu vita, fuit passio. Super *1 B. Petri*, cap. IV.

S. IGNATIUS MARTYR. 107. Via omnis erroris expers, est Jesus Christus. Epist. 14, *ad Ephes.*

108. Ignis, crux, ferarum concursus, sectiones, laniena, ossium discerptiones, membrorum concisiones, totius corporis solutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodo ut Jesum nanciscar. Epist. 15, *ad Roman.*

109. Jesus est vita fidelium. *Ibid.*

S. INNOC. III. 110. Unigenitus Dei Filius Jesus Christus, idem est propitiator et propitiatio, medicus et medicina, sacerdos et sacrificium. Super *Psalm.* CXXIX, vers. 4.

S. JOANNES CHRYSOST. 111. Nominis Jesu invocatio satis est ad omnia consequenda. Homil. 78 super *Joan.*

112. Jesus quam decorus, fonte purior, nive candidior, luna clarior, septies sole candentior. Homil. *de Lazaro.*

113. Nomen ipsum Jesus, angelus cœlis demissus, quando Christus nascebatur ex Virgine detulit. Serm. 1 super *Epist. ad Rom.*

114. Hoc Jesu nomen tum inferis, tum morbis et vitiis terrori est. Serm. *de Laude Dei.*

S. JOAN. CLIM. 115. Jesu memoria, fac ut spiritui tuo uniatur, tuncque agnosces quæ sit quietis utilitas. *Gradu.* 27.

JOAN. GERS. 116. Nomen Jesu ab omnibus est invocandum, quia omnibus salutiferum. Serm. *de Circumcis.*

JOAN. TRITH. 118. O quam bonus est spiritus Jesu, quam sanctus, quam rectus, dulcis et fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans, consolationem præbens humilibus! Super Prolog. *Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 6.

119. Amator Christi, etiam in medio multitudinis Jesum cogitat. Lib. 1, homil. 12, *ad Monachos.*

120. Nihil est in mundo quod Jesum amanti, præter Jesum placeat. Orat. 6, *in Conventu Abbat. habita.*

LACT. FIRM. 121. Jesus inter homines nominatur, Christus vero non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis et regni : quia unctio sacri unguenti nomen ac potestatem regiam conferebat. Lib. 4, *de Divin inst.*, cap. 7

S. LAURENT. JUSTIN. 122. Senties indubitanter amœnitatem quamdam spiritualem et sapidam, non solum in corde, verum etiam in ore, quoties nomen hoc sanctum Jesus, a te fuerit cum devotione prolatum. Serm. *de Circumcis.*

ORIGENES. 123. Tanta certe vis nomini Jesu inest contra dæmones, ut nonnunquam, etiam a malis nominatum, sit efficax. Lib. 1, *contra Celsum.*

PETR. CELL. 124. Socio Jesu, qui times? pascente Jesu, quid esuris? lavante et ungente Jesu, quid doloris persentis? Lib, 4, epist. 12, *ad Joan. Sarisberiens.*

S. PETRUS DAMIANUS. 125. O utinam a Jesu absorberetur anima mea! o dulcedo meritorum Jesu! o calor viscerum Jesu! o secretum pectoris Jesu! sicut cithara sonat mihi Jesus. *Ibid., de Panibus*, cap. 19.

126. Jesus est splendor luminum, flos florum, vita morum, schola virtutum, corona sanctorum. Serm. 1, *Epiph.*

127. Vocabulum Jesu dulce et gloriosum est, et omni adoratu cultuque dignissimum. Serm. 2, *de Nat. Dom.*

S. PROSPER. 128. Sine Jesu nemini salus est. Epist. *ad Rufin., de Lib. Arbit.*, cap. 1.

PRUDENT. POETA. 129. O nomen prædulce mihi! lux, et decus, et spes, præsidiumque meum requies o certa laborum.

Blandus in ore sapor, fragrans odor, irriguus fons.

Castus amor, pulchra species, sincera voluptas. In *Apotheos., adversus Judæos.*

S. THOMAS AQUINAS. 130. Hoc nomen Jesus est magnæ et multæ virtutis. *De Imposit. nomin. Christi.*

THOMAS A KEMPIS. 131. Si solus est, qui legit aut orat, Jesus vult esse secundus : si duo simul legunt, aut cantant, Jesus vult esse tertius : nec vana erit petitio istorum in nomine Jesu congregatorum. Serm. 4, *ad Novit.*

132. Benignus est Jesus super omnes sperantes in se : probat frequenter, corripit amanter, instruit sapienter, vocat incessanter, pulsat fortiter, aperit libenter, suscipit lætanter, indulget clementer, donat sufficienter, coronat excellenter. *Ibid.*, serm. 13, divis. 5.

133. Melior est tibi solus Jesus pro socio, quam totus angelorum chorus in cœlo. *Prosec.*

134. Revera nunquam est solus, cum quo est dulcissimus Jesus : nam sine Jesu, totus mundus tædium est et onus. *Meditat.* 13, *de Jejun.*, cap. 5.

135. Pene totum perditum invenies quidquid extra Jesum in hominibus posueris. Lib. 2, *de Imit. Chr.*, cap. 7, sect. 2.

136. Si quæris in omnibus Jesum, invenies utique Jesum. *Ibid.*, cap. 7, sect. 3.

137. Quando Jesus adest, totum bonum est, nec quidquam difficile : quando vero Jesus non adest, totum durum est. *Ibid.*, cap. 8.



138. Quando Jesus intus non loquitur, consolatio vilis est : si autem Jesus unum tantum verbum loquitur, magna consolatio sentitur. *Ibid.*

139. Quam aridus et durus es, sine Jesu! quam insipiens et vanus, si cupis aliquid extra Jesum! *Ibid.*

140. Quid potest tibi conferri sine Jesu? *Ibid.*, cap. 8, sect. 2.

141. Esse sine Jesu, gravis est infernus : et esse cum Jesu, dulcis paradisus. *Ibid.*.

142. Pauperrimus est, qui vivit sine Jesu; et ditissimus, qui bene est cum Jesu. *Ibid.*

143. Magna ars est, scire cum Jesu conversari : et scire Jesum tenere, magna prudentia. *Ibid.*, cap. 8, sect. 3.

144. Esto humilis et pacificus, et erit tecum Jesus : sis devotus et quietus, et manebit tecum Jesus. *Ibid.*

145. Eligendum est magis totum mundum habere contrarium, quam Jesum offensum. *Ibid.*

146. Stans aut sedens, orans aut legens, scribens aut operans, creber in ore, semper autem in corde, Jesus versetur et Maria. In *Soliloq. Anim.*, cap. 24.

147. Dulcis Jesus omnia dulcia et levia facit. In *Hortulo Rosar.*, cap. 8, sect. 2.

148. Vox Jesu, vox dulcis ad consolandum, vox fortis ad protegendum, vox jucunda ad lætificandum, vox benigna ad indulgendum, vox gratiosa ad salvandum. In *Valle lilior.*, cap. 13.

149. Hæc sancta oratio Jesus et Maria, Brevis est ad legendum, levis ad portandum, facilis ad tenendum, dulcis ad cogitandum, fortis ad protegendum, fidelis ad custodiendum, socialis ad ambulandum, delectabilis ad recreandum, amabilis ad consolandum, potens ad adjuvandum, prudens ad perducendum ad patriam. *Ibid.*

150. Hoc nomen Jesus significat humanam naturam, sed Christus naturam divinam et humanam. Serm. *de Circumcis.*

IN VITIS PATR. 151. Nomen Jesu validissimus murus est contra insidias diaboli. Lib. 2, in *Vita S. Abrahæ*, cap. 22.

Vide etiam tit. *Amicitia Dei*, sent. 18; *Cibus*, sent. 32; *Novitius*, sent. 66; *Quærere Deum*, sent. 51.

## JOANNIS BAPT. ENCOMIA.

### SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Erat Joannes magnus non virtute corporis, sed animi magnitudine. Lib. 1, super *Lucam*, cap. 1, in illud : *Et erit magnus*, etc.

2. Nondum inerat illi spiritus vitæ, et jam inerat spiritus gratiæ. *Ibid.*, in illud : *Et Spiritu Sancto implebitur.*

S. ANTONIN. 3. Exempla in Joanne fuerunt eximia, austeritatis, paupertatis, et castitatis. *Prosec.*

4. Quis austerior, quis pauperior, aut castior Joanne? Part. 3, tit. 18, cap. 5, § 7.

5. Joannes patriarcha est discipulorum Christi et Anachoretarum. Part. 4, tit. 31.

S. ANTONIUS DE PADUA. 6. Si beatus Joannes prænuntiatus ab angelo sanctificatus in utero, laudatus a Domino, inter natos mulierum major, tanta fuit usus asperitate; quid nos in peccato concepti, peccatis onerati, reprobandi a Domino (nisi misericordia affuerit) quid debemus facere? quanta afflictione, quanta austeritate nos affligere? Serm. *Dom.* 2, *Adventus.*

S. AUGUST. 7. Nihil humilius ipso præcone : nullum tantum meritum Joannes habuit, quam de ista ipsa humilitate, qui cum potuerit fallere homines, et putari Christus, et haberi pro Christo, confessus est tamen aperte et dixit : non sum ego Christus. Tract. 4, super *Evang. Joan.*, cap. I.

8. Joannes Baptista quanto præclarior erat in natis mulierum, et quanto humilior ad cognoscendum Deum, tanto meruit esse amicus sponsi. *Ibid.*

9. Joannes præcursor Domini, locustis in eremo et agresti melle nutritur : non animalium carnibus, non volucrum suavitatibus pascitur. Serm. 2, *Dom.* 1, *Quadrages.*

10. Non surrexit major Joanne Baptista; præcellit cæteros, eminet universis, antecellit prophetas, supergreditur patriarchas et quisquis de muliere natus est, inferior est Joanne. Serm. 2, *de S. Joan. Baptist.*

S. BERNARD. 11. Crucifigitur Petrus, gladiatur Paulus, et dignitas remanet præcursori. *Prosec.*

12. Purpuratur Roma multitudine martyrum, totaque sublimitas beato refunditur patriarchæ. Joannes ubique major, in omnibus singularis, mirabilis super omnes. Serm. *privilegii S. Joan. Bapt.*

13. Joannes, patriarcha, imo patriarcharum finis et caput. *Prosec.*

14. Joannes, propheta, imo plusquam propheta: quia quem venientem nuntiavit, digito demonstravit.

15. Joannes, angelus; sed inter angelos electus est.

16. Joannes, apostolus; sed et apostolorum primus et princeps : quia fit primus homo missus a Deo.

17. Joannes, evangelista; sed Evangelii primus incisor, prædicans Evangelium regni.

18. Joannes, virgo; imo virginitatis insigne speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum.

19. Joannes martyr; sed et martyrum lumen,

inter nativitatem mortemque Christi constantissimi forma martyrii.

20. Joannes vox clamantis in deserto, præco Verbi, judicis præcursor. *Ibid.*

21. Quis sanctorum virorum similis in castitate et laude Joanni venit æquandus? Lib. *de Passione Domini.*, cap. 29.

S. BONAV. 22. Joannes sanctissimus, ab omni mollitie carnalitatis erat alienus. Super *Lucam*, cap. VII, in illud : *Hominem mollibus vestitum.*

23. Excellentius fuit Joannis officium, quam prophetarum : quia propheta prædicit absentia, sed vox Joannis patefacit præsentia. *Ibid.*, in illud : *Plusquam prophetam.*

24. Magnus fuit Joannes per vitæ meritum, major per doctrinæ magisterium, maximus per gratiæ privilegium. *Ibid.*

25. Tria, quæ homines ambiunt, contempsit beatus Joannes, scilicet sublimitatem excellentiæ negando se esse Christum : æstimationem sanctimoniæ, negando se esse Eliam : opinionem incognitæ scientiæ, negando se esse prophetam. Super *Joan.*, cap. I, in illud : *Non sum.*

26. Joannes Baptista prius diu fecit, quam ad prædicandum accesserit. Serm. 2, *de S. Marco.*

27. Tu et in adventu, et in recessu genuflecte Joanni, deosculans pedes ejus, benedictionem petens, et ei te commendans. *Prosec.*

28. Excellens enim et valde mirabilis a cunabulis est puer iste : ipse fuit primus Eremita, et principium, et via religiose vivere volentium.

29. Fuit virgo purissimus, fuit prædicator permaximus, fuit plusquam Propheta, fuit etiam Martyr gloriosus. Lib. *Medit. vitæ Christi*, cap. 13.

CLEMENS ALEX. 30. Beatus Joannes despectis ovium pilis, qui delicias redolent, pilos camelorum elegit, et eis scilicet vestiit; simplicem vitam, et a dolo alienam repræsentans. Lib. 2, *Pædagogi*, cap. 10.

S. CYPRIAN. 31. Joannes major inter prophetas est habitus, Præcursor Domini ac prædicator fuit : Dominum non tantum verbis prænuntiavit, sed et oculis ostendit, et ipsum Christum, per quem baptizantur cæteri, baptizavit. Epist. 73, *ad Jubaianum.* cap. 7.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 32. Joannes Baptista maximus quidem inter prophetas, archidux autem Novi Testamenti. *Catech.* 10.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 33. Felix parentum meritis, felicior suis. Homil. 2, *de S. Joan. Bapt.*

GLOSS. ORD. 34. Ipse Joannes in semetipso erudit pœnitentes, et formam vitæ exibet in deserto habitans, de locustis vivens, pilos cameli vestiens. Super *Matth.* cap. III, in illud : *Ipse autem Joannes.*

S. GREGOR. MAGNUS. 35. Sancti Joannis Baptistæ verba clavi erant, quia culpas delinquentium nescivit palpare, sed pungere. Lib. 24 *Moral.*, cap. 9.

36. Quid est quod Joannes Dei voce laudatur; et tamen pro temulenti verbis in saltatricis præmium moritur? *Ibid.*, lib. 3, cap. 5.

37. Joannes Baptista aliis durus erat, sed sibi remissus non erat. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. 3, super illud *Matth.* III : *Genimina viperarum*, etc.

38. Joannes Baptista mollibus vestitus non fuit, quia vitam peccantium non blandimentis fovit, sed vigore asperæ invectionis increpavit. Homil. 6 in *Evang.*

39. Joannes plusquam Propheta est, quia eum quem præcurrendo prophetaverat, etiam ostendendo monstrabat. *Ibid.*

40. Sicut Elias præcursor venturus est judicis, ita Joannes Baptista præcursor est factus Redemptoris. Homil. 7.

41. Joannes Baptista sanctam matrem habuit, pontificisque filius erat, et tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis. *Prosec.* S. HIERON.

42. Vivebat in eremo, et oculis desiderantibus Christum nihi aliud dignabatur aspicere : vestis aspera, zona pellicea, cibus locustæ, mel silvestre, omnia virtuti et continentiæ præparata. Epist. 4, *ad Rustic.*

43. Joannes Baptista arguit Herodem et Herodiadem quod illicitas nuptias fecerint, malens periclitari apud regem, quam propter adulationem esse immemor præceptorum Dei. Lib. 2, *super Matth.*, cap. 14, can. 2, num. 144, super illud ; *Herodes autem tenuit.*

44. Vitæ austeritas, vigorque mentis. Eliæ et Joannis pares sunt : ille enim in eremo, iste in Eremo : ille zona pellicea cingebatur, et iste simile habuit cingulum : ille quoniam regem Achab et Jezabel impietatis arguit, fugere compulsus est; iste quia Herodis et Herodiadis illicitas arguit nuptias, capite truncatur. Lib. 2, *super Matth.*, cap. 11, super illud : *Ipse est Elias.*

45. Ante conceptionem Joannis Baptistæ, ejus nobis loquitur annuntiatio : post mortem ejus, virtutum ipsius opinio : in vita ejus, sancta conversatio. Serm. 73, *in Diversis de S. Joan. Bapt.* HUGO A S. VICTORE.

46. Quemadmodum varia diversitas lapidum pretiosorum in vestimento sic in beato Joanne micat diversarum virtutum multitudo, et ejusdem multitudinis pulchritudo. *Prosec.*

47. Scilicet, contemptus sæculi, amor Dei, abstinentia cibi, asperitas vestimenti, quies solitudinis, verbum prædicationis, virginitas corporis, humilitas cordis, rigor severitatis, confessio veritatis, virtus patientiæ, odor bonæ famæ.

48. Ipse est aurora veri solis, præcursor Re-



demptoris, miles superni Regis, præco judicis, vox clamantis, propheta venturi, minister Domini Index Agni, Baptista Christi, amicus sponsi.

49. Ipse est prædicator pœnitentiæ, amator castimoniæ, persecutor luxuriæ, testificator justitiæ, defensor innocentiæ.

50. Ipse est sanctorum parentum filius, cœlestium secretorum conscius, propinquorum gaudium, vicinorum gratulatio, universorum admiratio.

51. Ipse cum apostolis imo præ apostolis nuntius Christi, lux mundi, sal terræ, lucerna super candelabrum, civitas super montem posita.

52. Ipse annuntiatus ab angelo, sanctificatus in utero, clarificatus in mundo, coronatus martyrio, glorificatus in cœlo.

HUGO A S. VICTORE. 53. Ipse merito per orbem terrarum fidelium vocibus attollitur, verbis prædicatur, laudibus honoratur, solemnitatibus recensetur.

54. Ipse vere est palma, vere cedrus : palma per justitiam, cedrus per gloriam. Serm. 73, *de S. Joan. Bapt.* per totum.

55. Merito Joannes dici debuit, qui supernæ gratiæ prænuntiator et prædicator extitit : cujus Christus lator et dator statim fuit. *Ibid.*, serm. 54.

56. Præconia beati Joannis Baptistæ, hæc sunt : miraculum in conceptione, gaudium in nativitate, sublimitas in conversatione, humilitas in confessione, veritas in prædicatione, constantia in morte. Lib. 3 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 31.

HUGO CARD. 57. Joannes Baptista præcessit Christum quadrupliciter : nascendo, prædicando, baptizando, moriendo. *Prosec.*

58. Sicut præco judicem, aut sicut vox verbum, aut sicut servus dominum, aut sicut lucerna portatur ante regem. Super *Psalm.* CXXXI.

S. INNOC. III 59. Quantus extiterit Joannes tam prophetica, quam evangelica lectio protestatur ; fuit enim magnus in prædestinatione, magnus in annuntiatione, magnus in conceptione, magnus in natura, magnus in persona, magnus in gratia, magnus in officio, magnus in merito, magnus in sacramento, magnus in dignitate, magnus in potestate, magnus in claritate, magnus in opinione, magnus in prædicatione, magnus in passione. Serm. 1, *de S. Joann. Bapt.*

S. JOANNES CHRYSOST. 60. Sanctus Joannes est schola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis spectaculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina, major homine, par angelis, legis summa, evangelii satio, apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi, præcursor judicis, Christi metator, domini testis, totius medius Trinitatis. Homil. 16, *ex divers.*, in *Matth.*

61. Qui vincula solverat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur, ut vincla venia, locum veniæ non relinquat. *Ibid.*

62. Joannes orbi notus, famæ virtute cognitus, celebratissimus sanctitate. *Ibid.*

63. Sicut sacerdotum principes, sunt sacerdotes Apostoli : sic monachorum princeps, Joannes Baptista est. Homil. 1, super *Marc.*

64. Nullus homo tantum distat ab homine, quantum a Christo Joannes. homil. 2, super II, *Tim.*, in *Morali.*

65. Pauper Joannes erat, et tecto, urbe, copia, ciboque carebat. Serm. *de Vir. et vitiis.*

66. Joannes Angelis est gloriosior, quia homo fuit, et propter virtutis meritum Angelus est vocatus, quasi nomine Angelus, et natura fuisset. *Prosec.*

67. Angelus enim hoc ipsum quod Angelus est, non tantum virtutis præmium, quantum naturæ proprietas.

68. Iste autem mirabilis est, qui humana natura Angelicam sanctitatem transgressus est, et obtinuit (quod non habuit natura) per gratiam Dei. Homil. 27, super *Matth. Oper. imperf.*

69. Joannes Baptista, filius Zachariæ, ex tribu Levi, in Hierusalem ortus, angelo denuntiante conceptus, prœnuntius Christi, præco judicis, propheta Altissimi, vox Verbi, amicus Sponsi, lucerna luminis, terminus prophetarum, baptismatis initium. *De Vita et morte Ss. Novi Testam.*, cap. 67. S. ISID. HISP.

70. Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?) Quasi diceret, fuit Joannes mobilis sicut arundo, ut levitate mentis et fidei de Domino ambigeret, quem ante prædicaverat. *Prosec.* S. LAURENT. JUST.

71. Non fuit arundo Joannes, sed columna immobilis : non movebatur vento tentationum, nec prosperis erigi, nec adversis inclinari noverat : non quatiebatur timore, nec flectebatur adulatione, nec cum blandum gratia, nec ira cujuslibet asperum faciebat. *De ligno vitæ*, tract. 9, *de Persever.*, cap. 4.

72. Joannes plus est, quam propheta, cum cæteri omnes venturi adhuc Christi fuere præcones, hic autem probatissimus venit Domini præsentis assertor. *Prosec.* S. MAXIMUS EP. TAURIN.

73. Plusquam propheta est, cujus manibus (quod nulli est præstitum Prophetarum) baptizandum se Dei Filius inclinavit.

74. Plusquam propheta est, cujus tanta est prærogativa meritorum, ut uno eodemque momento, cœli terræque arbitrum submersum aquis

tingeret in Jordane. Homil. 3, *de Nativ. B. Joan. Bapt.*

S. PETRUS CHRYSOL. 75. Joannes nascitur major homine, par angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum Patris, Filii nuntius, signifer superni Regis, peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio gentium, legis et gratiæ fibula. Serm. 91.

S. PETRUS DAMIANUS. 76. Joannes Baptista est sanctorum splendor, justorum gloria, lætitia angelorum, excellentissimus homo, consanguineus Christi, amicus Sponsi, Sponsæ præparator. Serm. 23, *de S. Joan. Bapt.*

77. Pavet cœlum, stupet terra, Jordanis arridet, mirantur Archangeli, Dominum Sabaoth inter manus baptizantis includi. *Ibid.*

78. Joannes patriarcha, imo patriarcharum finis et caput : Joannes propheta, imo plusquam propheta; quia quem venientem nuntiat, digito demonstrat : Joannes angelus, sed et inter angelos electus. *Ibid.*

79. Joannes humanorum limes est meritorum. *Prosec.*

80. Quantumcunque enim apostolici senatus excellat auctoritas, quantumcunque vel patriarcharum fides in divina agnitione proficiat, vel oracula prophetarum, ad referenda arcana convalescant.

81. Quantumlibet cumuletur triumphantium gloria martyrum, quamvis exfloreat vernans pudicitia virginum, vel in verbis vitæ se exerceat lingua doctorum, citra metam Joannis omnia cohibentur.

82. Hujus incomparabilis vitæ seriem non historiographus quispiam post ejus obitum sed archangelus ille præcipuus, antequam conceptus esset sicut et Deum, sic et hujusmodi operanda miranda narravit.

83. Nihil perfectionis ejus ultra progreditur, omnium Sanctorum particeps factus est choris : quia nulla sibi virtus deficit sanctitatis, imo tanto inter omnes insignis enicat, quanto auctori omnium per meritum sublimius appropinquat.

84. Perpendite quam angelica vita erat ejus, qui cum nullius signum virtutis ostenderet, Christum tamen esse illum omnis populus æstimaret. Apud S. Antonin. part. 3, tit. 31, cap. 7, § 1.

S. THOMAS AQUINAS. 85. Joannes Baptista propheta, fuit terminus legis et initium Evangelii. Part. 3, quæst. 38, art. 1.

THOMAS A KEMPIS. 86. O virum sanctitate excellentissimum! cujus vita et mors et baptismus et prædicatio, Christi adventus in carne verissima extitit testificatio. *Meditat.* 1, *de Incarnat.*, cap. 23.

## JUDAS ISCARIOTES.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Hoc gravissimum in Juda proditore fuit, quo ejus condemnaretur perfidia, quod gratiæ vicem non repræsentaverit, sed conviviis amicitiæ venenum malitiæ miscuerit. Lib. 3 *Offic.*, cap. 16.

2. O Judas proditor! unguentum passionis ejus trecentis denariis æstimas, passionem ejus triginta denariis vendis? Libro 3 *de Spiritu sancto*, cap. 18.

3. Severissimus judex sui fuit Judas, qui in ulciscendo confitetur, quem negaverat in tradendo. Serm. 51 *de Juda.*

4. Mira res, confitetur latro in crucis patibulo, quem discipulus abnegavit. *Prosec.*

5. Mira inquam res, latro honorificat patientem, quem Judas prodidit osculantem.

6. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera prædicantur. Serm. 44, de S. *Latrone.*

7. Mira res, plus in cruce latro Christum diligit, quam Judas dilexit in cœna. *Ibid.*

8. Juda, osculo filium hominis tradis? hoc est, venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? osculo, quod sacræ pacis insigne est : osculo, quo amicitia fida firmatur : osculo, quo fides sancta signatur? *Prosec.*

9. Hoc ergo osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes. Sup. *Psalm.* XXXIX.

10. Non turbatur navis, quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Judam habet, etsi multa illic discipulorum merita navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat : in utraque Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Lib. 5, sup. *Luc.*, cap. 5.

S. ANASTAS. PAPA. 11. Judas cum fuerit sacrilegus atque fur, quidquid egit inter Apostolos pro dignitate commissa sibi, ratum fuit. In *Decret. Gratian.*, part. 1, dist. 19, can. *Secundum.*

S. ANSELM. 12. Judas proditor tam avarus fuit, quod quando denarios vidit, Christum pro eis tradidit. *De passione Domini.*

S. ANTONIN. 13. Judas omnium Redemptorem vendidit : mox laqueo suspensus, eamdem gratiam redemptionis non obtinuit, quia nemo potest retinere quod vendidit. *Prosec.*

14. Fuit Christus Jesus maxime spiritualis, ideo emendo vel vendendo eum, simonia fuit, : Judas autem vendidit illum quantum ad humanitatem : sed simoniaci videntur vendere Spiritum sanctum, quantum ad suam divinitatem. Parte 2, tit. 1, cap. 4, § 3.



S. ANTONIN. 15. Judas ex indigna communione consecutus est hunc fructum, ut iniquitatem proditionis conceptam executioni subito mandaret : indeque ex magnitudine mali desperatus, laqueo vitam finiret. Part. 2, titit. 1, cap. 21, § 5.

S. ANTONIUS DE PADUA. 16. Quid vultis mihi dare? etc. Proh dolor! ponitur in pretio res inappretiabilis, o Juda Domini Dei filium, tanquam vile mancipium tanquam canem mortuum vis vendere, cum non tuam, sed ementium requiris voluntatem. *Prosec.*

17. Quid vultis mihi dare? Et quid possunt tibi dare? si Hierusalem, Galilæam, Samariam dederint, numquid Jesum emere possunt?

18. Si cœlum et Angelos, terram et homines, mare et omnia quæ in eis sunt tibi dare potuissent, numquid Dei Filium, in quo sunt omnes thesauri, emere valuissent? Serm. *in die Parasceves.*

19. O quot hodie Judæ, qui mercede alicujus commodi temporalis vendunt veritatem! osculo adulationis proximum tradunt, et sic ultimo laqueo se suspendunt æternæ damnationis. *Ibid.*

S. AUGUST. 20. Traditorem suum, qui jam pretium ejus acceperat, usque ad ultimum pacis osculum inter innocentes secum esse Christus perpessus est. Epist. 163.

21. Judas pœnitens ivit ad Pharisæos, reliquit Apostolos, nihil invenit auxilii, sed augmentum desperationis; quia ab unitate divisus erat. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 12.

22. Christus proditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei primam Eucharistiam confectam manibus suis, et ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet. Sup. *Psal.* X, vers. 3. *Justus autem quid fecit.*

23. Judas inter duodecim electus est, ne ipse duodecimus tam exiguus numerus esset sine malo : hoc ad exemplum nostræ patientiæ, quoniam necesse erat ut inter malos viveremus. *Prosec.*

24. Et quia necesse erat ut malos, sive scientes, sive nescientes toleraremus; exemplum patientiæ præbuit Christus, ne deficias, cum cœperis inter malos vivere. Super *Psalm.* XIV, vers. 8, *Quoniam gratis absconderunt*, etc.

25. Videte quanta nobis præstitit Deus de ipso immanissimo scelere Judæ traditoris. Judas quippe tradidit ad passionem Filium Dei, et per passionem Filii Dei omnes gentes redemptæ sunt ad salutem; nec tamen pro salute gentium merces reddita est Judæ, sed pro ejus malitia debitum supplicium ei retributum est. Sup. *Psalm.* XCIII, vers. ultimo.

26. Si reprehensione tangitur negligentia convivantis, qua pœna percutitur proditor invitantis? *Prosec.*

27. Quid erat panis traditori datus, nisi demonstratio cujus gratiæ fuisset ingratus?

28. Intravit satanas post panem in Domini traditorem, ut sibi jam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat ut deciperet.

29. Tradidit Judas Christum, tradidit Christus seipsum. Ille agebat negotium suæ venditionis, iste nostræ redemptionis. Quod facis, fac citius : non quia tu potes, sed quia hoc vult, qui omnia potest.

30. Quod facis, fac citius. O verbum libentius parati ad passionem, quam irati ad vindictam! o verbum non tam pœnam exprimens venditoris, quam mercedem significans Redemptoris! non tam in perniciem perfidi sæviendo, quam ad salutem fidelium festinando. Tract. 62, super *Evang. Joan.*, de cap. XIII.

31. Quomodo Petrus bonus, corpus bonorum : sic Judas malus, corpus malorum significat. *Ibid.* tract. 50, de cap. 12.

32. Judas traditor magistri, explorator Pastoris, insidiator Salvatoris, venditor Redemptoris. *Ibid.* tract. 55, de cap. 13.

33. Judas cogitavit pecuniæ lucrum, et invenit animæ detrimentum. *Ibid.* tract. 62, de cap. 13.

34. Quid Juda pejus? inter omnes adhærentes magistro inter duodecim, loculi illi commissi sunt, et dispensatio pauperum distributa fuit. *Prosec.*

35. Ingratus tanto beneficio, honori tanto, accepit pecuniam, perdidit justitiam. Tradidit vitam mortuus, quem ut discipulus secutus, ut inimicus persecutus est.

36. Totum hoc malum Judæ, sed malo ejus bene usus est Dominus; et malum Judæ, in bonum conversum est. *Ibid.* tract. 27, de cap. 6.

37. Nemo desperet, Judam traditorem, non tam scelus quod commisit, quam indulgentiæ desperatio fecit penitus interire. Homil. 27, *ex Quinquaginta homil.*

38. Ipse occidit Christum, qui eum tradidit occidendum. Serm. 2, *fer.* 2, *post Dom. Palmar.*

39. Gemat Judas venditor, erubescat Judæus emptor : Ecce Judas vendidit, Judæus emit. Malum negotium egerunt, ambo damnati sunt, seipsos perdiderunt venditor et emptor. Serm. 5, *Dedicat. Eccles.*

V. BEDA. 40. Infelix Judas, damnum quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare : nec certam jam postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio : sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tingeret in Jordane. Homil. 3, *de Nativ. B. Joan. Bapt.*

S. PETRUS CHRYSOL. 75. Joannes nascitur major homine, par angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum Patris, Filii nuntius, signifer superni Regis, peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio gentium, legis et gratiæ fibula. Serm. 91.

S. PETRUS DAMIANUS. 76. Joannes Baptista est sanctorum splendor, justorum gloria, lætitia angelorum, excellentissimus homo, consanguineus Christi, amicus Sponsi, Sponsæ præparator. Serm. 23, *de S. Joan. Bapt.*

77. Pavet cœlum, stupet terra, Jordanis arridet, mirantur Archangeli, Dominum Sabaoth inter manus baptizantis includi. *Ibid.*

78. Joannes patriarcha, imo patriarcharum finis et caput : Joannes propheta, imo plusquam propheta; quia quem venientem nuntiat, digito demonstrat : Joannes angelus, sed et inter angelos electus. *Ibid.*

79. Joannes humanorum limes est meritorum. *Prosec.*

80. Quantumcunque enim apostolici senatus excellat auctoritas, quantumcunque vel patriarcharum fides in divina agnitione proficiat, vel oracula prophetarum, ad referenda arcana convalescant.

81. Quantumlibet cumuletur triumphantium gloria martyrum, quamvis excloreat vernans pudicitia virginum, vel in verbis vitæ se exerceat lingua doctorum, citra metam Joannis omnia cohibentur.

82. Hujus incomparabilis vitæ seriem non historiographus quispiam post ejus obitum sed archangelus ille præcipuus, antequam conceptus esset sicut et Deum, sic et hujusmodi operanda miranda narravit.

83. Nihil perfectionis ejus ultra progreditur, omnium Sanctorum particeps factus est choris : quia nulla sibi virtus deficit sanctitatis, imo tanto inter omnes insignis emicat, quanto auctori omnium per meritum sublimius appropinquat.

84. Perpendite quam angelica vita erat ejus, qui cum nullius signum virtutis ostenderet, Christum tamen esse illum omnis populus æstimaret. Apud S. Antonin. part. 3, tit. 31, cap. 7, § 1.

S. THOMAS AQUINAS. 85. Joannes Baptista propheta, fuit terminus legis et initium Evangelii. Part. 3, quæst. 38, art. 1.

THOMAS A KEMPIS. 86. O virum sanctitate excellentissimum! cujus vita et mors et baptismus et prædicatio, Christi adventus in carne verissima extitit testificatio. *Meditat. 1, de Incarnat.*, cap. 23.

## JUDAS ISCARIOTES.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Hoc gravissimum in Juda proditore fuit, quo ejus condemnaretur perfidia, quod gratiæ vicem non repræsentaverit, sed conviviis amicitiæ venenum malitiæ miscuerit. Lib. 3 *Offic.*, cap. 16.

2. O Judas proditor! unguentum passionis ejus trecentis denariis æstimas, passionem ejus triginta denariis vendis? Libro 3 *de Spiritu sancto*, cap. 18.

3. Severissimus judex sui fuit Judas, qui in ulciscendo confitetur, quem negaverat in tradendo. Serm. 51 *de Juda*.

4. Mira res, confitetur latro in crucis patibulo, quem discipulus abnegavit. *Prosec.*

5. Mira inquam res, latro honorificat patientem, quem Judas prodidit osculantem.

6. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera prædicantur. Serm. 44, de S. *Latrone.*

7. Mira res, plus in cruce latro Christum diligit, quam Judas dilexit in cœna. *Ibid.*

8. Juda, osculo filium hominis tradis? hoc est, venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? osculo, quod sacræ pacis insigne est : osculo, quo amicitia fida firmatur : osculo, quo fides sancta signatur? *Prosec.*

9. Hoc ergo osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes. Sup. *Psalm.* XXXIX.

10. Non turbatur navis, quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Judam habet, etsi multa illic discipulorum merita navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat : in utraque Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Lib. 5, sup. *Luc.*, cap. 5.

S. ANASTAS. PAPA. 11. Judas cum fuerit sacrilegus atque fur, quidquid egit inter Apostolos pro dignitate commissa sibi, ratum fuit. In *Decret. Gratian.*, part. 1, dist. 19, can. *Secundum.*

S. ANSELM. 12. Judas proditor tam avarus fuit, quod quando denarios vidit, Christum pro eis tradidit. *De passione Domini.*

S. ANTONIN. 13. Judas omnium Redemptorem vendidit : mox laqueo suspensus, eamdem gratiam redemptionis non obtinuit, quia nemo potest retinere quod vendidit. *Prosec.*

14. Fuit Christus Jesus maxime spiritualis, ideo emendo vel vendendo eum, simonia fuit, : Judas autem vendidit illum quantum ad humanitatem : sed simoniaci videntur vendere Spiritum sanctum, quantum ad suam divinitatem. Parte 2, tit. 1, cap. 4, § 3.



S. ANTONIN. 15. Judas ex indigna communione consecutus est hunc fructum, ut iniquitatem proditionis conceptam executioni subito mandaret : indeque ex magnitudine mali desperatus, laqueo vitam finiret. Part. 2, titit. 1, cap. 21, § 5.

S. ANTONIUS DE PADUA. 16. Quid vultis mihi dare? etc. Proh dolor! ponitur in pretio res inappretiabilis, o Juda Domini Dei filium, tanquam vile mancipium tanquam canem mortuum vis vendere, cum non tuam, sed ementium requiris voluntatem. *Prosec.*

17. Quid vultis mihi dare? Et quid possunt tibi dare? si Hierusalem, Galilæam, Samariam dederint, numquid Jesum emere possunt?

18. Si cœlum et Angelos, terram et homines, mare et omnia quæ in eis sunt tibi dare potuissent, numquid Dei Filium, in quo sunt omnes thesauri, emere valuissent? Serm. *in die Parasceves.*

19. O quot hodie Judæ, qui mercede alicujus commodi temporalis vendunt veritatem! osculo adulationis proximum tradunt, et sic ultimo laqueo se suspendunt æternæ damnationis. *Ibid.*

S. AUGUST. 20. Traditorem suum, qui jam pretium ejus acceperat, usque ad ultimum pacis osculum inter innocentes secum esse Christus perpessus est. Epist. 163.

21. Judas pœnitens ivit ad Pharisæos, reliquit Apostolos, nihil invenit auxilii, sed augmentum desperationis; quia ab unitate divisus erat. *De vera et falsa pænit.*, cap. 12.

22. Christus proditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei primam Eucharistiam confectam manibus suis, et ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet. Sup. *Psal.* X, vers. 3. *Justus autem quid fecit.*

23. Judas inter duodecim electus est, ne ipse duodecimus tam exiguus numerus esset sine malo : hoc ad exemplum nostræ patientiæ, quoniam necesse erat ut inter malos viveremus. *Prosec.*

24. Et quia necesse erat ut malos, sive scientes, sive nescientes toleraremus; exemplum patientiæ præbuit Christus, ne deficias, cum cœperis inter malos vivere. Super *Psalm.* XIV, vers. 8, *Quoniam gratis absconderunt*, etc.

25. Videte quanta nobis præstitit Deus de ipso immanissimo scelere Judæ traditoris. Judas quippe tradidit ad passionem Filium Dei, et per passionem Filii Dei omnes gentes redemptæ sunt ad salutem; nec tamen pro salute gentium merces reddita est Judæ, sed pro ejus malitia debitum supplicium ei retributum est. Sup. *Psalm.* XCIII, vers. ultimo.

26. Si reprehensione tangitur negligentia convivantis, qua pœna percutitur proditor invitantis? *Prosec.*

27. Quid erat panis traditori datus, nisi demonstratio cujus gratiæ fuisset ingratus?

28. Intravit satanas post panem in Domini traditorem, ut sibi jam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat ut deciperet.

29. Tradidit Judas Christum, tradidit Christus seipsum. Ille agebat negotium suæ venditionis, iste nostræ redemptionis. Quod facis, fac citius : non quia tu potes, sed quia hoc vult, qui omnia potest.

30. Quod facis, fac citius. O verbum libentius parati ad passionem, quam irati ad vindictam! o verbum non tam pœnam exprimens venditoris, quam mercedem significans Redemptoris! non tam in perniciem perfidi sæviendo, quam ad salutem fidelium festinando. Tract. 62, super *Evang. Joan.*, de cap. XIII.

31. Quomodo Petrus bonus, corpus bonorum : sic Judas malus, corpus malorum significat. *Ibid.* tract. 50, de cap. 12.

32. Judas traditor magistri, explorator Pastoris, insidiator Salvatoris, venditor Redemptoris. *Ibid.* tract. 55, de cap. 13.

33. Judas cogitavit pecuniæ lucrum, et invenit animæ detrimentum. *Ibid.* tract. 62, de cap. 13.

34. Quid Juda pejus? inter omnes adhærentes magistro inter duodecim, loculi illi commissi sunt, et dispensatio pauperum distributa fuit. *Prosec.*

35. Ingratus tanto beneficio, honori tanto, accepit pecuniam, perdidit justitiam. Tradidit vitam mortuus, quem ut discipulus secutus, ut inimicus persecutus est.

36. Totum hoc malum Judæ, sed malo ejus bene usus est Dominus; et malum Judæ, in bonum conversum est. *Ibid.* tract. 27, de cap. 6.

37. Nemo desperet, Judam traditorem, non tam scelus quod commisit, quam indulgentiæ desperatio fecit penitus interire. Homil. 27, *ex Quinquaginta homil.*

38. Ipse occidit Christum, qui eum tradidit occidendum. Serm. 2, *fer.* 2, *post Dom. Palmar.*

39. Gemat Judas venditor, erubescat Judæus emptor : Ecce Judas vendidit, Judæus emit. Malum negotium egerunt, ambo damnati sunt, seipsos perdiderunt venditor et emptor. Serm. 5, *Dedicat. Eccles.*

V. BEDA. 40. Infelix Judas, damnum quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare : nec certam jam postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio : sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quantum vellent dare. Libro 4, super *Marcum*, cap. 14, in illud : *Abiit ad summos sacerdotes*, etc.

S. BERNARD. 41. Dignam sibi pœnam traditor amens invenit, ut videlicet guttur, quo vox proditionis exierat, laquei nodus necaret. *Prosec.*

42. Dignum etiam locum interitus quæsivit, ut qui hominum Angelorumque Dominum morti tradiderat, cœlo terræque perosus, quasi aeris tantummodo spiritibus sociandus, aeris medio periret. Super *Acta Apost.*, cap. 1, in illud: *Et suspensus crepuit medius.*

43. Si quis te adulatur, si quasi consulentis animo venenum propinat fraternæ detractionis, et odium seminare conatur : si denique iniquum aliquid tanquam justum persuadere tentat, Judas est, osculo te prodit. Serm. 2, *de S. Andræa.*

44. Judas suspendit seipsum, diabolo sine dubio immittente, ego tamen majus æstimo, magisque admiror quod potuit immisisse in cor ejus, ut traderet Dominum, quam ut semetipsum suspenderet. Serm. 66, super *Cant.*

45. De malo proditionis Judæ fecit Deus bonum redemptionis nostræ. Serm. 2, in *Cœna Domini.*

S. BONAV. 46. Judas de Apostolatus fastigio in proditionis tartara labitur, nec familiaritate convivii, nec intinctione buccellæ, nec osculi gratia frangitur, quasi hominem tradat, quem Filium Dei noverat. Super *Luc.*, cap. XXII, in illud : *Juda, osculo Filium hominis tradis?*

CASSIOD. 47. O nefandissimum proditorem, et juste a beatorum societate discretum! per osculum causam fecit venire interitus, per quod humani generis declaratur affectus. Super *Psalm.* XVIII. vers. 2.

48. O res amara et omni felle deterior! convivam ad proditionem, discipulum ad necem, conservatorem pecuniæ præmio subito fuisse corruptum! Super *Psalm.* LXIII, vers. 3.

49. Fuit laqueus diaboli armatus triginta argenteis, cum Judam cepit, atque in interitum suffocavit. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Posuerunt peccatores laqueum mihi.*

S. CYPRIAN. 50. Non potest esse cum Christo, qui imitator Judæ mavult esse quam Christi. *De Orat. Domin.* cap. 9.

51. Judam inter Apostolos Dominus elegit, et tamen Judas Dominum postmodum prodidit : non tamen idcirco Apostolorum fides cecidit, quia proditor Judas ab eorum societate defecit. *De unit. Eccles.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 52. Judas in avaritiæ tentationem ingressus, non eam superavit, verum submersus, et corpus et animam perdidit. *Cateches. mystagog.* 5.

DIONYS. ALEX. 53. Judas cum factus est proditor Filii Dei, et magistri sui, amans argentum perditionis, tunc factus est filius perditionis. Libro *contra Manich.*

DIONYSIUS CARTHUS. 54. Judas tradidit Christum ex avaritia, quem Judæi tradiderunt ex invidia. Super *hymn. Passionis ad vesp.*

S. EPHREM. 55. Judas sub blando oris osculo, et lingua pacem simulante, dolum occultans, adversus Dominum molitus est preditionem. *De morbo linguæ.*

S. FULGENT. 56. Miserrimus Judas, qui cum male crimen traditionis admiserit, pejus illius criminis pœnitudinem gessit, quia penitus indulgentiam non quæsivit : ideo pœnitentem non adjuvit, sed peremit; quia sibi conversionis tempus occisione abstulit, et indulgentiam desperatione substraxit. Lib. 2, *de remiss. peccator.*, cap. 16.

57. Judas digne quidem pœnitentiam egit, quia peccavit tradens sanguinem justum; sed ideo sibi fructum pœnitentiæ denegavit, quia peccatum traditionis suæ, ipso quem tradidit diluendum sanguine non speravit. Epist. 7, *ad Venantiam*, cap. 5.

GLOSS. ORD. 58. Judas per molle osculi blandimentum, execrabile jaculum proditionis infixit. Super *Zachar.*, cap. 2.

59. Habet Christus conscium munditiæ testem, cum suum non dubitet eligere proditorem. Super *Matth.*, cap. 10.

60. Multi hodie sunt, qui factum Judæ execrantur et idem faciunt. Nam cum pro munere falsum testimonium dicunt, quia veritatem negant, Deum qui veritas est, vendunt : dum charitatem violant, Deum qui charitas est, produnt. *Ibid.*, cap. 26, in illud : *Ut eum traderet.*

61. Judas habebat adhuc aliquid de verecundia discipuli, cum non Christum palam tradidit, sed per signum osculi. *Ibid.*, cap. 26, in illud : *Quemcunque osculatus fuero.*

GLOSS. INT. 62. Impudens confidentia! magistrum vocare, et osculum ei jungere, quem tradit. *Ibid.*, cap. 26, in illud : *Ave Rabbi.*

63. Juda, osculo Filium hominis tradis! Instrumento pacis mortem irrogas, servus Dominum, discipulus magistrum prodis? Super *Luc.*, cap. XXII.

S. GREGOR. MAGNUS. 64. Reprobus Judas cum mortem sibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis suplicia pervenit, et pejus de peccato pœnituit quam peccavit. Lib. 2 *Morali.*, cap. 5.

65. Judas sævitiam persecutionis futuræ Antechristi ignoravit, et tamen Antechristi membrum fuit. *Ibid.*, lib. 29, cap. 6.

66. Judas Apostolis admixtus diu Redemptorem humani generis prædicavit, signa cum ce-



teris fecit. Lib. 7, in *Registro*, indict. 1, cap. 34, epist. 34, *ad Leontium exconsul.*

67. Electus etiam Judas ad ministerium fuit : sed quia bonus non fuit, jus amisit successionis. Lib. 4, in 1 *Reg.*, cap. 4.

S. HIERON. 68. Judas de Apostolatus fastigio in proditionis tartarum labitur, et nec familiaritate convivii, nec intinctione buccellæ, nec osculi gratia frangitur, ne quasi hominem tradat, quem Filium Dei noverat. Epist. 4, *ad Rusticum.*

69. Proditor amici et magistri, Salvatoris arguitur voce : et nodum informis lethi trabe nectit ab alta. Epist. 13, *ad Paulinum.*

70. Quanto majoris meriti fuit Judas, tanto majoris criminis est : et quanto majoris criminis, tanto majoris et pœnæ. Lib. 2, *advers. Jovian.*

71. Judæ nihil profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit. *Ibid.*

72. Apostolorum fidem, Judæ proditio non destruxit. Epist. 6, *advers. Vigilant.*

73. Judas per avaritiæ viam, venit ad homicidium. Lib. 16, super *Isaiam*, cap. LIX, super illud : *Opera eorum opera inutilia.*

74. Infelix Judas damnum quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare : nec certam tamen postulat summam, ut saltem videretur lucrosa proditio, sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit quantum vellent dare. Lib. 4 super *Matth.*, cap. 26, can. 2, num. 278, super illud : *Quid vultis mihi dare?*

75. Impudens quidem et scelerata confidentia Judæ, magistrum vocare, et osculum ei ingerere, quem tradebat. *Ibid.*, cap. 26, can. 2, num. 301, super illud : *Ibid.*, cap. 26, can. 2, num. 301, super illud : *Dixit: Ave Rabbi!*

76. Nihil profuit Judæ sera pœnitentia, per quam scelus corrigere non potuit. Lib. 4 super *Matth.*, cap. 27, can. 10, num. 319, super illud : *Et projectis argenteis*, etc.

77. Judas dat signum osculi cum veneno doli. Super *Marc.*, cap. XIV, super illud : *Vigilate et orate*, etc.

S. HILARIUS. 78. Judas in Passione Domini, ministerium diaboli fuit, et per eum effectum voluntatis propriæ est executus. Super *Psalm.* CXXVIII.

79. Judas fur pecuniæ, venditor sanguinis justi, proditor Dei, et quantum in se est parricida, nec vitæ veniam potuit habere, nec mortis. Super *Psalm.* CXXXIX.

80. Judas proditor sero criminis sui scelere comperto laqueo se vita et fide profugus suspendit. *Prosec.*

81. Nihil directum in eo, nihil simplex, nihil absolutum fuit : fur antea, dehinc proditor, postremo ipse indignus ultor.

82. Nunc mulierem effuso in caput Domini unguento, damni inutilis arguens : nunc Judæis, omnes Domini aditus et egressus nuntians, nunc de pretio justi sanguinis paciscens. *Ibid.*

HUGO CARD. 83. Magna fuit ipsa Judæ proditio, sed magnificata fuit, quia a tali facta est, qui sic videbatur amicus et familiaris Christi. Super *Psalm.* XL.

84. Judas fuit vas aureum, factus est postea vas testeum. Super II *Tim.* 2.

S. IGNATIUS MART. 85. Diabolus pœnitentiam immisit Judæ proditori, et laqueum illi commonstravit, et stipendium quo strangularetur edocuit. Epist. 8, *ad Pilipp.*

JOAN. CASS. 86. Judas volens resumere pecunias, quas antea Christum secutus abjecerat, non solum ad proditionem Domini lapsus, et Apostolatus perdidit gradum : sed etiam vitam ipsam communi exitu finire non meruit, eamque violenta morte conclusit. Lib. 7, *de Cœnob. Inst.*, cap. 14.

87. Respice Judam Apostolorum numero deputatum, quia noluit serpentis hujus caput lethale conterere, qualiter eum suo veneno peremerit, ut Redemptorem mundi et humanæ salutis auctorem triginta argenteis persuaserit vendere. *Prosec.*

88. Qui nequam esset ad tam scelestum proditionis facinus devolutus, si non Philargyriæ morbo fuisset infectus.

89. Nec Dominicæ necationis reus sacrilegus extitisset, nisi prius solitus fuisset creditos sibi loculos compilare. *Ibid.*, cap. 23.

S. JOANNES CHRYSOST. 90. Quis Juda beatior; sed factus est proditor. Homil. 68, super *Matth. Oper. perf.*

91. Non Judæ profuit, quod magistrum ut discipulus sequebatur, sed ut proditor periit. *Ibid.*

92. Judas nimiæ pecuniarum cupiditatis præcipitatus ardore, cæca quadam improvisione deceptus, suam vendidit animam. Homil. *de Prodit. Judæ.*

93. Judas in malitia sponte duravit, et omnibus admonitionibus spretis, proditor malignus emersit. *Ibid.*

94. Judas Apostolus erat, sed pigritans factus est proditor. Homil. 10, *de Pœnit.*

95. O Christi misericordia! o Judæ dementia! ille triginta denariis paciscebatur ut eum traderet, et Christus ei sanguinem, quem vendidit, offerebat. Homil. *de Prodit. Judæ.*

S. JOAN. CL. 96. Judas in choro discipulorum Christi fuit, mira tamen in uno temporis momento ejus facta est commutatio. Grad. 10.

JOAN. GERS. 97. Judas nunquam fuit Episcopus ; sed per



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Episcopatum Apostolatus intelligitur. Quæst. 3, distinctionis 24, super illud, *Psalm.* CVIII : *Et Episcopatum illius accipiat alter*, part. 1.

JOAN. SAR. 98. Peccavi, inquit Judas, tradens sanguinem justum. Fuit itaque vera usquequaque confessio : sed inutilis, quia potius cucurrit ad laqueum, quem meruerat, quam ad fontem misericordiæ, quam demeruerat, obstinationis suæ duritia præcluserat sibi. Lib. 2, *de Nugis Curial.*, cap. 27.

S. LEO I. 99. Impius Judas maluit minister esse diaboli, quam Apostolus Christi : quem non timoris perturbatione deseruit, sed pecuniæ cupiditate distraxit. Serm. 9, *de Passione.*

100. Scelestior omnibus, Juda, et infelicior extitisti quem non pœnitentia vocavit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. Serm. 3, *de Passione Dom.*

101. Perfidus Judas inebriatus veneno; dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum. *Ibid.*, serm. 9.

S. MAXIMUS EP. TAURIN. 102. Judas postquam fidem perdidit, innocentiam Apostolatus amisit : omnium enim criminum reus factus est, postquam virtutum omnium Dominum negavit. Homil. 2, *de Latrone.*

ORIGENES. 103. Judas indignus remedio fuit, quia non pura mente pœnituit. Habet. In *Decret. Gratiani*, part. 2, *de Pœnit.*, dist. 3, can. *Inter.* § *Indignus.*

S. PETRUS DAM. 104. Proditor Salvatoris, qui ut exiguæ summæ perciperet quantitatem, sub venalitate distraxit rerum omnium conditorem; et pro vilis amore pecuniæ, auctorem tradidit vitæ. *Opusc.* 31, cap. 4.

S. PROSPER. 105. Diabolus persecutus est animam Christi, et Judas animam magistri : diabolus ad persequendum corpus Christi manet, nec Judas deest in falsis fratribus succedendo. Super *Psalm.* CXLII, vers. 3.

THEOPHYLACTUS. 106. Tarde sapere incipit Judas, et pœnitet quidem, non autem recte : nam suum pœnitere bonum erat, suffocari autem diabolicum. Super *Matth.*, cap. 27, in illud : *Peccavi, tradens*, etc.

Vide etiam tit. *Desperatio*, sent. 18, 60; *Eucharistia*, sent. 45 : *Furtum*, sent. 4; *Invidia*, sent. 79; *Occisio*, sent. 22, 24; *Osculum*, sent. 2, 3, 4, 9; *Passio Christi*, sent. 54; *Pecuniarum cupiditas*, sentent. 82, 33; *Proditio*, sentent. 26; *Simonia*, sentent. 16.

## JUDICIUM in genere.

S. ANTONIN. *Etymologia.* Judex dicitur, quasi jus dicens : seu jus dictans. part. 3, tit. 9, *de Statu judicum*, cap. 1, § 1, et part. 4, tit. 5 *de Justitia*, cap. 3, § 3.

CASSIODOR. Judicium dictum est quasi juris dictum, quod in eo jus dicatur. Super 36, vers. 32.

S. ISID. HISP. Judex dicitur, quasi jus dicens populo, sive quod jure disceptet : jure autem disceptare, est juste judicare; non est autem judex, si non est in eo justitia. Lib. 18 *Etym.*, cap. 15.

S. ANTONIN. *Definitio.* Actus judicii, et auctoritas judicandi est quædam potestas delegata, seu collata hominibus a Deo, qui in hoc tenent locum et vices Dei. Part. 3, *de Statu judicum*, cap. 1.

DIONYSIUS CARTHUS. Judicium est actus rationis, seu prudentiæ tanquam dirigentis, atque sententiam proferentis. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2, art. 5.

HUGO A S. VICTORE. Judicium est, per quod ex audientia meritorum, dignum redditur vel supplicium, vel meritum. *De fruct. carnis et spiritus*, cap. 13.

HUGO CARD. Judicium est sententia diligenter examinata, procedens ex probationibus manifestis, vel præsumptionibus violentis, jus suum unicuique assignare. Super *Ecclesiasten*, cap. 5.

S. THOMAS AQUINAS. Dijudicare est actus intellectus applicantis principia certa ad examinationem propositorum. Part. 1, *Summæ*, quæst. 79, art. 9.

PLATO. Judicium est sententia rata de re in disceptatione ambigua. *de Defnit.*

S. ANTONIN. *Conditiones judicii.* 1. Debet judex justus esse, pro meritis unicuique retribuendo.

S. ANTONIN. 2. Debet esse fortis et constans, nec flecti timore, vel amore cujuscunque.

3. Debet esse patiens in sufferendo, sicut et Deus judex patiens est.

4. Debet esse tranquillus in discutiendo, et diffiniendo causas, sicut et Deus cum tranquillitate judicat.

5. Debet esse rigidus in minas inferendo, sicut Deus judex minatur peccatoribus per flagella.

6. Debet esse æquus in decernendo, id est, servare æquitatem, quæ est severitas justitiæ, et misericordiæ temperata.

7. Debet esse maturus in discutiendo.

8. Debet ferre sententiam condemnationis, sicut Deus judex in suo judicio peccatores condemnat. Part. 3, tit. 9, *de Statu judicum*, cap. 1.

HUGO CARD. Tria faciunt bonum judicem, scilicet potentia, scientia, justitia. Super *Psalm.* L.

Ad recte judicandum, hæc sunt judicibus necessaria : ut quod præcipiunt, ipsi faciant; ut ordinem juris non prætermittant; ut veritatem causæ plene investigent; ut personam non accipiant; ut non cedant favori, vel clamori multorum; ut propter timorem non declinent a rectitudine judicii; ut non plus debito compatiantur; ut munera non accipiant; ut nullas preces præjudiciales admittant. Super *Psalm.* LVII.



### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Cognoscamus in judicando homines, quod non ex voluntate nostra et potestate, sed ex æquitate debeamus formare sententiam : justitia enim est in judicando, non potentia. Lib. 5, epist. 20, *ad Herontianum.*

2. Mitigat judicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium. Lib. 2 *de Cain et Abel*, cap. 9.

3. Judicando caveatur, ne major pœna quam culpa sit. Lib. 2 *de Apologia David*, cap. 2.

4. Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges et jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati. *Prosec.*

5. Nihil paratum et meditatum domo defert, sed sicut audit, ita judicat, et sicut se habet negotii natura, decernit.

6. Obsequitur legibus, non adversatur, examinat causæ merita, non mutat.

7. Discite judices sæculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 20, vers. 4.

8. Qui judicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est. *Ibid.*

9. In judicando magis cordi sit veritatis custodia, quam obedientia voluntatis. *Ibid.*

10. Judicis non est sine accusatore damnare, quia et Dominus Judam cum fur esset, quia non erat accusatus, minime abjecit. Super *Epist.* 1, *Cor.*, cap. 5.

11. Unusquisque de alio judicaturus, de seipso prius judicet, nec minora in alio errata condemnet, cum ipse graviora commiserit. Lib. 2, *de Apolog. David.*, cap. 2.

S. ATHANAS. MAGNUS. 12. Qui judicis partibus fungitur, hic reo dominetur necesse est. Habetur apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 97.

S. ANTONIN. 13. In nulla re tantum hodie offendunt sæculi potestates, sicut in judiciis. Part. 3, tit. 3, cap. 1, § 9.

14. Omnis qui juste judicat, stateram in manu gestat, et in utroque penso justitiam et misericordiam portat. *Prosec.*

15. Sed per justitiam reddit peccatis sententiam, per misericordiam peccati temperat pœnam. Part. 3, tit. 9, cap. 1.

S. AUGUST. 16. Imple christiane judex pii patris officium : sic succense iniquitati, ut consulere humanitati memineris : nec in peccatorum atrocitatibus exerceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem. *Prosec.*

17. Plerumque necesse est, exerceatur acrius inquisitio, ut manifestato scelere, sit ubi appareat mansuetudo.

18. Non te exasperet vindicandi potestas, cui lenitatem non excussit examinandi necessitas : noli facinore invento quærere percussorem, in quo inveniendo noluisti adhibere tortorem. Epist. 159, *ad Marcellin.*

19. Judicans alium, qui est judicandus, condemnat seipsum. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 18.

20. Ignorantia judicis plerumque est calamitas innocentis. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 6.

21. Dum alterius judicium non timent qui alios judicant, ad cadendum præcipites fiunt. *Prosec.*

22. Fit ut qui hominis non timent in delinquendo judicium, Deum sentiant judicem et ultorem. *De Vita christiana*, cap. 3.

23. Multum de Deo pudicitia consequitur, cum judicem virginem promeretur. *Prosec.*

24. Secura est de victoria castitas, cui est judicatura virginitas.

25. Pudicitiæ causas, nisi vir pudicus audire non debet. Serm. 2, *fer.* 2 *post. Dom. Palmar.*

26. Ipse iniquitatis suæ testis est, qui ore absolvit, et corde condemnat. *Ibid.*

27. Judex bonus et constans, ne sanguinem innocentis addicat, nec invidiæ cedere debet, nec timere. *Ibid.*

28. Regia via, qui terram judicant, incedere debent, nec declinare ad dexteram molliendo judicium, nec ad sinistram exasperando supplicium. Serm. 14, *ad Fratr. in eremo.*

29. O quam facile est judicare, sed o quam amarum est, quod judicatum est, retrahere! *Ibid.*

30. Decet judices cum Dei adjutorio calcare superbiam, abominari luxuriam, abhorrere falsitatem, despicere avaritiam, quæ noverca dicitur esse summa inimica justitiæ. *Prosec.*

31. Decet judices non avaritiam, sed largitatem sectari, et amare parvulos, pusillis et orphanis faciem serenam, non solum verbo, sed et opere demonstrare.

32. Decet judices fidem ostendere, zelum rectitudinis observare.

33. Decet judices clementiæ esse cultores, detestatores sævitiæ, cunctis benignos, ad iram tardos, ad misericordiam festinos.

34. Decet judices esse in adversis firmos, in prosperis humiles et cautos; et quibuscunque dignitatibus sublimatos, seipsos agnoscant et caveant ne suos inferiores despiciant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

35. Decet judices sapientes esse, et in lege doctissimos.

36. Decet judices plus Deum timere, quam alii homines ; plus de salute animarum curare quam corporum ; plus honorem Dei quam marsupia plena diligere. *Ibid.*, serm. 35.

37. Boni judices, patres sunt pauperum : mali vero, non patres, sed prædones. *Ibid.*

38. Non iniquum est ut in quo judicat homo, in eo judicetur. Epist. 49, quæst. 4.

39. Qui judicat sine misericordia, sine misericordia judicetur. *Ibid.*

40. Judicare parte absente, nec audita, nefas est. Epist. 162.

41. Nemo justius judicabit, quam qui injuste judicatus est. Tract. 39, super *Joan.*

42. Homo judicare non potest, quem videre non potest. Tract. 6, super *Epist. Joan.*

S. BERNARD. 43. Non parvi te reum peccati existimes, si facies peccatorum sumis, et non potius causas judicas meritorum. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

S. BONAV. 44. Tria sunt in judicio, testis, tortor, judex. Super *Psalm.* LXXXII.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 45. Justi judicis est de singulis factis apte sententiam pronuntiare. *Catech.* 2.

GLOSS. DECR. 46. Necesse est quod judex potius sequatur misericordiam, quam judicium : vel æquitatem, quam severitatem. In *Decret. Gratiani.*

GLOSS. INT. 47. Nemo est judicandus, nisi prius auditus. Super *Deuter.*, cap. 1.

GLOSS. ORD. 48. Sunt hodie Ecclesiarum judices, quibus datum est etiam judicium animarum : sed nescio si quis dignus sit spiritu Dei repleri. Sup. lib. *Judic.*, cap. 3, in illud : *Fuitque in eo spiritus Domini*, etc.

49. Felix judex, qui pietatem et bonitatem sui judicis semper inspicit. Super *Sapient.*, cap. 12.

GRATIANUS. 50. Criminosus alterius criminis judex esse non potest ; et seipsum condemnat, dum in alterius crimen sententiam profert. In *Decretis*, part. 2, causa 3, quæst. 7, can. *Sacerdos.* § *Ex quibus.*

S. GREGOR. MAGNUS. 51. Durum est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ. *Prosec.*

52. Plerumque contingit, ut hic judicii locum teneat, cui ad locum vita minime concordat. Homil. 26, super *Evang.*

53. Judicare de subditis digne nequeunt, qui in subditorum causis, sua, vel odium, vel gratiam sequuntur. *Ibid.*

54. In rebus ambiguis, absolutum non debet esse judicium. Lib. 2, in *Registro*, indict. II, cap. 83, epist. 44, *ad Andream episc. Tarentin.*

S. GREGOR. NAZ. 55. Sic fratrem tuum examina, tanquam tu quoque eadem mensura judicandus sis. Hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 1, *Parall.*, cap. 97.

S. HIERON. 56. Memor sis tribunalis Domini, et de judicio tuo te intelligens judicandum. Epist. 15, *ad Pammach.*

57. Non est omnium recte judicare, sed eorum qui prudentes sunt. Lib. 1, super *Isaiam*, cap. 1, super illud : *Quærite judicium.*

58. Omni tempore custodiamus judicium, ne despiciamus personam pauperis in judicio, ne divitis potentia terreamur : sed ita magnum judicemus, sicut parvulum. Lib. 15, super illud : *Custodite judicium.*

59. Optimus judex est, qui his pessimis (iracundia et cupiditate) duobus vitiis non tenetur. Super *Job*, cap. 36, super illud : *Non te ergo superet ira.*

60. Æquum judicium est, ubi non persona, sed opera considerantur. Hab. apud Bedam, in suis *Scintillis*, cap. 58.

S. HILARIUS. 61. Judicium ex ambiguis rebus existit, et ambiguitate adempta, judicii non desideratur examen. In *Explanat. super Psalm.* I.

HUGO CARD. 62. Judicem oportet habere hæc duo, et quod non timeat potentes, et quod diligenter inquirat merita causæ : et ideo causa incognita præcipitat sententiam, et pervertit judicium, aliquando muneribus excæcatur. In *Prov.*, cap. 29.

63. Aliorum causas non prius dijudices, quam dignoscas. Super *Ecclesiastic.*, cap. 2.

S. INNOC. III. 64. Vos, o judices, non attenditis merita causarum, sed merita personarum : non vitam, sed munera : non justitiam, sed pecuniam : non quod ratio dictet, sed quod voluntas affectet : non quod lex sentiat, sed quod mens cupiat. *Prosec.*

65. Non inclinatis animum ad justitiam sed justitiam inclinatis ad animum. Non ut quod liceat, hoc libeat, sed ut liceat hoc, quod libet.

66. Pauperum causam negligitis, divitum causam cum instantia promovetis : in illis rigorem ostenditis, cum istis ex mansuetudine dispensatis.

67. Illos cum difficultate respicitis, istos favore tractatis, illos negligenter auditis, istos subtiliter auscultatis.

68. Clamat pauper, et nullus exaudit : loquitur dives, et omnes applaudunt.

69. Clamat vim patiens, et nullus exaudit : vociferatur, et non est qui judicet.

70. Sed si forte pauperum causam suscipitis, illos remisse fovetis : cum autem divitum causam assumitis, illos pertinaciter adjuvatis.

71. Pauperes despicitis, divites honoratis : istis reverenter assurgitis, illos despicabiliter conculcatis. Lib. 2, *de Contemptu mundi*, cap. 4



S. JOANNES CHRYSOST. 72. Vis judex esse ? cognosce teipsum, et tua delicta. Homil. 42, super *Gen.*

73. Non potest par exerceri judicium, ubi dispar esse constitit meritum. Serm. *de Elia.*

74. Perfectior est ille, qui non judicat, quam ille qui judicat et non condemnat : et ille qui judicat et non condemnat, melior est illo qui condemnat et dimittit. Homil. 17, super *Matth. Oper. imperf.*

75. Judicii terreni splendor est in schemate, cœlestis autem judicii majestas in virtute. *Ibid.*, homil. 54.

76. Sanctorum judicia, nec ad gratiam, nec ad inimicitiam fiunt, sed ab omni sunt dubitatione libera. Homil. 1, *ad Pop. Antioch.*

S. JOANNES DAM. 77. Iniquus judex, contaminata est conscientia. Lib. 1 *Parall.*, cap. 98.

JOAN. SAR. 78. Oportet judicem cuncta rimari, et ordinem rerum plena inquisitione discutere, nec ante obviare alicui, quam causa sit legitimis rationibus plenissime limitata. Lib. 5, *de Nugis curial.*, cap. 6.

79. Iniquus est quisquis in judiciis sequitur non causam, sed prædam. *Ibid.*

80. Libera debent esse judicia, et quisquis ea viribus nititur perturbare, capitalem ab antiquis constitutionibus meretur pœnam. *Ibid.*, epist. 59.

S. IRENÆUS. 81. Si judicialis non justus et bonus sit, ad dandum quidem his, quibus debet : et exprobrandum his, quibus oportet neque justus neque sapiens videbitur judex. Lib 3, *advers. Hæres.*, cap. 42.

S. ISIDORUS HISPALENS. 82. Bonus judex sicut nocere cuilibet nescit, ita prodesse omnibus novit. *Prosec.*

83. Aliis enim præstat censuram justitiæ, aliis bonitatem : quia judicia sine personarum acceptione suscipit, non infirmat justitiam avaritiæ flamma, nec studet auferre alteri quod cupiat sibi. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 52, sent. 2.

84. Boni judices justitiam ad solam obtinendam salutem æternam suscipiunt, nec eam muneribus acceptis destruunt, ut dum de justo judicio temporalia lucra non appetunt, præmio æterno ditentur. *Ibid.*, sent. 3.

85. Omnis qui recte judicat, stateram in manu gestat, et in utroque penso justitiam et misericordiam portat. Sed per justitiam reddit peccati sententiam, per misericordiam peccantis temperat pœnam : sicut justo libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam vero per misericordiam indulgeat. *Ibid.*, sent. 4.

86. Judex qui Dei judicia oculis suis præponit, semper timens tremensque in omni negotio reformidat, ne de justitiæ tramite devians, cadat : et unde non justificatur, inde potius condemnetur. *Ibid.*, sent. 5.

87. Neminem stultorum, vel improborum oportet judicem esse : nam stultus per ignaviam ignorat justitiam, improbus per cupiditatem corrumpit ipsam quam didicit veritatem. *Ibid.*, sent. 6.

88. Gravius lacerantur pauperes a pravis judicibus, quam a cruentissimis hostibus : nullus enim prædo tam cupidus in alienis, quam judex iniquus in suis. *Prosec.*

89. Latrones inacconsis facibus, ac latebrosis locis latentes insidias ponunt ; isti palam rapacitatis avaritia sæviunt.

90. Hostes in aliorum tantum sanguinem intendunt, judices vero quasi crudelissimi carnifices, civium oppressione sua subjectorum vitam extinguunt. *Ibid.*, sent. 7.

91. Judices qui destruant multi sunt : rari sunt autem, qui populos legum moderamine regant. *Ibid.*, sent. 9.

92. Plerumque boni judices sunt, sed ministros rapaces habent : sæpe judices pravi cupiditatis causa, aut differunt, aut pervertunt judicia, nec finiunt cœpta negotia, quousque marsupia eorum, qui causantur, exhauriant. *Prosec.*

93. Quando enim judicant, non causam, sed dona considerant : et sicut negligentes sunt in discussione causarum, sic in eorum damno solliciti sunt. *Ibid.*, sent. 11.

94. Verbosi judices, ut sapientes videantur, non discutiunt causas, sed afferunt, sicque conturbant judicii ordinem, dum non suo contenti officio, aliena præsumunt. *Prosec.*

95. Quidam enim dum judicare incipiunt, irascuntur, ipsamque judicii sententiam in insaniam vertunt.

96. Qui iratus judicat, in furorem judicium mutat, cum ante profert sententiam, quam cognoscat.

97. Furor in judice investigationem veri non valet attingere, quia mens ejus turbata furore, ab investigatione alienatur justitiæ.

98. Iracundus judex, judicii examen plene considerare non valet : quia caligine furoris non videt.

99. Qui autem repulso furore discutit, facilius ad contuendam veritatem mentis serenitate consurgit, et sine ulla perturbatione ad æquitatis intelligentiam pervenit. *Ibid.*, cap. 52, sent. 13.

100. Qui recte judicat, et præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat : quia justitiam, quam gratis impartiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. *Prosec.*

101. Bonis male utuntur, qui juste pro temporali lucro judicant : tales quippe ad veritatem, non justitiæ defensio, sed amor pecuniæ provo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cat. Quibus si spes nummi subtrahitur, confestim a justitiæ defensione recedunt.

102. Acceptio munerum, prævaricatio veritatis est : dives in muneribus cito corrumpit judicem ; pauper dum non habet quod offerat, non solum contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. *Ibid.*, cap. 5, sent. 1.

103. Propterea in hac vita boni judicantur malis; ut in altera vita mali judicentur a bonis. *Ibid.*, cap. 47, sent. 6.

104. In judicio sine misericordia non sedeas, sed custodi discretionem justitiæ. *Prosec.*

105. Ita clemens esto in alienis delictis, sicut in tuis : nec quemquam districtius quam te judices, nec aliter te, nec aliter alios suspenses.

106. Sic alios judica, ut ipse judicari cupis.

107. Dum enim indulges alieno vitio, et tibi misereris : quo jure in alium statueris, eo jure teneberis: qua lege et pœnæ conditione quempiam judicaveris, eadem ipse judicandus es.

108. Lex tua te constringit. Judicium quod aliis ponis, ipse portabis : in eo enim in quo judicas, condemnandus es.

109. Omnia primum quære, ut cum justitia defendas : nullumque condemnes ante judicium, nullum judices suspicionis arbitrio : ante proba, et sic judica.

110. Non qui accusatur, sed qui vincitur, reus est : quod nosti, tuo, quod nescis, divino committe judicio.

111. Quamvis vera sunt, credenda non sunt, nisi quæ certis indiciis demonstrantur, nisi quæ manifesto examine convincuntur, nisi quæ ordine judiciario publicantur. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 16.

LACT. FIRM. 112. Judex integer ac bonus dicitur, cum indifferenter malefacta vindicat. *De ira Dei*, cap. 17.

S. LAURENT. JUSTIN. 113. Debet prius dominari sibi, qui causæ constitutus est judex alienæ. Ridiculum est aspicere foris in Cathedra residentem, et intus in passionum fœtoribus sepultum. *De triumphali Christi agone*, cap. 12.

114. Virtus animi judiciariis sedibus præferenda est honore, desiderio, et æstimatione. *Ibid.*

S. MARCELL. MART. 115. Non oportet quemlibet judicari, vel damnari, priusquam legitimos habeat præsentes accusatores. In *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 3, quæst. 9, can. *Non.*

S. PETRUS DAMIANUS. 116. Quid plane sanctius? quid Deo charius? quid certe in christiana religione præstantius, quam judicare justitiam, et illicitis ausibus per legitimi rigoris occurrere disciplinam? *Opusc.* 57, dissert. 2, cap. 1.



PHILO JUD. 117. Is qui ad judicandum ascendit tribunal, judicari se non minus, quam judicare cogitet, et una cum potestate assumat prudentiam, ne decipiatur; justitiam ut suum cuique tribuat; fortitudinem, ne flectatur precibus aut misericordia, quo minus animadvertat in convictos sceleris. *De judice.*

S. PROSPER. 118. Sanctus si se tueri in judicio non potest, supplicio judicis incauta sententia condemnat : et reum calliditas ingenii excusat. Lib. 2, *de Vita Contemplat.*, cap. 7.

SALVIANUS. 119. Uti severitatis arbitrio judex non potest, quando reus jam non sustinet judicari. Lib. 1, *ad Eccles. catholic.*

S. ZEPHYR. PAPA ET MART. 120. Absens nemo judicetur (quia divinæ et humanæ leges hoc prohibent) nisi fuerit absens ex contumacia : pro præsenti namque cum contumacia haberi facit. Lib. 1, *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 3, quæst. 9, can. *Absens.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 121. Bene quisque judicat ea, quæ cognoscit, et ipsorum bonus est judex : is ergo in unaquaque re bene judicat, qui in illa est eruditus. Lib. 1, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 3.

122. Non secundum legem scriptam judicare, sed secundum quod sibi videtur, periculosum est. Lib. 2, *Polit.*, cap. 8.

123. Judicia multorum sæpe meliora sunt, quam uniuscujusque. *Ibid.*, lib. 3, cap. 11.

124. Judex quasi argenti atque auri cognitor est, ut vere justum ab adulterato discernat. Lib. 1, *Rhetor.*, cap. 15.

CICERO. 125. Est boni judicis parvis ex rebus conjecturam facere uniuscujusque cupiditatis et incontinentiæ. Orat. 9, *in Verrem*, lib. 4, act. 5.

126. Sapientis est judicis, meminisse se hominem : cogitare tantum sibi esse permissum, quantum commissum et creditum. Et non solum sibi potestatem datam, verum etiam fidem habitam esse meminisse : posse quem oderit, absolvere : quem non oderit, condemnare. Et semper, non quid ipse velit, sed lex et religio cogat, cogitare. Orat. 14, *pro Cluentio.*

127. In hoc sapientia consistit judicis, ut non solum quid possit, sed etiam quid debeat, ponderet : nec quantum sibi permissum meminerit solum, sed et quatenus commissum sit. Orat. 39, *pro Rabirio.*

128. Cum judici jurato dicenda sententia sit, meminerit Deum se adhibere testem, id est, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse Deus divinius. Lib. 3, *de Offic.*

129. Judicis est, semper in causis verum sequi. Lib. 2, *de Offic.*



MIMUS PUB. & SENECA. 130. Ad pœnitendum properat, cito qui judicat. In suis *Sent.*, sent. 32.

MIM. PUBL. 131. Judex damnatur, cum nocens absolvitur. *Ibid.*, sent. 203.

PLATO. 132. Hæc est judicis virtus, non ipsam loquendi rationem, sed ut vera dicat, perspiciat. In apologia.

133. Non hac de causa sedet judex, ut favore et gratia ejus condonet et indulgeat, sed ut judicet. *Prosec.*

134. Hoc et juratus ad judicandum venit, non gratia et favore se jus condonaturum, quantum quidem ipsi videbitur, sed ex legum præscripto et formula judicaturum. *Ibid.*

135. Consentaneum est judicem non esse juvenem, sed senem et ætate provectum, qui intelligat qualis sit mali natura, scientia potius, quam propria experientia dijudicans. Lib. 3, *de Republ.*

136. Nec judex causæ sis, si non audiveris ambos. In *Dialogo Demodoci.*

SENECA. 137. Bonus judex damnat improbanda, non odit. Lib. 1, *de Ira*, cap. 16.

138. Magno animo de rebus magnis judicandum est : alioqui videbitur illarum vitium esse, quod nostrum est. Epist. 71.

139. Virtus de omnibus rebus judicat, de hac nulla. *Ibid.*

140. Honestius est, cum judicaveris amare; quam cum amaveris, judicare. *De Moribus.*

141. Boni judicis est dispensare non tantum quid damnandum sit, sed quatenus. *Ibid.*

142. Grave præjudicium est, quod judicium non habet. In *Prov.*

SIXT. PHIL. 143. Majus est periculum judicantis, quam ejus qui judicatur. Sent. 174.

Vide etiam tit. *Damnatio*, sent. 23; *Excommunicatio*, sent. 14; *Homo*, sent. 67; *Hypocrisis*, sent. 13; *Injuria*, sent. 24; *Passio Christi*, sent. 32; *Prælatio*, sent. 96; *Res*, sent. 63; *Reus*, sent. 34; *Sententia*, sent. 4, 5, 6, 7, 49.

## JUDICIUM DEI.

COLLECTOR. *Definitio.* Judicium Dei est independentis potestatis decretum, definiens quid cuique debitum sit.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Judicium Dei magis inscrutabile est in electione gratiæ, quam in retributione justitiæ. Lib. 1 *de Vocat. gentium*, cap. 9.

2. Pater nobis Deus est, cum bene agimus : judex noster est, cum peccamus. *de Natali Domini.*

3. Divina judicia meritum justi ex mentis habitu, non aliquo factorum exitu metiuntur. Lib. 1. super *Luc.*, cap. 1.



S. AUGUST. 4. Væ etiam laudabili vitæ, si remota misericordia, Domine, discutias eam. Lib. 9 *Confess.*, cap. 13.

5. Animus male sibi conscius, dum sibi videtur nullam pœnam pati, credit quod non judicet Deus, et sic auferuntur judicia Dei a facie ejus, cum hæc ipsa sit magna damnatio. Super *Psalm.* IX. vers. 27 : *Auferuntur judicia tua*, etc.

6. Duo sunt judicia Dei, occultum et manifestum. Occultum est pœna, qua nunc unusquisque hominum aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conversionem, aut si contempserit vocationem et disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem. Manifestum est, quod venturus est Dominus judicare vivos et mortuos, omnibus fatentibus eum esse a quo et bonis præmia, et malis supplicia, tribuentur. Super *Psalm.* IX.

7. Judicium Dei formidandum est, et amandum formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam. Super *Psalm.* C, vers. 1 : *Misericordiam et judicium.*

8. Fit ut qui hominis non timent in delinquendo judicium, Deum sentiant judicem et ultorem. *De Vita christiana*, cap. 3.

9. Ille judex Christus, nec gratia prævenitur, nec misericordia flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec satisfactione mitigatur. *Prosec.*

10. Hic dum tempus est, quidquid potest anima agat pro se, ubi locus est misericordiæ : hic agat anima pœnitentiam, ut judex ille Deus possit mutare sententiam. Lib. 3, *de Symbolo*, cap. 8.

11. Deum, cui nuda est humana conscientia, nec testem fallunt, nec judicem homines fugiunt. Epist. 130.

12. Non differentis Dei spernendum est judicium qui nonnunquam et in præsenti judex ultor assurgit. Epist. 178.

13. Deus judex voluntatum est, creator autem naturarum. Lib. 2, *de Actis cum Felice*, cap. 12.

14. Ferto patrem erudientem, ne sentias judicem punientem. Tract. 12, super *Joan.*

15. Non dedignatur Deus testis esse, qui judex est : quoniam qui testis est, ipse judex erit. *Ibid.* tract. 36.

16. Lacessit judicem, qui postposita satisfactione delicti, quærit præmiis honorari. Lib. *Medit.*, cap. 2.

17. Novit Deus quid agas, intus te videt, intus te examinat, intus judicat, intus aut damnat, aut coronat. Tract. 26, super *Joan.*

18. Ita Deus juste judicat, ut etiam exaudiat, veniam deprecantes, et tanto magis quanto magis juste judicat. *Annot. in Job*, cap. 37.

19. Dei judicia occulta sunt multa, injusta nulla Lib. 18, *de Civit. Dei*, cap. 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

20. Inest Deo et misericordia judicanti, et judicium miseranti. Epist. 29.

21. Dei altum justumque judicium nullus contemptor evadit. Epist. 54.

22. Laudet misericordiam qui liberatur, non culpet judicium qui punitur. Epist. 106.

23. Homini possem demonstrare justitiam meam, in Dei autem judicio invenior injustus. *Annot. in Job*, cap. 9.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 24. Potuit Deus delegare Angelis suis discutiendi hominis potestatem; sed agnosce, o homo, nobilitatem tuam; nulli etiam vel cœlesti creaturæ esse te subjectum voluit, nulli de te judicare permisit : agnosce nobilitatem tuam, soli Deo competit de te ferre sententiam. Homil. 2. *de Symbolo*.

S. GREGOR. MAGNUS. 25. Dei judicio nullus absconditur, quia nullatenus potest, aut non videre quod facimus, aut oblivisci quod videt. Lib. 25 *Moral.*, cap. 4.

26. Omnia non solum facta, sed et cogitata districte pensantur; quid faciemus de incessu mali operis, si sic subtiliter Deus judicat gressus cordis? *Prosec.*

27. Ecce occulta mentis nostræ itinera nullus hominum videt, et tamen ante Dei oculos tot gressus ponimus, quot affectus movemus. *Ibid.*, cap. 3.

28. Occulta Dei judicia, quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta debent humilitate venerari. *Ibid.*, lib. 27, cap. 2.

29. Divina judicia cum nesciuntur, non audaci sermone discutienda sunt, sed formidoloso silentio veneranda. *Ibid.*, lib. 32, cap. 1.

30. Sic Dominus uniuscujusque considerat vias sic dinumerat gressus, ut ne minutissimæ quidem cogitationes ejus judicio, ac verba tenuissima indiscussa remaneant. *Ibid.*, lib. 21, cap. 4.

S. HIERON. 31. Christiani judicium Dei magis debent timere, quam hominum. Epist. 37, *ad Pammach. et Ocean.*

HUGO A S. VICTORE. 32. Judex Deus corrumpi non potest, quia justus est : ei resisti non potest, quia fortis est : impetuose non judicat, quia patiens est. Lib. 3 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 47.

HUGO CARD. 33. Si purus homo judex esset, posset falli, vel corrumpi, vel vinci, et impediretur justitia : sed Deus est judex, qui nec falli, nec corrumpi, nec superari poterit. Super *Psalm.* XLIX.

S. JOANNES CHRYSOST. 34. In justo judicio Christi, non solum quæritur, ut Christus cognoscat se juste hominem judicare, sed etiam ut homo ipse cognoscat se juste a Christo judicari. Homil. 3, super *Matth. Oper. imperf.*

S. JOAN. CL. 35. Gravissimum est, velle abyssum judiciorum Dei curiose perscrutari. Grad. 26.

JOANNES SARESB. 36. Eo magis timenda sunt judicia Dei, quo de occultiori justitia et secretiori ratione proveniunt. Epist. 139.

LACT. FIRM. 37. Sicut Deus erga pios indulgentissimus est Pater, sic adversus impios rectissimus judex. Lib. 1. *Divin. Inst.*, cap. 1.

38. Nemo judicium Dei potest, nec vivus effugere, nec mortuus. *De ira Dei*, cap. 20.

S. LEO I. 39. Justus est judex et verax, qui neminem fraudat mercede meritorum. Serm. 3, *de Collectis*.

40. Iste et summi judicis tremendus aspectus : cui pervium est omne solidum et apertum omne secretum : cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur. Serm. 5, *Quadrag.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 41. In laqueum periculosum se injiciunt, qui ipsa Dei judicia temere audent perscrutari. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 5.

SALVIANUS. 42. Deus ut judex arguit, et ut judex regit : judex promit sententiam, judex noxios perimit, judex innoxios muneratur. Lib. 1, *de Gubernat. Dei.*

43. O quanta est infidelis malarum mentium cæcitas! damnationem perferimus judicantis Dei, necdum agnoscimus judicari. *Ibid.*, lib. 5.

S. THEODOR. 44. Justum est, et terroris plenum divinum judicium. Super *Psalm.* VI, vers. ult.

THOMAS A KEMPIS. 45. Judicia Dei metuenda sunt, non discutienda, quia humano intellectui sunt incomprehensibilia. Lib. 3, *de Imit. Christi*, cap. 58, sect. 1.

## JUDICIUM EXTREMUM.

COLLECTOR. *Definitio.* Judicium extremum est universalis separatio bonorum a malis in valle Josaphat a summo judice Deo facta.

S. BONAV. *Divisio.* Judicium extremum triplex est : discussionis, salvationis, damnationis. Super *Psalm.* XXXIV.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT. MAGNUS. 1. Quoties diem judicii cogito, toto corpore contremisco. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virt.* cap. 21.

S. AMBROS. 2. Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam quam ut credamus Deum judicem futurum, quem et occulta non fallant, et indecora offendant, et honesta delectent. Lib. 1 *Offic.*, cap. 26.

3. Nemo de die judicii cogitat, nemo loquitur, quasi aut per omnia victuri, aut per omnia morituri. Serm. 80.

S. ANSELM. 4. Juxta est dies Domini magnus, dies judicii; juxta et velox nimis dies iræ dies tribulationis et angustiæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris. *De Miseria hominis.*



5. In judicio hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia : subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex : intus urens conscientia, foris ardens mundus. *Prosec.*

6. Ibi justus vix salvabitur, constrictus ubi latebo? latere erit impossibile, apparere intolerabile. *Ibid.*

S. ANTONIN. 7. Judicium durissimum fiet his, qui præsunt durum, si non bene rexerint seipsos; durius, si non bene gubernaverint familiam propriam; durissimum, si justitiam legalem omnibus non ministraverint. Part. 1, tit. 5, cap. 2, § 4.

S. AUGUST. 8. In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies : quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur. Epist. 80, *ad Hesych.*

9. In futuro Christi judicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, ubi cœperit accusare conscientia, et conscientiarum arbiter judicare. Epist. 203, *ad Maximin. episc.*

10. Manifestus veniet inter justos et injustos, judicaturus juste, qui prius venit occultus ab injustis judicandus injuste. Lib. 20, *de Civit. Dei*, cap. 24.

11. Quando Deus judex erit, alius testis quam conscientia tua non erit : inter judicem justum et conscientiam tuam, noli timere nisi causam tuam. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 16.

12. Judicium Dei formidandum est et amandum : formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam. Super *Psalm.* C, vers. 1.

13. Modo tacet Christus, tacet judicio, sed non tacet præcepto : siluit ut judicaretur, non silebit cum cœperit judicare. Tract. 4, in cap. 1, *Evang. Joan.*

14. Tot judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono : tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla. *Prosec.*

15. Tot vincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos justis dederunt actionibus.

16. Domine mi, non suppetit quid dicam, non occurrit quid respondeam : et cum jam intersim sævo illi discrimini, torquet me conscientia, cruciant cordis arcana, coarcat me avaritia, accusat superbia, consumit invidia, inflammat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat me gula, ebrietas confutat, detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas objurgat, discordia me dissipat, ira perturbat, levitas dissolvit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, favor attollit, calumnia pungit. In *Medit.*, cap. 4.

17. Homines caveant futurum judicium, ne cum mundi principe damnentur, quem judicatum imitantur. Tract. 95, super *Evang. Joan.*, cap. 16.

18. Quanta speranda vel timenda potestas judicantis si apparuit tanta morientis? *Ibid.*, tract. 119, cap. 19.

19. Sedebit judex, qui stetit sub judice : damnabit veros reos, qui factus est falsus reus. *De verbis Domini*, serm. 64.

20. Expectatur dies judicii, aderit ille æquissimus judex, nullius potentis personam accipiet, cujus palatium auro vel argento nemo corrumpet. Serm. 2. *Vigil. Nat.*

21. In judicio nec falsos testes adduces quibus judex fallatur : nec patronos fraudulentos : tunc enim ipse erit judex causæ tuæ, qui modo testis vitæ tuæ. *De Decem chordis*, cap. 2.

22. Advocatus noster venturus est judex noster. Homil. 42, *ex Quinquag. homil.*, cap. 1.

23. Homo venit ut judicaretur, homo veniet ut judicet. Tract. 4, super *Epist. Joannis.*

24. Non silebit Christus judicaturus, quia siluit judicatus. Homil. 28, *ex quinquag. homil.*, cap. 1.

25. In futurum judicium servatur ad manifestationem atque acerrimum sensum miseriæ, quidquid nunc occultissime vindicatur. Lib. 3, *de Libero arbit.*, cap. 15.

26. Nullus erit homo, qui in judicio de sua possit infidelitate defendere : cum Christum cantet et justus ad æquitatem, et perjurus ad fraudem. Epist. 42.

27. Deus perpauca in hoc sæculo punit, ne Dei providentia non esse credatur : et multa servat ultimo examini, ut futurum judicium commendetur. Epist. 54.

28. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies. Homil. 13, *ex Quinquag. homil.*

29. Novissima tua sunt, mors, judicium, gehenna. *Prosec.* S. BERNARD.

30. Quid horribilius morte! quid judicio terribilius? gehenna nihil potest intolerabilius cogitari : quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? Serm. *de primordiis, etc.*

31. Paveo gehennam, paveo judicis vultum, ipsis quoque tremendum angelicis potestatibus. *Prosec.*

32. Contremisco ab ira potentis, a facie furoris ejus, a fragore ruentis mundi, a conflagratione elementorum, a tempestate valida, a voce Archangeli, a verbo aspero.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

33. Contremisco a dentibus bestiæ infernalis, a ventre inferi, a rugientibus præparatis ad escam.

34. Horreo vermem rodentem, et ignem torrentem, fumum et vaporem et sulphur, et spiritum procellarum : horreo tenebras exteriores.

35. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, et stridorem dentium, et manuum pedumque dura vincula, et pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium?

36. Heu me mater mea, ut quid me genuisti, filium doloris, filium amaritudinis, indignationis et plorationis æternæ? cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem, et cibus ignis? Serm. 16, super *Cant.* in medio.

37. Tanto erit in judicio æquitas, in judice feritas, in majestate sublimitas, novitas in facie ipsa rerum, ut non possit cogitari. *Ibid.*, serm. 73.

38. Nudus stabit ante tribunal Christi, ut audiat vocem judicii, qui ad vocem consilii obduravit aures suas. *Prosec.*

39. Utilius et multo salubrius est hodie audire Deum consulentem, consolantem, admonentem, docentem, et ut multum arguentem, increpantem, corripientem, quam in die illa judicii tam amara, tam lugubri, tam tenebrosa voce, audire illum judicantem, indignantem, ulciscentem, sævientem, condemnantem. Serm. *de verbis Habacuc.*

40. Necesse est omnes, qui in futuro judicio examinandi sunt, vel esse judicis amicos, vel apud judicem intercessores habere amicos. In suis *Sentent.*, verbo *Quatuor sunt.*

41. Quid faciet de injustis judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit? *Prosec.*

42. Veniet, inquam, veniet dies judicii, ubi plus valebunt pura corda, quam astuta verba : et conscientia bona, quam marsupia plena. Quandoquidem judex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis. Epist. 1, *ad Robertum Nepotem suum.*

43. Venturi timor judicii, pio cedit fraternæ charitatis exercitio. Epist. 78, *ad Suggerium*, abbat. S. Dionysii.

44. Cognoscetur tunc Dominus judicia faciens, qui nunc ignoratur misericordiam quærens. *De duodecim gradibus humilit.*, verbo *Inquirimus.*

45. Judicium faciet gestorum quisque suorum : cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt. Lib. *Medit.*, cap. 2.

46. Talis studeas vivere, qualis affectas in extremo judicio inveniri. *Epist. ad quemdam.*

S. BONAV. 47. Futurum judicium est timendum propter tria : propter judicis terrorem, propter judicii rigorem, propter suppliciorum horrorem. Epist. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 1, vers. 6, art. 1.

48. Judicare auctoritate et dictamine sententiæ, est totius Trinitatis. Judicare prolatione sententiæ, et evidentia formæ, sive ministerio, erit filii hominis. Judicare vero assistentia et approbatione, erit Apostolorum, et Apostolicorum virorum. Super *Joan.*, cap. 5, in illud : *Potestatem dedit eis*, etc.

49. Debemus tanto sollicitius diem judicii formidare, quanto eam non possumus prævidere. Super *Luc.*, cap. 4.

50. Etiam qui Sancti sunt præsentiam Dei in judicio absque formidine non videbunt. Lib. 3, *Pharetræ.*

51. Nullus in extremo judicio poterit fallere sapientiam, flectere justitiam, inclinare clementiam, declinare ultionis et justæ retributionis sententiam. In *Soliloq.*, cap. 3.

52. In extremo judicio latere erit impossibile, apparere intolerabile. *Ibid.*

53. Ultimum judicium erit horribile ex omni parte, quia supra erit judex austerus et iratus, subtus patens infernus, intus conscientia remordens, extra mundus ardens, a dextris peccata accusantia, a sinistris dæmonia terrentia. Lib. 7, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 17.

54. Judicium extremum erit horribile, intolerabile, inevitabile, inopinabile, inexorabile, erubescibile. *Ibid.*

55. O anima! sive vigiles, sive dormias, semper in auribus tuis illa horribilis tuba resonet : Surgite mortui, Venite ad judicium. *Prosec.*

56. O anima! nunquam exeat a tua memoria, ite maledicti in ignem æternum, venite benedicti, percipite regnum.

57. O quid potest lamentabilius et terribilius cogitari, quam Ite? et quid delectabilius exprimi, quam Venite? Duæ sunt voces, quarum nihil horribilius una, et nihil jucundius altera poterit audiri. In *Soliloq.*, cap. 3.

58. Saluberrima, ac multum necessaria est, futuri judicii recordatio. Homil. 29. S. CÆSARIUS ARELAT. CASSIODOR.

59. Non est in judicio futuro singulorum hominum vicissim discussio operanda, sed momentaneo discursu simul omnia sicut fecit, et judicat. Super *Psalm.* II, vers. ult.

60. Veniet exactis temporibus universorum judex potestate præditus et gloria, quæ divinam decebat Majestatem, comitatu Angelorum stipatus ut reddat unicuique juxta opus suum. Homil. 17, *de Festis Paschal.* S. CYRILLUS ALEX.

61. Memineris judicii, et non erit scortatio, nec adulterium, neque homicidium, neque ulla iniquitas apud te invalescet. *Cateches.* 2. S. CYRILLUS HIEROSOL.



DIONYSIUS CARTHUS. 62. In die judicii erit in reprobis conscientia urens atque remordens : in electis vero, conscientia bonæ fiduciæ. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2, art. 5.

S. EPHRÆM. 63. Si peccatum aliquod perpetraturus sis, revolve prius animo tuo horrendum illud Christi judicium : in quo judex in alto atque sublimi præsidebit throno, astabit omnis creatura tremebunda coram glorioso et illustri ejus conspectu. *De futuro judicio.*

64. Sive operi, sive orationi intentus sis; sive ambules, sive sedeas, sive comedas, sive jejunes, sive quid aliud agas, non desistat mens tua cogitare de extremo Dei judicio. Serm. *de secundo Adventu.*

S. EUSEBIUS CÆSAR. 65. Agite solatia vestra, in deliciis explete voluptates, seminate in corruptione, ut de corruptione colligatis divinam sententiam, quam justus ille dabit judex in magni judicii die, dicens : Ite maledicti in ignem æternum. *Prosec.*

66. Heu! cor lapideum, si cum talem tibi cogitas ob hujus mundi prava solatia imminere sententiam non formidas.

67. Si illum expectas diem tam terribilem et crudelem, in quo non solum de luxuriis, vestibus et ebrietatibus, et deliciis, et toto tempore amisso, quo vixisti : sed etiam de qualibet te oportebit cogitatione vana, Domino reddere rationem; cur non emendaris? Epist. *ad Damasc. Pap., de morte D. Hieron.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 68. Ille veniet ad judicandum nos, qui se judicio meminit addictum pro nobis. *Prosec.*

69. Ille veniet ad dispiciendam vitam nostram, qui eam restituit per mortem suam. Homil. 1, *de Symbolo.*

70. Quam lugubre erit in extremo judicii die homini reprobo Deum videre et perdere, et ante pretii sui conspectum perire. *Ibid.*, homil. 4, *ad Monachos.*

71. Saluberrima multumque necessaria futuri judicii recordatio est, et præteritorum commemoratio et deploratio delictorum. *Ibid.*, homil. 5.

72. Timor futuri judicii mitigat iram, et cogitatio ultimi diei frangit superbiam. *Prosec.*

73. Non ibi licebit vel celare aliquid, vel negare, ubi non de longe aliunde : sed deintus processurus est accusator et testis. *Ibid.*, homil. 8.

74. Accendenda est compunctio, corroborandæ sunt preces futuri recordatione judicii, atque misericordiarum operibus adjuvandæ. *Ibid.*, homil. 10.

75. Illa anima quæ bene cursum suum direxerit, non timebit illius ultimæ horæ necessitatem. *Ibid.*, homil. 8.

76. In judicio extremo quatuor erunt ordines. Alii judicabunt, et non judicabuntur, ut perfectissimi; alii nec judicabunt, nec judicabuntur, ut damnati infideles; alii judicabuntur, et salvabuntur, ut mediocriter boni; alii judicabuntur, ut pereant, sicut fideles mali. Super *Psalm.* VIII. GLOSS. ORD.

77. Ira judicii tanto districtior portabitur, quanto nunc minus timetur. Super *Proverb.*, cap. 28.

78. Impii in judicio, quæ sibi sperabant prodesse, invenient nocuisse. Super *Sap.*, cap. 4. GLOSS. INT.

79. Aut nullus, aut rarus diem judicii poterit sustinere, qui non in se præbeat materiam sæviendi. Super *Joel*, cap. II, in illud : *Et quis sustinebit eum?* GLOSS. ORD.

80. Tunc cum Deo judices venient, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Lib. 10 *Moral.*, cap. 17. S. GREGOR. MAGNUS.

81. Quid ad extremum Dei judicium venit, non jam coram illo, sed ab illo judicatur. *Ibid.*, lib. 25, cap. 5.

82. Dies judicii, porta est regni : quia per eum ab electis omnibus ad cœlestis patriæ gloriam intratur. *Ibid.*, lib. 6, cap. 5.

83. Quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, in judicio procul dubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit. *Ibid.*, lib. 10, cap. 17.

84. Ille postmodum cum Deo judex veniet, qui hic ei modo in prece familiaris extiterit. *Ibid.*, lib. 11, cap. 13.

85. Districtum Dei judicium tanto verius tunc super delinquentes mitigabitur, quanto nunc acrius ab homine arguente prævenitur. *Ibid.*, lib. 26, cap. 2.

86. Justi viri cum districtionem venturi judicis contemplantur, peccata sua ad memoriam reducunt, et deflent quæ commiserunt, et districte se judicant, ne judicentur. *Ibid.*, lib. 11., cap. 18.

87. Tunc cum Deo judices venient, qui nunc pro Deo injuste judicantur. *Ibid.*

88. Tunc eorum lux tanto latius emicabit, quanto eos nunc manus persequentium durius angustat. *Ibid.*, lib. 10, cap. 17.

89. In die judicii ultimo ipse peccata judicabit, qui nunc peccantium derisiones portat. *Ibid.*

90. Rectum est, ut cum Deo de populis in judicio judicent, qui ad verba Dei præsens sæculum perfecte derelinquunt. *Ibid.*, lib. 2, cap. 13.

91. Ante retributionem extremi judicii, injusti in requie quosdam justos conspiciunt, ut eos videntes in gaudio, non solum de suo supplicio,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

sed etiam de illorum bono crucientur. Homil. 40, super *Evang.*, super illud *Luc*, XVI : *Rogo te ego Pater*, etc.

92. Fratres charissimi, districtus judex ad examinandum deducturus est cuncta quæ gerimus, et unumquemque nostrum, non ex prærogativa sublimioris gradus, sed operum meritis approbabit. Lib. 1, *ex Registro*, indict. 9, cap. 75, epist. 75.

93. Venturi judicis quisque examen tremendum cum metu et lacrymis quotidie sine cessatione consideret : illumque diem in quo perturbanda sunt omnia cum timore ad animum reducat, ut iram judicis in ipso jam die non timeat. Lib. 2, *ex Registro*, indict. 6, cap. 37, epist. 37, *ad Eusebiam Patriciam*.

94. Mens conversa quanta sit districtio extremi examinis pensat, inter spem formidinemque sollicita trepidat : quia judex justus veniens, quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat. Lib. 4 *Moral.*, cap. 31.

95. Perpendamus quanta debemus formidine venturum judicium semper expavescere, quando quidem beatus Job ad requiem se post flagella perventurum noverat, adhuc tamen de retributione judicii in suis vocibus securus non est. *Ibid.*, lib. 13, cap. 17.

96. Cunctis liquet quod in illa extrema requisitione examen publicum facturus est omnipotens Deus : ut alios ad tormenta deserat, alios ad participationem regni cœlestis admittat. *Ibid.*, lib. 25, cap. 7.

97. In adventu districti judicis in majestate, visuri sunt quem in humilitate positum audire noluerunt : ut virtutem ejus tanto tunc districtius sentiant, quanto nunc cervicem cordis ad ejus patientiam non inclinant. Homil. 1, super *Evang.*, super illud *Luc.* XXI : *Et tunc videbunt filium hominis*, etc.

98. Semper extremum judicii diem debemus metuere, quem nunquam possumus prævidere. *Ibid.*, homil. 12, super illud *Matth.* XXV : *Vigilate quia nescitis diem, neque horam.*

99. Hunc tanti pavoris judicem ante oculos ponite, hunc venturum timete; ut hunc cum venerit non timidi, sed securi videatis : timendus est, ne timeatur. *Ibid.*, homil., 26, super illud *Joan.* XX : *Beati qui non viderunt, et crediderunt.*

100. Si tanta cura pertimescitur judicium hominis, qua formidine prævidendum est judicium extremum tantæ majestatis? *Ibid.*

101. Pavidi corde futura judicia cogitant, sed præsenti voluptate devicti, mala committere nequaquam vitant. Lib. 5, in I, *Reg.*, cap. 2, super illud : *Si timueritis Dominum*, etc.

102. Judicium extremum venire non trepidat, nisi quem conscientia de peccatis accusat. In *Septem. Psalm. Pœnit. super Psalm.* I vers. 7.

103. Dum vacat, dum licet, animadversionem tanti terroris (iræ scilicet districti judicis) fuge. Lib. 1 in *Registr.*, indict. 9, cap. 53, epist. 33, *ad Venant. Cancellar. Italiæ.*

104. Quisquis festinat evadere districtionem judicii sequentis, per amaritudinem pœnitentiæ omnem sibi dulcedinem interimat vitæ præsentis. *Ibid.*, lib. 9, indict. 4, cap. 25, epist. 25 : *ad Venant. episc. Syracus.*

105. Quæ mens erit hominis, æterni judicis sententiam non formidantis? ibi enim tunc simul cuncta peccata ante oculos redeunt; ibi omnia, quæ cum delectatione acta sunt, ad memoriam cum pavore revocantur. Homil. 2, super *Ezech.*, super illud *Matth.* XXIV : *Sol obscurabitur.*

106. Redemptor humani generis cum judex apparuerit, et speciosus justis, et terribilis erit injustis. *Ibid.*, homil. 7, super illud *Psalm.* XVIII : *Exultavit ut gigas.*

107. Quem mansuetum aspicient electi, hunc eumdem pavendum atque terribilem conspicient reprobi. *Ibid.*

108. Pensemus quam districtius judex veniet, qui judicium minatur, et latet : terrores peccatoribus intentat, et tamen adhuc sustinet : et idcirco venire citius differt, ut minus inveniat quod condemnet. Homil. 10, super *Evang.*

109. In adventu sponsi clamor in media nocte fit : quia sic dies judicii surrepit, ut prævideri non valeat, quando venit. *Ibid.*, homil. 12.

110. Ecce mora non erit, et ardente cœlo, ardente terra, coruscantibus elementis cum angelis, cum Thronis, et Dominationibus, cum principalibus et potestatibus, tremendus judex apparebit. Lib. 2, in *Registro*, indict. 2, cap. 100, epist. 61, *ad Maurit. august.*

111. Necesse est ut sæpius cogitemus quales futuri sumus in die judicii purissimis Angelorum conspectibus offerendi, et æterno judicii rationem de libris conscientiæ reddituri. Serm. 1, *Dom. post Ascens.* HAYM.

112. Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt; exhibebitur cum prole sua vere tunc ignitus Jupiter, adducetur et cum suis stultus Plato discipulis, Aristotelis argumenta non proderunt. Epist. 1, *ad Heliodor.* S. HIER.

113. Extremi judicii dies, quanto longe differtur ut veniat; tanto cum venerit, de illo districtior sententia procedet : idcirco diversis nunc cladibus percutimur, ut his correcti, paratiores



tunc inveniri valeamus. Lib. 2 super *Lament. Hierem.*, cap. 3, super illud : *Tetendit arcum suum.*

114. Tunc sine nominum dignitate sola judicantur ingenia, sive Episcopus, sive sit laicus, Imperator aut Dominus, miles aut servus, aut purpura et serico, aut vilissimo panno jaceat : non honorum diversitate, sed operum merito judicabitur. Lib. 2, super *Oseam*.

115. Mœrorem diei judicii et tormenta pereuntium, ne sol quidem et luna, astraque cætera poterunt intueri : sed retrahent fulgorem suum. Super *Joel.*, cap. 3, super illud : *Populi in valle*, etc.

HUGO CARD. 116. Si purus homo judex esset, posset falli, vel corrumpi, vel vinci, et sic impediretur injustitia : sed Deus est Judex, qui nec falli, nec corrumpi, nec superari poterit. Super *Psalm.* XLIX.

117. In die judicii, judex interrogabit et examinabit dicta et facta singulorum. Super *Sap.*, cap. IV.

S. JOANNES CHRYSOST. 118. In extremo judicio tantus timor erit omnium, etiam Sanctorum, ut nemo speret se justum inveniendum, sed adhuc timeat ne forte reus existat. Homil 52, super *Matth. Oper. imperfect.*

119. Sicut tempus misericordiæ judicium non suscipit, sic tempus judicii misericordiam non recipit. *Ibid.*

120. Terribile erit judicium, horrendum tribunal, plenæ tremoris pœnæ, et fluvius igneus, qui reos corripiat. Serm. 5, super *Epist. ad Rom.*

121. Illic magnum judicem ars rhetoris nulla decipiet, et nullius potentia mitigatur, dignitati non condescendit, non veneratur personam, sed tremendum et implacabile erit judicium. Homil. 5, *de Pœnit.*

S. JOANNES DAMASCEN. 122. Non illic orator est, non illic verborum lenocinium quod veritatem judici surripere queat : non adulatores comitantur, non opes, non dignitatis fastus : Vacuus amicis, vacuus adjutoribus ac patronis, et pudore suffusus quisque relinquetur, mœstus, tristis, solus ac fiduciæ expers. *Prosec.*

123. Quocumque quispiam oculos converterit, perspicuas operum suorum imagines cernet, ubi res ipsæ sigillatim testimonium dicent apparentes quales gestæ sunt.

124. Illic condemnabitur, non is duntaxat, qui sceleris auctor fuit, sed is etiam, qui malum ducem ad peccatum secutus est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 15.

125. Horrendum illum ac tremendum diem memoria tenete, in quo omnes ad Christi tribunal sistentur, ut eorum quæ in vita gesserint, rationem reddant. *Prosec.*

126. Illic enim ante omnium oculos peccata proponentur ac detegentur, atque ignorantibus ostendentur.

127. Illic fons ignis, et pervigil vermis : illic omnia nuda, et aperta.

128. Illic cordium nostrorum libri aperientur, atque in medio tam perspicua, quam obstrusa; tam quæ noctu, quam quæ interdiu perpetrata sunt, legentur.

129. Coram uno homine indecori aliquid hic agere nos pudet, illic autem coram tot myriadibus quid faciemus? *Ibid.*

130. Cum ad Dei judicium ventum fuerit, non erit discussio generationum, sed actionum : nec dicet, Cujus naturæ fuisti vel generis, sed virtutis? quoniam virtus meritum habet, generatio nihil. In cap. 2, *Regul. S. Bened.*, verbo *Non.* JOAN. TRITH.

131. Quoties diem judicii cogito, totus corde et corpore contremisco : unde si qua præsentis vitæ est lætitia, ita agenda est, ut nunquam amaritudo futuri judicii recedat a memoria. Lib. 2, *ad Monach.*, serm. 5.

132. Ad districti examen judicis, nec justitia justi secura est, nisi pietate divina, ut et ipsa justitia, qua quisque justus est, Deo justificante justificetur. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 27, sent. 3. S. ISIDORUS HISPALENS.

133. In judicio reprobi humanitatem Christi, in qua judicatus est, videbunt ut doleant : divinitatem vero ejus non videbunt, ne gaudeant. *Prosec.*

134. Pro diversitate conscientiarum, et mitis apparebit in judicio Christus electis, et terribilis reprobis.

135. Nam qualemcunque quis conscientiam tulerit, talem et judicem habebit : ut manente in sua tranquillitate Christo, illis solis terribilis appareat, quos conscientia in malis accusat. *Ibid.*, sent. 8.

136. Impii ex hoc durius in judicio puniendi sunt mentis dolore, ex quo visuri sunt justos gloriæ beatitudinem meruisse. *Ibid.*, cap. 29, sent. 4.

137. In judicio extremo cunctis videntibus est præcipitandus diabolus. *Ibid.*, sent. 5.

138. Non faciet in judicio futuro cor miserum justorum ex compassione damnatorum condolendi affectio. *Ibid.*, cap. 30, sent. 1.

139. Securus prorsus et intrepidus in extremo examine coram judice judicaturo adstabit, qui nullam divinæ gloriæ rapinam exercuit. *de perfect. gradibus*, cap. 14. S. LAURENT. JUSTIN.

140. O quam lugubre erit reprobis videre, et PETR. BLES.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

perdere Deum, atque ante sui Salvatoris perire conspectum! Ubi tunc erunt deliciæ tuæ, de quibus sola remanebit recordatio in tui accusationem et obligatio in tormentum? Epist. 131, *ad quemdam Prior.*

S. PETRUS DAMIANUS. 141. In die judicii non potest mereri quæ petit, qui hic noluit audire quæ Dominus jussit. Lib. 4, epist. v.

142. Si solus ille ultimi diei terror et horror, ut dignum est studiose discutitur, tota mundi hujus deceptrix, et falsa felicitas despicitur. Lib. 8, epist. 8.

143. (Veniet ipse judex cum potestate magna et majestate.) Non cum dulcedine et humilitate. Tunc ille misericors oculus non parcet, et non miserebitur, sed percutiet et occidet, indutus ira, furore repletus, plenus crudelitate. Serm. 56, *de S. Martino.*

SALVIANUS. 144. In tremendo illo judicio peregrinanti animæ atque anxiæ nullum potest omnino esse solatium, nisi sola tantummodo bona conscientia, nisi sola tantum innocens vita, aut (quod proximum est) bonæ vitæ misericordia. *Prosec.*

145. Ubi reo homini nullum est adjutorium, nisi sola mens larga, nisi pœnitentia fructuosa, et eleemosynæ copiosæ, quasi manus validæ.

146. Ubi denique pro diversitate meritorum, aut summum bonum invenies, aut summum malum ; aut immortale præmium, aut sine fine tormentum. Lib. 3, *ad Eccles. Catholic.*

S. THOMAS AQUINAS. 147. Conveniens est ut in forma humanitatis veniat judicaturus in qua venerat judicandus. *De ultimo Adv. Christi.*

148. In judicio extremo ex indiciis passionis et Crucis Christi apparebit gloriosior salus electorum, et justior damnatio reproborum. *Ibid.*

149. Sicut potestas Christi judicantis erit insuperabilis, ita sapientia ineffabilis, justitia inflexibilis. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS. 150. In die judicii plus exultabit caro afflicta quam si in deliciis fuisset nutrita: tunc splendebit habitus vilis, et obtenebrescet vestis subtilis. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 24, sect. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 151. Cum etiam atque etiam animadverto qua ratione coram judice compaream sanissimo præditus animo, conabor quantum in me situm erit revera esse optimus, et ita vitam meam traducere, ut cum moriendum erit, moriar bene. *Prosec.*

152. Omnes autem cæteros homines, quantum possum, hortor atque moneo, ad hujus vitæ rationem suscipiendam, quod omnium quidem quæ in hac versantur optimum, præstantissimumque esse judico.

153. Itaque objurgo te, Callicles, quod ita te minime compares, ut tibiipsi auxilium ferre possis dum vivis, cum ad hoc judicium tam tremendum, de quo modo sum locutus, tibi fuerit veniendum.

154. Sed ubi veneris ad supremum illum judicem, tum vero hiabis, et vertigine corripieris, et tu illic fortasse omni contumelia afficieris atque opprobrio.

155. Hæc tibi fortasse videntur aniles fabulæ, ac proinde illa contemnis, cum non possis veriora invenire.

156. Qui supersunt Græcorum sapientissimi, et tu, non potestis tamen demonstrare aliam quamdam vitæ rationem esse ineundam, quam hanc, quæ etiam illuc conducere videtur. *de Rhetor.*

SIXTUS PHILOSOPH. 157. Immortales crede te manere in judicio honores, vel pœnas. Sent. 11.

158. Qualia studia gesserit anima corpus inhabitans, tales habebit testes in judicio. *Ibid.*, sent. 337.

Vide etiam tit. *Adventus*, per totum, *Antichristus*, per totum. *Dies*, sent. 30, 31, 32; *Judicii correptio*, sent. 20; *Multitudo*, sent. 14; *Patientia Dei*, sent. 45, 46; *Relinquere*, sent. 58.

## JUDICIUM PROPRIUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Tolle te, tolle inquam te a te, impedis te : si tu te ædificas, ruinam ædificas. *De verb. Dom.*, serm. 15.

S. BERNARD. 2. Lepra proprii consilii, eo perniciosior est, quo magis occulta : et quanto plus abundat, tanto sibi quisque sapientior esse videtur. Serm. 3, *Paschæ.*

3. Proprium consilium sequentes, sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, et magni in oculis suis. *Ibid.*

4. Quæ major superbia, quam ut unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat spiritum Dei? *Ibid.*

5. In rebus dubiis plus alieno, quam proprio credendum est judicio. Epist. 82, *ad Abbat. S. Joan.*

S. BONAV. 6. Inter omnes tentationes, videtur ista periculosior cuique Christiano, scilicet proprio sensui nimis inniti. *De sex alis Seraphim*, cap. 7.

DIONYSIUS CARTHUS. 7. Pessima animæ lepra est, innixio proprii sensus. *De profectu spirit.*, art. 7.

S. DOROTH. 8. Quidquid judicii est tibi, quidquid propriæ discretionis, quidquid prudentiæ, quidquid intelligentiæ, id omne tibi a dæmonibus est. Doctrina 5.



S. HIERON. 9. Superbarum, insensatarumque mentium est, suo tantum uti consilio. In *Reg. monachor.*, cap. 7.

HUGO CARD. 10. Hostis noster est proprius sensus, ad quem debellandum mittit nobis Dominus contradictores. Super *Ecclesiasten.*, cap. 9,

11. Nihil est per quod magis infestat Religiosos diabolus, quam per proprium sensum. Super *Isai.*, cap. 36.

JOAN. CASS. 12. Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quam cum neglectis consiliis seniorum, eum in suo judicio persuaserit, doctrinaque confidere. Collat. 2, *Abbat. Moysis*, cap. 11.

13. Perniciem æternam impossibile est evadere quempiam, judicio proprio confidentem, nisi humilitatis veræ amator et executor effectus sit. Collat. 16, *Abbat. Joseph.*

14. Impossibile est quemquam, qui proprio fidit judicio, diaboli illusione non decipi. *Ibid.*

15. Nullus sibi quemquam scientia præditus inani tumore persuadeat, quod possit alterius consilio non egere. *Prosec.*

16. Nam etiamsi judicium ejus diabolica non fallat illusio, elationis tamen ac superbiæ graviores laqueos non evadet. *Ibid.*, cap. 12.

S. LAURENT JUSTIN. 17. Maximum impedimentum est ad perfectionem ascendere cupientibus proprio incumbere sensui. *De perfect. grad.*, cap. 10.

LUDOVICUS BLOSIUS. 18. Non sis obstinatus in proprio sensu, sed aliorum sensum tuo sensui ad honorem Dei sapienter præferas. In *brevi regula Tyronis*, verbo *Non sis.*

S. THEODOR. 19. Nimis est improbum, relicta spiritus doctrina, propriis opinionibus adhærere. Quæst. 25, super *Gen.*

20. Luctus occupabit eos, qui proprio consilio obediunt. Sect. 4, super *Ezech.*, in illud : *Qui sequuntur spiritum.*

## JUDICIUM SUI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Unusquisque sibi ipsum animum suum severum judicem sui habet. Lib. 7, epist. 44, *ad Constantium.*

2. Nemo eget judicio sui, qui verbo Dei abundat. Lib. 2, super *Luc.*, cap. 3, in illud : *Factum est verbum Domini.*

S. AUGUST. 3. Judicet se homo voluntate dum potest, et mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur. Homil. 50, *ex Quinquaginta Homil.*

4. Qui a seipso judicatus est, non judicatur a Domino. *Ibid.*, cap. 4.

S. BERNARD. 5. Sapiens est qui seipsum hic dijudicat, ut æternum Dei judicium evadat. In suis *Sent.*, verbo *Est.*

S. BONAV. 6. Cum judicaveris teipsum sine adulatione, judica proximum cum dilectione. Lib. 1, *Pharetræ*, cap. 45.

S. CÆSARIUS ARELAT. 7. Esto justus judex in teipso : tribue animæ quod dignum est, reserva carni quod opus est : quia nunquam alterius causam judicare poterit, qui inter animam et carnem suam justitiam tenere noluerit. Homil. 19.

S. DIDYM. ALEX. 8. Salutis principium est suiipsius condemnatio. Hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 86.

S. ELIGIUS. 9. In se quisque severitatem debet exercere, ut a seipso judicatus non judicetur a Domino. Homil. 6.

S. FULGENT. 10. Ecce habes homo, quæ in te judices, habes quæ condemnes, quæ in te mortifices. *Prosec.*

11. Ista judica et non judicaberis, ista condemna et non condemnaberis, ista mortifica et non morieris.

12. Hic esto vehementissimus carnifex, ista recte consideranda judicia, abjiciendo mortifica.

13. Si peccata tua recte consideraveris, judicasti : si abjeceris, occidisti.

14. Ut ergo defendas te, accusa te : ut absolvas te, judica te. Serm. *de Verbis Michææ.*

S. GREGOR. MAGNUS. 15. Sic fit, ut dum aliena dijudicanda mens ducitur proprii judicii lumine privetur. Lib. 3 *Moral.*, cap. 18.

16. Homo occulta super se judicia quæ pressus torpore dissimulat, terrore saltem pulsatus expavescat. *Ibid.*, lib. 25, cap. 7.

HUGO A S. VICTORE. 17. Humilitas seipsam, arrogantia vero alios judicat. Lib. 3, *de Claustro animæ*, cap. 6.

JOAN. CASS. 18. Oportet unumquemque semetipsum judicare tantummodo, et circumspecte, cauteque custodire in omnibus, non aliorum conversationem vitamque discutere. Lib. 5, *de Cœnob. inst.*, cap. 30.

S. JOANNES CHRYSOST. 19. Si cupiditate judicandi, judex esse velis, temetipsum judica. Homil. 43, super *Matth. Oper. perf.*

20. Noli alium judicare, sed teipsum. *Ibid.*, homil. 65.

21. Ille vere bonus et justus et sapiens est, qui sibiipsi judex fieri potest. Homil. 45, super *Matth. Oper. imperf.*

22. Qui seipsum condemnat, et peccatorem se agnoscit, dupliciter Deum placat. Homil. 28, super 1 *Cor.*

23. Vis judicare? quæ tua sunt judica. Nullus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

te culpat, si te condemnaveris : culpaberis autem, si non te redarguas : culpaberis, si non dolueris. Homil. 21, super *Epist. ad Hebr.*

24. Vis judex esse? judica temetipsum et tua delicta, nullus est qui velet. Homil. 42, super *Gen.*

S. JUSTIN. MART. 25. Omnis qui se considerat et judicat, nulli culpæ affinis est. Epist. *ad Zenam.*

LACT. FIRM. 26. Nemo potest de se recte judicare. Lib. 3, *de Divin. Inst.*, cap. 4.

S. PETR. DAM. 27. Qui semetipsum perfecte dijudicat, judicium non expectat. *Prosec.*

28. Perfecte semetipsum dijudicare, est reprehendenda non agere : et quæ irreprehensibiliter acta sunt, timide retractare. Lib. 4, epist. 15, *ad quemdam episcop.*

29. Justus quisque semetipsum, dum sancte vivit, accusat : et se dijudicando vel accusando, magis magisque sanctificat. *Ibid.*

30. Tunc vitiorum omnium barbariem sternimus, tunc potestates aereas invictissime debellamus, si et innocenter vivimus, et tamen reos nos, ac peccatis tanquam obnoxios accusamus. *Ibid.*

S. PROSPER. 31. Amat Deus eos, qui semetipsos judicant, non judicare. Et Apud div. Augustin.

SALVIANUS. 32. Liberandus a Deo ipso omnino non eris, nisi te ipse damnaveris. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

THOMAS A KEMPIS. 33. Seipsum judicando homo semper fructuose laborat. Lib. 1, *de Imitatione Christi*, cap. 14.

IN VITIS PATR.] 34. Sui reprehensor, mercedis est conservator. Lib. 3, num. 128.

35. Principium salutis est, si teipsum redarguas. Lib. 5 libell. 15, *de humilit.*, num. 15.

36. Virtus Monachi est, in omni tempore seipsum arguere. In *Sentent. in fine positis*, sent. 62.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET. 37. Cumque reus tibi sis, ipsum te judice damna. Lib. 3 *Distichor.*, metr. 38.

38. Cum quid peccaris, castiga te ipse subinde : Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris. *Ibid.*, lib. 4, metr. 80.

CICERO. 39. Nemo fere est, qui sui periculi judex, non sibi se æquiorem quam reo præbeat. Orat. 42, *pro Rege Dejotaro.*

SENECA. 40. Sua satius est mala, quam aliena tractare : se excutere et videre, quam alios dijudicare. Epist. 118.

41. Quod de alienis tractas, ex tuis judices. *De Moribus.*

JUDICIUM TEMERARIUM.

S. ANTONIN. *Definitio.* Judicium temerarium est, cum aliquis opus proximi de quo non habet sufficientia judicia ad cognoscendum utrum bonum vel malum sit, in mente sua firmiter affirmat seu determinat illud esse malum. Part. 2, tit. 3, cap. 8. § 1.

S. BONAV. Pravum judicium est ex errore proveniens temeraria sententia, vel suspicio malo de occultis aliorum. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 10.

Judicium temerarium est de re, quæ non constat, sed procedit ex sola suspicione. Super *Luc.*, cap. VI.

Judicium temerarium est, quando creditur aliquid factum mala intentione, quod potuit et alia fieri intentione, cum actio sit indifferens. Lib. 1, *de Profect. religios.*, cap. 1.

GLOSS. ORD. Judicium temerarium est, quando quibus commissum non est judicant, sive sit de manisfestis sive de occultis Super *Matth.*, cap. VII, super illud : *Nolite judicare*, etc.

HUGO CARD. Temerarium judicium est, quo multi judicant de aliis solis rumoribus nescientes causas, et circumstantias peccati, vel facti. Super *Ecclesiastic.*, cap. 11.

PETR. BLES. Temerarium est, si tutum delictum dissimulas, et judicas alienum. Epist. 46, *ad Anonym.*

S. ANTONIN. *Divisio.* Triplex est judicinm temerarium. Primum de proximo suo, secundum de Domino Deo, tertium de seipso. Part. 2, tit. 3, cap. 8.

S. BONAV. Judicium temerarium triplex est : definitionis, argutionis, assertionis. Definitionis, cum quis de futuris male judicat, argutionis, cum quis judicat de his, quæ ad eum non pertinent; assertionis, cum quis judicat de occultis. Part. 1, *Centiloq.*, sect. 10.

HUGO CARD. Judicium temerarium triplex est, definitionis, argutionis, assertionis. Definitionis est, quando de incertis, quasi de certis quis firmat sententiam; argutionis est, quando quis judicat de alio arguendo quod malus sit, cum ad eum non pertineat; assertionis est, quando aliquis ut appareat bonus, judicat alios esse malos in eo, in quo ipse malus est. Super *Matth.*, cap. VII.

S. ANTONIN. *Origo.* Temerarium judicium ex curiositate et superbia procedit. Part. 2, tit. 3, cap. 8.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Sæpe in judicando majus peccatum judicii est, quam peccati ipsius, de quo fuerit judicatum. Lib. 2, *Apolog. David.*, cap. 2.

2. Grave est de alio temere judicare. *Prosec.*

3. Cum unusquisque sit suorum conscius peccatorum, quomodo potest de alterius judicare peccato?

4. Judicet de alterius errore, qui non habet quod in seipso condemnet.

5. Judicet ille, qui non agat eadem, quæ in alio putaverit punienda, ne cum de alio judicat, in se



ferat sententiam. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 20, vers. 4.

6. Judicia hominum sæpe falluntur, ut et injustis justitiæ gratiam frequenter adscribant, et justum aut odio persequantur, aut mendacio decolorent. Lib. 1, super *Lucam*, cap. I, in illud : *Erant ambo Justi.*

S. ANASTAS. PATR. 7. Nullus de onere suo sollicitus est, sed proximorum nostrorum peccata curioso et temerario judicio lustramus. *Prosec.*

8. Ad collum usque cœno obliti sumus, nec quidquam pensi habemus : ad senectutem usque aliena curamus, neque in ipso senio mala propria expendimus : minuta fratrum nostrorum errata intuemur, at trabem, quæ est in oculo nostro, non videmus.

9. Pondere criminum nostrorum deprimimur, et tamen curiose in aliorum defectibus, delictisque indagandis temere judicando occupamur. Orat. *De non judicando.*

S. ANTONIN. 10. Pene nullus reperitur immunis hujus vitii : sed clericus, Religiosus, laicus, rector, et subditus ab eo involvitur. Part. 2, tit. 3, cap. 8.

S. AUGUST. 11. Iniquum est ut quisque de alio judicare velit, et judicari de se nolit. Epist. 174, *ad Pascentium.*

12. Infirmitas et imperitia, utilia solet judicare quæ nociva sunt. In *Quæst. Veteris et Novi Testamenti*, quæst. 127.

13. Nolite judicare. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. *Prosec.*

14. Sunt quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia et bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus. *De Serm. Dom. in monte*, lib. 2.

15. Duo sunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus : cum incertum est quo animo quidque factum fuerit, vel cum incertum sit qualis futurus sit, qui nunc vel bonus vel malus apparet. *Ibid.*

16. Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo temere judicatur : ei autem qui temere judicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. *Ibid.*

17. De incognitis non temere judicando, innocentiam custodimus. *De unit. Eccles.*, cap. 2.

18. Multa incertum est quo animo fiant, de quibus judicare, temerarium est. *Ibid.*

19. Maxime hi temere judicant de incertis, et facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare atque corrigere, quod vitium vel superbiæ est, vel invidentiæ. *Ibid.*

20. Insitum est naturaliter vulgo, ut de bonis semper male judicet. *De Bono disciplinæ*, cap. 8.

V. BEDA. 21. Ad mortem properat, qui cito de quoquam judicat. In suis *Proverbiis*, verbo *Ad.*

S. BERNARD. 22. Temerarie judex non judices proximum, magis autem excusa : excusa intentionem, si opus non potes : puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Serm. 40, super *Cant.*

23. Non te exaltes super quemquam, neque judices, cujus mentem ignoras, ne sub omnibus cadas. *Prosec.*

24. Non teipsum judices, ut te præferas aliis : qui teipsum non agnoscis, alios multo minus debes judicare.

25. Si alium quemque pessimis operibus videas insudantem, ne te illi præferas, ne illum judices, quia nescis utrum exemplo latronis ad ultimum convertatur.

26. Nullum ergo tu judicare præsumas, nec te (licet optimum) cuiquam alteri, (quamvis pessimo) præferas, quia tuus et illius qualis futurus sit exitus, ignoras. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 29.

S. BONAV. 27. De alicujus correctione desperare, et eum tanquam abjectum reprehendere, qui nunc apparet malus, cum nescimus qualis futurus sit, temerarium judicium est. In *Centiloq.*, part. 1, sect. 10.

28. Cavere debet quisque ne judicet temere aliorum facta, maxime ubi nescit qua de causa, vel intentione fiant. Lib. 1, *de profectu Relig.*, cap. 1.

29. Sæpe judicamus malum esse, quod in se non est malum, et peccamus per temeritatem usurpando nobis judicia Dei de occultis cordium. *Ibid.*

30. Vitium est, cordis intentionem judicare, quæ soli Deo est manifesta. *Ibid.*

DIONYSIUS CARTHUS. 31. Neminem dijudica in malum, nisi temetipsum : propriorum enim tuorum malorum tibi conscius es, et proximorum occulta bona videre non potes. *De perfect. charit.*, art. 47.

32. Dissuesce a suspicionibus, et noli temerariis inniti judiciis. *Ibid.*

S. DOROTH. 33. Grave peccatum est proximum judicare; quid hoc gravius esse potest? nihil enim ideo execratur Deus, odit, et abominatur. *Prosec.*

34. Nihil adeo provocat Deum, nihil adeo hominem spoliat, et fert in ambiguum, ut judicare proximum. *Doctrina* 6.

GLOSS. INT. 35. Nihil temere definiamus, quæ nobis dubia sunt, Deo definienda reservemus. Super *Tobiam*, cap. 3.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

te culpat, si te condemnaveris : culpaberis autem, si non te redarguas : culpaberis, si non dolueris. Homil. 21, super *Epist. ad Hebr.*

24. Vis judex esse? judica temetipsum et tua delicta, nullus est qui velet. Homil. 42, super *Gen.*

S. JUSTIN. MART. 25. Omnis qui se considerat et judicat, nulli culpæ affinis est. Epist. *ad Zenam.*

LACT. FIRM. 26. Nemo potest de se recte judicare. Lib. 3, de *Divin. Inst.*, cap. 4.

S. PETR. DAM. 27. Qui semetipsum perfecte dijudicat, judicium non expectat. *Prosec.*

28. Perfecte semetipsum dijudicare, est reprehendenda non agere : et quæ irreprehensibiliter acta sunt, timide retractare. Lib. 4, epist. 15, *ad quemdam episcop.*

29. Justus quisque semetipsum, dum sancte vivit, accusat : et se dijudicando vel accusando, magis magisque sanctificat. *Ibid.*

30. Tunc vitiorum omnium barbariem sternimus, tunc potestates aereas invictissime debellamus, si et innocenter vivimus, et tamen reos nos, ac peccatis tanquam obnoxios accusamus. *Ibid.*

S. PROSPER. 31. Amat Deus eos, qui semetipsos judicant, non judicare. Et Apud div. Augustin.

SALVIANUS. 32. Liberandus a Deo ipso omnino non eris, nisi te ipse damnaveris. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

THOMAS A KEMPIS. 33. Seipsum judicando homo semper fructuose laborat. Lib. 1, *de Imitatione Christi*, cap. 14.

IN VITIS PATR.] 34. Sui reprehensor, mercedis est conservator. Lib. 3, num. 128.

35. Principium salutis est, si teipsum redarguas. Lib. 5 libell. 15, *de humilit.*, num. 15.

36. Virtus Monachi est, in omni tempore seipsum arguere. In *Sentent. in fine positis*, sent. 62.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET. 37. Cumque reus tibi sis, ipsum te judice damna. Lib. 3 *Distichor.*, metr. 38.

38. Cum quid peccaris, castiga te ipse subinde : Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris. *Ibid.*, lib. 4, metr. 80.

CICERO. 39. Nemo fere est, qui sui periculi judex, non sibi se æquiorem quam reo præbeat. Orat. 42, *pro Rege Dejotaro.*

SENECA. 40. Sua satius est mala, quam aliena tractare : se excutere et videre, quam alios dijudicare. Epist. 118.

41. Quod de alienis tractas, ex tuis judices. *De Moribus.*

## JUDICIUM TEMERARIUM.

S. ANTONIN. *Definitio.* Judicium temerarium est, cum aliquis opus proximi de quo non habet sufficientia judicia ad cognoscendum utrum bonum vel malum sit, in mente sua firmiter affirmat seu determinat illud esse malum. Part. 2, tit. 3, cap. 8, § 1.

S. BONAV. Pravum judicium est ex errore proveniens temeraria sententia, vel suspicio malo de occultis aliorum. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 10.

Judicium temerarium est de re, quæ non constat, sed procedit ex sola suspicione. Super *Luc.*, cap. VI.

Judicium temerarium est, quando creditur aliquid factum mala intentione, quod potuit et alia fieri intentione, cum actio sit indifferens. Lib. 1, *de Profect. religios.*, cap. 1.

GLOSS. ORD. Judicium temerarium est, quando quibus commissum non est judicant, sive sit de manisfestis sive de occultis Super *Matth.*, cap. VII, super illud : *Nolite judicare*, etc.

HUGO CARD. Temerarium judicium est, quo multi judicant de aliis solis rumoribus nescientes causas, et circumstantias peccati, vel facti. Super *Ecclesiastic.*, cap. 11.

PETR. BLES. Temerarium est, si tutum delictum dissimulas, et judicas alienum. Epist. 46, *ad Anonym.*

S. ANTONIN. *Divisio.* Triplex est judicinm temerarium. Primum de proximo suo, secundum de Domino Deo, tertium de seipso. Part. 2, tit. 3, cap. 8.

S. BONAV. Judicium temerarium triplex est : definitionis, argutionis, assertionis. Definitionis, cum quis de futuris male judicat, argutionis, cum quis judicat de his, quæ ad eum non pertinent ; assertionis, cum quis judicat de occultis. Part. 1, *Centiloq.*, sect. 10.

HUGO CARD. Judicium temerarium triplex est, definitionis, argutionis, assertionis. Definitionis est, quando de incertis, quasi de certis quis firmat sententiam ; argutionis est, quando quis judicat de alio arguendo quod malus sit, cum ad eum non pertineat ; assertionis est, quando aliquis ut appareat bonus, judicat alios esse malos in eo, in quo ipse malus est. Super *Matth.*, cap. VII.

S. ANTONIN. *Origo.* Temerarium judicium ex curiositate et superbia procedit. Part. 2, tit. 3, cap. 8.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Sæpe in judicando majus peccatum judicii est, quam peccati ipsius, de quo fuerit judicatum. Lib. 2, *Apolog. David.*, cap. 2.

2. Grave est de alio temere judicare. *Prosec.*

3. Cum unusquisque sit suorum conscius peccatorum, quomodo potest de alterius judicare peccato?

4. Judicet de alterius errore, qui non habet quod in seipso condemnet.

5. Judicet ille, qui non agat eadem, quæ in alio putaverit punienda, ne cum de alio judicat, in se



ferat sententiam. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 20, vers. 4.

6. Judicia hominum sæpe falluntur, ut et injustis justitiæ gratiam frequenter adscribant, et justum aut odio persequantur, aut mendacio decolorent. Lib. 1, super *Lucam*, cap. I, in illud : *Erant ambo Justi.*

S. ANASTAS. PATR. 7. Nullus de onere suo sollicitus est, sed proximorum nostrorum peccata curioso et temerario judicio lustramus. *Prosec.*

8. Ad collum usque cœno obliti sumus, nec quidquam pensi habemus : ad senectutem usque aliena curamus, neque in ipso senio mala propria expendimus : minuta fratrum nostrorum errata intuemur, at trabem, quæ est in oculo nostro, non videmus.

9. Pondere criminum nostrorum deprimimur, et tamen curiose in aliorum defectibus, delictisque indagandis temere judicando occupamur. Orat. *De non judicando.*

S. ANTONIN. 10. Pene nullus reperitur immunis hujus vitii : sed clericus, Religiosus, laicus, rector, et subditus ab eo involvitur. Part. 2, tit. 3, cap. 8.

S. AUGUST. 11. Iniquum est ut quisque de alio judicare velit, et judicari de se nolit. Epist. 174, *ad Pascentium.*

12. Infirmitas et imperitia, utilia solet judicare quæ nociva sunt. In *Quæst. Veteris et Novi Testamenti*, quæst. 127.

13. Nolite judicare. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. *Prosec.*

14. Sunt quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia et bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus. *De Serm. Dom. in monte*, lib. 2.

15. Duo sunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus : cum incertum est quo animo quidque factum fuerit, vel cum incertum sit qualis futurus sit, qui nunc vel bonus vel malus apparet. *Ibid.*

16. Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo temere judicatur : ei autem qui temere judicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. *Ibid.*

17. De incognitis non temere judicando, innocentiam custodimus. *De unit. Eccles.*, cap. 2.

18. Multa incertum est quo animo fiant, de quibus judicare, temerarium est. *Ibid.*

19. Maxime hi temere judicant de incertis, et facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare atque corrigere, quod vitium vel superbiæ est, vel invidentiæ. *Ibid.*

20. Insitum est naturaliter vulgo, ut de bonis semper male judicet. *De Bono disciplinæ*, cap. 8.

V. BEDA. 21. Ad mortem properat, qui cito de quoquam judicat. In suis *Proverbiis*, verbo *Ad.*

S. BERNARD. 22. Temerarie judex non judices proximum, magis autem excusa : excusa intentionem, si opus non potes : puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Serm. 40, super *Cant.*

23. Non te exaltes super quemquam, neque judices, cujus mentem ignoras, ne sub omnibus cadas. *Prosec.*

24. Non teipsum judices, ut te præferas aliis : qui teipsum non agnoscis, alios multo minus debes judicare.

25. Si alium quemque pessimis operibus videas insudantem, ne te illi præferas, ne illum judices, quia nescis utrum exemplo latronis ad ultimum convertatur.

26. Nullum ergo tu judicare præsumas, nec te (licet optimum) cuiquam alteri, (quamvis pessimo) præferas, quia tuus et illius qualis futurus sit exitus, ignoras. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 29.

S. BONAV. 27. De alicujus correctione desperare, et eum tanquam abjectum reprehendere, qui nunc apparet malus, cum nescimus qualis futurus sit, temerarium judicium est. In *Centiloq.*, part. 1, sect. 10.

28. Cavere debet quisque ne judicet temere aliorum facta, maxime ubi nescit qua de causa, vel intentione fiant. Lib. 1, *de profectu Relig.*, cap. 1.

29. Sæpe judicamus malum esse, quod in se non est malum, et peccamus per temeritatem usurpando nobis judicia Dei de occultis cordium. *Ibid.*

30. Vitium est, cordis intentionem judicare, quæ soli Deo est manifesta. *Ibid.*

DIONYSIUS CARTHUS. 31. Neminem dijudica in malum, nisi temetipsum : propriorum enim tuorum malorum tibi conscius es, et proximorum occulta bona videre non potes. *De perfect. charit.*, art. 47.

32. Dissuesce a suspicionibus, et noli temerariis inniti judiciis. *Ibid.*

S. DOROTH. 33. Grave peccatum est proximum judicare; quid hoc gravius esse potest? nihil enim ideo execratur Deus, odit, et abominatur. *Prosec.*

34. Nihil adeo provocat Deum, nihil adeo hominem spoliat, et fert in ambiguum, ut judicare proximum. *Doctrina* 6.

GLOSS. INT. 35. Nihil temere definiamus, quæ nobis dubia sunt, Deo definienda reservemus. Super *Tobiam*, cap. 3.

GLOSS. ORD. 36. Præventus majoribus, alium non judicet de minoribus : multi enim præventi majoribus, leviora in fratre magis vituperare et damnare, quam emendare volunt. Super *Matth.*, cap. VII, in illud : *Qui vides festucam*, etc.

37. Vix invenitur aliquis ab hoc vitio alienus, quia unusquisque suis favens, aliena facile reprehendit, et aliena gravius tolerando quam sua, sumit auctoritatem arguendi sine exemplo suæ emendationis. *Ibid.*

S. GREGOR. MAGNUS. 38. Sic fit, ut dum ad aliena dijudicanda mens ducitur, proprii judicii lumine privetur. Lib. 3 *Moral.*, cap. 18.

39. De alterius conscientia non est temere judicandum. Lib. 1 *Moral.*, cap. 6, in titulo.

40. Pravi tanto intentius de alienis judicant, quanto sua profundius ignorant. *Ibid.*, lib. 11, cap. 13.

41. Qui semetipsum prius non judicat, quid in alio rectum judicet, ignorat. *Ibid.*, lib. 14, cap. 13.

42. Nemo bene judicat, quod ignorat. *Ibid.*, lib. 27, cap. 1.

HAYMO. 43. Grave curiositatis est vitium, qui dum alienas actiones dijudicat, semetipsum obliviscitur. Serm. 2, *Dom. 3, post Pent.*

S. HIERON. 44. Periculosum est de alterius animo judicare, et singulorum dictorum atque verborum investigare, atque proferre rationem. Epist. 15, *ad Pammach.*

45. Periculosum est de servo alterius judicare : et non facilis venia est, prava dixisse de rectis. Epist. 57, *ad Asellam.*

46. Periculosa præsumptio, judicare de cæteris ipsum, ab omnibus judicandum. In præf., super 4, *Evang.*

HUGO A S. VICTORE. 47. Cum dicis fratres tuos teipso et deteriores, deterior factus es. Lib. 2, *de Claustro anim.*, cap. 21.

HUGO CARD. 48. Stultum, imo periculosum est, de peccatis aliorum judicare. Super *Proverb.*, cap. 20.

49. Væ tibi, qui venisti judicare peccatum fratris tui minimum, et tua magna non vides. *Ibid.*

50. Juxta corporis speciem, non æstimes qualitatem mentis. Super *Ecclesiastic.*, cap. 11.

S. JOANNES CHRYSOST. 51. Christus constitutus est judex peccatoris : noli tu dignitatem unigeniti temerario impetu rapere, ut judices alterum ; illi judici solum conservatur. Homil. 43, super *Matth. Oper. perfect.*

52. Si qui recte vivunt, judicare alios non permittuntur ; quanto magis a judicando peccantibus abstinendum est. *Ibid.*, Homil. 65.

53. Quemadmodum secundum carnem vivere, male vivere est : secundum carnem judicare, injuste judicare est. Homil. 51, super *Joan.*

54. Temere et indiscusse judicare, perniciosum est. Homil. 15, super 1, *Timot.*

55. Sicuti statera si lancem loco motam habeat, pondera juste non judicat : ita et anima nisi habeat rationis lancem stabilem ac firmiter divini timoris affixam, res sincere dijudicare non valet, sed circumfertur jugiter ac deprimitur. Homil. 5, super II, *Tim.*

56. In aliorum delictis severi et amarissimi judices resident ; suas autem trabes oculis infixas propriis non vident, qui aliena etiam minima sollicite perscrutantur. Lib. 1, *de Compunct. cordis.*

57. Magnus in discutiendo et perquirendo aliena commissa labor est, et judicare de alterius mente summa difficultas. *Ibid.*

58. Dat bene sentire de omnibus, neminem judicare. Tract. 8, super *Magnificat.* JOAN. GERS.

59. Multi aliorum vitia cernunt, sua non aspiciunt : et cum ipsi maximis criminibus obnoxii teneantur, minora peccata non dimittunt. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 46, sent. 20. S. ISIDORUS HISPAL.

60. Facilius reprehendimus vitia aliena, quam nostra : nam sæpe quæ perversa in aliis judicamus, in nobis nocibilia esse minus sentimus : et quod in aliis reprehendimus, agere ipsi non erubescimus. *Ibid.*, sent. 22.

61. Facilius vitia uniuscujusque, quam virtutes intendimus : nec quid boni quisque gesserit, agnoscere cupimus, sed qui mali egerit perscrutamur. *Ibid.*

62. Nihil ad nos attinet quid judicent stulti, quid homunculi de nobis sentiant : nos judicium Dei expectare debemus, ut eos postmodum, qui de nobis judicaverint, judicemus. In *Epitome*, cap. *Nam.* LACT. FIRM.

63. Qui de alienis judicare facilius præsumunt, quam de suis, dum aliorum præcipitium vident, non prospiciunt quid ante suos pedes sit. Lib. 2, *de Divin. inst.*, cap. 3.

64. Sicut nemo judicandus, ita nemo est ab homine damnandus. Lib. 1, *de Spirit. interitu*, cap. 4. S. LAURENT. JUSTIN.

65. Deo odiosum est, mentium proximorum velle secreta rimari. *Prosec.*

66. Cæterum qui ad plenum ignorat se, atque sui interioris latebras penetrare non valet, quomodo poterit detegere aliorum occulta ?

67. Impudentiæ ac temeritatis signum notissimum est, quempiam velle æstimare se scire, quod investigare non licet. Serm. *de Vitæ solitar.*, cap. 3.

68. Laudabile admodum est, temeraria judicia vitare. Lib. 1, *Enrichid. parvulor.*, Document. 9. LUDOVICUS BLOSIUS.

69. Debent Christiani per omnia contendere, ne quempiam omnino judicent. Homil. 15. S. MACHAR. ÆGYP. SEN.



S. PETRUS CHRYSOL. 70. Delicta non videt vis amoris. Serm. 3.

S. PROSPER. 71. Tandiu quis peccata sua (quæ nosse ac deflere debet) ignorat, quandiu curiose aliena considerat : quod si ad seipsum conversus aspiciat, non requiret quid in aliis specialiter reprehendat, sed in seipso quod lugeat. Lib. 2, *de Vita Contempl.*, cap. 6.

72. De occultis cordis alieni temere judicare, peccatum est : cum eorum, quæ homini sunt incognita, solus Deus judex sit. Apud Div. Augustin.

SALVIANUS. 73. Non agnoscere volumus in nobis reatum, et audemus de aliis usurpare judicium. *Prosec.*

74. Quid esse injustius, aut quid perversius potest ? id ipsum scelus in nobis probabile esse ducimus, quod in aliis par judicium severissime vindicamus. Lib. 4, *de Gubern. Dei.*

THALASSIUS 75. Cum sermonem utilem audis, non judica dicentem, ne teipsum pretiosa admonitione prives. *Hecatontad.*, sent. 8.

76. Judicium pravum mala cogitat, et bene facta proximi infideliter narrando elevat ac imminuit. *Ibid.*, sent. 82.

THOMAS A KEMPIS. 77. Ad teipsum oculos reflecte, et aliorum facta caveas judicare. *Prosec.*

77. Bis. In judicando alios homo frustra laborat, sæpius errat, et faciliter peccat : seipsum vero judicando, semper fructuose laborat. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 14.

78. Qualis unusquisque intus est, taliter judicat exterius. *Ibid.*, lib. 2, cap. 4, sect. 2.

79. Qui bene et recte sua ponderaret, non esset quod de alio graviter judicaret. *Ibid.*, cap. 5, sect. 1.

80. Tace de alio tibi commisso temere judicando male loqui : sed teipsum magis respice, et corrige quod prave fecisti. *Prosec.*

81. Si recte judicas, et proximum emendare intendis, a teipso incipe. In *Hortulo Rosar.*, cap. 15, sect. 3.

S. VALER. EPISC. 82. Insitum est naturaliter vulgo, ut de bonis male semper judicet. Homil. 1, *de bono discipl.*

IN VIT. PATR. 83. Ne præcipites sitis ad judicanda et condemnanda aliena : multoties enim peccatum fornicationis vidimus, pœnitentiam vero ejus, quam fecit occulte, non aspeximus. Furtum facientem quemdam vidimus, supplicia vero et lacrymas, quas produxit, nescimus. Lib. 1, *in Vita S. Joan. Eleemosynar.*, cap. 46.

84. Necdum teipsum cognovisti, nam qui seipsum novit, fratrum vitia non aspicit. Lib. 10, cap. 144.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 85. Quisquis est vir optimus, difficillime esse alios improbos suspicatur. Lib. 1, Epist. 1, *ad Quintum fratr.*

86. Fit nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobisipsis, si quid delinquitur. Lib. 1, *Offic.*

87. Est proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. Lib. 3, *Tuscul. quæst.*

88. Lavat quispiam cito, ne dicas lavisse male, sed cito : bibit quisquam multum, ne dicas bibisse male, sed multum : priusquam enim id decretum dijudicaris, unde scis an male. In suo *Enchirid.*, cap. 67, per totum. EPICTETUS.

89. Ad pœnitendum properat, cito qui judicat. In suis *proverb.* SENECA.

## JUDICII CORRUPTIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Hodie omnia venalia sunt : frustra apud curiales de testimonio conscientiæ, de venustate morum, de torrente eloquentiæ, nisi pretio interveniente, confidis. *Prosec.* S. ANTONIN.

2. Ego enim credo me vidisse ostiarios cerbero duriores : apud inferos tantum cerberus (ut aiunt) unus est, sed quot sunt diverticula curiarum, tot cerberi : tota autem familia aut mordet, aut latrat.

3. Manus vacua, temeraria petitio est apud advocatos ; et ipsum silentium venale est.

4. Causidicorum lingua damnifica est, nisi eam funibus argenteis vincias. Part. 3, tit. 3, cap. 1, § 9.

5. Acceptio munerum prævaricatio veritatis est. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 15, § 2.

6. O quot hodie Judæ, qui mercede alicujus commodi temporalis vendunt veritatem ? Serm. *in die Parasceves.* S. ANTONIUS DE PADUA.

7. Pura ac sincera amicitia, humanitatis officia non vendit, gratis præstat et citra mercedem. Homil. in *festum Kalendarum.* S. ASTERIUS

8. Non solum propter aurum, et argentum, et hujusmodi aliquid : sed etiam propter laudem, qui judicat male, munus accipit, et munus quo nihil inanius. *Prosec.* S. AUGUST.

9. Qui judicat male et munus accipit, patuit illi manus ad accipiendum judicium linguæ alienæ, et perdidit judicium conscientiæ suæ.

10. Ille qui accipit munus laudem hominum male scilicet judicando, videte quid amittat : accipit quod sonat et transit, perdit quod dicitur et nunquam transit ; verbum Dei semper dicitur et nunquam transit ; verbum hominis mox ut dictum fuerit, transit : tenet inania, dimittit solida. Super *Psalm.* XXV, enarrat. 2, vers. 18 : *Repleta est muneribus.*

11. Qui judicia corrumpunt, innocentes opprimunt. Tract. 27, super *Evang. Joan.*, de cap. VI.

12. Usque adeo inolevit malum, ut jam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur jura, sententia ipsa venalis sit, et nulla jam causa possit esse sine causa. *De Verbis Dom.*, serm. 19.

13. Cavete ne corrumpamini odio, amore, pretio, precibus, vel timore ; quod maxime judices decet adimplere. Serm. 35, *ad Fratr. in eremo.*

14. Quicunque aut sanguinitate, aut amicitia, seu hostili odio, vel inimicitiis in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, quæ est justitia, et fructum illius vertit in damnationis amaritudinem. Et hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 2, quæst. 3, can. *Quicunque.*

15. Integritas judicis solet pecunia corrumpi. Epist. 250.

S. BERNARD. 16. Ubi imperat aurum, judicat argentum, leges canonesque silent, locum ratio et æquitas non habent. Epist. 166, *ad Innocent. Pap.*

S. BONAV. 17. Judicium secundum faciem, sive superficiale, est ex personarum acceptione, et ex causæ indiscussione, vel ex sententiæ præcipitatione, vel ex perversa affectione. Super *Joan.*, cap. VII, in illud : *Nolite judicare secundum faciem.*

18. Judicium pervertitur quatuor modis, scilicet timore, odio, amore, cupiditate. Unde versus.

Quatuor ista, timor, odium, dilectio, census,
Sæpe solent hominum rectos pervertere sensus.
*Ibid.*

19. Pecunia in judicibus corrumpitur potestas, in prudentibus veritas, bonitas in justis. Serm. 3, *Quinquagesimæ.*

20. Judex noster non flectetur timore, quia omnipotens est ; non falletur sermone, quia sapientissimus est : nec corrumpi poterit munere, quia justissimus est. Serm. 5, *de Apostolis.*

S. CALIXTUS PAP. 21. Injustum judicium, et definitio injusta, regio metu et jussu, aut cujuscunque potentis a judicibus ordinata vel facta, valere nequaquam potest. Apud Gratian., in *Decretis*, causa 11, quæst. 3, can. *Injustum.*

S. CYPRIAN. 22. Nullus de legibus metus est, de quæstore, de judice pavor : quod enim potest pecunia redimi, non timetur. Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 7.

S. EUSEBIUS EMISS. 23. Argento et auro appetitur veritas, expugnatur integritas, justitia vincitur, innocentia proditur, pietas fidesque violatur. Homil. 4, *Epiphan.*

FRANCISCUS TITELM. 24. A respectu munerum in primis liberos esse oportet eos, quibus competit judiciariæ potestati officium : impediunt enim illa animum, ne possit cernere verum, et excæcant oculos prudentum. In *Elucid.*, super cap. XXXVI, *Job.*

GRATIANUS. 25. Quam grave est, vel odio, vel amicitia, vel metu, vel munere, vel quolibet modo judicium pervertere. In *Decret.*, part. 2, causa 2, quæst. 3, can. *Quatuor.* § *Quam.*

S. GREGOR. MAGNUS. 26. Plerumque nonnulli terrena præmia appetunt, et justitiam defendunt, seque innocentes æstimant, et esse defensores rectitudinis exultant : quibus si spes nummi subtrahitur, a defensione protinus justitiæ cessatur et tamen defensores justitiæ se cogitant, sibique se rectos asserunt, qui nequaquam rectitudinem, sed nummos quærunt. Lib. 9 *Moral.*, cap. 13, num. 19.

27. Acceptio munerum causa est pervertendi judicii. Lib. 4, in *Regum*, cap. IV, super illud : *Declinaverunt post avaritiam.*

28. Perversitas judicii ex acceptione munerum nascitur ; qui munera non accipit, judicium non pervertit. *Ibid.*

29. O judices nulla vos lucra ad injustitiam pertrahant, nullius vel minæ, vel amicitiæ a rectitudinis itinere deflectant. *Prosec.*

30. Quod sit vita brevis aspicite ; ad quem quandoque ituri estis judicem, qui judiciariam geritis, cogitate.

31. Solerter intuendum est, quod cuncta lucra hic relinquimus, et solas dispendiosorum lucrorum causas nobiscum ad judicium deportamus.

32. Illa sunt nobis lucra quærenda, quæ nequaquam mors adimat, sed mansura in perpetuum præsentis vitæ finis ostendat. Lib. 1, in *Registro*, indict. 9, cap. 2, epist. 2, *ad Justinum.*

33. Qui recte judicat, et præmium remunerationis expectat ; fraudem in Deum perpetrat : quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendidit. *Prosec.*

34. Male bonis utuntur, qui pro temporali lucro juste judicant : tales quippe ad virtutem non justitiæ defensio, sed amor præmii provocat : quibus si spes nummi subtrahitur, confestim a justitiæ confessione recedunt. et Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 11, quæst. 3, can. *Qui recte.*

35. Quatuor modis humanum judicium pervertitur timore, cupiditate, odio, amore. Timore, dum metu potestatis alicujus veritatem loqui pertimescimus ; cupiditate, dum præmio alicujus animum corrumpimus ; odio, dum contra quemlibet adversarium molimur ; amore, dum amico vel propinquo contendimus præstare auxilium. Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 11, quæst. 3, can. *Quatuor.*

S. HIERO. 36. Quicunque aut consanguinitate, aut amicitia, et e contrario : vel hostili odio, vel inimicitiis in judicando ducitur, pervertit judicium



Christi qui est justitia. Lib. 3, super *Amos*, cap. VI.

37. Humanum judicium multis modis corrumpitur : amore enim, odio, timore, avaritia sæpe ejus integritas violatur. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2.

38. Justitiæ integritas, nec muneribus, nec acceptione personæ corrumpitur. Super *Epist. ad Tit.* cap. 2, in illud : *In integritate.*

HUGO CARD. 39. Judicium corrumpitur, seu violatur, negligentia, ignorantia, timore pellis, vel possessionis, vel infamiæ, vel parentum ; amore, odio, munere, invidia, personarum acceptione, mora. Super *Psalm.* LVII.

40. Judex, qui munera latenter accipit, quibus vendit justitiam, impius dicitur, et in Deum peccat, cujus est judicium. Super *Prov.*, cap. 17.

S. INNOC. III. 41. Vos non gratiam datis, nec justitiam juste redditis : quia nisi venit, non provenit ; nec datur, nisi vendatur. *Prosec.*

42. Sæpe justitiam tantum differtis, quod litigantibus plusquam totum aufertis, quia major est sumptus expensæ, quam fructus sententiæ.

43. Quid autem poteritis illi in districto judicio respondere, qui præcipit, gratis accepistis, gratis date ?

44. Lucrum in arca, damnum in conscientia : pecuniam captatis, sed animam captivatis. Lib. 2, *de Contemptu mundi*, cap. 5.

JOAN. SAR. 45. Adeo regnum pecuniæ invasit, ut desperetur de fide judicis, qui repellit munera offerentis. *Prosec.*

45. *bis.* Si pacisci detractas, pollicentis videris odisse causam, et fortasse affectu, vel munere crederis præcorruptus, si permanere vis incorruptus. Lib. 5, *de Nugis curial.*, cap. 17.

S. ISIDORUS HISPAL. 46. Qui recte judicat, et præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat : quia justitiam quam gratis impartiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. *Prosec.*

46. *bis.* Bonis male utuntur, qui juste pro temporali lucro judicant : tales quippe ad veritatem, non justitiæ defensio, amor pecuniæ provocat. Quibus si spes nummi subtrahitur, confestim a justitiæ defensione recedunt.

47. Acceptio munerum, prævaricatio veritatis est. Dives muneribus cito corrumpit judicem : pauper autem, dum non habet quod offerat, non solum audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 54, sent. 1.

48. Cito violatur auro justitia, nullamque reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat. *Prosec.*

49. Plus enim obtinet mentem censoris amor lucri, quam æquitas judicii. *Ibid.*, sent. 6.

50. Tres sunt munerum acceptiones, quibus contra justitiam humana vanitas militat : favor amicitiarum, adulatio laudis, et corporalis acceptio muneris. *Prosec.*

51. Facilius autem pervertitur animus rei corporeæ munere, quam gratiæ laudisque favore. *Ibid.*

52. Quator modis pervertitur humanum judicium : timore, cupiditate, odio, amore ; timore, dum metu potestati alicujus, veritatem loqui pertimescimus ; cupiditate, dum præmio muneris alicujus corrumpimur ; odio, dum contra quemlibet adversari molimur ; amore, dum amico, vel propinquis complacere contendimus. *Prosec.*

53. Sperne munus, ne per id justitia corrumpatur : quia munera semper veritatem prævaricant.

54. Cito enim violatur auro justitia, cito corrumpitur munere.

55. De justo judicio temporalia lucra non appetas.

56. Pro justitia nullum seculi præmium quæras, sed justitiam pro æterna remuneratione distribue.

57. Qui enim pro justitia præsentia dona affectat futuram gloriam non sperat.

58. Qui bona hic recipit pro judicio, ulterius quod expectet, præmium non habet.

59. Dum ergo judicas, pro futura mercede judica : nec quæras in terra rependi tibi, quod tibi in futuro debetur. *Ibid.*, sent. 7.

60. Excute manus tuas ab omni munere, si in excelsis vis habitare. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 16.

61. Jus corrumpi, justum non est. Lib. 3, epist. 250, *ad Isidor. Diacon.*

S. LAURENT. JUSTIN. 62. Sciant judices se coram universali judice, ne dum de propriis, verum etiam de alienis criminibus reddituros esse rationem : non enim poterit evitare judicium, qui justi innocentiam per corruptionem judicando custodire neglexerit. *de triumphali Christi agone*, cap. 12.

S. LEO I. 63. Virum catholicum, et præcipue Domini sacerdotem ; sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari. Epist. 53 *ad Anatolium Constantinop. episcop.*

PETRUS BLESENS. 64. Cum acceptabilior sit apud Deum justitia, quam præbenda, et in utroque possit simonia committi : damnabilior est omnis venalitas in exhibitione justitiæ, quam in venditione decimæ aut præbendæ. Epist. 95, *ad Henric. reg. Anglor.*

65. Æquitas, cui judex obsequitur, sinistram odii, vel amoris dextram nescit. *Prosec.*

66. Talis debet esse minister juris, ut in ejus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

manu nullius auctoritate personæ titubet, aut vacillet libra justitiæ. *Ibid.*

67. Duo sunt, quæ in judicio faciunt cordis oculum caligare, ira et cupiditas : hæc duo remittenda puniunt et punienda remittunt. *Ibid.*, in tract. *de Inst. episc.*

PETRUS [illegible]. 68. Giezi meretur lepram, qui suam mutat pro pecuniæ cupiditate sententiam. Lib. 4, epist. 1, *ad Albert. Episcop.*

69. Plerumque quos causa condemnat, mendax pecunia præmio dignos procaciter asseverat : quos conscientia bona testatur, innoxios statuit impia coram judicibus reos. *Prosec.*

70. Nummus nempe momenta legibus præbuit, atque ad suum intellectum obscuras sententias falsus interpretator inflectit.

71. Nummus cor judicum circa divites oleo impietatis emollit, erga pauperes vero ad exercendum vigorem rigidæ animadversionis impellit. *Opuscul.* 12, cap. 29.

72. Injuste quod justum est exequitur, quisquis ad defensionem justitiæ, non virtutis æmulatione, sed amore præmii temporalis excitatur. *Prosec.*

73. Nam injuste quod justum est, exequi jure dicitur, qui justitiam, quam prætendit, venumdare non veretur.

74. At ille quod justum est, juste probatur exequi, qui in assertione justitiæ, nihil aliud præter solam justitiam quærit. *Opusc.* 30, cap. 24, super illud *Deuteronom.* XVI : *Juste quod justum est exequeris.*

75. Mens percepti muneris conscia, debilitat judicialis censuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem. *Prosec.*

76. Nam etsi judicii rectitudo funditus non adimitur, judicandi tamen auctoritas enervatur. *Ibid.*, cap. 5.

S. PROSPER. 77. Justitiam prædicare judicibus erubescit, quam ipse personæ potentis favore corrumpit. Lib. 1, *de Vita contemplat.*, cap. 15.

RUPERT. ABB. 78. Grandis culpa est, magnaque damnationis causa, convertere dulcedinem judicii in absynthium, sive amaritudinem iniquitatis : et pulchritudinem sive suavitatem justitiæ, in horrorem corruptionis. Lib. 2, in *Amos*, cap. V.

S. THEODOR. 79. Qui judicat, non accipiat munera, et puram e muneribus sententiam proferat ; nam munerum corruptela justitiam corrumpit. Super *Psalm.* XIV, vers. VI : *Munera super innocentem non accepit.*

S. VALER. EPISCOPUS. 80. Nemo illum homicidii crimen evasisse æstimet, quem excusatum sæcularis judicii corrupti sententia absolverit. Homil. 1, *de Bono discipl.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 81. Multitudo minus subjacet corruptioni : quemadmodum aquæ magna congeries, sic etiam plures quam pauci incorruptibiliores sunt. At cum unus judicat, si ira, vel alia hujusmodi perturbatio vincat, necessarium est judicium corrumpi, sed in multitudine difficile foret. Lib. 3, *Polit.*, cap. 11.

CICERO. 82. Semper dignitatis iniquus Judex est, qui aut invidet, aut favet. Orat. 31, *pro Plancio.*

83. Non est consentaneum, qui metu non frangitur, eum frangi cupiditate. Lib. 1, *Offic.*

84. Judex fit deterior, qui accipit, atque ad idem semper expectandum paratior. *Ibid.*, lib. 2.

85. Male se res habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. *Ibid.*

86. Exuit personam judicis, quisquis amicum induit. *Ibid.*, lib. 3.

VALERIUS MAXIMUS. 87. Si corrumperis metu mortis, vita indignus es : si præmii spe, morte dignissimus. Lib. 5. *Dictor. memorabil.*, cap. 3.

Vide etiam tit. *Advocatus*, sent. 8 ; *Curia*, sent. 7, 8 ; *Parentes*, sent. 67.

## JURAMENTUM.

CASSIODOR. *Etymologia.* Jurare dictum est, quasi jure orare, id est, juste loqui. Tunc autem quisque juste loquitur, quando ea, quæ promittit, implentur. Super *Psalm.* XIV, vers. 6 : *Qui jurat proximo suo*, etc.

Jurare est jure orare, id est, æquitatem dicere ne velit quispiam quod promisit in partem alteram seductus avertere. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Juravi et statui.*

S. ANTONIN. *Definitio.* Juramentum est affirmatio, vel negatio de aliquo, scilicet, de facto, vel fiendo, sacræ rei attestatione firmata. Part. 2, tit. 10, *de Mendacio*, cap. 3.

CASSIODOR. Jurare est sub attestatione divina aliquid polliceri. Super *Psalm.* XIV, vers. 6 : *Qui jurat proximo suo*, etc.

Jurare est aliquid firmum sub attestatione promittere. Super *Psalm.* CIX, vers. 5 : *Juravit Dominus.*

S. CLEMENS ALEX. Jurare est jusjurandum, vel tanquam jusjurandum mente conceptum proferre affirmative. Lib. 7, *Stromat.*

S. GREGOR. NYSS. Jusjurandum est oratio per se confirmans veritatem. Homil. 4, super *Cant.*

HUGO CARD. Juramentum est assertio alicujus rei per rem sacram, vel habitam pro sacra. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1.



S. THOMAS AQUINAS. Jurare nihil aliud est, quam Deum testem invocare. Secunda secundæ, quæst. 89.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non est facile jurandum, quia plerumque multi casus accidunt, ut non possimus implere quod juraverimus. *Prosec.*

2. Qui enim non jurat, utique non perjurat : qui autem jurat, aliquando necesse est ut incidat in perjurium.

3. Noli ergo jurare, ne incipias perjurare. *Exhort. ad Virgines.*

4. Nemo bene jurat, nisi qui potest scire quod jurat : jurare igitur, judicium scientiæ, et testimonium conscientiæ est. *Prosec.*

5. Bene juras, si cognitio veritatis præcedat, ut vinculum sacramenti tibi non possit nocere. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 14, vers. 2.

6. Juret ille, quem sacramenti sui pœnitere non poterit. *Ibid.*

S. ATHANAS. MAGNUS. 7. Si quis plane dignus est qui jurat, ut nominet Deum, dignus quoque est fide, ut ei citra jusjurandum credatur : quisquis enim ad majora idoneus est, multo magis ad minora idoneus erit.

8. E diverso si non est fide dignus, ut ei credatur citra juramentum, non est certe dignus, qui Deum nominet.

9. Si non est fidelis in sermone, quomodo ulla ratione ei juramenti Deus testis esse voluerit, destituto fide, ad quam Dominus respicit?

10. Quid jurant Deum, quibus ne in parvis quidem rebus fides habetur? cum juramentum veritatis testimonium est, et non index negotiorum. *De Passione et Cruce Domini.*

11. Non ut homo, jurat Deus, sed nobis ipsius sermo pro juramento est ad veritatem. *Ibid.*

S. AUGUST. 12. Non peccatum est verum jurare, sed gravissimum peccatum est falsum jurare, quo citius cadit, qui consuevit jurare. *Prosec.*

13. Melius est nec verum jurare, quia jurandi consuetudine et in perjurium sæpe caditur, semper perjurio propinquatur. Ep. 89, *ad Hilarium.*

14. Minus malum est, per Deum falsum jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. *Prosec.*

15. Quanto per quod juratur magis est sanctum, tanto magis est pœnale perjurium. Ep. 154, *ad Publicolam.*

16. Deus jurare prohibuit, non quia mala est vera juratio, sed ne in perjurium incidatur facilitate jurandi : *Prosec.*

17. Qui enim jurat, non solum verum, sed etiam falsum jurare potest : qui autem omnino non jurat, a perjurio longe ambulat. Lib. 5, quæst. super *Deuter.*, quæst. 12, per totum.

18. Nemo novit, nisi qui expertus est, quam sit difficile consuetudinem jurandi extinguere. Serm. *Dom. in monte*, lib. 1.

19. Quid tu facis cum juras? testaris Deum, hoc est jurare, Deum testari : et ideo molestum, ne ad aliquam falsitatem testem adhibeas Deum. Super *Psalm.* CIX, vers. 5, *Juravit Dominus.*

20. Homines falsum jurant vel cum fallunt, vel cum falluntur : aut putat homo verum esse quod falsum est, et temere jurat : aut scit vel putat falsum esse, et tamen pro vero jurat, et nihilominus cum scelere jurat. *De Verbis Apost.*, serm. 28.

21. Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est. *Ibid.*

22. Ipse qui exigit jurationem, multum interest si nescit illum falsum juraturum, an scit : si enim nescit, et ideo dicit, jura mihi, ut fides ei fiat, non audeo dicere non esse peccatum, tamen humana tentatio est : si autem scit eum fecisse et novit fecisse, vidit fecisse et cogit jurare, homicida est. *Ibid.*

23. Ecce dico charitati vestræ, qui per lapidem falsum jurat, perjurus est. *Ibid.*

24. Mitius falsum jurat, qui falsum nescit esse, et verum putat esse quod jurat. *Contra Mendac.*, cap. 19.

25. Sicut homo jurans adhibet testem Deum, ita seipsum Deus. Lib. 2, *contra Advers. legis.*, cap. 11.

26. Ne jurandi facilitate in perjurium prolabamur, etiam præceptum est ne juremus. Epist. 224.

27. Non jurare, verum sicut jurare, nullum peccatum est : sed longius remotus est a falsum jurando, qui nec jurare consuevit, quam qui verum jurare proclivis est. Lib. 19, *contra Faust.* cap. 19.

28. In jurando, etiam qui verum jurat, propinquat perjurio, unde longe abest, qui omnino non jurat. *Prosec.*

29. Et quamvis non peccet, qui verum jurat, remotior tamen a peccato est qui non jurat : unde admonitio non jurandi, conservatio est a peccato perjurii. *Ibid.*, cap. 25.

S. BASILIUS. 30. Turpe est ac stolidum, seipsum velut indignum fide accusare, et juramentorum securitatem inferre. Super *Psalm.* XIV, conc. 3, vers. 6.

S. BERNARD. 31. Quacunque arte verborum quis juret, Deus (qui conscientiæ testis est) ita hoc accipit, sicut ille cui hoc juratur, intelligit. *De Inter. domo*, cap. 51.

32. Qui dupliciter jurat, dupliciter reus fit :

quia et nomen Domini in vanum assumit, et proximum dolo capit. *Ibid.*

33. Periculosum est jurare, usus enim jurandi facit consuetudinem perjurii. Serm. 32, *ad Sororem.*

34. Veritas non indiget juramento. *Ibid.*

S. BONAV. 35. Periculosum est jurare, sed maxime si juretur superstitiose. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. VII, vers. 10, art. 1.

36. Jurare nunc per caput, nunc per sanctos, vel alio quovis modo, Christi discipulo minime congruit. In *speculo discipl.*, part. 1, cap. 20.

37. Jurare, quantum ad infirmitatem pertinet, permissionis est : non jurare autem, quantum ad perfectionem pertinet, consilii est. Libro 5, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 70.

DIONYSIUS CARTHUS. 38. Ante omnia nolite jurare. His verbis prohibetur juratio falsa, consulitur jurationis dissuefactio, permittitur juratio necessaria. Super *Ep. ad Rom.*, cap. 1, art. 3.

39. Tres sunt comites juramenti, veritas judicium seu discretio, et justitia, id est, justa et rationabilis causa ; hæc tria requiruntur ad hoc ut juramentum sit licitum ; et quodcunque eorum defuerit, erit illicitum. *Prosec.*

40. Si veritas desit, est falsa juratio : si discretio, est temeraria et incauta : si desit justitia, juratio est iniqua, inutilis, et levis atque vana, quia non subest ad jurandum rationabilis causa.

41. Cum jurare non sit aliud, quam Deum testem invocare, idcirco primo ex parte rei requiritur veritas : secundo ex parte causæ debet esse necessitas, tertio ex parte jurantis debet esse discretionis maturitas. Super *Epist. Jacobi*, cap. 5, art. 7.

GLOSS. DEC. 42. Juramentum contra bonos mores non obligat. *In Decret. Gratiani.*

S. GREGOR. MAGNUS. 43. Qui jurare cavet, perjurare omnino non potest : sed cum male juratur, justius jusjurandum dimittitur, quam compleantur crimina, quæ jurantur. Lib. 5, in *I Reg.*, cap. IV, super illud : *Liberavit Jonatham populus.*

44. Sit unusquisque cautus antequam juret, aut ne omnino juret, aut facturum se mala non juret. *Ibid.*

45. A proposito implendi nefarium juramentum desistere, non est vitium levitatis, sed virtus discretionis. *Ibid.*

46. Jurare quæ revocanda sunt, et detestanda, omnino cavendum est, et vehementer horrendum : quia cum tale jusjurandum non impletur, non omnino culpa vitatur, sed minor eligitur. *Ibid.*

S. HIERON. 47. Mentiri et jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veritatis amor, ut quidquid dixeris, juratum putes. Ep. 14, *ad Celantiam.*

48. Absit, ut de ore Christiano sonet, Jupiter omnipotens, et me hercule, et me castor, et cætera magis portenta, quam numina. Ep. 24, *ad Damas., pap.*

49. Evangelica veritas non recipit juramentum, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit. Lib. 1, super *Matth.*, cap. 5, can. 5, num. 41, super illud : *Non jurare omnino,* etc.

50. Animadvertendum est, quod jusjurandum hos habet comites ; veritatem, judicium, et justitiam ; sed si ista defecerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium. Et hab. in *Glossa ordin.*, super *Epist. ad Rom.*, cap. 1, in illud : *Testis enim mihi est Deus.*

51. Septem modis prohibemur jurare : negligenter, sive indiscrete, ut Josue ; præcipitanter, ut David contra Nabal ; assidue, ut mercatores ; otiose, ut pueri ; erronee, ut cupidi ; falso, ut mali testes ; dolose ut carnifices. Super I *Regum*, cap. 25.

52. Jubemur jurare, propter scandala removenda, propter sinistras suspiciones sopiendas, propter testimonium veritatis, ubi periclitatur justa causa. *Ibid.*

53. Permittimur jurare, in fœderibus contrahendis, in pactis faciendis, in differentibus juramentis, pro pace amicorum. *Ibid.*

S. INNOC. III. 54. Jurans scienter illicitum non indiget absolutione, sed tenetur illud non observare. *Prosec.*

55. Si vero juravit ignoranter, debet illud observare, si aliquo licito modo est observabile.

56. Si autem juravit licitum quod putabat illicitum, debet observare juramentum, sed de animo depravato agat pœnitentiam. Lib. 2, *Dec. const.*, const. 74 in titulo.

57. Juramentum contra utilitatem ecclesiasticam præstitum, non tenet. *Ibid.*, const. 83, in titulo.

S. JOANNES CHRYSOST. 58. Neque in re justa, neque injusta jurare licet. Homil. 15, super *Genes.*

59. Purum a juramentis servandum est os. *Ibid.*

60. Si aliquis exigat juramentum, et necessitatem jurationis imponat, sit tibi timor Dei omni necessitate potentior. Hom. 17, super *Matth. Oper. perf.*, in illud 5 : *Neque per caput tuum juraveris.*

61. Nemo est qui frequenter jurat, et non aliquando perjuret. Hom. 12, super *Matth. Oper. imperf.*

62. Qui facit consuetudinem jurare in rebus idoneis, frequenter et in rebus superfluis, etiam nolens consuetudine trahente, perjurat. *Ibid.*, etc.

63. Portus quidam securus est, non jurare, portus in quo a ventis impetuosis quis non submergitur : nam licet ira, licet furor, licet insultus effervescat, licet quidlibet sit, anima ejus in securitate constituitur, qui non jurat. Homil. 13, super *Acta Apost.*



64. Non ita pungit ensis, sicut juramenti natura. Hom. 15, *ad populum Antioch.*

65. Non sic occidit gladius, sicut juramenti plaga. *Ibid.*

66. Si credis quod verax sit homo, ne juramenti necessitatem adducas : si vero nosti quod mentitur, ne perjurare cogas. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPAL. 67. Graviter delinquunt, qui sibi loquentes jurare cogunt. Libro 2, *de Summo bono*, cap. 31, sent. 7.

68. Quacunque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur, intelligit. *Ibid.*, sent. 8.

69. Dupliciter reus fit, qui et Dei nomen in vanum assumit, et proximum dolo capit. *Ibid.*

70. Si jures hoc facere, quod si feceris, non peccas : si non feceris, reus perjurii es. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 5, sent. 22.

71. Periculosum est jurare, assiduitas enim jurandi perjurium facit, jurandi usus ad perjurium ducit. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 10.

72. Veritas juramento non indiget, fidelis sermo sacramenti retinet locum. *Ibid.*

LACT. FIRM. 73. Dei sectator non jurabit, ne quando vel necessitate, vel consuetudine in perjurium cadat. In *Epitome*, cap. *Superest.*

S. NILUS. 74. Jurare utile non est, verum potius perniciosum et execrabile, atque abominandum : quocirca deinceps finem jurandi fac, ne permittas ut lingua tua juramentis assuescat. Et habet. apud D. Joan. Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 16.

ORIGENES. 75. Existimo, quoniam non oportet, ut vir, qui vult secundum Evangelium vivere, adjuret alterum : si enim jurare non licet, nec adjurare alterum licet. Tract. 35, super *Matth*, cap. 26, super illud : *Adjuro te per Deum vivum.*

SALVIANUS. 76. Quis est omnino hominum sæcularium præter paucos, qui non ad hoc semper Christi nomen in ore habeat, ut perjuret ? *Prosec.*

77. Unde etiam pervulgatum hoc fere et apud nobiles, et apud ignobiles sacramentum est, Per Christum.

78. Per Christum, quia hoc facio : per Christum, quia hoc ago : per Christum, quia nihil aliud dicturus sum ; per Christum, quia nihil aliud acturus sum.

79. In tantum apud plurimos nomen hoc parvipenditur, ut nunquam minus cogitent quippiam facere, quam cum se jurant, per Christum esse facturos.

80. Multi non otiosas modo res, et aniles : sed etiam scelera quædam se jurant per Christi nomen esse facturos. Lib. 4, *de Gubern. Dei.*

THEOPHYL. 81. Nulli minus creditur, quam ei, qui frequenter jurat. Super *Matth.*, cap. 5, in illud : *Sit autem sermo vester*, etc.

S. THOMAS AQUINAS. 82. Tanto fortius est, et magis obligat ; quanto majus est id, per quod juratur. 2, 2 quæst. 89, art. 10.

83. Juramentum est sicut medicina, quæ non semper accipitur, sed in necessitate. Opusc. 9, *de Decem præcept.*, præcept. 2, verbo *Non assumes.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

EPICTETUS. 84. Jusjurandum recusa (si fieri potest) omnino : sin minus, quantum potes. In suo *Enchirid.*, cap. 44, per totum.

PLATO. 85. Deus illum odio prosequitur, qui sacrosancta divini numinis auctoritate neglecta falsum juramentum dicit. Lib. 2, *de Legibus.*

86. Omnino præclarum est institutum, a divinis nominibus contaminandis abstinere : polluitur enim Dei nomen, facile et leviter jurando. *Ibid.*

PLINIUS II. 87. Nemini religiosius (quod juraverit) est custodiendum, quam cujus maxime interest non pejerare. In *Panegyrico de Trajano augusto.*

## JUS.

S. ISIDORUS HISPAL. *Etymologia.* Jus dictum est, quia justum est : omne enim jus legibus et moribus constat. Lib. 3, *Etymolog.*, cap. 3.

S. ANTONIN. *Definitio.* Jus est potestas exercendi alique mactum circa rem. Part. 3, tit. 3, cap. 3, § 5.

S. ISIDORUS HISPAL. *Divisio.* Jus naturale est, aut civile, aut gentium. *Prosec.*

Jus naturale, est commune omnium nationum, eoquod ubique instinctu naturæ, non constitutione communis omnium est possessio, et omnium una libertas.

Jus civile, est quod quisque populus vel civitas sibi proprium humana, divinaque causa constituit.

Jus gentium, est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia fœdera pacis, induciæ, et quod eo jure omnes fere gentes utuntur. Lib. 5, *Etym.*, cap. 4, 5 et 6.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Differentia.* Jus et lex inter se differunt : jus generale nomen est, lex autem juris est species. Lib. 5, *Etymol.*, cap. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Natura jus commune generavit, usurpatio jus fecit privatum. Lib. 1, *Offic.*, cap. 28.

S. AUGUST. 2. Ubi justitia vera non est, nec jus potest esse : quod enim jure fit, profecto juste fit : quod autem fit injuste, nec jure fieri potest. Lib. 19, *de Civ. Dei.*, cap. 21.

3. Jus est quod justum est; neque enim omne quod jus dicitur, jus est. Quod si aliquis condat jus iniquum, nec jus dicendum est, si injustum est : illud ergo verum jus est, quod etiam justum est. Super *Psalm.* cxxxxx, vers. 5.

4. Quo jure defendis villas Ecclesiæ, divino an humano? divinum jus in scripturis habemus humanum jus in legibus regum. *Prosec.*

5. Unde quisque possidet quod possidet? non jure humano? nam divino, Domini est terra et plenitudo ejus.

6. Jura humana, jura imperatorum sunt : quare? quia ipsa jura humana per Imperatores et reges sæculi Deus distribuit generi humano.

7. Tolle jura imperatorum, et quis audet dicere, mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut domus hæc mea est? Tract. 6, super *Evang. Joan.*, de cap. 1.

8. Dignitate jus naturale prævalet consuetudini et constitutioni. *Prosec.*

9. Quæcunque vel moribus recepta sunt, vel scripturis comprehensa, si naturali juri fuerint adversa, vana et irrita habenda sunt. Et hab. in *Decretis Gratiani*, part. 1, dist. 8, can. *Quo jure.* § *Dignitate.*

S. BONAV. 10. Ille recte vivit, qui dirigitur secundum regulas juris divini. *De reduct. artium. ad Theolog.*

S. CYPRIAN. 11. Quam periculosum sit in divinis rebus, ut quis cedat juri suo, scriptura sancta declarat in Esau. Epist. 73, *ad Jubaianum.*

GLOSS. DEC. 12. Qui juri suo renuntiat, illud repetere non potest. In *Decretis Gratiani.*

13. Jus incœpisse ex ruina Angelorum perhibetur : bonum enim et æquum fuit, ut propter superbiam Lucifer puniretur. In *Decretis Gratiani.*

14. Jus multa fingit. *Ibid.*

15. Jus media strata incedit inter rigorem et dispensationem. *Ibid.*

GRATIANUS 16. Cum in naturali jure nihil aliud præcipiatur, quam quod Deus vult fieri, nihilque aliud videtur, quam quod Deus prohibet fieri divinæque leges natura consistant, patet quod quæcunque divinæ voluntati contraria probantur, eadem etiam naturali juri inveniuntur adversa. *Prosec.*

17. Unde quæcunque divinæ voluntati, seu canonicæ scripturæ, seu divinis legibus postponenda censentur, eisdem naturale jus præferri oportet.

18. Constitutiones ergo vel Ecclesiasticæ, vel sæculares, si naturali juri contrariæ probantur, penitus sunt excludendæ. In *Decret.*, part. 1, dist. 9, can. *Sacra* § *Cum ergo.*

19. Nec Imperator jura Pontificis, nec Pontifex jura Imperatoris usurpare potest. In *Decret.*, part. 1, dist. 96, can. *Cum.*

S. GREGOR. MAGNUS. 20. Mihi inimicitiam facio, si fratrum meorum jura perturbo. Lib. 2, in *Registr.*, Indict. 10, cap. 37, epist. 37, *ad Natalem episc. Salonitan.*

S. JOANNES CHRYSOST. 21. Magnæ virtutis indicium est, æquitas. Homil. 48, super *Acta Apostolorum.*

JOAN. GERS. 22. Summum jus, summa est malitia, *Quatuor consid. de pace*, consid. 1.

23. Summum jus, summa injuria : nimis magnum jus, injustitia est. Serm. 3, *ad Regem Franc. de Pace.*

24. Jus positivum, juri naturali non derogat. *De Dominio natural.*

JOAN. TRITH. 25. Ubi remissio potestatis dissimulat, vigor juris vacillat. *De Ruina Monast.*, ordin., cap. 7.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 26. Jus corrumpi, justum non est. Lib. 3, epist. 250, *ad Isidor. Diacon.*

27. Noli jus tuum severe ac rigide persequi : verum per bonitatem id exupera. *Ibid.*, epist. 320, *ad Asclepium episc.*

S. LEO. 28. Superbum nimis est et immoderatum, ultra fines proprios tendere, et antiquitate calcata, alienum jus velle præripere. Epist. 55, *ad Pulcheriam august.*

PETR. BLES. 29. Jus suum proximo tribuimus diligendo, benefaciendo, orando. Serm. 24, *de S. Jacob.*

S. THOMAS AQUINAS. 30. Juris rigorem servare est, quando aliquis servat ea quæ justa sunt secundum se. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 1, lect. 4.

31. Jus primo impositum est ad significandum ipsam rem justam; postmodum autem est derivatum ad rem, qua cognoscitur quid sit justum. 2 2, quæst. 57, art. 1.

32. Jus naturale recipit determinationem per jus positivum. Super 4, *Sent.*, dist. 34, art. 1, ad 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTE. 33. Necessario jus in quatuor præcipue versatur, nam quibus accidit sit jus, duo sunt : et in quibus jus ipsum situm est, res duæ. Atqui eadem erit æqualitas et eorum quibus jus tribuitur; et earum rerum, in quibus jus consistit. Lib. 5, *Moral.*, cap. 3.

CICERO. 34. Initium juris est a natura profectum. Lib. 2, *de Invent. Rhet.*

35. Jus non opinione, sed natura constitutum est. Lib. 1, *de Legibus.*



36. Omnes viri boni ipsam æquitatem et jus ipsum amant : nec est viris bonis errare et diligere, quod per se non sit diligendum. *Ibid.*

37. Jus per se est expetendum et colendum. *Ibid.*

38. Difficile est, cum præstare jus omnibus concupieris, servare æquitatem. Lib. 1, *Offic.*

EPICTETUS. 39. Ipsi jus nullum habemus in ea, quæ sunt infirma obnoxia servituti, obnoxia impedimentis, nobis aliena. In suo *Enchirid.*, cap. 2.

SENECA. 40. Commune hoc jus generis humani est : nemo invidiosum jus postulat, quod alteri profuturum est. Lib. 1, *Controvers.* 1.

41. Naturæ jura sacra sunt, etiam apud Piratas. *Ibid.*, lib. 3, *Controvers.* 16.

42. Non facias tui juris, quod alieni est. Epist. 77.

## JUSTIFICATIO.

S. AUGUST. *Definitio.* Justificare impium est ex impio pium facere. Epist. 120, *ad Honoratum*, cap. 20.

S. THOMAS AQUINAS. Justificatio primo, et proprie dicitur, ipsa factio justitiæ : secundario vero, et quasi improprie, dici potest justificatio, dispositio ad justitiam. Secunda secundæ, quæst 110, art. 12.

PETR. BLES. *Divisio.* Justificatio in tribus consistit : in gratiæ effusione, in liberi arbitrii cooperatione, in consummatione. Primum est incipientium; secundum proficientium; tertium pervenientium. Serm. 17, in *Cœna Dom.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ille justificatur, qui proprium crimen sponte agnoverit. Lib. 2, *de Pœnit.*, cap. 7.

2. Non potest quisquam justificari a peccato, nisi fuerit peccatum confessus. *De Paradiso*, cap. 14.

S. AUGUST. 3. Justificatio ex fide impetratur. *De Spiritu et litt.*, cap. 29.

4. Sicut oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere : sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. *De Natura et gratia*, cap. 26.

5. Nemo juste vivit nisi justificatus, id est, justus effectus : ab illo autem fit homo justus, qui nunquam potest esse injustus. Super *Psalm.* cx.

6. Justificare impium prorsus majus hoc esse dixerim, quam est cœlum et terra. *Prosec.*

7. Cœlum enim et terra transibit; prædestinatorum autem, id est, eorum, quos præscit Deus, salus et justificatio permanebit.

8. Judicet qui potest, utrum majus sit justos creare, quam impios justificare : certe enim si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris est misericordiæ. Tract. 72, super *Evang. Joan.*, de cap. 14.

9. Qui se justificat, pejor et detestabilior est Pharisæo. *De Verbis Dom.*, serm. 36.

10. Deus justificavit nos, cum peccatores essemus. *De Verb. Apost.* ser. 16.

11. Christus non pro nullis, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur. Epist. 105.

12. Nullus justificatur, nisi gratia Dei per Jesum Christum. *Ibid.*

13. Deus in occulto exaudiens, in occulto etiam justificat et coronat. Epist. 137.

14. Homo, Dei præsentia justificatur. Lib. 8, *de Genesi ad litt.*, cap. 12.

15. Si sine timore es, non poteris justificari. Tract. 9, super *Epist. Joan.*

16. Per solam gratiam homo justificari potest. *De Natura et gratia*, cap. 2.

17. Homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. *Ibid.*, cap. 26.

S. BERNARD. 18. Duo sunt in quibus consistit nostra salus, justificatio et glorificatio : altera initium, altera perfectio est : in illa labor, in hac autem fructus laboris est. *Prosec.*

19. Neque enim poterit obtineri magnificatio, nisi justificatio præcesserit : cum ista merita, illa præmium sit. In suis *Sentent.*, verbo *Duo.*

20. Præcedit timor, ut sequatur justificatio : timore vocamur, amore justificamur. Epist. 107, *ad Thomam præposit.*

S. BONAV. 21. Sicut nullus potest justificari, qui sacramenta contemnit; sic nullus in justitia perseverat, si post justificationem ex contemptu negligat confiteri. Super lib. 4, *Sent.*, dist. 17, part. 1, art. 2, quæst. 4.

CASSIODOR. 22. Quid magnificentius, quam de impio facere justum, de hoste filium, de captivo liberum? Super *Psalm.* cx.

GLOSS. ORD. 23. Humiliari recusans, et seipsum justificare volens, arcana non potest videre, quæ revelantur parvulis Christi. Super *Luc.*, cap. x.

GLOSS. INT. 24. Gratia justificat factores, ut impleant legem : quia non faciunt ut justificentur, sed justificantur ut faciant. Super *Epist. ad Rom.*, cap. II, in illud : *Factores justificabuntur.*

S. GREGOR. MAGNUS. 25. Vir verbosus, justificari nequaquam potest. Lib. 10 *Moral.*, cap. 2.

26. Stulte contra flentem loquitur, qui inter divinæ animadversionis flagella positus, justificare semetipsum conatur. *Ibid.*, lib. 2, cap. 14.

27. Sunt nonnulli qui nihil quidem virtutis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

student agere, sed tamen cum alios peccare conspiciunt, justos se in eorum comparatione suspicantur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 18.

28. Cœptam justificationem deserit, qui in peccantium laudem declinat. *Ibid.*, lib. 18, cap. 4.

**HUGO A S. VICTORE.** 29. Deus justificare potest; et tantum justificare, quantum homo peccare. Lib. 2, *de Sacram.*, part. 14.

**HUGO CARD.** 30. Perfecta justificatio incipit in timore, et terminatur in amore. Super *Sap.*, cap. XV.

31. Origo justificationis est, ex timore cognitio, ex cognitione sollicitudo, ex sollicitudine contritio, ex contritione confessio, ex confessione verecundia, ex verecundia reverentia, ex reverentia gratia sive justificatio. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXII.

32. Homo vel parum, vel nihil potest ad suam justificationem, sed multa ad suam condemnationem. Super *Isaiam*, cap. 43.

**S. INNOC. III.** 33. Magis expedit ut justificatus dubitet, an ipse sit justus, quam injustus credat quod ipse sit justificatus. Super *Psalm.* VI.

**S. JOANNES CHRYSOST.** 34. Nemo est tanta firmitate suffultus, ut de justificatione sua debeat esse securus. Homil. 38, super *Matth. Oper. imperf.*

35. Quid est justificatio? finis destinatio, ipsa operis perfectio. Serm. 13, super *Epist. ad Rom.*

**JOAN. TRITH.** 36. Nemo venit ad gloriam supernæ civitatis, nisi fuerit hic primum justificatus. Lib. 1, homil. 1, *ad Monachos.*

**S. ISIDORUS HISPALENS.** 37. Quem Deus justificat, ne iterum se de virtutibus erigat, quædam illi virtutum dona tribuit, quædam retrahit : ut dum mens de hoc quod habet erigitur, etiam de hoc quod nequaquam habere se cognoscit, humilietur. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 36.

**S. LAURENT. JUSTIN.** 38. Qui sine Dei timore fuerit, non poterit justificari. *De ligno vitæ, de Timore*, cap. 1.

39. Cum nullius suffragio Deus egeat, dum quempiam justificat, hoc ipsum gratis facere censendus est. Serm. *de sanctis Petro et Paulo.*

**S. LEO I.** 40. Quantumlibet quisque justificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quo probatior esse possit et melior. Serm. 8, *de Passione Dom.*

**PETRUS BLESENS.** 41. Plures sunt in Ecclesia, qui errata correxerunt, quam errare non noverunt : plures enim justificati, quam justi. Serm. 23, *de S. Maria Magdal.*

**S. THOMAS AQUINAS.** 42. Justificare impium, prorsus majus hoc esse dixerim, quam creare cœlum et terram. Part. 3, quæst. 43, art. 4.

43. Judicet, qui potest, utrum majus sit justos creare, quam impios justificare. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Finis*, sent. 26; *Redemptio humana*, sent. 1; *Salus animæ*, sent. 15.

## JUSTITIA in genere.

*Definitio.* Justitia est rectitudo voluntatis propter se servata. In *Dialogo de veritate*, cap. 13, et lib. *de Conceptu Virgin.*, cap. 3. **S. ANSELM.**

Justitia est habitus animæ communi utilitate servata suam cuique tribuens dignitatem. Serm. *Dom. 4, post Pascha.* **S. ANTONIUS DE PADUA.**

Justitia est amor Deo tantum serviens, et ob hoc bene imperans cæteris quæ homini subjecta sunt. *De Moribus Eccles.*, cap. 15. **S. AUGUST.**

Justitia est virtus conservatrix humanæ societatis, et vitæ communitatis. Part. 3, *Centiloquii*, sect. 44. **S. BONAV.**

Justitia est quædam animi nobilitas suam cuique tribuens dignitatem, superioribus reverentiam, paribus concordiam, inferioribus disciplinam. *Ibid.*

Justus dicitur, qui in virtutibus exercitatus est, et in observatione justitiæ strenuus atque severus. Super *Epist. ad Rom.*, cap. V, art. 8. **DIONYSIUS CARTHUS.**

Justitia est per quam communitatis gratia tenetur, et sua cuique dignitas non negatur. *De fructibus carnis et spirit.*, cap. 13. **HUGO A S. VICTORE.**

Justitia est dare unicuique quod suum est, non vendere. Super *Matth.*, cap. 10. **HUGO CARD.**

Justitia est perpetua et constans voluntas, jus suum unicuique tribuens. 2, 2, quæst. 58, art. 1. **S. THOMAS AQUINAS.**

Justitia est habitus secundum quem aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit. *Ibid.*

Justitia est habitus secundum quem aliquis dicitur operativus secundum electionem justi. *Ibid.*

Justitia virtus est qua homo justus aptus est tum ad agendum id quod justum est, tum ad jus tribuendum. Lib. 5, *de Moribus*, cap. 5. **ARISTOTEL.**

Justitia est habitus animi, communi utilitate conservata suam cuique tribuens dignitatem. Lib. 2. *de Invent. Rhetor.* **CICERO.**

Justitia est consensio animæ ad seipsum, et partium animæ inter se bona compositio. *De Defont.* **PLATO.**

Quid est justitia, nisi naturæ tacita conventio, in adjutorium multorum inventa divina. *De quatuor virt.* **SENECA.**

Justitia non nostra constitutio, sed lex est, et vinculum societatis humanæ. *Ibid.*

*Productio.* Justitiæ comites sunt, lex, severitas, æquitas, correctio, jurisjurandi observatio, judicium, veritas. *De fruct. carnis et spiritus.*, cap. 13. **HUGO A S. VICTORE.**



**S. HIERON.** *Divisio.* Infinitæ sunt species partesque justitiæ, quas non modo stilo persequi, sed cogitatione etiam capere, difficillimum est. Epist. 14 *ad Celantiam.*

**HUGO CARD.** Justitia in quatuor consistit : in declinatione malorum, in restitutione ablatorum, in solutione debitorum, in punitione erratorum. Super *Psalm.* CXXXI.

**S. BONAV.** *Comparatio.* Sicut sol naturalis confunditur propter obnubilationem levium vaporum, ita sol moralis scilicet, justitia propter obscurationem venialium peccatorum. Super *Psalm.* CXVIII, expos. 2, art. 4, vers. 16, cap. 5.

**HUGO A S. VICTORE.** Sicut ex injustitia pax et concordia cunctorum solvitur, ita per justitiam universa reconciliantur. Lib. 1 *Miscellan.*, *codicis*, 1, tit. 20.

**S. THOMAS AQUINAS.** Quemadmodum injusti male utuntur non tantum malis, verum etiam bonis; ita justi bene utuntur non tantum bonis, sed etiam malis. 2. 2, quæst. 164, art. 1.

### SENTENTIÆ PATRUM.

**B. ALANUS DE RUPE.** 1. Justitia est regina virtutum, decus morum, limes operum, imperatrix omnium. Part. 3, serm. 4, regina 9, cap. 23.

2. Sine justitia, omnia sunt mera tyrannis : beata ergo regna, ubi regnat justitia. *Ibid.*

**S. AMBROS.** 3. Justitia suum cuique tribuit, alienum non vendicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat. Lib. 1. *Offic.*, cap. 24.

4. Si in bello justitia valet, quanto magis in pace servanda est? *Ibid.*, cap. 29.

5. Iis, quibus deest justitia, pudor crescit, augetur dolor. *Ibid.*, cap. 48.

6. Justitia in alto quodam suggestu locata videt exploratque omnia, quæ aliis potius nata, quam sibi, non tam suas utilitates, quam publica emolumenta rimatur. Lib. 3, *de Virginibus.*

7. Nihil splendidius justitia. Lib. 5, epist. 18, *ad Herontianum.*

8. Ubi justitia, ibi Christus; quia justitia Christus est. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellensem Ecclesiam.*

9. Non solvit potestas justitiam, sed justitia potestatem. Lib. 2, *Apolog. David.*, cap. 3.

10. Non est beneficiis solis referenda justitia, sed illa vera justitia est, quæ ipsis quoque defertur inimicis. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 18, vers. 6.

11. Justus ille vere est, qui nec sibi parcit, et occulta sua latere non patitur. Lib. 1, *Offic.*, cap. 25.

12. Omne quod justum est, per justitiam justum est. In *Monologio*, cap. 15. **S. ANSELM.**

13. In futuro sic justus fortis erit, ut etiam, si velit, terram commovere possit : et sic e converso injustus imbecillis, ut nec etiam vermes amovere queat ab oculis suis. *De Similitud.*, cap. 52.

14. Justitiam nemo male habet, et qui non dilexerit non habet. Epist. 54, *ad Macedonium.* **S. AUGUST.**

15. Quid est aliud justitia, qua recte sapienterque vivitur, quam interioris hominis pulchritudo? Epist. 85, *ad Consentium.*

16. Justitia sic amanda est, ut ab ejus, operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant. Epist. 144, *ad Anastas.*

17. Quod juste fit, bene fit : autem sunt beati boni, et juste mali pœnas patiuntur. *De Agone christ.*, cap. 7.

18. Nimia justitia incurrit peccatum temperata vero justitia facit perfectos. *De Agone Christ.*, cap. 7.

19. In egestate conservare justitiam, magnifica res est. *Ibid.*, quæst. 124.

20. Ubi justitia vera non est, nec jus potest esse : quod enim jure fit, profecto juste fit : quod autem fit injuste, nec jure fieri potest. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 21.

21. Qui perit de via justitiæ, cum magna miseria per vias iniquitatis errabit. Super *Psalm.* II.

22. Anima avertens se a luce justitiæ, quanto magis quærit quod inveniat contra justitiam, tanto plus a luce repellitur, et in tenebrosa demergitur. Super *Psalm.* LXIII, vers. 6 : *Scrutati sunt iniquitates*, etc.

23. Justus injusto oneri est, quia injustum esse non vult, sed eum justum fieri, et optat votis, et conatur factis : injustus autem sic odit justum, ut nolit eum esse, non ut bonum velit esse : quanto enim bonus est, tanto magis oneri est iniquitati illius. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 2.

24. Quemlibet valde justum discutias in hac vita, quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato. Tract. 41 super *Evang. Joan.*, de cap. VIII.

25. Noli effici justus multum, non est notata justitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui fit multum justus, ipso nimio fit injustus : multum se facit justum, qui dicit se non habere peccatum. *Ibid.*, Tract. 95 de cap. XVI.

26. Amanda est justitia, et in hac justitia amanda gradus sunt proficientium; primus est ut amori justitiæ non præponantur omnia, quæ delectant. *De verb. Apost.*, fer. 17.

27. Difficile est ut iniquorum evadat opprobria,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cui amica est justitia. Serm. 2, in *Sabbat. post Dom. Quinquag.*

28. Amaritudo justitiæ medicamentum est virilis ætatis, dulcedo autem justitiæ muscipula est juvenilis ætatis. Serm. 2 *Dom. 23 post Trinit.*

29. O sancta laudabilisque justitia, sub te et per te pudicitia regnat, pax per te triumphat et securitas, dignitas per te floret. *Prosec.*

30. O justitia, qui te amaverit, qui te strinxerit, cum Moyse mare mundi vitiorum sanguine rubricatum, sicco vestigio pertransivit.

31. Hæc est virga, qua petra percussa manat in fluenta, qui alapidea subditorum corda judicio justitiæ tacta, in virtutum exuberant flumina.

32. Hæc est virga Aaron, quæ fronduit, floruit et fructum peperit : quia justitia quasi frondet dum mente concipitur, floret dum viriliter exercetur, fructificat dum subditus corrigitur.

33. Hæc est ventilabrum, quo granum dividitur a palea, sanies a morbo ejicitur : quia contra morbum peccati opponendum est mordax emplastrum, ne in majus vitium tabes exuberet incurata, et in augmentum facinoris redundet iniquitas impunita.

34. Hæc est mensura, qua debemus metiri pœnas, et merita ponderare.

35. Hæc est medicina vitiorum, antidotum peccatorum.

36. Hæc est pugio, quo Phinees transfixit coeuntem cum Madianitide Judæum, et cessavit quassatio.

37. Hæc est lapis, quo David percussit Philistæum, et servitute Israel liberavit.

38. Hæc autem sine discretione, gladius est in manu furiosi : hæc sine prudentia est mors et bonorum persecutio, hæc sine misericordia gladius est in manu tyranni. Serm. 14 *ad Fratr. in eremo.*

39. Non est crudelitas punire reatum, sed justitia : non tyrannicum, sed divinæ rectitudinis judicium. *Ibid.*

40. Aliquando justitia est relaxanda, propter scandalum multorum : aliquando exagitanda, ut sit cautela reliquorum. *Ibid.*

41. Justitia dicitur gladius ex utraque parte acutus, quia hominis defendit corpus ab exterioribus injuriis, et animam a spiritalibus molestiis. *Ibid.*

42. Multi sunt justitiæ rectores, sed pauci justitiæ amatores inveniuntur. *Ibid.*, serm. 31.

43. Dulciores sunt justitiæ fructus, quam iniquitatis. *De Catechis. rudib.*, cap. 16.

44. Vera justitia est immutabilis. Lib. 3, *de Conf.*, cap. 7.

45. Tantum quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit. Ep. 144.

46. Noli timere pœnam, sed ama justitiam : nondum potes amare justitiam, time vel pœnam, ut pervenias ad amandam justitiam. Tract. 41, super *Joan.*

47. Non est magnum timere pœnam, sed magnum est amare justitiam : qui ergo amat justitiam, nihil timet? timet plane, non ne incidat in pœnam, sed ne amittat justitiam. *Ibid.*, Tract. 43.

48. Justitia perfecta non est, nisi in Angelis : et vix in Angelis, si Deo comparentur. Tract. 4, super *Epist. Joan.*

49. Homini possem demonstrare justitiam meam, in Dei autem judicio invenior injustus. Annot. in *Job*. cap. 9.

50. Quomodo justitia tua nihil Deo prodest, sic injustitia nihil nocet. *Ibid.*, cap. 35.

51. Necesse est ut peccet, a quo ignoratur justitia. Libro 1, *Oper. imperf. contra Julian.*, num. 104.

52. Quantalibet justitia sit præditus homo, cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum. *De perfect. Just.*, cap. 15.

53. In hac vita quanto amplius diligimus Deum, tanto sumus utique justiores. Lib. 3, *ad Bonifac.*, cap. 7.

**S. BERNARD.** 54. Justitia virtus est, quod suum est unicuique tribuens : tribue ergo tribus quæ sua sunt : redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes. Serm. 3, *Advent.*

55. Justitia est via, per quam ad lætitiam venitur : nam lætitia præmium est, justitia vero meritum et materia. Serm. 4, *Epiph.*

56. Bona vinea justi, imo bona vinea justus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis. Serm. 63 super *Cant.*

57. Sicut tentare aliquid vel prece, vel pretio, adversus justitiam, iniquum est : sic pro justitia multum laborare apud justitiæ amatorem, superfluum. Ep. 4, *ad Honorium Pap.*

58. Vigor justitiæ semper fervidus sit, sed nunquam præceps. Epist. 25, *ad Hugonem Rothomag. archiep.*

59. Justitia nec factura est alteri, quod sibi fieri nolit : nec quod sibi velit, negatura. Lib. 1, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

60. Osculum justi, inimicos diligere ; parentes et propria quæcunque propter Deum relinquere; illatam injuriam patienter ferre ; oblatam gloriam ubique declinare. *De inter. domo*, cap. 2.

61. Justitia est, Deum timere, religionem venerari, honorem ferre parentibus, patriam diligere, cunctis prodesse, nocere nulli, fraternæ charitatis vinculum tenere, pericula aliena suscipere, opem ferre miseris, bonis vicissitudinem rependere, æquitatem in judiciis observare. *De ordine vitæ.*

62. Justitiam multi colunt affectu, a quo procul sunt effectu : approbantes eam et amantes eam, in seipsa, non autem exercentes in seipsis. Lib. *De amore Dei*, cap. 8.

**BOETIUS.** 63. Bonum est omne, quod justum est : et quod injustum est, malum. Lib. 4, *de consolat. Philos.*, prosa 4.

**S. BRUNO.** 64. Justitia quam necessaria sit, ipsæ leges imperatorum, et canones, et decreta sanctorum, quæ ad ipsius custodiam facta sunt, satis ostendunt. *Prosec.*

65. Tolle justitiam, et perit mundus : ubi justitia non est, iniquitas dominatur, ibi cædes et rapina, furta, homicidia, timor et angustiæ, et securitas nulla ; timor iniquorum justitia est securitas bonorum ipsa. *De ornament. Eccles.*, cap. 4.

66. Vide ut qui aliis justitiam facis, tuipsius ne obliviscaris : et qui in populo exerces justitiam, exerceas etiam in temetipso. *Ibid.*

**S. CÆSARIUS ARELAT.** 67. Justitia vera et perfecta ipsa est, quæ non facit aliis, quod sibi non vult. *Prosec.*

68. Ipsa vera justitia est, quæ omnibus hominibus, quod sibi vult, optat ; hoc quod sibi vult, illis evenire, desiderat.

69. Ipsa est vera justitia, quæ pro amore Dei, non solum amicos, sed etiam ipsos diligit inimicos. Homil. 19.

70. De justitia nascitur pax, de pace gaudium. *Ibid.*

**CASSIODOR.** 71. Necesse est, ut deserant justitiam, qui ad pravas semitas malitiamque festinant. Super *Psalm.* CXVIII, vers. : *A lege autem tua longe facti sunt.*

**FRANCISCUS TITELM.** 72. Nihil prodest ore loqui justitiam, si cor meditetur, manusque operetur injustitiam. In *Annot. sup. Psalm.* LVII, sect. 1.

**GLOSS. INT.** 73. Facile a justitia deviat, qui non habet Deum in causis. Super *Matth.*, cap. 14.

**S. GREGOR. MAGNUS.** 74. Humana justitia divinæ justitiæ comparata, injustitia est. Lib. 5 *Moral.*, cap. 28.

75. Injuste quod justum est exequitur, qui ipsam quam prætendit justitiam venumdare minime veretur. *Prosec.*

76. Injuste quod justum est est exequitur, qui ad defensionem justitiæ, non virtutis æmulatione; sed amore præmii temporalis excitatur.

77. Juste justum exequi, est in assertione justitiæ camdem ipsam justitiam quærere. *Ibid.*, lib. 9, cap. 13, super illud *Deut.* XVI : *Juste quod justum est exequeris*, etc.

78. Justus non est, qui justitiam in dolore deserit. *Ibid.*, lib. 14, cap. 14.

79. Justitia vera non est, quæ fiduciam suam non in conditore omnium, sed in se, aut in rebus conditis ponit : quia dum a creatore spem subtrahit, ipse sibi principalis justitiæ ordinem pervertit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 1.

80. Justum est homines propter justitiam diligere, non autem justitiam propter homines postponere. Lib. 8, in *Registro*, indict. 3, cap. 51, epist. *ad Leontium Ex consul.*

81. Justitia vera compassionem habet, falsa justitia dedignationem. Hom. 34, super *Evang.*

**S. HIERON.** 82. Non sufficit Christiano, si partem unam justitiæ impleat, cui utrumque præcipitur. Epist. 14, *ad Celantiam.*

83. Quotiescunque talem in alterum habueris animam, qualem in te ab altero servari cupis, æquitatis viam tenes. *Prosec.*

84. Quoties vero talis erga alterum fueris, qualem in te vis neminem, iter justitiæ dereliquisti. *Ibid.*

85. Justitia non proderit ei, a quo die justus esse desierit. *Ibid.*

86. Ante Deum ille justus probatur, qui corpore sanctus est et corde. Epist. 1, *ad Demetriad.*

87. Ita nobis desideranda est justitia, ut in fame vel siti cibus desideratur ac potus. *Ibid.*

88. Difficile evadit opprobria, cui est amica justitia. In *Regula Monachor.*, cap. 19, *de Laude et Detract.*

89. Justitia requiem habet, iniquitas laborem. Super *Ecclesiasten*, cap. IV, super illud : *Melius est plenus pugillus*, etc.

90. Grandis libra justitiæ est : et cui, et quantum, et quandiu, et quali vel in re, vel in consilio tribuere. *Ibid.*, cap. VII, super illud : *Quia non est homo justus*, etc.

**S. HILARIUS.** 91. Justitia est amicitiæ concordia, unanimitatis vinculum, fundamentum pacis, divinæ atque humanæ rationis operatio. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Feci judicium et justitiam.*

**HUGO CARD.** 92. Perfecta justitia habet tria : pacem ab hostibus, quietem a laboribus, tranquillitatem a sollicitudinibus. Super *Genes.*, cap. XXXV.

93. Justitia nobis est honori, et utilitati : nobis foris comparat famam, intus coram Deo fovet conscientiam. Super *Levit.*, cap. 13.

94. Quanto justior eris, tanto pacatior mente. Super *Job*, cap. 8.

95. Nimietas justitiæ in quatuor consistit : primum est, si misericordiam absorbeat ; secundum, si possibilitatem excedat ; tertium, si mensuram peccati superat ; quartum, si pœna vindictæ pec-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cato sanando non congruat. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

S. JOANNES CHRYSOST.

96. Bonitas respicit esse, justitia agere, veritas loqui. Super *Epist. ad Ephes.*

97. Qui facit justitiam ipso rege est regalior, etiamsi fuerit omnium infimus. Homil. 5, *de Verb. Isaiæ.*

98. Justitia in tentationibus floret, prosperitate autem marcida est. Homil. 3, super *Matth. Oper. imperf.*

99. Omnis justitia consistit in his duobus : in abstinentia rerum malarum, et in opere rerum bonarum. *Ibid.* Homil. 21.

100. Magistra omnis justitiæ ipsa est natura hominum, et scriptura infalsabilis da Deo, creaturæ sunt omnium rerum, quia nihil est creatum in mundo, per quod non manifestissime Deus ostendatur. *Ibid.*, homil. 22.

101. Difficile est verum fidelem juxta mundum viventem, justitam immaculatam usque in finem servare. *Ibid.*, homil. 39.

102. Omnes species justitiæ, quas habent servi Dei in veritate, possunt habere et servi diaboli in simulatione. *Prosec.*

103. Omnis species justitiæ in impostoribus invenitur, sola autem gratia veræ charitatis non invenitur, nisi in solis servis Dei. Homil. 4, super *Matth. Oper. imperf.*

JOAN. TRITH.

104. Justitia virtutis splendor est maximus, a qua viri boni nominantur. Super *Prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 16.

105. Omnes virtutum species, uno justitiæ nomine continentur. *Ibid.*

106. Justitia maxime in prælatis necessaria est, non tam in corrigendo peccantem, quam etiam in exaltando diligentem. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPALENS.

107. Reddere malum pro malo, vicissitudo justitiæ est : sed qui clementiam addit justitiæ, non malum pro malo culpatis reddit, sed bonum pro malo offensis impartit. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 50, sent. 3.

108. Quod tibi vis fieri, fac alteri : quod vis ut faciat alius tibi, hoc et tu facito illi. *Prosec.*

109. Talis esto aliis, quales optas circa te esse alios : quod non vis fieri tibi, alteri nunquam inferas, ne patiaris similia.

110. In te serva modestiam, in aliis conserva justitiam.

111. Tene juris æquitatem, sequere veritatem judiciorum, in omnibus serva justitiam. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 16.

112. Custodi discretionem justitiæ : non sis plus justus, quam justum est ; omne enim quod nimis est, vitium est. *Prosec.*

113. Impia justitia est, fragilitati humanæ non ignoscere. *Ibid.*

LACT. FIRM.

114. Amara sunt vitiosis ac male viventibus præcepta justitiæ. Lib. *de Divinis Institutionibus*, cap. 4.

115. Nihil profecto præstabilius, quam plane intelligi nos ad justitiam esse natos. *De Ira Dei*, cap. 15.

116. Quæ pravitas? cum homo sit ad justitiam genitus, opera tamen efficit injusta. *Ibid.*, cap. 15.

117. Primum justitiæ officium, est Deum cognoscere ut parentem : eumque metuere ut Dominum, diligere ut Patrem : secundum justitiæ officium, est hominem agnoscere ut fratrem. In *Epitome*, cap. *Duas.*

118. Qui justitia indiget, pauper est. Lib. 5, *de Divin. Inst.*, cap. 15.

119. Nihil tam præclarum, hominique conveniens potest esse, quam erudire homines ad justitiam. *Ibid.*, lib. 6, cap. 2.

S. LEO I.

120. Difficile est ut bene sibi consciam probitatem obtrectantium lingua non mordeat, et iniquorum evadat opprobria, cui est amica justitia. Serm. 5, *Quadrag.*

121. Nullum est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. Serm. 9, *de Passione.*

MINUT. FEL.

122. Religiosior ille, qui justior. In suo *Octavio.*

ORIGENES.

123. Liberum esse justitiæ, crimen est : servum vero esse, laudabile. Lib. 6, in cap. VI, *epist. ad Rom.*, super illud : *Liberi fuistis justitiæ.*

S. PAULINUS.

124. Omnibus infimis vel spiritibus, vel aliis creaturis, vel suis vitiis et cupiditatibus servit, qui vult liber esse justitiæ. Epist. *ad Amand. epis.*

S. PETRUS CHRYSOL.

125. Justitia lux rerum, consiliis non velatur obscuris : cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo. Serm. 9.

126. Justitia, quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum, populi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit. *Prosec.*

127. A Deo genita cœlum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta, semper a Deo solo ut glorificetur, expectat.

128. Sed hæc est justitia, quæ ex Deo est : illa vero, quæ est hypocrisis, justitia non est. *Ibid.*

129. Illa, quæ est hypocrisis, justitia non est. Mentitur oculis, fallit aspectum, videntes illudit, decipit audientes, seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit sæculo, Deo non fit, mercedem rapit præsentem, præmium non quærit in futuro, cæcat oculos, cæca ipsa non videns, vult videri. *Ibid.*



PHILO JUD.

130. Est profecto severa scelerum ultrix, et injuriam patientium auxiliatrix justitia, qua frustrantur illudentes virtuti. *De Migrat. Abrahæ.*

131. Nihil justitia melius, quæ principatum inter virtutes tenens, ornat earum chorum maxime. Lib. *de Abraham.*

132. Injustus homo, bestia humana forma prædita est. *Ibid.*

133. Fulcrum generis humani justus est, suas dotes communicans, et in publicum usum conferens. *De Migrat. Abrahæ.*

134. Æquitas, justitiæ fons est : paria imparibus tribuere, summæ injustitiæ est. Et hab. apud divum Joannem Damascenum, lib. 2 *Parall.*, cap. 63.

RICHARD. A S. VICTORE.

135. Justitiam perfecte diligere, est jam justum esse. Part. 1, *de Benjamin. minore*, cap. 2.

136. Perfecta justitia jubet inimicos diligere, parentes, propria quæque relinquere, illata mala patienter ferre, oblatam gloriam ubique declinare. *Ibid.*

137. Pretiosa valde res est justitia, cum adversariorum invidiam cito excitet, et eorum erga nos odium acriter inflammet. Part. 2, super *Psalm.* CXVII.

S. SYNESIUS EPISCOPUS.

138. Sublata ex hominibus justitia est. Epist. 89, *ad Theophil.*

THEOPHYLACTUS.

139. Justitia omni cum alacritate exercenda est. Super *Matth.*, cap. 5, in illud : *Beati qui sitiunt justitiam.*

140. Justitia est omnis virtus. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS.

141. Justitia est quæ unicuique quod suum est, tribuit; alienum non vendicat, utilitatem propriam negligit, et communem æquitatem custodit. 2, 2, quæst. 58, art. 11.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.

142. Si quis ignorans agit ea, ex quibus erit injustus, is sua sponte erit injustus : non tamen si vult, cum est injustus, desinet esse talis, ac justus erit. Lib. 2, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 5.

143. Justitia perfecta est virtus, atque præclarissima virtutum esse videtur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 1.

144. Justitia perfecta maxime virtus, quia perfectæ virtutis est usus. *Ibid.*

145. Justitia non pars virtutis, sed tota est virtus, similiter et injustitia huic contraria, non vitii pars, sed totum vitium. *Ibid.*

CICERO.

146. Justitia nihil expetit præmii, nihil pretii, sed per se expetitur, Lib. 1, *de Legib.*, num. 48.

147. Æquitas ipsa per se lucet. Lib. 1, *Offic.*

148. Nullum tempus est, quod justitia vacare debeat. *Ibid.*

149. Nemo justus esse potest, qui ea quæ sunt contraria, æquitati anteponit. Lib. 3, *de Offic.*

150. Justitiæ tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiæ vivere. *Ibid.*

151. Justitia una virtus omnium est, domina et regina virtutum. *Ibid.*, lib. 3.

152. Ab alio expectes, alteri quod feceris. In suis *Sent.*, sent. 2. MIMUS PUB.

153. Quando homo ex justitia abscedit, hominis nomen amittit. *De Scientia.* PLATO.

154. Utilis est pacis etiam tempore justitia. Lib. 1, *de Republ.*

155. Non magnopere optabilis esset justitia, si in rebus inutilibus tantum utilis esset. *Ibid.*

156. Longe abes a vera justi et justitiæ, injusti, et injustitiæ cognitione, si ignores justitiam, et justum alienum quoddam esse bonum. *Ibid.*

157. Odia et mutuas pugnas parit injustitia : justitia vero, concordiam et amicitiam conciliat. *Ibid.*

158. Justitia virtus est animæ, injustitia vitium. *Ibid.*

159. Justus est felix, injustus miser. *Ibid.*

160. In ea civitate quæ bene regitur, justitia maxime invenitur : in ea vero civitate quæ pessime regitur injustitia. *Ibid.*, lib. 4.

161. Justitia justi sunt, quicunque justi. In *Dialogo Hippiæ majoris.*

162. Qui justa facit, justus est : qui vero injusta injustus. Justus, per sapientiam justus est : injustus, per imperitiam. In *Dialogo de Justo.*

163. Nihil injustum justitia pati potest, quia non coeunt contraria. *De constant. sapientis*, cap. 7. SENECA.

164. Ab alio expectes, alteri quod feceris. Epist. 64.

165. Magna res est justitia, alienum bonum spectans, nihil ex se petens, nisi usum sui. Epist. 113.

166. Non est justæ rei præmium majus, quam justum esse. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Charitas* in genere, sent. 17; *Fama*, sent. 77; *Gratia Dei*, sent. 132; *Judicii corruptio*, sent. 26; *Jus*, sent. 2; *Latere*, sent. 33; *Misericordia* in genere, sent. 72; *Oblatio*, sent. 49; *Panis*, sent. 24; *Perfectio*, sent. 9; *Personarum acceptio*, sent. 18, 51; *Princeps*, sent. 79; *Profectus*, sent. 49; *Punitio*, sent. 38; *Respublica*, sent. 2, 4; *Rex*, sent. 10, 11, 12; *Societas*, sent. 103; *Vindicta* in genere, sent. 42; *Virorum encomia*, sent. 45; *Virtutes cardinales*, per totum, *Virtutum connexio*, sent. 7, 38.

## JUSTITIA DEI.

COLLECTOR. *Definitio.* Justitia Dei in communicativam, distributivam, et vindicativam dividitur. *Prosec.*

Justitia Dei communicativa est retributio Dei adæquati merito præmii, aut supplicii, cuique privato, sine comparatione ad alios : servando proportionem arithmeticam, et æqualitatem rei ad rem : scilicet præmii ad meritum, et supplicii ad demeritum.

Justitia Dei distributiva, est quæ communia præmia, et supplicia omnibus partitur, cum comparatione ad alios, tanquam partes ejusdem communitatis ; servando proportionem geometricam et æqualitatem unius proportionis ad aliam : ita ut sit eadem proportio præmii ad præmium, quæ est meriti ad meritum.

Justitia Dei vindicativa est cum Deus damnatis rependit malum pœnæ, adæquatum malo culpæ.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Manifestum est justam Dei misericordiam, misericordemque justitiam, nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis, juvandisque eorum mentibus defuisse. Lib. 2, *de Vocat. gent.*

2. Sicut justitia Dei magna, ita etiam severa vindicta est. Lib. 3, *de Interpellat.*, cap. 8.

3. Ubi justitia Dei fuerit, ibi habitat Spiritus sanctus ad adjuvandam imbecillitatem nostram. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 6, in illud : *Per arma justitiæ Dei.*

S. AUGUST. 4. Est justitiæ pulchritudo cum benignitatis gratia concordans, ut quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine pœnarum erudiamur. *De Vera Relig.*, cap. 15.

5. Quod juste fit, bene fit : juste autem sunt beati boni, et juste mali pœnas patiuntur. *De Agone Christ.*, cap. 7.

6. Parce per clementiam, ne ulciscaris per justitiam. In *Manuali*, cap. 33.

7. Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei : voluntas quidem non est nisi tua, justitia non est nisi Dei. *Prosec.*

8. Esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam. Serm. 15, *de Verbis Apostoli.*

9. Deus omnia sive per pœnas, sive per præmia justitia moderante, disponit. *Contra Adimant.*, cap. 17.

10. Justitia summi et veri Dei hæc universitas sustentatur et regitur. *De Quant. animæ*, cap. 33.

11. In peccato diaboli et hominis servata est justitia Dei punientis. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 10.

12. Nec injusta Dei gratia, nec crudelis potes esse justitia. Lib. 12, *de Civit. Dei*, cap. 27.

13. Justitia Dei solum, qua Deus justus est dicitur ; sed illa etiam quam in homine, qui ab illo justificatur, facit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 1.

CASSIODOR. 14. Quis justitiam evaderet tuam, nisi præmissa pietas subveniret ? Super *Psalm.* VII, in conclus.

CLEMENS ALEX. 15. Bona est Dei justitia, et justa ipsius bonitas est. Et hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 3, *parall.* cap. 100.

S. EUSEBIUS CÆSAR. 16. Sicut Dominus benignus est in tolerando, ita justus est in puniendo. *Epistola ad Damas. Papam de morte divi Hieronymi.*

GLOSS. ORD. 17. Cum Dei justitia supplicium a reprobis pro perversis actibus exigit, eis mala usque ad verborum retributionem reddit. Super *Job*, cap. 20.

18. Divina proprie ac vere est et dicitur justitia. Super *Psalm.* CXVIII, in illud : *Justitia tua in æternum.*

19. Quæ major est justitia Dei, quam ignoscere pœnitentibus ? Super *Luc.*, cap. 15.

20. Ad justitiam Dei pertinet, ut nunquam supplicio careant, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. Super *Epist. ad Rom.*, cap.

S. GREGOR. MAGNUS. 21. Humana justitia divinæ justitiæ comparata, injustitia est. Lib. 5 *Moral.*, cap. 28.

22. Ad magnam justitiam judicis pertinet, ut nunquam voluerunt carere peccato. Lib. 4 *Dialogi.* cap. 44, verbo *Hoc.*

S. GREGOR. NAZ. 23. Nihil justius Deo. Epist. 66, *ad Asterium.*

HUGO CARD. 24. Bonum est incidere in manus Dei misericordis ; sed horrendum est incidere in manus Dei justi. Super 1 *Paralip.* 21.

25. Justitia Dei corrigit et punit, misericordia autem dirigit. Super *Psalm.* LXVI.

26. Justitia Dei diversis diversa tribuit, secundum exigentiam meritorum. Super *Psalm.* LXIV.

27. Laudanda est justitia Dei, quæ reddit iniquitati supplicium, et æquitati præmium. Super *Ecclesiasten*, cap. VI.

S. JOANNES CHRYSOST. 28. Nescit justitia Dei patrocinium dare criminibus : unde fur orat, ut bene prosperetur in furto ? et fornicator sibi crucis signum ponit in fronte, ut non comprehendatur in crimine ? *Homil.* 42, super *Matth. oper. imperf.*

SALVIANUS. 29. Sicut Deus est semper, sic justitia Dei semper : sicut omnipotentia Dei indeficiens, sic censura indemutabilis ; sicut Deus jure perpetuus, sic justitia perseverans. Lib. 2, *de Gubern. Dei.*

S. THEODOR. 30. Justitiæ sententiam Deus clementia temperat. Lib. 10, super *Hierem.*, cap. 52.



S. THOMAS AQUINAS. 31. Dei justitia veritas dicitur, in quantum implet quod ordinavit. Super 4, sent. dist. 46, art. 1, ad 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 32. Deus nusquam nequaquam injustus est, sed quantum fieri potest justissimus : Deo autem nihil similius est, quam cum ex nobis hominibus aliquis quam justissimus est. *de Scientia.*

Vide etiam tit. *Misericordia Dei, sent.* 99; *Peccatorum remissio*, sent. 32; *Prædestinatio* ; sent. 9.

## JUVENTUS.

COLLECTOR. *Definitio.* Juventus est primæ refrigerativæ particulæ augmentatio, et adolescentiæ ætatem excedens.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Etiam fides cum tuta est, juventus suspecta est. Libro 3 *de Virginibus.*

2. Plurimi sunt, qui se a peccatis juventutis in senectute revocare potuerunt : rarus autem, qui in juventute grave jugum seria sobrietate portaverint. Orat. *de Obitu Valentiniani Imperat.*

3. Beatus quidem juvenis, qui bene vivit : sed magis beatus est senex, qui bene vixit. *Prosec.*

4. Quod enim juvenis sperat, adeptus est senior : quod senex fuit, optat hoc esse, qui juvenis est. Lib. 2 *de Jacob*, capite 8.

5. Rara sane in juvenibus est humilitas, ideoque miranda, dum ætas viget, dum vires solidæ sunt, dum sanguis æstuat, dum sollicitudo nescitur, dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequentatur. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 18, vers. 5.

S. ANSELM. 6. In juvene tria notantur, quibus ad probitatem venturus prænoscitur : scilicet taciturnitas, corporis continentia, verecundia. *De similitud.* capite 139.

S. AUGUST. 7. Juventus flos ætatis, periculum mentis. Serm. 2. *Dom. 23 post Trinit.*

8. Periculosum est ulcus juventutis, quod cupiditatibus contabescit, et fluctuum crebriore impetu sæculi inundantis operitur. *Ibid.*

9. Juventus præsumit viribus suis, formæ dignitate jactatur, pompa rerum temporalium præfulgere aut exoptat, aut gaudet. *Ibid.*

10. Juventuti malorum venenum est, quidquid veritas præcepit : esca est, quidquid diabolus suggerit. *Ibid.*

11. Juventus amat perniciosam inimici lenitatem, odit salubrem medici asperitatem : ista perversitas, ista vesania in juvenili ætate maxime formidanda est. *Ibid.*

12. Juventus quanto ætate major, tanto vanitate turpior. Libro 7 *Conf.*, capite 1

V. BEDA. 13. Lascivus juvenis eget, ut crebro moneatur. In suis *Proverbiis*, verbo *Lascivus.*

S. BERNARD. 14. Multos videmus juniorum super senes intelligere, moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, et quod ætati deest, compensare virtutibus. Epist. 42. *ad Henricum Senonensem archiep.*

15. Sicut in senibus gravitas, sic in juvenibus alacritas, velut quadam dote naturæ commendatur. *De ordine vitæ.*

16. Grande vitium est juniorum impudentia, qui improbo ausu dissolutione seniores conturbant. *Ibid.*

S. BONAV. 17. Religionis confusio, juvenis præsumptuosus, et effrons. In *Speculo Discipl.*, part. 1., cap. 5.

18. Reprehensibilis, maxime in juvene, præsumptio, quem magis humilitas stabilit, verecundia ornat, venustat simplicitas, timor insignit. *Ib.*

CASSIODOR. 19. Gloria est in juvenibus, si in ipso ætatis fervore, morum regimine temperentur. Super *Psal.* XVIII, vers. *Præveni in maturitate.*

GLOSS. ORD. 20. Magnum est juvenibus se a vitiis abstinere, et lubricæ et perplexæ viæ errorem fugere : hæc enim ætas fragilis est et labilis, inscia et temeraria. Super *Threnos*, cap. 3.

S. GREGOR. MAGNUS. 21. Juvenes dici solent, qui nulla consilii gravitate fulciuntur. Lib. 19 *Moral.*, cap. 11. Super illud, *Job.* 29; *videbant me juvenes.*

22. Optimi juvenes sunt, qui omne quod prævalent, in opere misericordiæ expendunt, et velut electi juvenes divina servitia valenter operantur. Lib. 4, in 1. *Reg.*, cap. 2, super illud : *Servos vestros, et ancillas*, etc.

S. GREGOR. NAZ. 23. Si quis juvenis est, animi affectibus viriliter resistat ; in hoc fruatur juventute, ne quid juvenile patiatur, sed senilem prudentiam in vigente ostendat corpore. Orat. 25.

S. HIERON. 24. In juvenibus, et adhuc solidioris ætatis, qui vitæ sanctimonia, et orationis ad Dominum Jesum frequentia, scientiam consecuti sunt, vigeat sapientia, quæ in plerisque senibus marcescit. Epist. 2. *ad Nepotian.*

HUGO A S. VICTORE. 25. Juvenis in otio, quasi juvencus sine jugo. Lib. 2, *de Claust. animæ*, cap. 14.

26. Juventus est lubrica, inconstans, inconsiderata, calida, intemperata. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST. 27. Juventus per seipsam ad ruinam proclivis est, et ad malitiam levi momento inclinatur. Homil. 59, super *Gen.*

28. Sicut ignis cum fomitem invenit, validioribus flammis exurgit : ita et quando in juvenem materia pecuniarum inciderit tantam accendit fornacem, ut animam juvenis totam flagrare faciat. *Ibid.*

## JUSTITIA DEI.

COLLECTOR. *Definitio.* Justitia Dei in communicativam, distributivam, et vindicativam dividitur. *Prosec.*

Justitia Dei communicativa est retributio Dei adæquati merito præmii, aut supplicii, cuique privato, sine comparatione ad alios : servando proportionem arithmeticam, et æqualitatem rei ad rem : scilicet præmii ad meritum, et supplicii ad demeritum.

Justitia Dei distributiva, est quæ communia præmia, et supplicia omnibus partitur, cum comparatione ad alios, tanquam partes ejusdem communitatis ; servando proportionem geometricam et æqualitatem unius proportionis ad aliam : ita ut sit eadem proportio præmii ad præmium, quæ est meriti ad meritum.

Justitia Dei vindicativa est cum Deus damnatis rependit malum pœnæ, adæquatum malo culpæ.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Manifestum est justam Dei misericordiam, misericordemque justitiam, nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis, juvandisque eorum mentibus defuisse. Lib. 2, *de Vocat. gent.*

2. Sicut justitia Dei magna, ita etiam severa vindicta est. Lib. 3, *de Interpellat.*, cap. 8.

3. Ubi justitia Dei fuerit, ibi habitat Spiritus sanctus ad adjuvandam imbecillitatem nostram. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 6, in illud : *Per arma justitiæ Dei.*

S. AUGUST. 4. Est justitiæ pulchritudo cum benignitatis gratia concordans, ut quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine pœnarum erudiamur. *De Vera Relig.*, cap. 15.

5. Quod juste fit, bene fit : juste autem sunt beati boni, et juste mali pœnas patiuntur. *De Agone Christ.*, cap. 7.

6. Parce per clementiam, ne ulciscaris per justitiam. In *Manuali*, cap. 33.

7. Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei : voluntas quidem non est nisi tua, justitia non est nisi Dei. *Prosec.*

8. Esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam. Serm. 15, *de Verbis Apostoli.*

9. Deus omnia sive per pœnas, sive per præmia justitia moderante, disponit. *Contra Adimant.*, cap. 17.

10. Justitia summi et veri Dei hæc universitas sustentatur et regitur. *De Quant. animæ*, cap. 33.

11. In peccato diaboli et hominis servata est justitia Dei punientis. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 10.

12. Nec injusta Dei gratia, nec crudelis potes esse justitia. Lib. 12, *de Civit. Dei*, cap. 27.

13. Justitia Dei solum, qua Deus justus est dicitur ; sed illa etiam quam in homine, qui ab illo justificatur, facit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 1.

CASSIODOR. 14. Quis justitiam evaderet tuam, nisi præmissa pietas subveniret? Super *Psalm.* VII, in conclus.

CLEMENS ALEX. 15. Bona est Dei justitia, et justa ipsius bonitas est. Et hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 3, *parall.* cap. 100.

S. EUSEBIUS CÆSAR. 16. Sicut Dominus benignus est in tolerando, ita justus est in puniendo. *Epistola ad Damas. Papam de morte divi Hieronymi.*

GLOSS. ORD. 17. Cum Dei justitia supplicium a reprobis pro perversis actibus exigit, eis mala usque ad verborum retributionem reddit. Super *Job*, cap. 30.

18. Divina proprie ac vere est et dicitur justitia. Super *Psalm.* CXVIII, in illud : *Justitia tua in æternum.*

19. Quæ major est justitia Dei, quam ignoscere pœnitentibus? Super *Luc.*, cap. 15.

20. Ad justitiam Dei pertinet, ut nunquam supplicio careant, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. Super *Epist. ad Rom.*, cap.

S. GREGOR. MAGNUS. 21. Humana justitia divinæ justitiæ comparata, injustitia est. Lib. 5 *Moral.*, cap. 28.

22. Ad magnam justitiam judicis pertinet, ut nunquam voluerunt carere peccato. Lib. 4 *Dialogi.* cap. 44, verbo *Hoc.*

S. GREGOR. NAZ. 23. Nihil justius Deo. Epist. 66, *ad Asterium.*

HUGO CARD. 24. Bonum est incidere in manus Dei misericordis ; sed horrendum est incidere in manus Dei justi. Super 1 *Paralip.* 21.

25. Justitia Dei corrigit et punit, misericordia autem dirigit. Super *Psalm.* LXVI.

26. Justitia Dei diversis diversa tribuit, secundum exigentiam meritorum. Super *Psalm.* LXIV.

27. Laudanda est justitia Dei, quæ reddit iniquitati supplicium, et æquitati præmium. Super *Ecclesiasten*, cap. VI.

S. JOANNES CHRYSOST. 28. Nescit justitia Dei patrocinium dare criminibus : unde fur orat, ut bene prosperetur in furto ? et fornicator sibi crucis signum ponit in fronte, ut non comprehendatur in crimine ? *Homil.* 42, super *Matth. oper. imperf.*

SALVIANUS. 29. Sicut Deus est semper, sic justitia Dei semper : sicut omnipotentia Dei indeficiens, sic censura indemutabilis : sicut Deus jure perpetuus, sic justitia perseverans. Lib. 2, *de Gubern. Dei.*

S. THEODOR. 30. Justitiæ sententiam Deus clementia temperat. Lib. 10, super *Hierem.*, cap. 52.



S. THOMAS AQUINAS. 31. Dei justitia veritas dicitur, in quantum implet quod ordinavit. Super 4, sent. dist. 46, art. 1, ad 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 32. Deus nusquam nequaquam injustus est, sed quantum fieri potest justissimus : Deo autem nihil similius est, quam cum ex nobis hominibus aliquis quam justissimus est. *de Scientia.*

Vide etiam tit. *Misericordia Dei*, *sent.* 99; *Peccatorum remissio*, sent. 32; *Prædestinatio* ; sent. 9.

## JUVENTUS.

COLLECTOR. *Definitio.* Juventus est primæ refrigerativæ particulæ augmentatio, et adolescentiæ ætatem excedens.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Etiam fides cum tuta est, juventus suspecta est. Libro 3 *de Virginibus.*

2. Plurimi sunt, qui se a peccatis juventutis in senectute revocare potuerunt : rarus autem, qui in juventute grave jugum seria sobrietate portaverint. Orat. *de Obitu Valentiniani Imperat.*

3. Beatus quidem juvenis, qui bene vivit : sed magis beatus est senex, qui bene vixit. *Prosec.*

4. Quod enim juvenis sperat, adeptus est senior : quod senex fuit, optat hoc esse, qui juvenis est. Lib. 2 *de Jacob*, capite 8.

5. Rara sane in juvenibus est humilitas, ideoque miranda, dum ætas viget, dum vires solidæ sunt, dum sanguis æstuat, dum sollicitudo nescitur, dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequentatur. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 18, vers. 5.

S. ANSELM. 6. In juvene tria notantur, quibus ad probitatem venturus prænoscitur : scilicet taciturnitas, corporis continentia, verecundia. *De similitud.* capite 139.

S. AUGUST. 7. Juventus flos ætatis, periculum mentis. Serm. 2. *Dom. 23 post Trinit.*

8. Periculosum est ulcus juventutis, quod cupiditatibus contabescit, et fluctuum crebriore impetu sæculi inundantis operitur. *Ibid.*

9. Juventus præsumit viribus suis, formæ dignitate jactatur, pompa rerum temporalium præfulgere aut exoptat, aut gaudet. *Ibid.*

10. Juventuti malorum venenum est, quidquid veritas præcepit : esca est, quidquid diabolus suggerit. *Ibid.*

11. Juventus amat perniciosam inimici lenitatem, odit salubrem medici asperitatem : ista perversitas, ista vesania in juvenili ætate maxime formidanda est. *Ibid.*

12. Juventus quanto ætate major, tanto vanitate turpior. Libro 7 *Conf.*, capite 1

V. BEDA. 13. Lascivus juvenis eget, ut crebro moneatur. In suis *Proverbiis*, verbo *Lascivus.*

S. BERNARD. 14. Multos videmus juniorum super senes intelligere, moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, et quod ætati deest, compensare virtutibus. Epist. 42. *ad Henricum Senonensem archiep.*

15. Sicut in senibus gravitas, sic in juvenibus alacritas, velut quadam dote naturæ commendatur. *De ordine vitæ.*

16. Grande vitium est juniorum impudentia, qui improbo ausu dissolutione seniores conturbant. *Ibid.*

S. BONAV. 17. Religionis confusio, juvenis præsumptuosus, et effrons. In *Speculo Discipl.*, part. 1., cap. 5.

18. Reprehensibilis, maxime in juvene, præsumptio, quem magis humilitas stabilit, verecundia ornat, venustat simplicitas, timor insignit. *Ib.*

CASSIODOR. 19. Gloria est in juvenibus, si in ipso ætatis fervore, morum regimine temperentur. Super *Psal.* XVIII, vers. *Præveni in maturitate.*

GLOSS. ORD. 20. Magnum est juvenibus se a vitiis abstinere, et lubricæ et perplexæ viæ errorem fugere : hæc enim ætas fragilis est et labilis, inscia et temeraria. Super *Threnos*, cap. 3.

S. GREGOR. MAGNUS. 21. Juvenes dici solent, qui nulla consilii gravitate fulciuntur. Lib. 19 *Moral.*, cap. 11. Super illud, *Job.* 29; *videbant me juvenes.*

22. Optimi juvenes sunt, qui omne quod prævalent, in opere misericordiæ expendunt, et velut electi juvenes divina servitia valenter operantur. Lib. 4, in 1, *Reg.*, cap. 2, super illud : *Servos vestros, et ancillas*, etc.

S. GREGOR. NAZ. 23. Si quis juvenis est, animi affectibus viriliter resistat ; in hoc fruatur juventute, ne quid juvenile patiatur, sed senilem prudentiam in vigente ostendat corpore. Orat. 25.

S. HIERON. 24. In juvenibus, et adhuc solidioris ætatis, qui vitæ sanctimonia, et orationis ad Dominum Jesum frequentia, scientiam consecuti sunt, vigeat sapientia, quæ in plerisque senibus marcescit. Epist. 2. *ad Nepotian.*

HUGO A S. VICTORE. 25. Juvenis in otio, quasi juvencus sine jugo. Lib. 2, *de Claust. animæ*, cap. 14.

26. Juventus est lubrica, inconstans, inconsiderata, calida, intemperata. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST. 27. Juventus per seipsam ad ruinam proclivis est, et ad malitiam levi momento inclinatur. Homil. 59, super *Gen.*

28. Sicut ignis cum fomitem invenit, validioribus flammis exurgit : ita et quando in juvenem materia pecuniarum inciderit tantam accendit fornacem, ut animam juvenis totam flagrare faciat. *Ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

29. Juventus quando rectæ rationis fræno caret, quantum malum est. *Ibid.*

30. O quantum malum plerumque operatur unius juvenis temeritas, et quantam perniciem affert. *Ibid.*

31. Tanto gravior pernicies, profundiusque præcipitium, quanto concupiscentiæ major vis in juvenibus, quantoque flamma inest eis vehementior. Homil. 4, *de Fide Annæ.*

32. Proclivior ad concupiscentias est juventus, eisque facilius capitur. *Ibid.*

33. Juventus majore opus habet custodia, acriore fræno, tutiore munitione ac obstaculo. *Ibid.*

34. Otiosa juventus impudenter educata, omni ferocissima bestia immanior est. Homil. 38, super *Matth. Oper. perf.*

35. Præcipuum vitium juvenile est gloriatio, quæ amplius vult videri quam est : aut in toto vult videri, non esse qualis est. Homil. 33, super *Matth. Oper. imperf.*

36. Est juventus fera, plurimis indiget institutoribus, magistris, pædagogis, asseclis, atque nutritoribus. Homil. 9, super 1, *ad Timoth.*

37. Juventus contineri non potest, non secus quam equus quidam indomitus, veluti fera bellua. *Ibid.*

38. Difficilis res est juventus, quia jactabilis, fallibilis, labilis est, et vehementioris indiget fræni. Homil. 1. *ad Popul. Antioch.*

JOAN. GERS. 39. Angelicus juvenis, senibus satanizat in annis. Tract. *de Parvul. ad Christ. trahendis*, consid. 1.

JOAN. TRITH. 40. Qualem te senem esse desideras, talis nunc quoque juvenis vivas. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 2.

LUDOVICUS BLOSIUS. 41. Juventutis ætas admodum solet esse indomita, atque omnis regiminis impatiens ac sæculo dedita. In *Apolog. pro Thaulero*, cap. 5.

PETR. CELL. 42. Juvenum forma decentior, aspectus gratiosior, cibus abundantior, potus crassior, aer salubrior, terra fertilior, amœnitas jucundior, parvus his enervatur animus. Lib. 3, epist. 10.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 43. Juventus ad voluptatem propensior est. Lib. 7 *Ethic. ad Nicomach.* cap., 14.

44. Maxime intendendum est circa disciplinam juventutis : nam id neglectum in civitatibus affert Reipublicæ detrimentum. Lib. 8 *Polit.*, cap. 1.

CICERO. 45. Juvenes aptissimi ad cupiendum sunt, potentesque facere quæcunque cupiant, et vehementer quidem cupiunt, cessant autem cito. Lib. 2 *Rhetor.*, cap. 12.

PLATO. 46. Omnium juvenum natura, ardens et quasi ignea, minime quiescere potest. Lib. 2, *de Legib.*

SENECA. 47. Ingrata est juventus. Lib. 4 *Benef.*, cap. 17.

Vide etiam tit. *Deliciæ*, sent. 79; *Lascivia*, sent. 23; *Malitia*, sent. 71; *Personarum accept.* sent. 30; *Pulchritudo*, sent. 35; *Severitas*, sent. 23; *Spes*, sent. 72; *Taciturnitas*, sent. 36; *Vinum*, sent. 61.

## LABOR.

CICERO. *Definitio.* Labor est functio quædam, vel animi, vel corporis gravioris operis et muneris. Lib. 2, *Tuscul. quæst.*

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Est labor interioris hominis, est labor et exterioris. Labor interioris, labor est scientiæ : labor exterioris, exercitium est operationis. *Prosec.*

Labor scientiæ in tria dividitur : in laborem disciplinæ, exercitii, et doctrinæ.

In pueritia labor disciplinæ, in juvente exercitii, in senio doctrinæ : ut qui nescit, in pueritia discat : quæ didicit, in juventute ad usum ducat : quod ad usum duxit, in senio doceat. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 14.

HUGO A S. VICTORE. *Productio.* Otium stultitiam, labor scientiam generat. *Ibid.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Magna bona non acquiruntur, nisi magno labore. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 16.

S. ATHAN. MAGNUS. 2. Nemo est mortalium, qui non laboret in ista misera vita, sive sit inops, sive sit opulentus, sive servus, sive liber, sive peccator, sive justus, omnes æquo laborant. *Prosec.*

3. Alia enim ratione justus, alia peccator laborat : siquidem justus ideo in labore est, ut Deum quærens affligat corpus suum, donec percipiat immarcessibilem coronam, quæ illi reposita est.

4. Peccator vero laborat, non justitiæ causa, sed ob carnem suam fovendam, alios atque alios labores suscipiens. *De virginit.*

S. AUGUST. 5. Nihil amicis hujus mundi laboriosius, quam non laborare. *De vera Relig.*, cap. 35.

6. Quantis laboribus agitur, ut longiore tempore laboretur? Epist. 45, *ad Armentarium.*

7. Vis desideriorum facit tolerantiam laborum. *De Patient.*, cap. 4.

8. Non perdidi laborem meum : dicitur labor non periisse, non quia manet perpetuus, sed quia non est inaniter fusus. *Ibid.*, cap. 29.

9. Nullo modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant : sicut venantium, aucupantium, piscantium, vindemiantium, negotiantium, ludo aliquo sese oblectantium. *Prosec.*



10. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur.

11. Quam pudendum et dolendum est, si delectat labor, ut fera capiatur, ut cuppa et saeculus impleatur, ut pila jaciatur; et non delectat ut Deus acquiratur. *De Bono viduit.*, cap. 21.

12. Quid est hoc, quod cum labore meminimus, sine labore obliviscimur? cum labore discimus, sine labore nescimus? cum labore strenui, sine labore inertes sumus? *Prosec.*

13. Desidia, segnities, pigritia, negligentia vitia sunt, quibus labor fugitur, cum labor ipse etiam, qui est utilis, pœna sit. Lib. 22, *de Civit. Dei*, cap. 22.

14. Si ubi est timor operetur labor, ubi erat labor, erit et amor. Lib. 2, *de Adulterinis conjugiis*, cap. 13.

15. Bonum opus non multum laborat, malum opus habet laborem. Super *Psalm.* LXXXXII.

16. Non recusetur labor, si adest amor : quoniam qui amat, non laborat. Omnis enim labor non amantibus gravis est. Tract. 48, super *Evang. Joan.*, cap. 10.

17. Pausationem non quærit, qui laborem non sentit. *De catechiz. rud.*, cap. 17.

18. Fructus solet laborem consolari. Expos. super *Epist. ad Galat.*, cap. VI.

19. Tentat labor, ut frangat. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 16.

20. Labor nullus, amor magnus. Lib. 4, *de Musica*, cap. 9.

21. In hoc mundo non laborare, impossibile est. Epist. 82.

S. BASILIUS MAGNUS. 22. Labores longa consuetudine familiares redditi, minor cum molestia iis ingruunt, qui iis assueverint. Apud. D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.* cap. 70.

23. Laboribus sanitas, et sudoribus salus comparatur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 103.

24. Laboris et quietis repetita identidem vicissitudo, lassitudinem laborantes sentire non sinit. *De Institut. Monachor.*, serm. 1.

25. Labores quibus diutino usu assueveris, minus offendunt, si inciderint in exercitatum. Orat. 2, *de Laude jejunii.*

S. BERNARD. 26. Omnis laboris remedium, alterius laboris initium est. Serm. *de primordiis.*

27. Causam laboris quisque cogitet in labore; ut ipsa ei pœna, quam patitur, culpam pro qua patitur, repræsentet. Serm. 4, *ad Fratres.*

28. Qui in labore hominum non sunt, in labore dæmonum profecto erunt. Serm. 23, super *Cant.*

29. Multa quæ respuis otiosus, post laborem sumes cum desiderio. Epist. 1, *ad Robertum Nepotem suum.*

30. Nullus ibi apparet labor, ubi verus est amor. Serm. 14, *de Cœna Domini.*

S. BONAV. 31. Bonorum laborum gloriosus est fructus, sed malorum nullus. Super *Luc.*, cap. V.

32. Misera sane et extremæ dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, et præparatum diabolo stridorem eligere sempiternum. Serm. 4. *in die Ciner.*

33. Quis unquam sine labore dives? quis sine labore aliquam artem didicit? quis absque labore sapiens esse poterit? Serm. 2, *de S. Gregorio.*

34. Gustata utilitas et suavitas virtutis, lenit pondus laboris. Lib. 1, *de Profect. Relig.*, part. 1, cap. 3.

S. CYRILLUS ALEX. 35. Ne terreat quemquam labor, etiamsi vitæ laudabilis aspera se ostendat via, etiamsi difficilis atque ardua ad virtutem semita proponatur. *Prosec.*

36. Non est enim, non est cuiquam datum, ut exiguos erogando labores, actionum præstantissimarum eximiis opibus ditescere liceat : sed perpetuo sudoribus proportione respondent, qui ex illis existunt fructus. Homil. 15, *de Festis Paschal.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 37. Promptior fit omnis operarius ad perferendos labores, si præmium laborum præviderit : qui vero sine præmio laborant, et anima et corpus illis concidit. *Cateches.* 18.

S. EPHRÆM. 38. Honestos labores laboriose ac studiose suscipito, ut labores inanium laborum effugias. *Prosec.*

39. Justorum enim labores, fructum vitæ proferunt : at labores peccatorum, laqueis et ærumnis pleni sunt. *De Recta vivendi ratione*, cap. 25.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 40. O quanti, et quam diuturni labores subito pereunt, dum id quod acquirere studemus, custodire negligimus! Homil. 4, *ad Monach.*

41. Valde dura et nimis dolenda conditio omni intentione studium laboris impendere, et fructum non recipere post laborem. *Ibid.*

42. Opus est ut laborem corporalem, spiritualis fructus subsequatur. *Ibid.*, homil. 8.

S. FRANCISC. ASSISIAS. 43. Laborandum et cuique exercitandum est in opere, ne otio deditus per illicita corde aut lingua vagetur. In suis *Opuscul.*, oraculo 17.

S. GREGOR. MAGNUS. 44. Nonnulli hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant. *Prosec.*

45. Et nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent : quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Lib. 6 *Moral.*, cap. 17.

46. Laborantem consolari, est pariter in labore persistere : quia sublevatio est laboris, visitatio collaborantis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

29. Juventus quando rectæ rationis fræno caret, quantum malum est. *Ibid.*

30. O quantum malum plerumque operatur unius juvenis temeritas, et quantam perniciem affert. *Ibid.*

31. Tanto gravior pernicies, profundiusque præcipitium, quanto concupiscentiæ major vis in juvenibus, quantoque flamma inest eis vehementior. Homil. 4, *de Fide Annæ.*

32. Proclivior ad concupiscentias est juventus, eisque facilius capitur. *Ibid.*

33. Juventus majore opus habet custodia, acriore fræno, tutiore munitione ac obstaculo. *Ibid.*

34. Otiosa juventus impudenter educata, omni ferocissima bestia immanior est. Homil. 38, super *Matth. Oper. perf.*

35. Præcipuum vitium juvenile est gloriatio, quæ amplius vult videri quam est : aut in toto vult videri, non esse qualis est. Homil. 33, super *Matth. Oper. imperf.*

36. Est juventus fera, plurimis indiget institutoribus, magistris, pædagogis, asseclis, atque nutritoribus. Homil. 9, super 1, *ad Timoth.*

37. Juventus contineri non potest, non secus quam equus quidam indomitus, veluti fera bellua. *Ibid.*

38. Difficilis res est juventus, quia jactabilis, fallibilis, labilis est, et vehementioris indiget fræni. Homil. 1. *ad Popul. Antioch.*

JOAN. GERS. 39. Angelicus juvenis, senibus satanizat in annis. Tract. *de Parvul. ad Christ. trahendis*, consid. 1.

JOAN. TRITH. 40. Qualem te senem esse desideras, talis nunc quoque juvenis vivas. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 2.

LUDOVICUS BLOSIUS. 41. Juventutis ætas admodum solet esse indomita, atque omnis regiminis impatiens ac sæculo dedita. In *Apolog. pro Thaulero*, cap. 5.

PETR. CELL. 42. Juvenum forma decentior, aspectus gratiosior, cibus abundantior, potus crassior, aer salubrior, terra fertilior, amœnitas jucundior, parvus his enervatur animus. Lib. 3, epist. 10.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 43. Juventus ad voluptatem propensior est. Lib. 7 *Ethic. ad Nicomach.* cap., 14.

44. Maxime intendendum est circa disciplinam juventutis : nam id neglectum in civitatibus affert Reipublicæ detrimentum. Lib. 8 *Polit.*, cap. 1.

CICERO. 45. Juvenes aptissimi ad cupiendum sunt, potentesque facere quæcunque cupiant, et vehementer quidem cupiunt, cessant autem cito. Lib. 2 *Rhetor.*, cap. 12.

PLATO. 46. Omnium juvenum natura, ardens et quasi ignea, minime quiescere potest. Lib. 2, *de Legib.*

SENECA 47. Ingrata est juventus. Lib. 4 *Benef.*, cap. 17.

Vide etiam tit. *Deliciæ*, sent. 79; *Lascivia*, sent. 23; *Malitia*, sent. 71; *Personarum accept.* sent. 30; *Pulchritudo*, sent. 35; *Severitas*, sent. 23; *Spes*, sent. 72; *Taciturnitas*, sent. 36; *Vinum*, sent. 61.

## LABOR.

CICERO. *Definitio.* Labor est functio quædam, vel animi, vel corporis gravioris operis et muneris. Lib. 2, *Tuscul. quæst.*

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Est labor interioris hominis, est labor et exterioris. Labor interioris, labor est scientiæ : labor exterioris, exercitium est operationis. *Prosec.*

Labor scientiæ in tria dividitur : in laborem disciplinæ, exercitii, et doctrinæ.

In pueritia labor disciplinæ, in juvente exercitii, in senio doctrinæ : ut qui nescit, in pueritia discat : quæ didicit, in juventute ad usum ducat : quod ad usum duxit, in senio doceat. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 14.

HUGO A S. VICTORE. *Productio.* Otium stultitiam, labor scientiam generat. *Ibid.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Magna bona non acquiruntur, nisi magno labore. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 16.

S. ATHAN. MAGNUS. 2. Nemo est mortalium, qui non laboret in ista misera vita, sive sit inops, sive sit opulentus, sive servus, sive liber, sive peccator, sive justus, omnes æque laborant. *Prosec.*

3. Alia enim ratione justus, alia peccator laborat : siquidem justus ideo in labore est, ut Deum quærens affligat corpus suum, donec percipiat immarcessibilem coronam, quæ illi reposita est.

4. Peccator vero laborat, non justitiæ causa, sed ob carnem suam fovendam, alios atque alios labores suscipiens. *De virginit.*

S. AUGUST. 5. Nihil amicis hujus mundi laboriosius, quam non laborare. *De vera Relig.*, cap. 35.

6. Quantis laboribus agitur, ut longiore tempore laboretur? Epist. 45, *ad Armentarium.*

7. Vis desideriorum facit tolerantiam laborum. *De Patient.*, cap. 4.

8. Non perdidi laborem meum : dicitur labor non periisse, non quia manet perpetuus, sed quia non est inaniter fusus. *Ibid.*, cap. 29.

9. Nullo modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant : sicut venantium, aucupantium, piscantium, vindemiantium, negotiantium, ludo aliquo sese oblectantium. *Prosec.*



10. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur.

11. Quam pudendum et dolendum est, si delectat labor, ut fera capiatur, ut cuppa et saeculus impleatur, ut pila jaciatur; et non delectat ut Deus acquiratur. *De Bono viduit.*, cap. 21.

12. Quid est hoc, quod cum labore meminimus, sine labore obliviscimur? cum labore discimus, sine labore nescimus? cum labore strenui, sine labore inertes sumus? *Prosec.*

13. Desidia, segnities, pigritia, negligentia vitia sunt, quibus labor fugitur, cum labor ipse etiam, qui est utilis, pœna sit. Lib. 22, *de Civit. Dei*, cap. 22.

14. Si ubi est timor operetur labor, ubi erat labor, erit et amor. Lib. 2, *de Adulterinis conjugiis*, cap. 13.

15. Bonum opus non multum laborat, malum opus habet laborem. Super *Psalm.* LXXXXII.

16. Non recusetur labor, si adest amor : quoniam qui amat, non laborat. Omnis enim labor non amantibus gravis est. Tract. 48, super *Evang. Joan.*, cap. 10.

17. Pausationem non quærit, qui laborem non sentit. *De catechiz. rud.*, cap. 17.

18. Fructus solet laborem consolari. Expos. super *Epist. ad Galat.*, cap. VI.

19. Tentat labor, ut frangat. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 16.

20. Labor nullus, amor magnus. Lib. 4, *de Musica*, cap. 9.

21. In hoc mundo non laborare, impossibile est. Epist. 82.

S. BASILIUS MAGNUS. 22. Labores longa consuetudine familiares redditi, minor cum molestia iis ingruunt, qui iis assueverint. Apud. D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.* cap. 70.

23. Laboribus sanitas, et sudoribus salus comparatur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 103.

24. Laboris et quietis repetita identidem vicissitudo, lassitudinem laborantes sentire non sinit. *De Instit. Monachor.*, serm. 1.

25. Labores quibus diutino usu assueveris, minus offendunt, si inciderint in exercitatum. Orat. 2, *de Laude jejunii.*

S. BERNARD. 26. Omnis laboris remedium, alterius laboris initium est. Serm. *de primordiis.*

27. Causam laboris quisque cogitet in labore ; ut ipsa ei pœna, quam patitur, culpam pro qua patitur, repræsentet. Serm. 4, *ad Fratres.*

28. Qui in labore hominum non sunt, in labore dæmonum profecto erunt. Serm. 23, super *Cant.*

29. Multa quæ respuis otiosus, post laborem sumes cum desiderio. Epist. 1, *ad Robertum Nepotem suum.*

30. Nullus ibi apparet labor, ubi verus est amor. Serm. 14, *de Cœna Domini.*

S. BONAV. 31. Bonorum laborum gloriosus est fructus, sed malorum nullus. Super *Luc.*, cap. VI.

32. Misera sane et extremæ dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, et præparatum diabolo stridorem eligere sempiternum. Serm. 4. *in die Ciner.*

33. Quis unquam sine labore dives? quis sine labore aliquam artem didicit? quis absque labore sapiens esse poterit? Serm. 2, *de S. Gregorio.*

34. Gustata utilitas et suavitas virtutis, lenit pondus laboris. Lib. 1, *de Profect. Relig.*, part. 1, cap. 3.

S. CYRILLUS ALEX. 35. Ne terreat quemquam labor, etiamsi vitæ laudabilis aspera se ostendat via, etiamsi difficilis atque ardua ad virtutem semita proponatur. *Prosec.*

36. Non est enim, non est cuiquam datum, ut exiguos erogando labores, actionum præstantissimarum eximiis opibus ditescere liceat : sed perpetuo sudoribus proportione respondent, qui ex illis existunt fructus. Homil. 15, *de Festis Paschal.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 37. Promptior fit omnis operarius ad perferendos labores, si præmium laborum præviderit : qui vero sine præmio laborant, et anima et corpus illis concidit. *Cateches.* 18.

S. EPHRÆM. 38. Honestos labores laboriose ac studiose suscipito, ut labores inanium laborum effugias. *Prosec.*

39. Justorum enim labores, fructum vitæ proferunt : at labores peccatorum, laqueis et ærumnis pleni sunt. *De Recta vivendi ratione*, cap. 25.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 40. O quanti, et quam diuturni labores subito pereunt, dum id quod acquirere studemus, custodire negligimus! Homil. 4, *ad Monach.*

41. Valde dura et nimis dolenda conditio omni intentione studium laboris impendere, et fructum non recipere post laborem. *Ibid.*

42. Opus est ut laborem corporalem, spiritualis fructus subsequatur. *Ibid.*, homil. 8.

S. FRANCISC. ASSISIAS. 43. Laborandum et cuique exercitandum est in opere, ne otio deditus per illicita corde aut lingua vagetur. In suis *Opuscul.*, oraculo 17.

S. GREGOR. MAGNUS. 44. Nonnulli hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant. *Prosec.*

45. Et nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent : quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Lib. 6 *Moral.*, cap. 17.

46. Laborantem consolari, est pariter in labore persistere : quia sublevatio est laboris, visitatio collaborantis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

47. Cum labore, quæ æterna sunt mens discit, sed horum repente obliviscitur, si laborare desierit. *Ibid.*, lib. 8, cap. 20.

48. Sæpe agitur in animo perfectorum, quod cum laborem suum sine fructu esse considerent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Lib. 2 *Dialogi*, cap. 3.

49. Quibusdam pravis mentibus nihil est laboriosius, quam si eis præcipiatur ut in hujus mundi actibus non laborent. Homil. 10, super *Ezech.* super illud : Oseæ x : *Ephraim vitula docta*, etc.

50. Unusquisque quanto amplius pro æterna vita laborare conatur, tanto ferventius ad laborandum sancti Spiritus ardore succenditur. Lib. 6, in 1 *Regum*, cap. III.

HAYMO. 51. Laborare debet homo unde vivat, non unde dives efficiatur. Serm. *Dom.* 16, *post Pent.*

S. HIERON. 52. Labore terreris? at nemo athleta sine sudore coronatur. Epist. 1, *ad Heliodor.*

53. Nihil sine magno labore vita dedit mortalibus. Epist. 13, *ad Paulin.*

54. Quamvis magnus, facile contemnitur labor, ubi non tam laboris quantitas, quam ejus utilitas cogitatur. Epist. 5, *ad Virginem in exilium missam.*

55. Ad contemnendos labores, experimenti opus est usu. Epist. 6, *ad Amicum.*

56. Magis quilibet labor suscipitur, si ante oculos præponatur ipsius laboris utilitas. In *Regula monachorum.*, cap. 18, *de Laude Religion.*

57. Nihil injustius est, quam alterius labore alterum perfrui : et hoc justissimum est, ut suo quis labore frueretur. Super *Ecclesiasten*, cap. II, super illud : *Non est bonum homini*, etc.

58. Pius labor, sed periculosa præsumptio. Super *Evangelia*, in princ. Præfat.

59. Labor exercendus est, sollicitudo tollenda. Lib. 1, super *Matth.*, cap. VI, super illud : *Ne solliciti sitis*, etc.

60. Omnia sunt cum labore, sola charitas sine labore est. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. V, in illud : *Per charitatem servite*, etc.

61. Qui experiuntur semetipsos, ex labore proprio discunt ignoscere laborantibus. Super *Epist. ad Ephes.*

S. HILARIUS. 62. Labor ministerium corporis est, fructus vero merces laboris. Super *Psalm.* CXXVII.

HUGO A S. VICTORE. 63. Labore caro affligitur, otio nutritur. Lib. 2, *de Claustr. animæ*, cap. 14.

HUGO CARD. 64. Ut delectet labor, Dominus condimentum triplicis herbæ apponit, dans pietatem in intentione, alacritatem in affectione, humilitatem in executione. Super *Genes.*, cap. 48.

S. IGNATIUS MART. 65. Præsens labor modicus, multa autem (quæ hinc expectatur) merces est. Epist. 4, *ad Mariam Cassobolitem.* JOAN. CASS.

66. Ubi laboris plus est, ibi et plus emolumenti. *Ibid.*, epist. 11, *ad Polycarp. episc. Smyrn.*

67. Semper æquanimius quælibet fatigatio sustinetur, et sine fastidio labor impenditur, si interjecta ei vicissitudo quædam, vel operis immutatio qualiscunque succedat. *De Cœnob. inst.*, lib. 3, *de noct. Orat.*, cap. 11.

68. Labor est parvi temporis, merces autem laboris finem non habet, neque cedit tempori, neque marcescit; sed perpetua est, et immortalis. Homil. 42, super *Gen.* S. JOAN. CHRYSOST.

69. Laboris desidia insolescit hostis sævitia. Serm. *de Genesi.*

70. Omnia Deus posuit in labore, ut in omni re mercedem præparet. Homil. 29, super *Matth. Oper. imperf.*

71. Servus laborando oculos heri sui respicit, mercenarius operator ad operis sui dominum præmia daturum, discipulus ad præceptorem. Serm. 17, super *Epist. ad Rom.*

72. Labor Christiani occasio est præmiorum futurorum. Homil. 42, super I *Cor.*

73. Non propter spem regni cœlestis, sed ut Deo placeat, viro bono est laborandum. *Ibid.*

74. Labor immensus in mundanis, fructus autem parvus, et sæpius ne parvus quidem. Homil. 9, super II. *Cor.*

75. Sufficit tibi labor, quem pateris in vita propter usus necessarios : noli superflue pro superfluis laborare, ne labor quidem fiat tuus, fruitio autem alterius. Homil. 16, super *Matth. Oper. imperf.*

76. Facilis labor, quem amor operatur. Serm. *Septuages.* JOAN. GERS.

77. Habet labor iste solatium, quem divinis moris confirmat incendium. Lib. 2, *de Vir. illustr. ord. S. Bened.* JOAN. TRITH.

78. Habet labor ipse solatium, quem amor inflammat. Orat. 2, in *Conventu Abbat.*

79. Satius ac præstabilius est, a laboribus ad requiem, quam a voluptate ad cruciatum proficisci. Lib. 2, epist. 174, *ad Theodos. presbyt.* S. ISIDORUS PELUSIOTA.

80. Laborum præmii spes, magnum affert præclarumque solatium. Lib. 6, *de Div. Inst.*, cap. 9. LACT. FIRM.

81. In suscipiendis perferendisque laboribus, vis officiumque virtutis est. *Ibid.*, lib. 3, cap. 8.

82. Certe nullus labor est recusandus, quod id acquiratur, quod nullo modo possit amitti. *Ibid.*, lib. 6, cap. 4.

83. Dum plus justo caro per inordinatos labores affligitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur. *De Ligno vitæ*, Tract. 2, *de Sobriet.*, cap. 4. S. LAURENT. JUSTIN.



S. LEO I. 84. Liberius suscipitur labor pro desiderio voluptatis, quam pro amore virtutis. Serm. 2, *Quadrag.*

MINUT. FEL. 85. Vires et mentis et corporis, sine laboris exercitatione torpescunt. In suo *Octavio.*

S. NILUS. 86. Ille laboriosus est, cui non tempus superat. *Parænes.*, 24.

87. Cum ad labores manum moveris, lingua psallat et mens oret. *Ibid.*, *Parænes.* 80.

S. PETRUS DAMIANUS. 88. Si laboris delectat exercitium, habet sancta quies laborem suum. Lib. 6, epist. 5, *ad Monach. Cluniacen.*

PHILO JUD. 89. Mortali nemini adipisci bona sine labore datum est. Lib. 2, *de Sacrific. Abel.*

90. Qui otium ut noxium fugiunt, ad laborem se applicant. Lib. *Quod omnis probus liber sit.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 91. Regium corpus minime labore tentatur : quisquis enim palam laborem capessit, nequaquam labore vincitur. *De Regno ad Arcadium.*

92. Laboris cessatio sæpe aliorum laborum initium est. In *Catastasi.*

S. VALER. EPISC. 93. Nihil est quod non labor exuperet, si tamen in alteram partem, ut assolet, animus non declinet. Homil. 3, *de Arcta vita.*

94. Non potest fieri ut corpus assuescat labori, nisi voluntas obtemperet laboranti. *Ibid.*

95. Omnem profecto modum sacrilegæ superstitionis excessit, qui in laboribus justis partem Deo subtrahit, a quo sapientiæ spiritum accepit. *Prosec.*

96. Omnia itaque laborum insignia ad Deum referenda sunt, ne sancti Spiritus dona rescindat. *Ibid.*, homil. 11.

97. Quisquis servus in domini positus potestate laboraverit, necessario domini est : habet quidem gratiam laboris sui, sed domino debet fructum operis impleti. *Ibid.*

IN VIT. PATR. 98. Omnis labor qui supervenit homini, victoria est illi. In *Sent. in fine positis*, sent. 68.

99. Beatus, qui sustinet laborem cum gratiarum actione. *Ibid.*, sent. 99.

S. ZENO EP. ET MART. 100. Ex laboribus fructus est, non ex fructibus labor ; hoc ministerium corporis est, fructus vero merces laboris. Serm. *de Psalm.* CXXVII.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 101. Labor exsiccat. *De diuturn. et brevit. vitæ.*

102. Est mollitiei laboriosa fugere. Lib. 3, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 8.

103. Simul mente et corpore laborare non oportet, cum invicem impedire nata sint ; labor quidem corporis mentem, mentis autem corpus. Lib. 8, *Politic.*, cap. 4.

104. Mollities et mollis est succumbens laboribus : non certe omnibus, sed quos alius aliquis necessario duxerit sustinendos. Lib. 2, *Magnor.*, cap. 6.

105. Conserva potius, quæ sunt jam parta labore. CATO [illegible]

105. bis. Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas. Lib. 1, *Distich.* 76.

106. Suavis est laborum præteritorum memoria. Lib. 2, *de Finib.* CICERO.

107. Consuetudo laborum, perpessionem dolorum efficit faciliorem; nam ferre laborem, contemnere vulnus consuetudo docet. Lib. 2, *Tuscul. quæst.*

108. Moderati labores efficiunt, ut corpora sint bene constituta. *de Philosoph.*

109. Interdum continuatus labor, firmiores facit : sæpe quos labor roboraverat, desidia consumpsit. Lib. 1, *Controvers.* 8. SENECA.

110. Non est vir fortis et strenuus, qui laborem fugit. Epist. 22.

111. Generosos animos labor nutrit. Epist. 31.

112. Nullum laborem recusant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur. Epist. 51.

113. Pigro supplicii loco labor est. Epist. 71.

114. In quibus præcedere debet labor, hæc tibi opta evenire post laborem. Sent. 117. SIXT. PHILOSOPH.

115. Quantum laboras pro corpore, si tantum labores pro anima, sapiens eris. *Ibid.*, sent. 291.

Vide etiam tit. *Difficultas*, sent. 55 ; *Dolor*, sent. 60 ; *Felicitas*, sent. 19, 20, 50 ; *Humilitas*, sent. 129, *Meritum*, sent. 52 ; *Passio* in genere, sent. 64 ; *Peregrinatio*, sent. 13 ; *Remissio animi*, sent. 33 ; *Remuneratio*, sent. 8, 9, 10, 19, 24, 43 ; *Requies*, sent. 48 ; *Tempus*, sent. 122 ; *Vanitas*, sent. 27 ; *Vita humana*, sent. 9 ; *Usus*, sent. 53.

## LACRYMA.

*Divisio.* Tres sunt species lacrymarum : amara, calida, dulcis. Amara, cum pro se effunditur ; calida, cum pro aliis emittitur ; dulcis cum pro desiderio regni cœlestis fletur. Expos. 1, super *Psalm.* CXVIII, in illud : *Exitus aquarum*, etc. S. BONAV.

Est fletus compunctionis, fletus compassionis, fletus devotionis. Tit. 7, *Diætæ*, cap. 3.

*Differentia.* Tres sunt lacrymarum differentiæ. Sunt lacrymæ quædam rerum apparentium, et eæ amaræ valde sunt, et vanæ ; sunt lacrymæ doloris ac pœnitentiæ, et illæ sunt dulces, et utiles vehementer ; sunt lacrymæ impœnitentiæ, et ubi fletus est, et stridor dentium, et hæ acerbæ valde sunt, et inutiles. *De timore Dei.* S. [illegible]

*Comparatio.* Sicut sol post pluviam clarior ful- HUGO A S. VICTORE.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

get, sic Christus post irrigationem lacrymarum benignior apparet. Lib. 3, *de Claustro animæ*, cap. 7.

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Si qui non habent quod fleant, lapsus fleant peccantium : etenim qui aliorum lapsus fleverint, suos cavebunt. In *Exhort. ad virgines.*

2. Piis est affectibus quædam etiam flendi voluptas, et plerumque gravis lacrymis evaporat dolor. *De Obitu Valentiniani imperat.*

3. Non solus dolor lacrymas habet, habet et lætitia lacrymas, et pietas fletum excitat, et oratio stratum rigat. *De Obitu Satyri fratris sui.*

4. Ipsæ dulces sunt lacrymæ, ipsi fletus jucundi quibus restinguitur ardor animi, et quasi relaxatus evaporat affectus. *Ibid.*

5. Flere in oratione, virtutis est. *Ibid.*

6. Flere familiare virginibus est, quibus mollior sexus tenerior affectus contuitu communis fragilitatis. *Ibid.*

7. Lacrymæ, tacitæ quodammodo preces sunt; veniam non postulant, et merentur : causam non dicunt, et misericordiam consequuntur. Serm. 46.

8. Antequam fleret Petrus, lapsus est : postquam flevit, erectus est, et qui ante lacrymas prævaricator extitit, post lacrymas pastor assumptus est. *Ibid.*

9. Nescit flere, qui flenda adhuc committit : et cum sit ipse lacrymabilis, non habet culpæ lacrymas suæ. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 7, vers. 7.

10. A sancto viro plus culpa, quam ærumna defletur. *Ibid.*, serm. 18, vers. 8.

11. Ablue te lacrymis tuis, lava te fletibus : si tu ipse te fleveris, alius te non flebit. Nam si Saul flevisset peccata sua, Samuel eum non flevisset. Lib. 5, super *Lucam*, cap. 6, in illud : *Beati qui nunc fletis.*

12. Qui flet, non superbit, sed mitis est et pacatus : qui luget, humiliatur. *Ibid.*

13. Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego : sed quod defendi non potest, ablui potest. *Prosec.*

14. Lavant lacrymæ delictum, quod voce pûdor est confiteri.

15. Et veniæ fletus consulunt, et verecundæ lacrymæ sine horrore culpam loquuntur.

16. Lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur.

17. Lacrymæ veniam non postulant, sed merentur.

18. Bonæ lacrymæ, quæ lavant culpam : quos Jesus respicit, plorant delictum.

19. Negavit primo Petrus, et non flevit, quia non respexerat Dominus.

20. Negavit secundo, et non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus.

21. Negavit et tertio, et respexit Jesus, et ille amarissime flevit.

22. Flevit amarissime Petrus, flevit ut lacrymis suum posset lavare delictum : et tu si veniam vis mereri, dilue culpam lacrymis tuam. Lib. 10, super *Lucam*, cap. 22, illud : *Nescio quid dicas.*

23. Qui lapsus es, Petre? antequam fleres : postquam flevisti erectus es, ut alios regeres, qui teipsum ante non rexeras. *Ibid.*

24. Quia post baptismum inquinamus vitam, baptizemus in lacrymis conscientiam. *Prosec.*

25. Iniquinati post aquam salutis, renascamur in lacrymis. Et habet. apud Bedam.

S. ATHANAS. MAGNUS. 26. Magna virtus in lacrymis est; et præclara per eas fiunt : magna enim peccata, et iniquitates per lacrymas obliterantur. *De Virginit.*

S. AUGUST. 27. Nunquam divinitas preces ac lacrymas despicit peccatorum. Epist. 197, *ad Bonifac.*

28. Valde durus cujus mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare. *Prosec.*

29. Sciat culpabiliter se durum, qui deflet damna temporis, et dolorem peccati lacrymis n n ostendit. *De Vera et falsa pœnitent.*, cap. 9.

30. Ubi fuerint lacrymæ, ibi spiritualis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat. *De Salut. document.*, cap. 43.

31. Quanto quisque est sanctior, et desiderii sancti plenior, tanto fit ejus fletus uberior. Lib. 20, *de Civit. Dei*, cap. 17

32. Plorat in gemitu, qui orat : dulciores sunt lacrymæ orantium, quam gaudia vanitantium. Super *Psalm.* CXXVII.

33. Multi flent fletu Babylonico, quia et gaudent gaudio Babylonis : quia gaudent lucris et flent damnis, utrumque de Babylonia est. *Prosec.*

34. Flere debes, sed recordando Sion : si recordando Sion fles, et quando tibi secundum Babyloniam bene est, oportet ut fleas. Super *Psalm.* CXXXVI, vers. 1 : *Super flumina Babylonis*, etc.

35. Veræ consolationis et lætitiæ testes et nuntii, sunt suspiria et lacrymæ. *De Scala paradisi*, cap. 6.

36. O felices lacrymæ ! per quas maculæ interiores purgantur, per quas peccatorum incendia extinguuntur. *Ibid.*

37. Sicut comes pœnitentiæ dolor est, ita lacrymæ testes doloris sunt. Hom. 50, *ex Quinquag. Hom.*

38. Lacryma sancta motus illicitos extinguit, paradisum aperit, infernum claudit. *Prosec.*

39. O felix lacryma ! tu carnalem cogitationem



extinguis, peccatorum morbum expellis, virus culpæ evomis.

40. O felix tabula ! o vitalis navicula ! per quam naufragus redire potest ad portum salutis.

41. O aqua salutaris ! per quam omne peccatum destruitur : o vita ! per quam ad paradisum gradimur.

42. O spiritale conductum ! per quod de invio ad viam transitur.

43. O felix lavacrum lacrymarum ! quod toties vales ad purgandum, quoties purgatione indiget cor humanum.

44. Hæc est herba cœlestis illius fullonis, qua vestes servorum suorum deturpatas a sorde quotidie purgat.

45. Hoc est cœleste nitrum, quod de rore divinæ gratiæ confectum, abstergit maculas peccatorum.

46. Hoc est lixivium, quo interioris hominis caput optime abluitur. Serm. 2, *ad Fratr. in eremo.*

47. Fieri non potest, ut filius lacrymarum pereat. Lib. 3 *Conf.*, cap. 12.

S. BASILIUS MAGNUS. 48. Lacrymarum erumpentes, afflictionis copiam discutiunt. Epist. 69.

S. BASILIUS SELEUC. 49. Peccatum lacrymis curatur, peccatum lamentis expurgatur, animæ illuvies oculorum fontibus extergitur. Orat. 17.

S. BERNARD. 50. Lacrymæ pœnitentium vinum Angelorum sunt, eoquod in illis vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas, redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ. Serm. 30, super *Cant.*

51. Quid dulcius lacrymis charitatis ? flet charitas, sed ex amore, non ex mœrore : flet ex desiderio, flet cum flentibus. *Ibid.*, serm. 58.

S. BONAV. 52. Viri sancti in tribulatione, vel contritione vehementi, non solent parcere oculis. Super *Lamentation., Hierem.*, cap. 2.

53. Peccator es, melius est tibi lacrymas fundere, quam perire. Serm. *de S. Catharina.*

54. Quanto quisque sanctior est, et sancto desiderio plenior, tanto est in orando ejus fletus uberior. Serm. 5. *de una Confess.*

55. Vis amoris per lacrymas emanat : et ideo ubi amor non est, lacryma cessat. Tit. 7 *Diætæ*, cap. 3.

56. Lacryma spiritum contritum lavat, ipsum devotum levat, spiritum malignum necat, terram cordis irrigat, sitim sedat, orando efficaciter impetrat. *Ibid.*

57. Flammam suggestionis extinguit citius aqua lacrymarum. *Ibid.*

58. Lacrymarum effusio peccatorum vulnera lavat, et mundificat. *De sex alis Cherubim, ala 2*, penna 2.

CASSIODOR. 59. Fletus cibus est animarum, corroboratio sensuum, absolutio peccatorum, refectio mentium, lavacrum culparum. Super *Psalm.* XLI, vers. 3 : *Fuerunt mihi lacrymæ*, etc.

60. Lacrymæ, quæ in conspectu Domini ponuntur, jucundæ sunt : quia non cruciant, sed a cruciatibus liberant. Super *Psalm.* LV, vers. 8 : *Posui lacrymas meas*, etc.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 61. David pœnitens vindicabat lacrymis concupiscentem oculum. *Cateches.* 2.

DIONYSIUS CARTHUS. 62. O humilis lacryma ! tua est potentia, tuum est regnum : tribunal judicis non vereris, accusatoribus effundentium te imponis silentium. *Prosec.*

63. Non est qui te accedere vetet, nec vacua redis : magis affligis diabolum, quam infernale supplicium; tu vincis invincibilem, et ligas omnipotentem. Super *Hymn. Quadrag. ad Vesperas.*

S. ELIGE. 64. Magnus profectus est lacrymarum ; plorando servus propitiatur Domino, filius lacrymis mitigat patrem, et asperam matrem plorans mulcet parvulus. *Prosec.*

65. Ita et peccator profusis fletibus removet iram Dei : Petrus enim trinam negationem lacrymis diluit. Hom. 11.

66. Lavatur et mundus est, qui et prœterita plangit, et flenda iterum non admitit. *Prosec.*

67. Lavatur et non est mundus, qui plangit quæ gessit, nec deserit : et post lacrymas, ea quæ fleverat repetit. *Ibid.*, homil. 8.

S. EPHRÆM. 68. Ubi lacrymæ abundant, ibi cogitationes sordidæ non approximant. Et habetur apud Bedam, in suis Scintillis, cap. 6

S. EUSEBIUS EMISSEN. 69. Multo opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis, ad sanandos ipsius cordis dolores. Homil. 5, *ad Monach.*

FRANCISCUS TITELM. 70. Non potest sæculi convivis tam esse suavis cujuscunque liquoris per os et guttur ingurgitatio, quam est peregrinis Dei per natantes oculos, lacrymarum effusio. *In Annot. super Psalm.* XLI, vers. 3.

S. FULGENT. 71. Humilium fletus, magnus est concupiscentiæ carnalis interitus. Epist. 4, *ad Probam*, cap. 5.

72. Lacrymæ quæ ex compunctione cordis veniunt, et inimicum vincunt, et nobis donum lætitiæ triumphalis acquirunt. *Ibid.*

GLOSS. INT. 73. Lacrymæ pondera vocis habent : impetrant, non supplicant. Super *Judith*, cap. 8.

GLOSS. ORD. 74. Lacrymæ consolantur, quibus crimina abluuntur. Super *Thren.*, cap. 3.

S. GREGOR. MAGNUS. 75. Luctu anima suo pascitur, cum ad superna gaudia flendo sublevatur : et intus quidem doloris sui gemitum tolerat, sed eo refectionis pabu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lum percipit, quo vis amoris per lacrymas emanat. Libr. 5 *Moral.*, cap. 7, super illud *Job.* 3 : *Antequam comedam suspiro.*

76. Quo uberius culpa fletur, eo altior cognitio veritatis attingitur : quia ad videndum internum lumen, polluta dudum conscientia lacrymis baptizata renovatur. *Ibid.*, lib. 27, cap. 12.

77. Quasi sus in lutosa aqua semetipsum volvit, qui dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas etiam ipsas lacrymas facit. Parte 3, *Pastoral.*, cap. 1, admon. 31.

S. GREGOR. NYSS. 78. Lacryma fidelis quædam custos eorum est, qui verum quærunt virtutem. *De vita Moysis.*

S. HIERON. 79. O beata rerum commutatio! flevit, ut semper rideret. Ep. 27, *ad Eustoch.*

HUGO A S. VICTORE. 80. Lacryma brevis est et clara, cito arescit, valida est, amara et falsa. Lib. 4, *de Propriet. rer.*, cap. 10.

HUGO CARD. 81. Melius est aquas lacrymarum pro peccatis effundere, quam vinum lætitiæ de bonis factis potare. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

S. INNOC. III. 82. Lacrymæ quanto amariores sunt pœnitenti, tanto dulciores sunt indulgenti. Super *Psalm.* VI, vers. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 83. Sicut de magno gaudio fletus sæpe procedit : ita de magno fletu, sæpe nascitur gaudium. Ser. 1, *Dom. 3 Advent.*

84. Charitatis fletus, quolibet risu, quolibet solatio sunt amœniores. Homil. 32, *super I Cor.*

85. Non sic quemquam risus delectat sicut pro charis lacrymæ effusæ. *Ibid.*

86. Lacrymas amantium siste, velut intolerabile quiddam, dolebunt. *Ibid.*

87. Nihil jucundius oculis illacrymantibus : peccata expurgant lacrymæ, faciem formosam ac venustam exhibent. Homil. 12, super *Epist. ad Coloss.*

88. Magnus est lapsus tuus, major sit lacrymarum tuarum torrens : unde peccatum processit, oriatur fons medicinæ. Homil. 22, *ab popul. Antioch.*

89. Magnus profectus est lacrymarum, ut plorando servus propitiet Dominum, filius lacrymis mitiget Patrem, et parvulus asperam matrem plorans muleeat. In sermone *de Pœnit.*

90. Lacrymæ sunt, quæ radunt rudera, et sanant vulnera. *Ibid.*

91. Lacrymæ sunt, quæ pœnitentiam armant, indulgentiam provocant, cœlum pulsant, crimina delent, et conscientiam degravant. *Ibid.*

92. Rogum peccatorum jam extinguimus, non aquis multis, sed parvis cum lacrymis. Homil. 5, *de Pœnit.*

JOAN. GERS. 93. Lacrymæ de corde prodeuntes tantæ sunt efficaciæ, quod Deo imperant, ut omnia dimittat, eumque mitigant quantumcumque prius fuerit succensus. Serm. *de quærendo Dom.*

JOAN. TRITH. 94. Magna est utilitas lacrymarum : quia nullum est tam grave peccatum, quod contritio lacrymis non deleat comitata. Lib. 1, homil. 14, ad *Monach.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 95. Qui veras lacrymas indesinenter fundit, et tamen peccare non desinit ; hic lamentum habet, sed mundationem non habet. Et habet. apud Bedam, in suis *Scint.*

96. Esto tantum pronus ad lamenta, quantum fuisti pronus ad culpam. *Ibid.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 97. Si desunt exteriores lacrymæ, non desint interiores : sine illis potes placere Deo, sine his non potes. In *Can. vitæ spirit.*, cap. 4.

98. Si desunt tibi lacrymæ oculorum, ploret cor : et pro lacrymis quas non habes, offer Deo Patri lacrymas Christi. In *Speculo spirit.*, cap. 10.

99. Lacrymæ verecundiæ consulunt, pariter et saluti ; nec erubescunt in petendo, et impetrant in rogando. Homil. 3, *de pœnit. Petri.*

S. MAXIMUS EP. TAURIN. 100. Utiliores lacrymarum preces sunt, quam sermonum : quia sermo in precando forte fallit, lacryma omnino non fallit : sermo interdum non totum profert negotium, lacryma semper totum prodit affectum. *Ibid.*

101. Videte quantum fletus profuerit Petro. Antequam fleret, lapsus est : posteaquam flevit : electus est. Et qui ante lacrymas prævaricator extitit, post lacrymas pastor assumptus est ; et alios regendos accepit, qui prius seipsum non rexit. *Ibid.*

S. NILUS. 102. Nunquam pauperem despicias lacrymantem, ne contra despiciatur orationis tuæ lacryma. *Parænes.* 158.

103. Balneum bonum est animæ, orationis lacryma. *Ibid.*, *Parænes.* 195.

PETR. CELL. 104. Lacryma remollit aspera, rigida recurvat, humectat arida, sterilia fœcundat, sordida lavat, decorat fœda, suscitat emortua, reserat clausa, prohibita accelerat, intemperata temperat. *De panibus*, cap. 12.

105. Lacryma portas refringit inferi, carbones extinguit ferreæ fornacis, vincit invincibilem, ligat omnipotentem, naufragium est vitiorum portusque naufragatorum. *Ibid.*

106. Satan tolerabilius sustinet flammam suam, quam peccatoris lacrymam ; acriusque contriti cordis lacryma, quam flamma infernalis incendii torquetur. *Ibid.*

107. Sterilis est omnis effusio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum cœlorum. *Ibid.*

S. PETRUS DAMIANUS. 108. Lacrymarum mador animam ab omni labe



purificat, et ad proferenda virtutum germina cordis arva fœcundat. *Opuscul.* 13, cap. 12.

109. Lacrymæ quæ a Deo sunt, divinæ exauditionis tribunal fiducialiter adeunt, et impetrantes præsto quod petunt, de peccatorum certa remissione confidunt. *Ibid.*

110. Lacrymæ sunt in fœderanda inter Deum et homines pace sequestres. *Ibid.*

111. Lacrymantes oculi diabolum terrent, et sic Lacrymarum erumpentium expavent impetum, ac si procellosi nimbi grandinem, vel furentium undique ventorum effugiat tempestatem. *Ibid.*

S. THEOPH. 112. Absque compassione et lacrymis esse, bestiarum est : multum autem lacrymari, plorare, et contristari, mulierum. Super *Joan.*, cap. 11, in illud : *Vidit eam plorantem.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 113. Lacrymæ, quas mœrendo emittimus, calidæ sunt ; quas oculis laborando, frigidæ : quia frigidum incoctum crudumque est, calidum concoctum. Sect. 31, *Problem.*, quæst. 24.

114. Cum lacryma cruda eorum fit, qui valetudine oculorum laborant, non immerito frigida est. *Ibid.*

CICERO. 115. Nihil lacryma citius arescit. Lib. 2, *de Arte Rhetor. ad Herenn.*

116. Quid etiam est fletu muliebri viro turpius? Lib. 2, *Tusc. quæst.*

SENECA. 117. Plerumque omnis dolor per lacrymas effluit. Lib. 5, *Controvers.*, controvers. 30.

118. Lacryma est indicium inoptatæ rei. Lib. 2, *declamat.*, controvers. 67.

119. Lacrymæ pignora sunt nolentium, et repugnantis animi vultus index. *Prosec.*

120. Nemo unquam quod cupit, deflet : lacrymæ coacti doloris intra præcordia, et intolerabilis silentii eruptio. *Ibid.*

121. Plerique lacrymas fundunt, ut ostendant : et toties siccos oculos habent, quoties spectator deest : turpe judicantes non flere, cum omnes faciant. *De Tranquillit. animi*, cap. 15.

122. Pro amicis lacrymandum est, non plorandum : per lacrymas argumenta desiderii quærimus, et dolorem non sequimur, sed ostendimus nec ergo sicci sint oculi, nec fluant. Epist. 63.

Vide etiam tit. *Compunctio*, sent. 10, 14, 15, 30, 34, 46, 50, 63, 80 ; *Domare*, sent. 21 ; *Exaudire*, sent. 112 ; *Peccatorum remissio*, sent. 34 ; *Peregrinatio*, sent. 29 ; *Pœnitentia*, sent. 130, 298 ; *Resurrectio a peccato*, sent. 47 ; *Servire Deo*, sent. 146 ; *Viduitas*, sent. 63.

## LÆSIO.

HUGO CARD. *Divisio.* Læsio triplex est : propriæ conscientiæ, alterius conscientiæ, famæ. Super *Psalm.* XLXIII.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nemo certe debet lædere, qui sibi consulit. Lib. 5, epist. 29, *ad Theodosium Imperat.*

2. Non hæc sola est forma justitiæ, ut non lædas eum, qui te non læserit ; sed etiam illa ut etiam ei remittas, qui te læserit. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Ecclesiam.*

3. Si te non læsit frater, obsequium meretur, ut diligas : quod si forsitan læsit, magis obsequium meretur, ut vincas. Serm. 10.

S. ANTONIN. 4. Lædit homo alterum quatuor modis : per homicidium, per adulterium, per furtum, per falsum testimonium. Part. 1, tit. 14, cap. 4, § 9.

5. Quanto persona offensa est dignior, tanto gravior est offensio. Part. 4, tit. 14, cap. 5, § 1.

S. ANTONIUS ABBAS. 6. Quicunque in proximum peccaverit in semetipsum delinquit : et qui malefecerit proximo, semetipsum efficit malum. Epist. 2, *ad Fratres.*

S. AUGUST. 7. Qui alterum lædere conatur extrinsecus, se vastat intrinsecus : lædit enim animum suum, qui odit alterum. *De Verbis Dom.*, serm. 9.

8. Quia aliquis te læsit, vis et tu lædere : qui te læsit sua iracundia, tu illum vince tua patientia : qui te læsit sua avaritia, vince illum tua misericordia. Serm. 78, *ad Fratr. in eremo.*

9. Homo es, homo est : lædere voluit, lædere vis ; ecce duo mali estis. *Ibid.*

S. BASILIUS MAGNUS. 10. Difficile factu est, et multa diligentia opus habet, neque in parva, neque in majori re proximum lædere. Super *Psalm.* XIV, conc. 3, vers. 4.

S. BERNARD. 11. Cum quis alterum læserit, moveatur miseratio, moveatur et indignatio tua : alteram læso, alteram lædenti debes. Lib. 3, *de Consid. ad Eugen. pap.*

12. Magnæ virtutis est, si non lædas a quo læsus es : magnæ fortitudinis est, si etiam læsus dimittas. Serm. 40, *ad Sororem.*

S. BONAV. 13. Si is, qui læsus est, frustra orat, nisi indulserit : quomodo putas orat is, qui læsus non est, si ipse per injustitiam alios lædit, et gravat? Super *Luc.*, cap. 11, in illud : *Sicut dimittimus*, etc.

14. Creaturæ, quæ lædunt homines, lædere cœperunt propter peccatum. Serm. 4, *Dom.* 11, *post Pent.*

15. Nullus malus lædit alium in persona, nisi prius lædatur in conscientia. Serm. 4, *Dom.* 21, *post Pent.*

16. Qui nocetur aut injuriatur, et voluntarie parcit proximo, hic secundum naturam Christi est : qui autem nec lædit, nec læditur, secundum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

naturam Adæ est : qui lædit aut injuriatur, hic secundum naturam diaboli est. Lib. 1, *Pharetræ*, cap. 49.

CLEMENS PAPA. 17. Magna impietas est in Deum, lædere hominem : omne ergo quod ipse pati non vis, cum facis alii, imaginem Dei iniquis injuriis fœdas. Lib. 5, *Recognit.*

S. DOROTH. 18. Melius est omnia corporea perire cum corpore, quam in re quavis minima lædi animam. *Doctr.* 24.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 19. Nemo miser putetur, qui in fide, vel in animi virtute non læditur. Homil. *in Litaniis.*

GLOSS. ORD. 20. Vere utilius est, innoxium pœna gravissima vitam finire; quam lædendo fratrem mortem mereri perpetuam. Super *Lucam*, cap. 17.

21. Tanta est offensa, quantus ille qui offenditur. Super *Psalm.* cxxix.

S. GREGOR. MAGNUS. 22. Læsus in præsenti se ulcisci non desiderat, qui etiam tolerans parci optat : sed tamen juste vindicari omnia extremo judicio non ignorat. Part. 2, *Pastor.*, cap. 1, admonit. 10.

S. GREGOR. THAUM. 23. Is qui injuste læsus est, Deum auxiliatorem ac vindicem habet. Super *Eccles.*, cap. 4.

S. HIERON. 24. Sæpe lædunt alii, quos lædere læsus non audet. Epist. 16, *ad Theophil.*

25. Nihil tam contrarium, nihil tam execrabile Deo, quam aliquem lædere velle. Epist. 15, *ad Mauritii filiam.*

26. Etiamsi non lædamus, et tamen non ædificamus; mali verbi nobis luenda est pœna. Lib. 2, super *Ephes.*, cap. 4.

27. Omnis læsio tribulatio est. Super II *ad Cor.* cap. vi, in illud : *In tribulationibus.*

HUGO CARD. 28. Justus læsus non desiderat se ulcisci, sed vindictam Deo reservat. Super *Prov.*, cap. 29.

29. Magnum tormentum est diabolo a læsione hominis cessare : quia tanto gravius dimittit, quanto diutius possedit. Super *Marcum*, cap. 1.

JOAN. CASS. 30. Si rationem diligenter discutias, lædi ab homine, quamvis malignante, non poteris, si ipse impacifico adversum te corde non dimices. *Prosec.*

31. Si autem læderis, non est vitium impugnationis alienæ, sed impatientiæ tuæ.

32. Sicut gravis ac solidus cibus, sano utilis est : ita perniciosus ægrotanti : non autem lædere sumentem potest, nisi ei ad lædendum vires adjecerit percipientis infirmitas. Collat. 18, *Abb. Piammonis*, cap. 16.

S. JOANNES CHRYSOST. 33. Ille vere male affligitur, qui proximo suo negotium facit. Homil. 49, super *Genes.*

34. Prudens atque vigil non offenditur, etiam in media civitate vivens. *Ibid.*, homil. 43.

35. Tu tecum expende, ubi cœperis eum qui te læsit, multo esse, majus ac lucrosius parcere, quam perdere. Homil. 2, *de David et Saule.*

36. Nihil ita lædentes coercet, ut patientia modestiaque læsorum.

37. Ultionis enim exactio lædentes læsosque confundit, ac deteriores facit. Homil. 18, super *Matth. oper. perf.*

38. Non ubique victoria quærenda est : qui enim lædit, superare læsum videtur, sed perniciosa sibi victoria superat. *Prosec.*

39. Læsus si magno animo perfert, quanquam victus videatur, coronam tamen splendidam victoriæ adeptus est. *Ibid.*, homil. 85.

40. Qui prava multorum opinione (cum bonus ipse sit) lædi videtur, nunquam profecto inde fiet, ut talis non sit, qualis est. *Ibid.*, homil. 88.

41. Talis est consuetudo omnium malignorum, quando aliquem in occulto gravius lædere volunt ut humilitatem sibi, et amicitias fingant. Homil. 2, super *Matth. Oper. imperf.*

42. Si tantummodo non lædas eum, qui te læsit, avertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore, et dolor augescit in corde. Lib. 1. *de compunct. cordis.*

43. Si quis læditur, a semetipso læditur, necab ullo alio : etiamsi innumeri sint qui noceant, etsi omnes qui terram et mare habitant, conveniant ad nocendum, nocere nequaquam poterunt ei, qui a semetipso non læditur. Homil. *Quod nemo læditur.*

44. Læsit te quispiam? tu illum beneficiis refove, et magnum quid fecisti. Homil. 3, super I *Tim.*

45. Si aliquem læseris, etiam ipse læderis : si autem læsus fueris, tunc nequaquam læderis. Homil. 25, super *Epist. ad Hebr.*

46. Christianum fidelem in anima nemo lædere potest, nec ipse diabolus. Homil. 21, *ad Populum Antiochen.*

47. Illi soli læduntur, qui lædunt : et nulli alii nocet noxa quam cæteris inferunt, nisi ipsis qui inferunt. Homil. *Quod nemo læditur*, etc.

S. ISIDORUS HISPALENS. 48. Raro læditur homo ab extraneis, si sui eum non lædant. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 26, sent. 3.

49. Magna est virtus, si non lædas a quo læsus fueris : magna est fortitudo, si etiam læsus remittas; magna est gloria, si quem possis lædere, parcas. Lib. 2, *de Synon.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 50. Malum inferre miserius est, quam malo affici. Lib. 2, epist. 257, *ad Eutonium Diacon.*

LACT. FIRM. 51. In homine (quia fragilis est) læsio invenitur : irritat enim læsio dolorem, et dolor facit ultionis cupiditatem. *de Ira Dei*, cap. 17.



LUDOVICUS BLOSIUS. 52. Non indigneris hominibus, qui te lædunt, sed eos divinæ dispensationis satellites esse agnosce, eos dilige, et Deo gratias age. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 9.

S. PETRUS CHRYSOL. 53. Semper offendunt bona malos, pia impios, sancta profanos. Serm. 32.

S. PETRUS DAMIANUS. 54. Læsi non lædamus, et benefaciamus lædentibus : magnum quidem ultra hominem est, asperitatem verborum et verberum, non solum pati, sed et non reddere : illud vero majus est et divinum quiddam sapit, lædentibus benefacere. Serm. 47, *de Exaltatione S. Crucis.*

55. Mitis læsus veniam petit, et benefacit lædentibus. Serm. 55, in *Festo omn. Sanct.*

RICHARD. A S. VICTORE. 56. Stultus est, qui lædit et ignorat quod facit : quia se lædit, et eidem qui lædit obsequium præbet. Part. 2, super *Cant.*, cap. 19.

SALVIANUS. 57. Læditur scelere personali causa cunctorum. Lib. 6, *de Gubernatione Dei.*

58. Nihil leve æstimetur, quo Deus læditur. *Ibid.*

59. Non penitus Dominum suum lædit, cui propitiatio reservatur. *Ibid.*, lib. 7.

60. Cum servus Dei a quoquam læditur, majestas divina violatur. *Prosec.*

61. Ne quis ergo cum lædit Dei servum, hominem tantum a se lædi arbitretur; cum absque dubio injuriis servorum Dei, Dei admisceatur injuria. *Ibid.*, lib. 8.

62. Odium quod corpus lædit, non lædit animam : quia læso corpore, anima extra damnum est, et passionibus carnium, beatitudo spirituum non interpolatur. *Ibid.*, lib. 2, *ad Eccles. Catholic.*

TERTULL. 63. Cum quis te lædit, ut doleas sciat, quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cum fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui. *Prosec.*

64. Tunc non modo illæsus ibis, sed insuper adversarii tui et frustratione oblectatus, et dolore defensus. *De patient.*, cap. 8.

S. VALER. EPISCOPUS. 65. Nunquam profecto sine suspicione vitam ducet, cui est semper necesse cogitare et timere quem læserit. Homil. 12.

66. Non minimam coronam constat reportare victoriæ, qui læsus nescit irasci. *Ibid.*, homil. 17, *de Bono Martyr.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 67. Major injuria est offensa, quæ majus in bonum accepta est. Sect. 29, *Problem.*, quæst. 1.

68. Cum extra rationem sit læsio, infortunium est : cum non extra rationem, sine tamen vitio, peccatum : cum autem sciens quidem, sed non deliberatione præmissa quispiam lædit, injuria est. Lib. 5, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 8.

69. Cum quispiam contra legem lædit non lacessitus, tum is injuriam sponte facit. *Ibid.*, cap. 11.

CATO POET. 70. Cede locum læsus fortunæ : cede potenti :
Lædere qui potuit, prodesse aliquando valebit.
Lib. 4, *Distich.*

CICERO. 71. Sæpe contingit, ut homines eos lædant, quos non debent, aut eos quos non expedit : si scientes, temeritatis est : si imprudentes, negligentiæ. Lib. 2, *de Offic.*

72. In fragili corpore, odiosa omnis offensio est. *De Senect.*

EPICTETUS. 73. Te alius non lædet, nisi ipse velis : tum autem læsus eris, cum te lædit existimaris. In suo *Enchirid.*, cap. 37.

74. Me Anitus et Melitus occidere sane possunt lædere vero non possunt. *Ibid.*, cap. 79, fere per totum.

MIMUS PUB. 75. Heu ! quam miserum est lædi ab illo, de quo non possis queri ! In suis *Sent.*, sent. 163.

SENECA. 76. Nihil est crudelius, quam sic offendere, ut magis sis offensurus, si satisfeceris. Lib. 2, *Controvers.* 12.

77. Læsus es? non est injuria, pati quod prior feceris. Lib. 2, *de Ira*, cap. 30.

78. Aut potentior, aut imbecillior te læsit, si imbecillior, parce illi : si potentior, tibi. *Ibid.*, lib. 3, cap. 5.

79. Diutius irascimur, quam lædimur. *Ibid.*, cap. 27.

80. Nihil quidquam esse potest gloriosius, principe impune læso. Lib. 1, *de Clement. ad Neron.*, cap. 20.

81. Invulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non læditur. *De constant. sapient.*, cap. 3.

82. Validius debet esse quod lædit, eo quod læditur. *Ibid.*, cap. 7.

83. Lædere et lædi conjunctum est. Epist. 95.

84. Miserius est nocere, quam lædi. *Ibid.*

85. Magnarum virium est, negligere lædentem. *De Moribus.*

SIXT. PHIL. 86. Non est verum quod Deum colat, qui hominem lædit. Serm. 356.

87. Neminem lædens, nullum timebit. *Ibid.*, serm. 373.

Vide etiam tit. *Adjutorium*, sent. 2, *Derisio*, sent. 9; *Dilectio inimici*, sent. 52; *Hypocrisis*, sentent. 88; *Injuria*, per totum; *Insidiæ*, sentent. 42; *Nocumentum*, per totum ; *Placare Deum*, sentent. 38, 39 : *Vindicta* in genere. sentent. 22.

LÆTITIA. *Vide* Gaudium.

## LAICUS.

HUGO A S. VICTORE. *Etymologia.* Laicus interpretatur popularis: græce enim λαος, latine dicitur populus. Lib. 2 *de Sacram.*, part. 2, cap. 3.

S. HIERON. *Definitio.* Laicus est, qui nullo gradu ecclesiastico fungitur. Super 1 *ad Cor.*, cap. 14, in illud : *Qui supplet locum Idiotæ?*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Laici superbiunt quadrupliciter : primo, de divitiis ; secundo, de nobilitate generis; tertio de operibus ex genere bonis ; quarto, erubescendo de operibus bonis eis inconsuetis. Part. 2, tit 3, cap. 4.

2. Ignorant laici in sæculo, quid sit tentatio : quia ita occupati sunt vitiis, et pressi occupationibus mundi, quod non expectant tentationes, sed eas præveniunt, et dæmones provocant ad tentandum eos. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 3.

S. CÆSAR. ARELAT. 3. Laudabiliores sunt laici, qui se in medio pelago (Deo auxiliante) custodiunt ; quam religiosi, qui in portu nimia negligentia vel securitate merguntur. Homil. 35.

S. CLEMENS PAPA. 4. Unicuique laicorum peccatum est, nisi invicem sibi etiam in his, quæ ad communis vitæ usum pertinent, operam fideliter dederint. Epist. 1.

5. Nihil injustius vel inhonestius est, quam laicos doctoribus inobedientes vel protervos existere. Epist. 3, *de Officio sacerdotis.*

S. GREGOR. MAGNUS. 6. Plerumque quod in laicis culpa non est, hoc crimen est in sacro ordine constitutis. Lib. 8, in *Registro*, ind. 3, cap. 5, *Epist. ad Sabinum subdiac.*

7. Pudet profecto, pudet aliis laicos imperare, quod ipsi nesciunt custodire. *Ibid.*, lib. 7, ind. 2, cap. 113, epist. 113, *ad Brunichildam.*

8. Nullus ex laico habitu quisquam repente audeat ad locum sacri regiminis pervenire. *Ibid.*, cap. 110, *ad Syagrium episc.*

9. Imitatione vitiorum sacerdotis, laicus corrumpitur. Lib. 5, super *Ezech.*, cap. 16, super illud : *Ergo et tu porta confusionem.*

10. Vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse, quam Clericos. Super *Epist. ad Titum*, cap. 2.

11. Laici christiani, qui terrena, et terrenæ vitæ necessaria tractant, pars corporis Christi sinistra sunt. Lib. 2, *de Sacrament.*, part. 2, cap. 3.

HUGO CARD. 12. Laici sæpissime sunt justiores clericis. Super *Hieremiam*, cap. 3.

13. Peccatum in laico, dolus vel proditio in clerico est. Super *Ezechiel.*, cap. 5.

S. JOANNES CHRYSOST. 14. Vere magna confusio est Sacerdotum et omnium clericorum, quando laici inveniuntur fideliores eis aut justiores. Homil. 40, super *Matth. Oper. imperf.*

15. Quomodo non sit confusio, sacerdotes et clericos esse inferiores laicis, quos etiam æquales esse confusio est. *Ibid.*

16. Melior est laicus, qui in facie sæcularem vitam profitetur, revera autem complectitur spiritualem : quam sacerdos qui in facie profitetur vitam spiritualem, revera autem amplectitur vitam carnalem. *Ibid.*

17. Melior est laicus ante Deum pœnitentiam agens, quam clericus permanens in peccatis. *Ibid.*

18. Laicus fidelis in die judicii stolam sacerdotalem accipiet, et a Deo chrismate ungetur in sacerdotium : sacerdos autem peccator spoliabitur sacerdotii dignitate, et inter hypocritas erit. *Ibid.*

19. Laici delinquentes facile emendantur : clerici autem si mali fuerint, inemendabiles sunt. *Ibid.*, homil. 43.

## LAPSUS. *Vide* Cadere.

## LAQUEUS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Laqueus adversarii est sermo noster : si emisero verbum indecorum, laqueum suum stringit. *Prosec.*

2. Interdum mihi quasi escam proponit vindictæ possibilitatem, ut dum vindicare cupio, ipse me inseram laqueo, et modum mortis adstringam mihi. Lib. 1 *Offic.*, cap. 4.

3. Laqueus est in labiis nostris, et sæpe unusquisque sermonibus suis non explicatur, sed involvitur. Lib. 7, epist. 44, *ad Constantiam.*

4. Non capit laqueus, nisi ante esca te ceperit : dum prædam petis, laqueo ipse te nectis. *Prosec.*

5. Esca laquei avaritia, esca laquei luxuries est quibus nos vult diabolus inescare, non pascere. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 14, vers. 6.

6. Multi laquei sunt quacumque progredimur. Laquei in corpore, laquei in lege, laquei in philosophis, laquei in cupiditatibus, laquei in meretrice, laquei in pecunia, laquei in religione, laquei in castitate. Lib. 4, super *Luc.*, cap. 4, in illud : *Ductus est Jesus*, etc.

S. ANTONIN. 7. Beatus Antonius videns in oratione mundum laqueis plenum, connectentibus se invicem, exclamavit : o quis istos evadet laqueos periculorum? et responsum fuit, sola humilitas. Part. 1, tit. 5, cap. 4, § 1.



8. Quomodo credendum est, ut non incidat in laqueum diaboli, qui studiose sibi laqueum parat? Part. 2, tit. 5, cap. 1, § 7.

S. AUGUST. 9. Plus hostis vincitur in eo quem plus tenet, et de quo plures tenet : plus autem superbos tenet nomine nobilitatis, et de his plures nomine auctoritatis. Lib. 8, *Confess.*, cap. 4.

10. In via Christi sunt hinc laquei, et hinc laquei, laquei a dextris, laquei a sinistris. Laquei a dextris, prosperitas sæculi ; laquei a sinistris, adversitas sæculi ; laquei a dexteris, promissiones ; laquei a sinistris, terrores. Super *Psalm.* CXLI, vers. 4, *Absconderunt laqueum mihi.*

11. Multos habet diabolus laqueos ; homicidium diaboli laqueus est, avaritia diaboli laqueus est, detractio diaboli laqueus est. Serm. 45, *ad Fratr. in eremo.*

S. BERNARD. 12. Laqueus diaboli, divitiæ sunt hujus sæculi : heu quam paucos invenimus, qui ab hoc liberati exultent! Serm 3, super : *Qui habitat.*

S. BONAV. 13. Solus humilis evasor est laqueorum hostis antiqui. Serm. 1, *Hexamer.*

14. Qui cavet laqueos, securus erit : qui autem non cavet, est aut stultissimus, aut perversus. In *Speculo discipl.*, part 1, cap. 30.

S. CYRILLUS HIEROS. 15. Nullo tot diabolus animas reti capit quot laqueo pessimo mulierum. Epist. *ad Augustin. de Miraculis D. Hieronymi.*

16. Qui incautus pergit, levissime capitur. *Ibid.*

S. EPHRÆM. 17. Si diligenter attenderis, ubique inimici laqueos, tanquam mellis dulcedine circumlitos, voluptatis illecebris extensos deprehendes ; ut si quis illius gustare dulcedinem velit, laqueo capiatur. *De recta vivendi ratione.*

18. Cum ea, quæ sensui suavia sunt, in vita conspicis, vide ne capiaris iisdem : nam in illis laqueus et esca mortis latitat ; neque enim nudum piscator hamum in aquam mittit. *Ibid.*, cap. 20.

19. Quæ primum capta laqueo fuerit anima, ad alias decipiendas fit quasi laqueus, ut voluntati inimici obsequantur, inescatque animas potissimum illas, quæ nondum draconis acerbitatem sunt expertæ. *Prosec.*

20. Sic anima sicut perdix comprehensa pro esca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ sunt : circa illa enim auceps laqueos figit ut voce sua perdix reliquas circum volitantes ad easdem pelliceat. *Ibid.*, cap. 22.

FRANCISCUS 21. Ipsimet plerumque qui aliis insidias posuerant, incidiunt in laqueum ipsum eumdem, quem aliis paraverant. In *Elucid.* super *Psalm.* XXXIV, vers. 9.

GLOSS. INT 22. Laqueum in terra facile evadit, qui oculos habet in cœlis. Super *Prov.*, cap. 1.

GLOSS. ORD. 22 *bis.* Frustra laqueus persecutionis aut mortis tenditur electis, qui pennas habent spei et charitatis. *Ibid.*, cap. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 23. Pœnales laqueos mortis incurrentes cernere, et eisdem laqueis irretiri nequaquam metuere, incrementum mali est. Lib. 4, in 1 *Reg.*, cap. 1.

24. In hac vita omnia sunt plena laqueis. Super *Septem Psalm. Pœnit.*, in *Psalm.* VI, in prologo.

25. Est profecto gravissimum laqueo diabolicæ fraudis irretiri permittere, quos prius possumus, ne alligentur, eripere. Lib. 3, in *Registro*, indict. 12, cap. 35, epist. 35.

26. Quanti mali incrementum est, pœnales laqueos mortis incurrentes cernere, et eisdem laqueis irretiri nequaquam timere? Lib. 4, in I *Reg.*, cap. 1.

S. GREGOR. NAZ. 27. Super occultos laqueos, fac perpetuo sublimior incedas. Habet. apud D. Joan. Damasc. lib. 2 *Parall.*, cap. 100.

S. HIERON. 28. Memento, quia in medio laqueorum ambulas. Epist. 22, *ad Eustoch.*

29. Omnia plena sunt periculis, omnia plena laqueis : incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent. In *Regula monachor.*, cap. 19, *de Laude et detract.*

30. Semper diabolus bono operi imminet, et ubique gradientibus ponit laqueos. Lib. 4, super *Hierem.*, in proœmio.

31. Justo laqueus peccantium, etiamsi corporaliter perimat, non nocet. Lib. 3, super *Prov.*, cap. 29, super illud : *Involvet laqueus.*

32. Plena est vita mortalium laqueis offensionum, retibus plena deceptionum. Super *Cant.*

33. Multos habet diabolus laqueos, et diversos habet laqueos : avaritia diaboli laqueus est, ira, detractio, et cæteravitia laquei sunt. Super *Psalm.* XC, vers. 3, *Quoniam ipse liberabit me*, etc.

S. HILARIUS 34. Laqueus est pecunia, ambitio, lascivia : hæc prætenduntur, hæc blandiuntur, hæc fallunt. Super *Psalm.* CXXIII.

HUGO CARD. 35. Octo laquei sunt : laqueus cupiditatis, laqueus pravæ consuetudinis, laqueus pravi exempli, laqueus perplexitatis, laqueus tentationis, laqueus inepti timoris, laqueus pravi amoris, laqueus pœnæ. Super *Psalm.* XXIV.

36. Totum quidquid videmus in mundo, est laqueus, vel fovea animarum. Super *Psalm.* LVI.

37. Laqueos comedis et bibis, et in laqueis quiescis et dormis : hos laqueos cavet, qui omnia propter Christum cum Apostolo reputat ut stercora. Super *Prov.*, cap. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

38. Qui tendit alii laqueos, primo capietur in eis : nemo enim prius nocet alteri, quam sibi ipsi. *Ibid.*, cap. 26.

39. Non est una mulier solum unus laqueus, imo quot membra, et membrorum ornamenta habet, tot laqueos possidet : ita ut a planta pedis usque ad verticem non sit in ea videre, nisi laqueos. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

IDIOTA. 40. Laqueus est in auro, viscum in argento, pedica in prædio. Quia qui aurum petit, strangulatur; qui argentum, visco hæret : qui prædia, alligatur. Lib. 1, *Contemplat. de Amore Dei*, cap. 33.

S. JOANNES CHRYSOST. 41. Grave est capi laqueis diaboli, anima enim postea in retibus comprehensa, quasi sus in luti volutabro oblectatur, et in mala consuetudine obruta, non sentit quidem peccatorum fœtorem. Homil. 22, super *Gen.*

42. Tria retia habet diabolus super totum mundum extensa, ut quisquis evaserit de retibus gulæ, incurrat in retia vanæ gloriæ; qui evaserit, de retibus vanæ gloriæ, incidat in retia avaritiæ. Homil. 5, super *Matth. Oper. imperf.*

43. Sicut volatilia donec altum aerem secant, non facile capiuntur : ita tu donec ad superiora respexeris, nec laqueo, nec ullis facile capieris insidiis. Homil. 15, *ad Popul. Antioch.*

S. LAURENT. JUSTIN. 44. Dæmonum laquei sunt, in divitiis, et paupertate, in sublimitate honoris, et in mundi contemptu; in voluptatibus carnis, et austeritate pœnitentiæ; in crapula, et sobrietate; in rerum affluentia, et parcitate; in loquacitate, et silentio; in nitore, et sordibus; in lætitia, et fletu; in administratione, et remotione; in libertate, et subjectione; in labore, et otio; in occulto, et publico; in solitudine, et civitate; in debilitate, et sospitate; in vigiliis, et torpore; in gloria, et ignobilitate; in infamia, et favore. *De contemptu mundi*, cap. 18.

S. LEO I. 45. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore. Serm. 11 *Quadrag.*

S. PAULINUS. 46. Ubique prætenti latent laquei, undique stricti horrent gladii : inter insidias et pugnas vita transigitur, et per ignes doloso cineri suppositos ambulamus. Epist. *de Gazophylac.*

S. THEODOR. 47. Qui aliis laqueos parant, divino supplicio comprehendentur, veluti quodam reti, et quæ gesserunt, sustinebunt : et quæ aliis inflixerunt, patientur. Super *Psalm.* CXL.

Vide etiam tit. *Diabolus*, sent. 65 ; *Divitiæ*, sent. 116; *Egredi foras*, sent. 80; *Humilitas*, sent. 134; *Insidiæ*, sent. 26; *Judas*, sent. 47; *Latere*, sent. 16, 18; *Tentatio*, sent. 69.

## LASCIVIA.

HUGO A S. VICTORE. *Definitio.* Lascivia est indecens motus dissoluti corporis, ex intemperantia carnali prodiens. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 10.

### SENTENTIÆ PATRUM

S. AMBROS. 1. Corporali lascivia gravius, quam vino inebriamur. Lib. 3, *de Virginib.*

S. AUGUST. 2. Blanditiæ lascivientium amari volunt. Lib. 2 *Confess.*, cap. 6.

3. Semper juncta est saturitati lascivia. Serm. 2, *Dom.* 1 *Quadrag.*

V. BEDA. 4. Lascivus juvenis eget, ut crebro moneatur. In suis *Proverbiis*, verbo *Lascivus.*

S. BERNARD. 5. Sicut superbia equi indomiti, præcipitio prona est; ita lascivia adolescentis indisciplinati, peccati ruinæ proxima est. *De ordine vitæ.*

S. BONAV. 6. Quomodo lasciviæ beatum faciunt, quæ tristitiam tandem inducunt, vires corporis minuunt, et ad mortem disponunt? Serm. 7, *de SS. Apostolis.*

CÆSAR. ARELAT. 7. Masculini et virilis est animi, illecebram repudiasse peccati : sicut fœmineæ fragilitatis ignavia est, vitii suscepisse lasciviam. Homil. 6.

S. EPHREM. 8. Lavare faciem, manus, ac pedes impensius, servos nos indicat esse vitiorum. Habet. apud Bedam, in suis *Scintillis*, cap. 42.

S. GREGOR. MAGNUS. 9. Cum majores ipsi voluptati deserviunt, minoribus lasciviæ fræna laxantur. Lib. 2 *Moral.*, cap. 10.

S. GREGOR. NAZ. 10. Turpe est senescere ætatem, non senescere lasciviam. Orat. 3, *de sancto Lavacro.*

S. HIERON. 11. Scurrilitas atque lascivia, te præsente non habeat locum. Epist. 8, *ad Demetriad.*

12. Fuge lasciviam puellarum, quæ ornant capita, crines a fronte demittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis, adstrictas habent manicas vestimenta sine ruga, ut sub nomine virginali vendibilius pereant. *Ibid.*

13. Lascivia repellatur, quæ animam vulnerat. Epist. 12, *ad Gaudentium.*

14. Tactus aliorum corporum, et fœminarum ardentior appetitus, vicinus insaniæ est. Lib. 2, *advers. Jovian.*

S. HILARIUS. 15. Laqueus est lascivia. Super *Psalm.* CXXIII.

HUGO A S. VICTORE. 16. Lascivia et mollities amica est procacibus, et superbis. *De Inst. Novit.*, cap. 12.

S. JOANNES CHRYSOST. 17. Nullus est morbus molestior adolescentibus, quam lascivia. Homil. 2, *de Fide Annæ.*

18. Non potest animo esse castus, qui corpore est lascivus. Homil. 32, super *Matth. Oper. imperf.*

19. Qui lasciviæ seipsos semel tradiderunt, nihilo permoventur, nec de ignis supplicio. Serm. 13, super *Epist. ad Ephes.*



20. Lascivia justitiæ vestem hominibus adimit : ignis enim est, et hujus vestimenti consumptivus. *Ibid.*

21. Ubi lascivia, ibi diabolus adest. Homil. 12, super *Epist. ad Coloss.*

22. Ubi lasciviæ consuetudo manere cœperit, ipsius quoque animæ intima penetrat, atque penitus insitis sordibus squalescit in dies. Homil. 4, super 1 *Tim.*

JOAN. TRITH. 23. Qui cum fœmina lascivit, senex insanit. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 2.

SALVIANUS. 24. Quis rogo ferre possit in homine egestuoso esse lasciviam? Lib. 7, *de Gubern. Dei.*

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

MIMUS PUB. 25. Lascivia et laus, nunquam habent concordiam. In suis *Sentent.*, sent. 216.

SENECA. 26. Nunquam vacat lascivire districtis. Epist. 56.

## LATERE.

### SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Atrocia latere diu nesciunt, qua teguntur ea produntur. Part. 4, serm. 2, cap. 25 quinquagena 2.

S. ANTONIN. 2. Virtutes proditæ non manebunt. Part. 2, tit. 4, cap. 7, § 4.

S. AUGUST. 3. Qui quærit latere, timet apprehendi. *De verbis Apostoli*, serm. 17.

4. Deum nihil latet, etiam futurorum. Lib. 20, *de Civit. Dei*, cap. 7.

5. Animus humanus latere vult, se autem ut lateat aliquid non vult. Lib. 10, *Conf.*, cap. 23.

6. In beatitudine nihil latebit proximum in proximo. Epist. 6.

7. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies. Homil. 13, *ex Quinquag. homil.*

8. Puto quod non in carne; sed in ipsa mente cæcatur, qui contendit latere quod cernitur. Lib. 2, *contra Gaudent.*

V. BEDA. 9. Nisi actio bona interdum abscondatur, a malignis spiritibus, velut a latronibus pecunia ostensa, aufertur. *De substant.*

10. Humilibus et fidelibus divinæ legis mysteria patent, superbis autem et infidelibus latent. In suis *Prov.*, verbo *Humilibus.*

S. BERNARD. 11. Magna et rara virtus profecto est, manifestam omnibus tuam, te solum latere sanctitatem. Serm. 13, super *Cant.*

12. Tegat te exterior cella, non abscondat, non ut pecces occultius, sed ut tutius vivas. *De vita solit.*

13. Vitium si patet, fit ex magno pusillum : si latet, fit ex minimo magnum. *De inter. domo*, cap. 37.

14. Plus labora celare virtutes, quam vitia. In *Notabili documento.*

S. BONAV. 15. Tria sunt non abscondenda, cum opportunitas id videtur exigere, ut puta justitia immissa, injustitia permissa, pecunia commissa. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 2, vers. 3, art. 3.

16. Laqueus latenter positus, est falsitas latens. *Prosec.*

17. Falsitas latens est causa casus, sicut veritas apparens est causa motus.

18. Falsitas latens est laqueus periculosus curiose spectantibus, incuriose expectantibus, injuriose tractantibus : hos involvit, hos comprehendit, hos perdit. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 7, vers. 14, art. 3.

19. Tutius est velle latere, quam apparere. In *Alphabet. religior.*, lect. 15.

20. In domo consistere, et turbæ et hominibus absconditum latere, semper Religioso utile est, qui sibi desiderat et Deo vacare. *De Instit. novit.*, part. 1, cap. 54.

CASSIODOR. 21. Detestabilium hominum consuetudo est mala vota tegere, ut latenter ad effectum possint eorum consilia pervenire. Super *Psalm.* XVI, vers. 13.

S. CLEMENS PAPA. 22. Quæ silentio conteguntur, difficile curantur. Lib, 3, *Recognit.*

S. DOROTH. 23. Nihil gravius, nihil perniciosius, quam seipsum tegere. *Doctr.* 5.

GLOSS. ORD. 24. Res absconsa avidius quæritur, celata venerabilius conspicitur. Super *Matth.*, cap. 7.

S. HIERON. 25. Pateat quod noxium est, ut possit conteri cum patuerit. Lib. 1, *adversus Jovian.*

26. Nihil occultum, nihil clausum, nihil obligatum sub Dei confessione in corde retinendum est. In *Explanat.*, *Psalm.* LXI.

HUGO CARD. 27. Celare delictum alterius, est sepelire mortuum, quod est opus pietatis. Super *Prov.*, cap. 19.

28. Non potest diu ignis latere sub cinere, quin fumum vel flammam evaporet. *Ibid.*, cap. 26.

S. JOANNES CHRYSOST. 29. Facinus etsi homines latent, conscientiam tamen accusatricem non poterit latere. Homil. 17, super *Gen.*

30. Talis est peccantium consuetudo, ut tametsi occultari non possint, occultari tamen velint et studeant. *Ibid.*

31. Si quis aliquem timet, se delitescere studet. *Ibid.*

32. Magna et clara virtus latere non potest,

33. Sicut accensa lampas abscondi non potest.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sic nec opus justitiæ potest celari. Homil. 13, super *Matth. Oper. imperf.*

34. Non te jam in aliquo occultas, ut lateas : qui proditus es, quod latebas. Homil. 11, *Ex divers. in Matth.*

35. Tandiu latet quod intra secretum viscerum conditur, quandiu sanctorum testimonio comprobetur. *Ibid.*

36. Occultum non est quidquid conscientia teste committitur, quia etsi alterius notitiam fallit, fallere tamen seipsum non poterit. *Ibid.*

37. Nihil quod insigne sit latere potest. Homil. 2, super I, *ad Thessal.*

S. ISIDORUS HISPAL. — 38. Pleraque quanto magis latent, tanto magis desiderium præbent. Lib. 1, *de Sum. bono*, cap. 18, sent. 6.

LACT. FIRM. — 39. Nihil lucrari se quisquam putet, si delicti conscium non habeat : scit enim ille omnia, in cujus conspectu vivimus, nec (si universos homines celare possumus) Deum possumus cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum. *Prosec.*

40. Quid locum abditum legis, et arbitros removes ? putas tibi contigisse, ut oculos omnium effugias demens? quid tibi prodest non habere conscium habenti conscientiam. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 24.

41. Quamprimum latentibus morbis adhibenda est curatio. *Ibid.*

PHILO JUD. — 42 Nihil eximium latere potest. *De Abrahamo.*

43. Non potest diu latere, ficta sanctitas. Serm. 14, *ad Novit.*, divis. 5.

THOMAS A KEMPIS. — 44. Nemo secure apparet, nisi qui libenter latet. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 20, sect. 2.

45. Melius est latere, et sui curam agere, quam se neglecto signa facere. *Ibid.* cap. 20. sect. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET. — 46. Quod pudeat, socios prudens celare memento. Lib. 2, *Distich.*, metr. 23.

SENECA. — 47. Potest nocenti contingere ut lateat, latenti autem fides non prodest. *Prosec.*

48. Non prodest latere peccantibus, quia latendi etiamsi facultatem habent, fiduciam non habent.

49. Nunquam fides latenti fit, etiam latentibus quia coarguit illos conscientia, et ipsos sibi ostendit. Epist. 79.

50. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam. Epist. 105.

SIXTUS PHILOSOPH. — 51. Nequaquam latebis Deum, agens injuste, sed nec cogitans quidem. Sent. 59.

Vide etiam tit. *Bonum*, sent. 141 ; *Injuria*, sent. 121, *Res*, sent. 68.

## LAUS IN GENERE.

CASSIODOR. — *Etymologia.* Laus a lauro dicta est, quæ solebat coronare victores. Super *Psalm.* XXXIII.

ARISTOTEL. — *Definitio.* Laus est sermo elucidans magnitudinem virtutis. Lib. 1, cic. 3, *Rhetor.*

RICHARD. A S. VICTORE. — Illa est vera laudatio, quæ ex casta dilectione, et ex laudis admiratione procedit. *De Benjamin.*, cap. 2.

SENECA. — *Differentia.* Aliud est laus, aliud laudatio : laudatio vocem exigit, laus autem ad animum refertur, non ad verba. Epist. 102.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. — 1. Veritatis ea regula est, ut nihil facias commendandi tui causa, quo minor alius fiat : neque si quid boni habeas, id ad deformationem alterius, et vituperationem, ut lauderis, exerceas. Lib. 2, *Offic.*, cap. 24.

2. Prolixa laudatio est, quæ non quæritur, sed tenetur. Lib. 1, *de Virginib.*

3. Nemo est laudabilior, quam qui ab omnibus laudari potest : quot homines, tot præcones. *Ibid.*

S. ANTONIUS DE PADUA. — 4. Hominis lingua laudanda plerumque damnat, et damnanda laudat : justum usque ad infernum præcipitat, impium usque ad cœlum exaltat. Serm. *Dom.* 3, *post Epiphan.*

S. AUGUST. — 5. Bone Deus, qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damnante te. Lib. 10, *Conf.* 36.

6. Cum non peccator laudatur in desideriis animæ suæ, nec qui iniqua gerit, benedicitur : sed laudatur homo propter aliquod donum, quod dedisti ei, at ille plus gaudet sibi laudari se quam ipsum donum habere unde laudatur, etiam iste te vituperante laudatur. *Prosec.*

7. Melior ille qui laudavit, quam iste qui laudatus est : illi enim placuit in homine donum Dei, huic amplius placuit donum hominis, quam Dei. *Ibid.*

8. Si utilitate proximi moveor, in laudibus meis, cur minus moveor, si quisquam alius injuste vituperetur quam si ego? *Ibid.*, cap. 37.

9. Laudatur homo, et amatur absens ; amatur qui laudatur, dum non fallaci corde laudatoris prædicari creditur, id est cum amans eum laudat. Lib. 4 *Conf.*, cap. 14.

10. Non meo vel ingenio, vel merito, sed Dei dono sum, si quid laudabiliter sum. Epist. 52, *ad Macedonium.*

11. Ibi est a vanitate remota laudatio, ubi etiam vituperatio ab offensione secura est. Epist. 128, *ad Donat.*



12. Non hujus hostis amoris laudis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit. *Prosec.*

13. Si cuiquam facile est laude carere, dum denegatur ; difficile est ea non delectari, cum offertur. Epist. 64, *ad Aurelium. episc.*

14. Laus humana non appeti a recte faciente, sed sequi debet recte facientem : ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt quod laudant, non ut hic putet aliquid eos sibi prodesse, quem laudant. *De Serm. Dom. in monte*, lib. 1.

15. Si quid in te laudabile naturaliter eminet, non nisi vera pietate perficitur, impietate autem disperditur. Lib. 2, *de Civit. Dei*, cap. 29.

16. Sanius videt, qui amorem laudis vitium esse cognoscit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 13.

17. Cupiditati laudis humanæ melius resistitur, cum ceditur. *Ibid.*, cap. 14.

18. Quid mihi prodest, si me continuis laudibus totus mundus attollat, si conscientiam mordet veritas criminis? *Prosec.*

19. Malam conscientiam non sanat præconium laudantis, nec bonum vulnerat convicianti opprobrium. Lib. 3, *contra lit. Petiliani*, cap. 7.

20. Quod nominare pudet, laudare non pudet. Lib. 2, *de Nuptiis*, cap. 7.

21. Mitior est accusator, quam qui convincitur sævire laudator. Lib. 5, *contra duas Epist. Pelag.*, cap. 4.

22. Melius est errore non decipi, quam errantium laudibus honorari. Lib. 3, *de Anima et ejus orig.*, cap. 1.

23. Hostis sævit, laudans blanditur, uterque malus : ille iracundus est, et iste in laude subdolus : ille reprehensor est, iste laudator ; sed et ille reprehensione inimicus est, et iste in laude subdolus, cave utrumque. Super *Psalm.* XXXIX, vers. 20.

24. Ibi laudator securus est, ubi non timet ne de laudato erubescat. Super *Psalm.* XCIV.

25. Melius esset ut tu vituperares, quam dolose laudares. Super *Psalm.* CXIX, in principio exposit.

26. Non te laudet os tuum, sed laudet te os proximi : periculosum est enim sibi placere, cui cavendum est superbire. Tract. 58, super *Evang. Joan.*, de cap. XIII.

27. Bonum laudare, non laudato, sed laudantibus prodest. *Ibid.*, tract. 100, de cap. XVI.

28. Non amo in voce laudatorem, et in corde contemptorem. *De verbis Dom.*, serm. 15.

29. Si laudat bonus, non solum lingua laudat, sed et vita cum lingua consentit. Homil. 2, *ex Quinquaginta Homil.*

30. Laudari a male viventibus, nolo, abhorreo, detestor, dolori mihi est, non voluptati. *Prosec.*

31. Laudari autem a bene viventibus, si dicam nolo, mentior : si dicam volo, timeo, ne sim inanitatis appetentior, quam soliditatis. Ergo quid dicam ? nec plene volo, nec plene nolo : non plene volo, ne in laude humana periclitер : non plene nolo, ne ingrati sint, quibus prædico. *Ibid.*, homil. 25.

32. Non semper veracia sunt ora laudantium. Serm. 2, in *Sabb. post Dom. Quinquag.*

33. Sicut vera laus ornat, ita falsa castigat. Serm. 1, *Decollat. S. Joan. Bapt.*

34. Contemne te cum laudaris, ille in te laudetur qui per te operatur. Tract. 8, super *Epist. Joan.*

35. Si bona quæ facio fine laudis humanæ facerem, laudis amore tumescerem. Epist. 26.

36. Noli ad laudem tuam operari quod bonum agis, sed ad laudem illius a quo habes ut bonum agas. Tract. 8, super *Epist. Joan.*

37. Quæris laudem. Si Dei quæris, benefacis : si tuam quæris, malefacis. *Ibid.*, tract. 10.

S. BASILIUS MAGNUS. — 38. Ne ad eas laudes, quæ veritatem excedunt, intumescamus. Apud D. Joan. Damasc., lib. 2 *parall.*, cap. 35.

V. BEDA. — 39. Non est multa sciens laudandus, sed bene vivens. In suis *proverbiis*, verbo *Non.*

S. BERNARD. — 40. Laudet te eos alienum, sileat tuum. Serm. 3, *de Nativitate Domini.*

41. Libentius accommoda aurem tuam, cum aliquis laudatur, quam cum vituperatur. In *Notabili documento.*

BOETIUS. — 42. Qui falso prædicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant. Lib. 2, *de Consolat. philosoph.*, prosa 6.

S. BONAV. — 43. Non est perfecta laus, nisi adsit debitus affectus debita causa, et debitus modus. Super *Luc.*, cap. I, in illud : *Et misericordia ejus*, etc.

44. Pessimus laudandi modus est, seipsum cum aliorum injuria prædicare. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 31.

S. CYPRIAN. — 45. Fames et calamitas sæpe laudibus saturatur. *De jejun. et tent. Christi*, cap. 1.

DIDYM. ALEX. — 46. Nec laus bonum, nec vituperatio malum hominem efficit. Et habetur apud D. Joan. Damasc., lib. 3, cap. 4.

DIONYSIUS CARTHUS. — 47. Laus sive laudatio ex cognitione laudati existenti in laudante procedit. Super *Hymn. Adventus ad vesperas.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. — 48. Nemo laudandus, cujus incertus est exitus. In suis. *Opuscul. Apophthegm.* 35.

GLOSS. ORD. — 49. Laus humana super quam ædificantur hypocritæ opera, cito transit. Super *Job*, cap. VIII.

GLOSS. INT. — 50. Non viriliter vivit, quem laus corrumpit. *Ibid.*, cap. 36.

GLOSS. OR — 51. Nemo laudat eum, quem manifestis indiciis

cognovit laude dignum. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXVII.

GRATIANUS.

52. Sicut quis aliorum vitia palpare non debet ita nec malorum laudibus delectari. In *Decret.*, part. 1, dist. 83, can. *Consentire*, § *Sicut.*

S. GREGOR. MAGNUS.

53. Sæpe bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quæsita non fuerat, tamen oblata delectat. Lib. 1 *Moral.*, cap. 19, num. 38, super illud *Thren.* 1 : *Facti sunt hostes ejus in capite.*

54. Bona adhuc tenera plerumque humana lingua, dum quasi fortia laudat, extinguit. Lib. 20 *Moral.*, cap. 9.

55. Cum nos vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiliet. *Ibid.*, lib. 22, cap. 5.

56. Valde perfectorum est, sic ostenso opere, auctoris gloriam quærere, ut de illata laude privata, nesciant exultatione gaudere. *Ibid.*, lib. 8, cap. 30.

57. Quasi latrunculus est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. *Ibid.*, lib. 9, cap. 13, num. 18.

58. Cum humanæ linguæ attestatione laudamur, occulta pulsatione requirimur, quid de nobis ipsis sentiamus, ut in hoc humiles permaneamus. *Ibid.*, lib. 22, cap. 5.

59. Superba mens, etiam cum de se falsa bona dicuntur, exultat : quia non apud Deum qualiter vivat, sed apud homines qualiter innotescat, excogitat. *Ibid.*

60. Magna vecordia est, laboriosa agere, et auræ laudis inhiare. *Ibid.*, lib. 8, cap. 25.

61. Laus cum vita præterit, et humanus favor in judicio non subsistit. *Ibid.*, cap. 27.

62. O miseri, qui affectantes laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum : cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. *Ibid.*, cap. 30, num. 37.

63. Laus sua justos cruciat, iniquos exaltat : sed justos dum cruciat, purgat : iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. *Ibid.*, lib. 26, cap. 23, num. 80.

64. Ipsa Sanctorum vita laudanda est, et laus ista ab eis quorum est, per vanam gloriam nullatenus capienda. *Prosec.*

65. Laus videri debet, excipi non debet : ut glorificari Deum quisque in suo opere gaudeat, sed de Dei gratia extolli contemnat. Lib. 5, in 1 *Reg.*, cap. 4, super illud : *Et apparuit fluens mei*, etc.

66. Nescit laudem (cum suppetit) fugere, qui ad hanc didicit, cum deesset, anhelare. Part. 1 *Pastoral.*, cap. 9.

67. Inter verba laudantium ad mentem semper recurrendum est, si in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Lib. 8, in *Registro*, indict. 3, cap. 45, epist. 45, *ad Palladium.*

68. Quid si homines laudant, et conscientia accuset? *Ibid.*

69. Qui vanas laudes gratanter excipit, postea æternas creatoris laudes amittit. *Prosec.*

70. Nemo de bono opere inaniter unquam glorietur; fortia bene vivendo agat, sed quandiu vixerit, appetere de fortitudine laudes caveat, ut laudari post mortem æternaliter non amittat.

71. Qui laudari modo de magna actione despicit, cum ad vitæ finem ducitur, æternis dignus laudibus invenitur. Lib. 5, in 1 *Reg.*, cap. 4.

72. Aliud est laudis præconia moribus adæquare contendere, aliud laudes appetere, ut in eisdem laudibus profectus vitæ possit inveniri. *Prosec.*

73. Laudes suas moribus adæquare conantur, qui ipsas laudes despiciunt, qui laudari ab hominibus nunquam volunt.

74. Quantum certo in eis est, laudari vehementer refugiunt; sed quia non possunt omnino effugere ne laudentur, conantur esse quod audiunt.

75. Sed quidem bonis ostensis operibus idcirco laudari volunt, ut laudati majus conscendant in opus virtutis. *Ibid.*

76. Qui in minimis laudes appetit, cum majora opera fecerit, ardentius et valde avidius laudes quæret. *Ibid.*

S. GREGOR. NAZ.

77. Philosophicum est, laudare philosophum. Orat. 21, *ad Heronem. philosoph.*

S. GREG. THAUMAT.

78. Hunc laudibus efferre convenit, non qui initium, sed qui dicendi finem facit. *Prosec.*

79. Morum enim moderatio laudibus complectenda est, non elatio et arrogantia. Super *Eccles.*, cap. 7.

S. HIERON.

80. Cave ne hominum rumusculos aucuperis, ne offensam Dei, populorum laude commutes. Epist. 2, *ad Nepotian.*

81. Christi miles nec laude extollitur, ne vituperatione frangitur. *Ibid.*

82. Laudans si cuncta virtutibus congrua dixerit, adulari putatur : si quædam subtraxerit, damnum laudibus facit. Epist. 8, *ad Demetriad.*

83. Est sane grande et subtile artificium, laudare alterum in commendationem sui; et decipiendo animum sibi obligare decepti : quodque hoc maxime vitio agi solet, fictas laudes certo pretio vendere. Epist. 14, *ad Celantiam.*

84. Quæ est hæc tanta levitas animi, quæ tanta vanitas, rapi vento falsæ laudationis : tu vero si vere laudabilis esse cupis, laudem hominum ne requiras. *Ibid.*

85. Laudem amaritudo comitatur. Epist. 19. *ad Eustoc.*

86. Mirum in modum laus dum vitatur, appetitur. Epist. 22, *ad Eustoch.*

87. Ingenua et verecunda confessio est, quo ipse careas id in aliis prædicare. Epist. 2, *ad Pammach.*

88. Qui Dei voluntate contempta, id solum petunt quod laudem facilius invenit, quod cito exit in famam morum, bona quæ secretiora sunt negligunt. Epist. 1, *ad Demetriad.*

89. Vilium satis hominum est, et suam laudem quærentium, alios viles facere, quia alterius vituperatione se laudari putant. *Ibid.*

90. Crevit hoc in nostra ætate vitium, ut spe recipiendæ laudis, eos a quibus laudari volumus, ante laudemus. *Ibid.*

91. Maximum fructum cœpisse non ducimus, si vel fictis laudibus prædicamur, nec cogitamus quod ipsi simus, sed quid aliis esse videmur. *Ibid.*

92. Omnis falsa laudis prædicatio sectatur lucra et gloriam quærit humanam, ut per gloriam nascantur compendia. In *Regula Monach.*, cap. 19, *de Laude et de Tract.*

93. Laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia. *Ibid.*

94. Laus justos cruciat, iniquos exaltat : sed justos dum cruciat, purgat : iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. *Ibid.*

95. Minore studio virtutes laudamus, quam vitia reprehendimus. Lib. 12, super *Ezech.*, prœmio.

HUGO CARD.

96. Valde purus est, qui non commovetur ad laudes hominum. Super *Genes.*, cap. 38.

97. Laus hominis gladius et ignis est, quibus cor confoditur et uritur. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

98. Laudes hominum cito transeunt, nec replent sicut ventus : imo non premunt, sed extollunt sicut ventus. Super *Ecclesiastic.*, cap. 5.

99. Nemo est laudandus, vel spernendus secundum speciem exteriorem : apis enim contemptibilis est exterius, et tamen utilis; et hæc brevis est corpore, non valore. *Ibid.*, cap. 11.

100. Stultum est laudare pugnantem, quasi jam victorem. *Ibid.*, cap. 11.

101. Multi laudant et commendant nomen potentiæ, qui appetunt dominationem : alii laudant nomen sapientiæ, qui appetunt scientiam, et vocari magistri : sed pauci laudant nomen sanctificationis, id est sine terra, et vocari pauperes. *Ibid.*, cap. 17.

102. Non est malum, a bonis benedici : sed a malis benedici, maledici est. Super *Luc.*, cap. VI.

103. Hominum benedictio, extollentiæ et ruinæ occasio est : est etiam exinanitio et evisceratio justorum, et laqueus quem pauci sciunt declinare; et qui declinat, sapiens comprobatur. *Ibid.*

104. Laus hominum non est claritas, sed obscuratio, sed fascinatio. Super *Joan.*, cap. 5.

S. IGNATIUS MART.

105. Quanquam in iis, quæ Dei sunt, robustus sim, attamen plus mihi timendum est, nec animus illis intendendus, qui frustra me inflant : qui enim me laudant, flagellant me. Epist. 5, *ad Trallianos.*

S. JOANNES CHRYSOST.

106. Delectatio laudis tandiu sentitur quandiu auditur : mox autem ut aures transierit, transit et delectatio laudis. Homil. 15, super *Matth. Oper. imperf.*

107. Unumquodque bonum hominis secundum qualitatem personæ laudatur. *Prosec.*

108. Si rusticus aliquod verbum sapienter loquatur, et philosophus multo amplius sapienter : in modico sermone sapientiæ rusticus plus laudantur, quam in magno philosophus; quia rusticum dicere aliquid sapienter, magnum est : philosophum autem dicere, non mirum est.

109. Si puer aliquid astute loquatur, dicitur satis sapiens puer, et laudatur : si autem vir perfectus sapienter loquatur, non laudatur quasi sapiens : non quia puer plus sapuit, quam perfectus : sed quantum ad comparationem ætatis suæ, sapientior videtur esse, quam ille perfectus. *Ibid.*, homil. 22.

110. Hæc est hypocritarum prima potentia, simulata laudatio. *Ibid.*, homil. 42.

111. Hypocritæ laudant quos perdere volunt, ut per delectationem laudis, paulatim corda hominum ad se inclinent. *Ibid.*

112. Est hoc maximum laudis genus, cum orationis copiam virtus exuperat, et magnitudo laudati. Homil. 1, *de Laudib. divi Pauli.*

113. Extremæ omnino dementiæ est, nulla imminente necessitate rerum, et necessitate violenta propriis velle laudibus decorari; hoc enim omnem prorsus mercedem evacuat. Homil. 6, *d, Laudib. divi Pauli.*

114. Amici dum laudant, hoc fumum spectant ut meliorem reddant : et inimici dum laudant, student quomodo supplantare possint. *Ibid.*, homil. 9.

115. Si laudum factus es amator, fac ut laudem quæ ab hominibus est, fugias : tunc vere innumeris laudibus et apud Deum et apud homines frueris. Serm. 17, super *Epist. ad Rom.*

116. Vis laudari? alium lauda. Homil, 13, *ad Pop. Antioch.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**117.** Collaudare delinquentes, longe plus est quam delinquere. Homil. 2, *ac David. et Saul.*

**118.** Quid est aliud hominum laus, quam ventorum transeuntium sonus? Homil. 13. super *Matth. Oper. imperf.*

S. JOAN. CLIM. — **119.** Cum quis laudatur, etsi parum movetur corde, vel rapitur modice laudibus, hic non se fallat, seductus est. Gradu 25.

S. JOANNES DAMASC. — **120.** Qui bonos laudibus afficiunt, coronarum ipsis reconditarum participes fiunt. Lib. 1 *Parall.*, cap. 84.

**121.** Eos laudibus afficimus, qui animi inductione boni sunt, non qui necessitate quadam prohibiti a malo abstinent. *Ibid.*, lib. 3, cap. 26.

JOAN. TRITH. — **122.** Sanctum non facit alterius commendatio meriti : bene veraciterque Sanctos laudat, qui Sanctos imitatur : quod si laudas, et non imitaris, teipsum confundis. *Prosec.*

**123.** Quid proficit homo, si alium laudet, et seipsum laudabilem non reddit?

**124.** Quasi vitam laudans, mortem arripit : qui bonos commendans, imitari contemnit. Lib. 3, *de Vir. illustr. Ord. S. Bened.*, cap. 347.

**125.** Turpissima laus est, quæ mendacio acquiritur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 20.

S. LAURENT. JUSTIN. — **126.** Inaniter laborat, qui laudem captat humanam : quoniam de alieno, non de suo laudari concupiscit. Serm. *de Nat. B. M.*

S. LEO I. — **127.** Difficile est, ut laudabiliter viventem, laus non capiat humana. Serm. 4, *Quadrag.*

LUDOVICUS BLOSIUS. — **128.** Utinam magis diligeres contumeliam pati, quam laudibus evehi : id enim tibi utilius securiusque est. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 8.

S. NILUS. — **129.** Laus multitudinis excitat animum, et alacrem reddit. Orat. 5, *de Inani gloria.*

**130.** Tu labores tuos ne vendas humanis laudibus, nec futili fama projicias futuram gloriam. *Ibid.*

PETR. BLES. — **131.** Nimis periculosum est, gloriam suam alienæ linguæ committere, et ad arbitrium palpantis aut blandientis laudem obtinere vel perdere. *Prosec.*

**132.** Sit laus tua in exitu tuo, ut te laudent in portis opera tua, quando erit unicuique laus a Deo. Epist. 132, *ad Quemdam Abbat.*

PHILO JUD. — **133.** Laus cum a virtute proficiscatur, velut a fonte perenni, non moratur vulgi suffragio, animorum constantiam aperientis incertis vocibus, quas nonnunquam largitionibus corruptum perfricta fronte venditat. *De Fortitud.*

S. PROSPER. — **134.** Qui plus gaudet ex eo quod laudatur, quam ex eo quod habet unde laudetur, male laudatur. Lib. 3, *de Vita contemp.*, cap. 20.

S. REMIGIUS — **135.** Qui non placet Deo, neque meretur laudari ab illo, quamvis ab omnibus laudetur. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2, can. 29.

SALVIANUS. — **136.** Illi mendaciter prædicari non debent, qui se cupiunt titulo etiam falsæ laudis ornari. Lib. 2, *de Gubern. Dei.*

**137.** Quandiu quis subjacet mutationi, non potest cum securitate laudari. *Prosec.*

**138.** Tunc stabilis et firma laus est, quando meritum non poterit jam perire laudati. Lib. 4, *ad Eccles. Catholic.*

S. SYNESIUS, EPISCOPUS. — **139.** Ea ex omnibus laus, quæ perniciem cum voluptate consciscit, venenatis potionibus similis mihi esse videtur, quas melle perfusas morituris propinant. *De Regno ad Arcad. imperat.*

**140.** Laus nonnisi internis convenit, in quibus felicitas stabilitur. *Ibid.*

**141.** Magnifieri oportet quod publice laudatur, præsertim si is nominis gloriam insignem habeat, qui laudandum id susceperit. *Ibid.*, in *Encomio calvitii.*

**142.** Virtutis in laude præmium est. Epist. 62, *ad Ducem.*

THOMAS A KEMPIS. — **143.** Quid prodest vana laus hominum, quando intus arguit mala conscientia peccatorum? Serm. 8, *ad Novit.*, divis. 9.

**144.** Nocent vanæ laudes, et fallunt animos sicut anceps fistula dulciter canens, decipit et arripit aves. Serm. 10, *ad Novit.*, divis. 9.

**145.** Seipsum denigrat et confundit, qui patrum suorum sanctitatem laudibus commendat, et humilem eorum conversationem sequi negligit. *Ibid.*, serm. 14. divis. 8.

**146.** Non es sanctior si laudaris, nec vilior si vituperaris : quod es, hoc es; nec major dici vales, quam Deo teste sis. Lib. 2, *de Imitatione Christi*, cap. 6, sect. 3.

**147.** Dum inhiat homo laudibus humanis, privatur veris virtutibus. *Ibid.*, lib. 3, cap. 40, sect. 4.

**148.** Plus nocet blanda laus stulti, quam dura correptio justi. In *Hortulo Rosarum.*, cap. 8, sect. 1.

**149.** Cave laudari, time magnificari : non est sine laude, qui propter Deum spernit laudes. In *Valle lilior.*, cap. 31.

**150.** Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit, dum exaltat : et magis confundit, dum inaniter laudat! Lib. 3, *de Imit. Christi*, cap. 50, sect. 8.

**151.** Quam multis nocuit virtus scita, ac præpropere laudata. *Ibid.*, cap. 43, sect. 6.

IN VIT PATR — **152.** Sicut fieri non potest, ut simul et herba nascatur et semen : ita impossibile est, ut laudem secularium quærentes, simul etiam et fructum faciant cœlestem. Lib. 3, num. 113.



SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. — **153.** Laus virtutis est : hæ enim ad res honestas agendas idonei sunt. Lib. 1, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 12.

**154.** Virtutem laus, vitium autem vituperatio consequitur. Lib. 1 *magnorum Moral.*, cap. 9.

**155.** Laus rerum gestarum est. Lib. 3 *Rhetor.*, cap. 16.

**156.** Digna laude ea sunt, quæ justa, quæ legitima, quæ utilia, quæ honesta, quæ jucunda, quæ facilia facta sunt. *De Rhetor. ad Alexandr.*, cap. *de Genere demonstrat.*

**157.** Horum quæ in virtute posita locataque sunt, jure laudantur : contraria autem, a laude subducuntur. *Ibid.*, cap. *Laudandi species.*

CATO POST. — **158.** Cum te aliquis laudat, judex tuus esse memento. Lib. 1 *Distich.*, metr. 27.

CICERO. — **159.** Si hominem laudas abundantem felicitatis, laudas egentem virtutis. Lib. 4, *de Arte Rhetor.*

**160.** Nolo esse laudator, ne videar adulator. *Ibid.*

**161.** Cujus virtus moresque laudandi sunt, ejus laudanda vita est. *De Paradoxis*, cap. 3.

PLATO. — **162.** Præclara illa laus est, a bonis viris juste laudari. *de Fortitudine.*

**163.** Nihil turpius est ei, qui aliquid se esse opinatur, laudemque affectat; quam occasionem laudis quærere non ex seipso, sed ex majorum gloria. In *Dialogo Menexeni.*

**164.** Consentaneum est eos laudibus exornare, qui cesserunt e vita, si corporis et animi viribus res præclaras gesserint, legibusque libenter paruerint. *Prosec.*

**165.** Superstites autem laudibus hymnisque celebrare, non satis tutum est, priusquam videlicet præclarus exitus vitam felici fine coronaverit. Lib. 7, *de Legibus.*

PLINIUS II. — **166.** Propositum est mihi principem laudare, non principis facta : nam laudabilia multa etiam mali faciunt, ipse laudari nisi optimus non potest. In *Panegyr. de Trajano august.*

SENECA. — **167.** Si potestis, bonos laudate : si minus, transite. *De vita beata*, cap. 7.

**168.** In homine id laudandum est, quod ipsius est : quod in ipso, non quod circa ipsum est. *Prosec.*

**169.** Lauda in ipso quod nec eripi potest, nec ab homine dari, quod proprium est hominis. Epist. 41.

**170.** Qualis quisque sit, scies si quemadmodum laudetur, aspexeris. Epist. 52.

**171.** Sicut laudare dignos, honesta actio est : ita laudantis bonum est, cujus actio est; non nostrum, qui laudamur. Epist. 102.

**172.** Licet vir bonus taceat, sed aliquem judicet dignum laude, laudatus est.

**173.** Laus taciti est bene sentientis, ac bonum virum apud se laudantis.

**174.** Magnificum est laudari a laudato viro laude digno. *Ibid.*

**175.** Laus alit artes, non laudatio, quæ corrumpit artes. *Ibid.*

**176.** Nihil æque et eloquentiam et omne aliud studium auribus deditum vitiavit, quam popularis assensio. *Ibid.*

**177.** Merentem laudare, justitia est. *Ibid.*

**178.** Lauda parce, vitupera parcius : nam reprehensibilis est nimia laudatio. *De quatuor virtut.*

**179.** Sit tibi tam triste laudari a turpibus, quam si lauderis ob turpia. *Ibid.*

**180.** Malorum de te existimationes malas, veram tui laudationem adscribe. *Ibid.*

**181.** Bonum est laudari, et esse laudabilem. *De Moribus.*

**182.** Malis displicere, est laudari. *Ibid.*

**183.** Laus nova, nisi oritur, etiam vetus amittitur. In suis *Prov.*, in fine positis.

SIXTUS PHILOSOPH. — **184.** Intolerabilis fit malitia, cum laudatur. Sent. 142.

**185.** Devita infidelium laudes. *Ibid.*, sent. 232.

**186.** Turpe ducito proprio ore laudari. *Ibid.*, sent. 276.

S. VALER. MAX. — **187.** Publica religione consecra virtus, nulla privata laudatione indiget. Lib. 3, *Dictor. memorabil.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Adulatio*, sent. 45; *Arrogare sibi*, sent. 36; *Conversatio*, sent. 26; *Disputatio*, sent. 51; *Gloria vana*, sent. 80; *Honor*, sent. 32, 76; *Humilitas*, sent. 70; *Jactantia*, sent. 25, 27, 60; *Imitatio*, sent. 14; *Prædicatio*, sent. 156; *Sanctitas*, sent. 49; *Vir*, sent. 41.

## LAUS DEI.

S. BONAV. — *Divisio.* Laus Dei in tribus consistit : in benedictione, in magnificentia, in bonorum persecutione. Super *Psalm.* XXXIII.

HUGO CARD. — Perfecta laus Dei in tribus consistit : in mentis devotione, in vocis confessione, in exteriore opere. Super *Psalm.* XXXIV.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. — **1.** Magnificatur Dominus, non quod ei aliquid humana voce possit adjungi; sed quia magnificatur in nobis, dum anima nostra imaginem Dei (ad cujus est similitudinem creata) magnificat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

117. Collaudare delinquentes, longe plus est quam delinquere. Homil. 2, *ac David. et Saul.*

118. Quid est aliud hominum laus, quam ventorum transeuntium sonus? Homil. 13. super *Matth. Oper. imperf.*

S. JOAN. CLIM. 119. Cum quis laudatur, etsi parum movetur corde, vel rapitur modice laudibus, hic non se fallat, seductus est. Gradu 25.

S. JOANNES DAMASC. 120. Qui bonos laudibus afficiunt, coronarum ipsis reconditarum participes fiunt. Lib. 1 *Parall.*, cap. 84.

121. Eos laudibus afficimus, qui animi inductione boni sunt, non qui necessitate quadam prohibiti a malo abstinent. *Ibid.*, lib. 3, cap. 26.

JOAN. TRITH. 122. Sanctum non facit alterius commendatio meriti : bene veraciterque Sanctos laudat, qui Sanctos imitatur : quod si laudas, et non imitaris, teipsum confundis. *Prosec.*

123. Quid proficit homo, si alium laudet, et seipsum laudabilem non reddit?

124. Quasi vitam laudans, mortem arripit : qui bonos commendans, imitari contemnit, Lib. 3, *de Vir. illustr. Ord. S. Bened.*, cap. 347.

125. Turpissima laus est, quæ mendacio acquiritur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 20.

S. LAURENT. JUSTIN. 126. Inaniter laborat, qui laudem captat humanam : quoniam de alieno, non de suo laudari concupiscit. Serm. *de Nat. B. M.*

S. LEO I. 127. Difficile est, ut laudabiliter viventem, laus non capiat humana. Serm. 4, *Quadrag.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 128. Utinam magis diligeres contumeliam pati, quam laudibus evehi : id enim tibi utilius securiusque est. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 8.

S. NILUS. 129. Laus multitudinis excitat animum, et alacrem reddit. Orat. 5, *de Inani gloria.*

130. Tu labores tuos ne vendas humanis laudibus, nec futili fama projicias futuram gloriam. *Ibid.*

PETR. BLES. 131. Nimis periculosum est, gloriam suam alienæ linguæ committere, et ad arbitrium palpantis aut blandientis laudem obtinere vel perdere. *Prosec.*

132. Sit laus tua in exitu tuo, ut te laudent in portis opera tua, quando erit unicuique laus a Deo. Epist. 132, *ad Quemdam Abbat.*

PHILO JUD. 133. Laus cum a virtute proficiscatur, velut a fonte perenni, non moratur vulgi suffragio, animorum constantiam aperientis incertis vocibus, quas nonnunquam largitionibus corruptum perfricta fronte venditat. *De Fortitud.*

S. PROSPER. 134. Qui plus gaudet ex eo quod laudatur, quam ex eo quod habet unde laudetur, male laudatur. Lib. 3, *de Vita contemp.*, cap. 20.

S. REMIGIUS 135. Qui non placet Deo, neque meretur laudari ab illo, quamvis ab omnibus laudetur. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2, can. 29.

SALVIANUS. 136. Illi mendaciter prædicari non debent, qui se cupiunt titulo etiam falsæ laudis ornari. Lib. 2, *de Gubern. Dei.*

137. Quandiu quis subjacet mutationi, non potest cum securitate laudari. *Prosec.*

138. Tunc stabilis et firma laus est, quando meritum non poterit jam perire laudati. Lib. 4, *ad Eccles. Catholic.*

S. SYNESIUS. EPISCOPUS. 139. Ea ex omnibus laus, quæ perniciem cum voluptate consciscit, venenatis potionibus similis mihi esse videtur, quas melle perfusas morituris propinant. *De Regno ad Arcad. imperat.*

140. Laus nonnisi internis convenit, in quibus felicitas stabilitur. *Ibid.*

141. Magnifieri oportet quod publice laudatur, præsertim si is nominis gloriam insignem habeat, qui laudandum id susceperit. *Ibid.*, in *Encomio calvitii.*

142. Virtutis in laude præmium est. Epist. 62, *ad Ducem.*

THOMAS A KEMPIS. 143. Quid prodest vana laus hominum, quando intus arguit mala conscientia peccatorum? Serm. 8, *ad Novit.*, divis. 9.

144. Nocent vanæ laudes, et fallunt animos sicut auceps fistula dulciter canens, decipit et arripit aves. Serm. 10, *ad Novit.*, divis. 9.

145. Seipsum denigrat et confundit, qui patrum suorum sanctitatem laudibus commendat, et humilem eorum conversationem sequi negligit. *Ibid.*, serm. 14. divis. 8.

146. Non es sanctior si laudaris, nec vilior si vituperaris : quod es, hoc es ; nec major dici vales, quam Deo teste sis. Lib. 2, *de Imitatione Christi*, cap. 6, sect. 3.

147. Dum inhiat homo laudibus humanis, privatur veris virtutibus. *Ibid.*, lib. 3, cap. 40, sect. 4.

148. Plus nocet blanda laus stulti, quam dura correptio justi. In *Hortulo Rosarum.*, cap. 8, sect. 1.

149. Cave laudari, time magnificari : non est sine laude, qui propter Deum spernit laudes. In *Valle lilior.*, cap. 31.

150. Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit, dum exaltat : et magis confundit, dum inaniter laudat! Lib. 3, *de Imit. Christi*, cap. 50, sect. 8.

151. Quam multis nocuit virtus scita, ac præpropere laudata. *Ibid.*, cap. 43, sect. 6.

IN VIT PATR 152. Sicut fieri non potest, ut simul et herba nascatur et semen : ita impossibile est, ut laudem secularium quærentes, simul etiam et fructum faciant cœlestem. Lib. 3, num. 113.



SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 153. Laus virtutis est : hæ enim ad res honestas agendas idonei sunt. Lib. 1, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 12.

154. Virtutem laus, vitium autem vituperatio consequitur. Lib. 1 *magnorum Moral.*, cap. 9.

155. Laus rerum gestarum est. Lib. 3 *Rhetor.*, cap. 16.

156. Digna laude ea sunt, quæ justa, quæ legitima, quæ utilia, quæ honesta, quæ jucunda, quæ facilia facta sunt. *De Rhetor. ad Alexandr.*, cap. *de Genere demonstrat.*

157. Horum quæ in virtute posita locataque sunt, jure laudantur : contraria autem, a laude subducuntur. *Ibid.*, cap. *Laudandi species.*

CATO POST. 158. Cum te aliquis laudat, judex tuus esse memento. Lib. 1 *Distich.*, metr. 27.

CICERO. 159. Si hominem laudas abundantem felicitatis, laudas egentem virtutis. Lib. 4, *de Arte Rhetor.*

160. Nolo esse laudator, ne videar adulator. *Ibid.*

161. Cujus virtus moresque laudandi sunt, ejus laudanda vita est. *De Paradoxis*, cap. 3.

PLATO. 162. Præclara illa laus est, a bonis viris juste laudari. *de Fortitudine.*

163. Nihil turpius est ei, qui aliquid se esse opinatur, laudemque affectat ; quam occasionem laudis quærere non ex seipso, sed ex majorum gloria. In *Dialogo Menexeni.*

164. Consentaneum est eos laudibus exornare, qui cesserunt e vita, si corporis et animi viribus res præclaras gesserint, legibusque libenter paruerint. *Prosec.*

165. Superstites autem laudibus hymnisque celebrare, non satis tutum est, priusquam videlicet præclarus exitus vitam felici fine coronaverit. Lib. 7, *de Legibus.*

PLINIUS II. 166. Propositum est mihi principem laudare, non principis facta : nam laudabilia multa etiam mali faciunt, ipse laudari nisi optimus non potest. In *Panegyr. de Trajano august.*

SENECA. 167. Si potestis, bonos laudate : si minus, transite. *De vita beata*, cap. 7.

168. In homine id laudandum est, quod ipsius est : quod in ipso, non quod circa ipsum est. *Prosec.*

169. Lauda in ipso quod nec eripi potest, nec ab homine dari, quod proprium est hominis. Epist. 41.

170. Qualis quisque sit, scies si quemadmodum laudetur, aspexeris. Epist. 52.

171. Sicut laudare dignos, honesta actio est : ita laudantis bonum est, cujus actio est; non nostrum, qui laudamur. Epist. 102.

172. Licet vir bonus taceat, sed aliquem judicet dignum laude, laudatus est.

173. Laus taciti est bene sentientis, ac bonum virum apud se laudantis.

174. Magnificum est laudari a laudato viro laude digno. *Ibid.*

175. Laus alit artes, non laudatio, quæ corrumpit artes. *Ibid.*

176. Nihil æque et eloquentiam et omne aliud studium auribus deditum vitiavit, quam popularis assensio. *Ibid.*

177. Merentem laudare, justitia est. *Ibid.*

178. Lauda parce, vitupera parcius : nam reprehensibilis est nimia laudatio. *De quatuor virtut.*

179. Sit tibi tam triste laudari a turpibus, quam si lauderis ob turpia. *Ibid.*

180. Malorum de te existimationes malas, veram tui laudationem adscribe. *Ibid.*

181. Bonum est laudari, et esse laudabilem. *De Moribus.*

182. Malis displicere, est laudari. *Ibid.*

183. Laus nova, nisi oritur, etiam vetus amittitur. In suis *Prov.*, in fine positis.

SIXTUS PHILOSOPH. 184. Intolerabilis fit malitia, cum laudatur. Sent. 142.

185. Devita infidelium laudes. *Ibid.*, sent. 232.

186. Turpe ducito proprio ore laudari. *Ibid.*, sent. 276.

S. VALER. MAX. 187. Publica religione consecra virtus, nulla privata laudatione indiget. Lib. 3, *Dictor. memorabil.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Adulatio*, sent. 45 ; *Arrogare sibi*, sent. 36 ; *Conversatio*, sent. 26 ; *Disputatio*, sent. 51 ; *Gloria vana*, sent. 80 ; *Honor*, sent. 32, 76 ; *Humilitas*, sent. 70 ; *Jactantia*, sent. 25, 27, 60 ; *Imitatio*, sent. 14 ; *Prædicatio*, sent. 156 ; *Sanctitas*, sent. 49 ; *Vir*, sent. 41.

## LAUS DEI.

S. BONAV. *Divisio*. Laus Dei in tribus consistit : in benedictione, in magnificentia, in bonorum persecutione. Super *Psalm.* XXXIII.

HUGO CARD. Perfecta laus Dei in tribus consistit : in mentis devotione, in vocis confessione, in exteriore opere. Super *Psalm.* XXXIV.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Magnificatur Dominus, non quod ei aliquid humana voce possit adjungi; sed quia magnificatur in nobis, dum anima nostra imaginem Dei (ad cujus est similitudinem creata) magnificat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lib. 2, super *Luc.*, cap. 1, in illud : *Ecce enim ut facta est vox*, etc.

2. Invenimus quosdam flagitiosos, qui Christiani vocantur, qui quamvis Deum laudare videantur, Deum non laudant : qui blasphematores Dei potius dicendi sunt, quam laudatores. Super *Apocal.*, cap. 5.

S. AUGUST. 3. Deum laudat, qui eum persuadet fide, expectat spe, et quærit charitate. *De vera Relig.*, cap. 54.

4. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius. *De sancta virginit.*, cap. 27.

5. Sive tribulemur, sive lætemur, ille semper laudandus est, qui et in tribulationibus erudit, et in lætitia consolatur nos. Super *Psalm.* LIV.

6. Laudari se vult Deus, et hoc ut tu proficias, non ut ille sublimetur. Super *Psalm.* CII, vers. 2.

7. Laudate totis votis, id est, ut non solum lingua et vox vestra, laudet Deum; sed et conscientia vestra, vita vestra, facta vestra. Super *Psalm.* CXLVIII.

8. Non cesses bene vivere, et semper laudare Deum : tunc enim desinis laudare Deum, quando justitia, et ab eo quod illi placet, declinas. Super *Psalm.* CXLVIII.

9. Tota die vis laudare Deum ? quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum. Super *Psalm.* XXXIV, conc. 2.

10. Lingua tua nihil agit, nisi laudet conscientia tua. *Ibid.*

11. Desinis laudare, si desinis amare. Super *Psalm.* LXXXV.

12. Quid magis homo debet laudare, quam id quod sic placet, ut non possit sibi displicere? securitas ergo laudis, in laude Dei est. Ibi laudator securus est, ubi non timet ne de laudato erubescat. Super *Psalm.* XCIV.

13. Potest esse laus Dei vera et pia, ubi non sit confessio peccatorum : nulla est autem peccatorum confessio pia et utilis, ubi non laudatur Deus, sive corde, sive etiam ore atque sermone. Super *Psalm.* CV, vers. 1.

14. Laudas Deum, quando tibi bene est : blasphemas, quando tibi male est. Super *Psalm.* XXXII, conc. 1, vers. 1, *Rectos decet collaudatio.*

15. Est quædam terrena prosperitas, est quædam terrena adversitas, unde Deum laudemus : quisquis inde non laudat Deum, ingratus est. Super *Psalm.* XXXII, conc. 1, vers. 2, *Confitemini Domino*, etc.

16. Cum convenis ad Ecclesiam hymnum dicere, sonet vox tua laudes Dei : dixisti quantum potuisti, discessisti? sonet anima tua laudes Dei. *Prosec.*

17. Negotium agis, cibus capis? laudet Dominum anima tua.

18. Cum dormis, benedicat anima tua Dominum : innocentia tua etiam in dormiente, vox est animæ tuæ. Super *Psalm.* CII, vers. 1.

19. Laus Dei in via te constituens, ostendere tibi debet, et quid diligas, et quid timeas, et quid appetas, et quid fugias, et quid eligas, et quid rejicias : tempus electionis nunc est. Super *Psalm.* CLXIV, vers. 6.

20. Nullam ne mercedem expectare, aut petere, aut sperare debet laudator Dei? *Prosec.*

21. Laudatur infirmus, et speratur de eo aliquid : laudatur omnipotens, et nulla merces est?

22. An forte hoc cupis, quod ille dare non potest? Quid homo desiderat, quod in manu Dei non sit? cum laudaveris hominem, forte hoc cupis quod ab illo præstari non potest : Deum securus lauda, quem nemo potest dicere non posse præstare quod tu poteris desiderare.

23. Proposita ergo spe mercedis alicujus, laudare debemus Deum, non tamen daturum quidquid cupimus.

24. Pater est enim, et quod mali cupiunt filii, non dat : laudemus, et speremus, et desideremus, non illud aut illud; sed quod judicat dandum esse, quem laudamus. Super *Psalm.* CVXLI.

25. Laudando Deum, si negotium agis, et fraudem cogitas, siluisti a laude Dei : et quod gravius est, non solum a laude siluisti, sed in blasphemiam perrexisti. *Prosec.*

26. Cum ergo Deus laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deum : et cum blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum.

27. Cum manducas et bibis psalle, non intermiscendo sonorum suavitates ad aures aptas, sed modeste et frugaliter et temperanter manducando et bibendo.

28. Si vero modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, et vinolentia te ingurgites; quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. *Ibid.*

29. Deum laudare, salus et gaudium animæ est. In *Medit.*, cap. 32.

30. Hoc est sacrificium, quod Deus super omnes hostias quærit et diligit, ut per justitiæ nostræ opera nomen suum ubique laudetur. *De vita christiana*, cap. 9.

31. Illi Deum diligunt, qui non aliud quam unde nomen Dei glorificetur, exercent. *Ibid.*

32. In confessione sui accusatio, Dei laudatio est. Serm. 8, *de Verbis Dom.*

33. Sive nos accusemus, sive Deum laudemus,



nis laudamus si pie nos accusamus, Deumque laudamus. *Prosec.*

34. Quando Deum laudamus, tanquam eum qui sine peccato est, prædicamus : quando autem nos ipsos accusamus, ei per quem resurreximus, gloriam damus. *Ibid.*

35. Ubi via? in sacrificio laudis : noli pedem extra hanc viam mittere, in via esto, noli a via recedere. Si volueris ab hac via deviare, et pro Domino te laudare, non eris salvus ab inimicis. *Prosec.*

36. Quidquid putaveris boni te habere abs te, deviasti a via, deviasti a laude Dei : quid jam miraris, si te seducit inimicus, quando tuipsius seductor es? *Ibid.*

37. Nihil tibi prodest quod laudas Deum : illis enim qui bene vivunt prodest, quod laudant; tu autem si laudas, et peccata non deseris, nihil tibi prodest. Homil. 2, *ex Quinquaginta homil.*

38. Deum laudare non meretur, qui odium servat in corde. Serm. 9, *ad Fratres in eremo.*

39. Nullus veraciter laudat, nisi qui sinceriter amat. Epist. 120, cap. 18.

40. Qui Deum laudat lingua, non semper potest : qui moribus Deum laudat, semper potest. Tract. 8, super *Epist. Joan.*

V. BEDA. 41. Deus vult a te laudari, ut tu proficias, non ut ipse sublimetur. Super *Psalm.* CII.

S. BERNARD. 42. Oblatio laudis quæ Deo immolatur, triformis esse debet ; affectuosa, ut mens concordet voci : fructuosa, ut ædificationem pariat audienti ; gratiosa, ut placeat Conditori. In suis *Sent.*, verbo *Oblatio.*

43. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius ; sperate felicius, cui servitis instantius : amate ardentius, cui placetis attentius. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 31.

44. Deus est laus tua, ergo et tu laus illius esto : ita ut semper sit laus illius in ore tuo. Serm. 53, *ad Sororem.*

S. BONAV. 45. Laudator divini nominis non debet esse timidus, ut laudare non audeat : nec tumidus, ut laudare erubescat ; sed virilis et humilis. Super *Lucam*, cap. II, in illud : *Extollens vocem quædam mulier*, etc.

46. Dulces hymnos Deo cantat, qui in tribulatione sua Deum semper laudat. In *Alphabet. Relig.*, lectio 22.

47. Omnia quæ de Deo cogitari, vel dici secundum veritatem possunt, vel sentiri, non nisi laus ipsius sunt : eoquod nihil in Deo sit, nisi summe laudabile et admirabile et venerandum. Lib. 2, *de Profectu Relig.*, cap. 64.

48. Quanto perfectius Deus cognoscitur, tanto verius laudatur. *Ibid.*

49. Intelligimus illos solos revera Domini laudes canere, qui ab ejus nesciunt prædicationibus discrepare. Super *Psalm.* XVIII. CASSIODOR.

50. Quid dulcius, quidve salubrius, quam Deum laudare quod animam pascit, et epulas illi suaves delectatione concedit. Super *Psalm.* XXXXI, vers. 5 : *Sonus epulantis.*

51. Nullus immolat Deo sacrificium laudis, nisi qui a terrenis vitiis fuerit segregatus. *Prosec.*

52. Non enim placet Domino, si laudes ejus turpis persona decantet : actum videlicet quærit probabilem, non dulcisonam vocem.

53. Sacrificemus ergo Domino laudando, qua sapientia cuncta disponat, qua pietate peccatoribus parcat, qua fortitudine diabolum vincat. Super *Psalm.* XXXXIX, vers. 15, *Immola Deo*, etc.

54. Multo acceptior est laus puro corde fusa Deo, quam potest pecudum placere mactatio. Super *Psalm.* 68, vers. 36.

55. Qui Deo dat laudes, se facit esse laudabilem! et qui illi dat honorem, sibi conquirit sine dubio dignitatem. Super *Psalm.* LXVII, vers. 37, *Date gloriam Deo.*

56. Facta Domini narrare, laudasse est : cujus dum opera referuntur, gloria semper augetur. Super *Psalm.* XLIX, vers. 5, *Narrantes laudes Domini*, etc.

57. Ille Deum laudare nunquam desinit, qui collata beneficia non potest oblivisci. Super *Psalm.* CII.

58. Quale sacrilegium est, ut cum omnis creatura jubeatur benedicere Dominum, homo desinat laudare Deum, qui ad imaginem et similitudinem ipsius noscitur esse procreatus? Super *Psalm.* CII.

59. Dominum laudat, qui se probabili actione commendat. Super *Psalm.* LXVII, vers. 1.

60. Nomen Domini laudat, qui virtutes ejus sancta prædicatione celebrat. *Ibid.*

61. Nihil suavius quidquam potest dici, nec salubrius actitari, quam laus Dei. Super *Psalm.* CXIV., proœmio.

62. Miranda complexio, vera prædicatio, sic laudare Dominum, ut quantum est magnus non æstimes explicandum : sensus enim totius creaturæ deficit, et adhuc illa retractio semper excrescit. *Prosec.*

63. Nam sicut nullo loco clauditur, ita nec eloquentia quamvis amplissima ejus possunt præconia terminari.

64. Virtus inexplicabilis, pietas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis, cujus verra definitio est, finem in sanctis laudibus non habere. Super *Psalm.* CXLIV, vers. 3, *Magnus Dominus et laudabilis nimis.*

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

65. Quid felicius, quam modo exercere, quod te speras in futura beatitudine peragere? Super *Psalm.* CXLVI, vers. 1, *Laudate Dominum.* etc.

66. Dignum est, ut unaquæque res secundum percepti muneris modum, suum laudet artificem. Super *Psalm* CXLVIII, vers. 1, *Laudate Dominum,* etc.

67. Quid dignius, quam ut creatura Creatorem suum, id est, conditio rerum, proprium laudet auctorem? *Ibid.*, vers. 4, *Laudent nomen Domini.*

DIONYSIUS CARTHUS. 68. Laudatio viatorum famum habet distractionum, multiplicemque defectum quia sic laudat Altissimum, ut proprium evadere queat periculum. Super *Hymn. Adventus ad Vesperas.*

69. Nullum tempus putemus longum, nullum actum difficilem, nullum laborem molestum, nullam adversitatem prægrandem, quibus Deum honorare ac laudare valemus. Super *Hymn. Ascensionis.*

70. Cum omni humilitate, attentione, timore, reverentia, et fervore Omnipotentem adora, lauda et cole. *De Profess. monast.*, art. 20.

FRANCISC. TITELMAN. 71. Cum magno tremore est ipse Deus laudandus, ne etiam inter laudandum indigne quidquam de eo dicatur; imo quod et sufficienter de eo nil dicere possit.

72. Unde sicut digne eum cognoscere non possumus, ita neque digne et sufficienter laudare.

73. Ut merito sicut ejus cognitione, sive investigatione, sic et in ejus laudatione trepidare debeamus.

74. Eo quod non minus præsumptuoso laudatori, quam præsumptuoso investigatori sit periculi.

75. Nam interdum contingit præsumptuosum laudatorem tunc maxime blasphemare, cum laudare magnifice Deum existimat.

76. Quod autem digne nec inveniri, nec laudari a nobis possit Deus, in causa est super excellentis magnitudinis majestas. In *Elucid.*, super cap. XXXVIII, *Job.*

77. Omnis qui Deum laudat, quasi præsens assistere debet Deo, quem laudat, et cum eo velut colloqui. In *Annot. super Psalm.* XXXII, vers. 1, *Rectos decet collaudatio.*

78. Peccator quasi os et labia sibi claudit, quando peccatum facit, ut digne Deum laudare non possit. In *Annot., super Psalm.* L, vers. 16, *Domine labia mea.*

GLOSS. INT. 79. Ministri Ecclesiæ debent semper et ubique Deum laudare. Super 1, *Parall.*, cap. 23.

GLOSS. ORD. 80. Nemo digne Deum laudare potest, nisi qui Patrem et Filium et Spiritum sanctum confessione per fidem, spem, et charitatem laudaverit. *Ibid.*, cap. 26.

81. Prudens expectator æternæ salutis non pauco tempore, sed omni tempore vitæ suæ Deum laudat. *Prosec.*

82. Deus enim in diebus vitæ laudatur, in diebus autem mortis non potest laudari.

83. Sic itaque qui delictorum morti subditus jacet, iniquitatibus involutus, Deum laudare non potest.

84. Conversus vero cum fuerit, tanquam de morte transitur ad vitam, illico laudis officio dignus invenitur. Super *Orat. Manass.*, in illud: *Laudabo te semper.*

GLOSS. INT. 85. Laudat qui subditus est Deo, aliter distortus est. Super *Psalm.* XXXII.

GLOSS. ORD. 86. Non est salubrius aliquid quod delectet quam laus Dei. Super *Psalm.* CXVII.

87. Cœlestes virtutes a laude Dei non cessant: non quod ministerio eorum egeat Deus, sed ut bonitatem suam ostendat. Super *Psalm.* CXVIII.

GLOSS. INT. 88. Os quod clausum fuit a laude Dei, claudetur a deflendis malis suis. Super *Oseam*, cap. IV.

89. Tota die Deum laudat, qui omnia bene agit. Super *Psalm.* XXXIV.

S. GREGOR. MAGN. 90. Rectæ mentis est, Deum non solum in prosperis benedicere, sed etiam in adversis collaudare. Lib. 8, in *Registro*, indict. 3, cap. 31, epist. 31, *ad Libertin. Exprœfect.*

91. Eorum laus ad Omnipotentis Dei aures nequaquam pervehitur, quorum cor a semita justitiæ per pravæ intentionis studium elongatur. In *septem Psalm. pœnit.*, *super Psalm.* IV.

92. Agnitionem nominis, laus sequitur confessionis. *Prosec.*

93. Quæ major laus Dei est, quam quod mundus in unitate fidei collectus, non solum opera ejus annuntiat, sed vita eum et operibus laudat. *Ibid.*, super *Psalm.* V, vers. 22.

S. HIERON. 94. Omnis creatura non voce, sed opere laudat Dominum: quia ex creaturis consequenter Creator intelligitur, et in singulis operibus atque affectibus Dei magnificentia demonstratur. Super *Daniel.*, cap. 3, super illud; *Benedicite, omnia opera* etc.

95. Quidquid boni agimus, a Deo deputatur esse: quidquid mali facimus, a nobis est; laus Dei perfecta est, et laus hominum imperfecta. Super *Psalm.* XXV, vers. 7: *Ut audiam vocem laudis.*

96. Sicut carmina sæculi sunt sic et carmina Ecclesiæ unde laus Dei cantatur, et consolatio Sanctorum est. Super *Psalm.* LIII.

97. Qui proficit, quotidie potest benedicere



Deum: quid enim mihi prodest, si heri benedixi, et hodie non possum benedicere? assidue ergo est benedicendus. Super *Psalm.* XVII, vers. 2, *Benedictus Dominus*, etc.

S. HILARIUS 98. Sicut majestatem Dei metuitis, ita eum charitate laudetis. Super *Psalm.* CXXXIV.

99. Servitium creaturarum, laus Dei est. Super *Psalm.* CXLVIII, vers. 3.

100. Nihil occultum, nihil clausum, nihil obligatum sub Dei confessione in corde retinendum. In *Explanat. super Psalm.* LXI.

HUGO A S. VICTORE. 101. In laude Deum magnificat, qui opera potentiæ et misericordiæ ejus mente diligit, et ea cæteris ad laudem Creatoris narrat. Lib. 4, *de Claustr. animæ*, cap. 22.

102. Ille pro humano modo digne Deum laudat, qui ejus laudem mundo corde et ore decantat. *Prosec.*

103. Ille bene laudat, qui quod profert ore versat in corde.

104. Ille bene laudat, qui in corde habet rectitudinem, et in ore laudationem.

105. Ille solus vere laudat, qui quod ore clamat vita demonstrat. Serm. 53, *de Divers.*

HUGO CARD. 106. Felix lingua, quæ nescit, nisi de divinis componere sermonibus. Super *Psalm.* II.

107. Non solum per opera, sed etiam per verba laudandus est Deus. Super *Psalm.* IX.

108. Laus Dei et oratio, arma sunt contra inimicum. Super *Psalm.* XII.

109. Laudandus est Deus, propter quinque maxime causas. Prima, quia fidelis est in verbo; secunda, quia est discretus in opere; tertia, quia est misericors in dilectione; quarta, quia justus est in actione; quinta quia largus est in datione. Super *Psalm.* XXXII.

110. Officium Religiosi est laudare Deum. Super *Psalm.* XXXIV.

111. Sunt quidam qui Deum laudant, et magnificant in prosperitate, sed blasphemant in adversitate. Super *Psalm.* 70.

112. Cor evagans ad exteriora non potest laudare Dominum. Super *Psalm.* CII.

113. Omnis lingua, quæ Deum non confitetur, barbara est. Super *Psalm.* CXIII.

114. Non potest quis magnificare Deum, quin mente exultet. Super *Luc.*, cap. 1.

LACT. FIRM. 115. Laudatio ut Deo sit accepta, et humilitate et timore et devotione maxima opus est. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 25.

S. LAURENT. JUSTIN. 116. Nihil in hujus peregrinationis tempore, sic Angelorum imitatur vestigia, sicut pura Dei laudatio. *De Casto connubio*, cap. 25.

117. Laus divina est sacrificium salutare, oblatio munda, thymiama suavissimum, munus acceptabile, grata libatio, fragrantissimus odor, hostia immaculata. *Ibid.*

S. LEO I. 118. Fideles et pios discipulos veritatis nihil magis commendat, et munit, quam perseverans in Deum indefessa laudatio. Serm. 1, *de Jejun. decimi mensis.*

119. Deus a nobis honorandus, atque laudandus est. Serm. 5, *de Jejun. decimi mensis.*

S. MAXIMUS EP. TAURIN. 120. Qui verus christianus est, semper debet Patri ac Domino suo laudes dicere, et in ejus gloriam omnia procurare. Homil. 2, *de non Timendis hostibus.*

S. NILUS AB. MART. 121. Deum verbis lauda, operibus cole, et cogitatione honora. *Parænes*, 8.

PHILO JUD. 122. Inter omnia recte facta nullus partus est præstantior, quam hymnus in Deum Patrem omnium. Lib. *de plant. Noe.*

S. PROSPER. 123. Benedicendus est Deus, qui non solum non plectit malos, sed etiam bona pro malis reddit, et bonos facit. Super *Psalm.* CII, vers. 2.

124. Sicut nullus est locus, qui non dominationi Dei subjiciatur: ita nullus est locus, in quo ejus debeat cessare benedictio. *Ibid.*, vers. 20.

125. Sive lætus de secundis, sive tristis de adversis ducatur dies, nunquam a Dei laude cessandum est. Super *Psalm.* CXLIV, vers. 2.

126. Nullo fine laudatio Dei concluditur, cujus magnitudinis nullus terminus invenitur, et in cujus prædicatione quidquid laudator poterit cogitare, non sufficit. *Prosec.*

127. Qui ergo omni laude semper est major, sine fine laudetur. *Ibid.*, vers. 3.

128. In conversatione spiritualium servorum Dei, quidquid domi forisque agitur, laus Dei est: cujus et doctrina et munere ita vivitur, ut nihil actionum Dei laude sit dignum. Super *Psalm.* CXLVI, vers. 1.

RICHARD. A S. VICTORE. 129. Ne te pigeat divinam clementiam laudare, ut multum habes; quia quanto plus laudabis, tanto ardentius amabis. Part. 1, tract. *de Exterminat. mali*, cap. 4.

130. Libenter lauda summe bonum, glorifica summe beatum, magnifica majestate immensum, æternitate infinitum. Part. 1, lib. 2, *de Erudit. hom. inter.*, cap. 51.

S. THEODOR. 131. Si aliquis suum Conditorem non laudat, tanquam ingratus non laudat. Super *Psalm.* CXLVIII, vers. 1.

132. Matura et immatura ætas Deum celebret. *Ibid.*, vers. 12.

133. Non peccatorum, sed Sanctorum proprium est, Deum laudare. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. 134. Summis Deus efferendus est laudibus, sed non ea prorsus ratione, qua homo hominis laudes prædicat. 2, 2, quæst. 91, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

135. Deus est ore laudandus, non ei ut nostros conceptus manifestemus, sed ut nos ipsos, et alios audientes, ad ejus reverentiam inducamus. *Ibid.*

136. Ideo salubriter fuit institutum, ut in divinas laudes cantus assumerentur, ut animi infirmorum magis provocarentur ad devotionem. *Ibid.*, art. 2.

137. Est quoddam frænum animam ab interitu peccati retrahens, laus divina. *De perfect. vitæ spirit.*, cap. 9.

THOMAS A KEMPIS. 138. O quam gratum et commendabile collegium, ad laudandum Deum præcipue dedicatum ubi sunt tot tubæ resonantes, quot voces in choro alacriter cantantes. Serm. 1, *de Novit.*, divis. 2.

139. Nihil salubrius, nihil jucundius, nihil dulcius, quam Deum laudare. *Ibid.*, serm. 28, divis. 8.

140. Laudemus Deum in terris, quem laudant omnes Angeli in cœlis. Serm. 6, *ad Fratr.*, divis. 7.

141. Ille Deum veraciter laudat, qui viliter de se sentit : et quidquid boni cogitat, loquitur et facit, hoc totum fideliter Deo adscribit. In *Hortulo Rosar.*, cap. 8.

142. Quidquid boni facis, ad laudem Dei facias. *Ibid.*, cap. 16.

143. Sit semper laus Dei in ore tuo, tam in prosperis, quam in adversis. *Ibid.*, cap. 13, sect. 2.

144. Lauda Deum cum in omnibus Sanctis in terris, quem laudant omnes Angeli in cœlis. Si laudas, Angelis assimilaris : si non laudas, ingratus es, et pejor bestiis, quæ eum laudant. *Ibid.*, cap. 18.

145. Nil tibi melius, nil salubrius, nil suavius, nil jucundius, nil dignius, nil altius, nil felicius, nil perfectius, nil beatius, quam ardentissime amare et altissime laudare Deum. *Prosec.*

146. Hoc centies dico, hoc millies replico : nullum studium elegantius, nullum opus eminentius quam amare et laudare Deum. In *Valle lilior.*, cap. 26.

147. Lauda Deum, et laudaberis : benedic, et benediceris : sanctifica, et sanctificaberis : magnifica, et magnificaberis : glorifica, et glorificaberis. *Ibid.*, cap. 26, sect. 2.

148. Qui a Dei laudibus torpescit, aut tacet, aut se absentat, non est amicus Dei, nec civis cœli. *De Disciplin. claustr.*, cap. 8, sect. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SIXTUS PHILOSOPH. 149. Ore prius Deum habeto et mente, quam respires. Sent. 279.

TRISMEGIS. 150. Quis te laudabit supra te, an infra te positum? quo vertam oculos, ut te laudem? supra ne, an infra, intus an extra? In te autem omnia, abs te omnia, præter omnia, omnia habes. *Prosec.*

151. Quando laudabo te Pater? tempus et momentum tuum capere non valemus, qua potissimum in re laudes cantabo tuas? num in iis quæ creaveris; an in illis, quæ non creaveris potius, num in iis forte, quæ in lucem e tenebris eruisti, an in iis quæ latent adhuc arcano sinu recondita?

152. Per quid tamen hymnos tuos dicabo? numquid in laudatione tali ego ipse mei juris existam, an potius alter efficiar? ipse profecto es quidquid ego sum, ipse es quidquid agam, ipse es quidquid denique dicam : ipse enim es omnia, neque aliud præter te quidquam. Quid sane non es ipse? es quidem intelligens Pater, fabricans Deus, efficiens bonum, bona faciens omnia. Lib. *de potest. et sap. Dei*, cui tit. *Pimander*, cap. 5.

153. Hominum laudibus et obsequiis, cœlum, cœlestesque delectantur : nec immerito in hominum cœtum causarum, chorus est a summa divinitate demissus, ut modulatis hominum cantilenis, concelebraretur laudibus, qui solus omnia, ut Pater est omnium, atque ita cœlestibus laudibus, nec in terris harmoniæ suavitas defuisset. *De Volunt. divina*, cui tit., *Asclepius*, cap. 5.

154. Deus ab omnibus frequentibus laudum præconiis, benedictionibusque celebretur. *Ibid.*, cap. 9.

Vide etiam tit. *Creatio*, sent. 19; *Officium divin.*, sent. 10; *Servire Deo*, sent. 37.

## LECTIO.

*Definitio.* Lectio est sedula Scripturarum cum animi intentione inspectio. In *Scala claustral.*, cap. *Cum.* S.BERNA

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBR 1. Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? *Prosec.*

2. Christum alloquimur, cum oramus : Christum audimus, cum divina legimus oracula. Lib. 1, *Offic.*, cap. 20.

3. Nihil prodest legisse, nisi ea quæ legeris bona in memoriæ thesauro reposueris. In *fragmento de fide Resurrectionis.*

S.ANTON 4. Cito pigrescit judicium humanum, nisi jugi lectione reparetur. Part. 1, tit. 3, cap. 4, § 2.

S. AUGU 5. Quæ est ista perversitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare, et ut quod bonum est diutius legatur, ideo facere nolle quod legitur? *Prosec.*



6. Quis enim nesciat tanto citius quemque cum bona legit, quanto citius facit quod legit? *De Opere monach.*, cap. 17.

7. Tale est ingenium naturæ nostræ, ut torpescat si usus destiterit lectionis. *Prosec.*

8. Sicut ferrum, nisi usum fuerit, eruginem generat : ita et anima, nisi frequentius divinis exerceatur lectionibus, nascentur illi peccata. *De Quæst. Veter. et Novi Testament.*, quæst. 120.

9. Non est ut hæreat lector, ubi caliget auditor. Lib. 2, *contra Julian.*, cap. 5.

10. Quando legis, Deus tibi loquitur. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 4.

11. Lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. *Prosec.*

12. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio mastificat et frangit, oratio saporem acquirit, contemplatio est ipsa dulcedo quæ jucundat et reficit.

13. Lectio in cortice, meditatio in adipe, oratio in desiderii postulatione, contemplatio in adeptæ dulcedinis delectatione. *De Scala paradisi*, cap. 2.

14. Quid prodest lectione continua tempus occupare, Sanctorum gesta et scripta legendo transcurrere, nisi ea masticando et ruminando, succum et bibamus, et transglutiendo usque ad cordis intima transmittamus, et studeamus eorum opera agere quorum facta cupimus lectitare? *Ibid.* cap. 10.

15. Lectio sine meditatione arida est, et meditatio sine lectione erronea est. *Ibid.*, cap. 11.

16. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere : nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur : cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Serm. 1, *Feriæ 6, post Dom. Pass.*

17. Labor honestus est lectionis, et multum ad emundationem animi proficit. *Ibid.*

18. Melior est unius diei lectio quam plurimum scriptio; si eadem res uno die legatur, quæ pluribus scribitur. Lib. 6, *Musicæ*, cap. 4.

19. Qui cum judicio legunt, approbanda approbant, et improbant improbanda. Lib. 2, *de Anima et orig.*, cap. 17.

20. Omnes qui legimus, nitimur hoc indagare atque comprehendere quod voluit ille quem legimus. Lib. 12, *Conf.*, cap. 18.

21. Quod semel lectum est, nullomodo arbitremini satis vobis innotescere. *De Correpi. et grat.*, cap. 1.

22. Ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus intelligimus. Lib. 3, *contra Maxim.*, cap. 3.

23. Non omne quod legimus, credere debemus. *De Natura et gratia*, cap. 39.

24. Si quis horum quæ leguntur cupit adipisci, amet. Serm. 79, super *Cant.* S.BERNARD.

25. Utilis est lectio, utilis eruditio; sed multo magis unctio necessaria est. In *Declamat.*

26. Certis horis, certæ lectioni vacandum est. *Prosec.*

27. Fortuita enim et varia lectio, et quasi casu reperta, non ædificat, sed reddit quasi animum instabilem : et leviter admissa, levius recedit a memoria. *De Vita solit.*

28. De quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ demittendum est, quod fidelius digeratur, et sursum revocatum crebrius ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat. *Ibid.*

29. Hauriendus est sæpe de lectionis serie affectus, et formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, et non tam impediat interrumpendo, quam puriorem continuo animum ad intelligentiam lectionis restituat. *Ibid.*

30. Intentioni servit lectio, si vere in lectione Deum quærit qui legit, omnia quæ legit cooperantur ei in bonum : si autem in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post seipsum. *Ibid.*

31. Lectionis modum similis meditatio sequi solet. *Ibid.*

32. Da operam internæ lectioni, ut legas, inspicias, et cognoscas teipsum. *Prosec.*

33. Quid prosunt scripta lecta et intellecta, nisi temetipsum legas et intelligas? Lib. *Medit.*, cap. 17.

34. Sæpe prolixa lectio, longitudinis causa memoriam legentis obliterat. *De inter. domo*, cap. 50.

35. Post lectionem est orandum. Et si quis ad legendum accedat, non tam quærat scientiam, quam saporem. In *Speculo monachor.*

36. Lectio docet quid facias, discernit quid caveas, ostendit quo tendas. Serm. 50, *ad Sororem.*

37. Lectionibus divinis est anima nutrienda. In *Speculo discipl.*, cap. 13. S. BONAV.

38. Non legas quæ non ædificant; qui vana lectio vanas generat cogitationes, extinguit mentis devotionem. *De Instit. Novit.*, part. 1, cap. 14.

39. Lectio dat materiam, et quasi semen bonæ cogitationis. *Ibid.*, cap. 4.

40. Etiamsi aliquis nesciens litteras, non po- S.CÆSARIUS ARELAT.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

test legere : potest tamen legentem libenter audire. Homil. 22.

CASSIODOR. 41. Quidquid legeris, dulcescere poterit tibi, si sapore superni muneris condiaris. Super *Psalm.* xc, in proœmio.

S. EPHRÆM. 42. Si lectioni incumbas, instar sapientis apiculæ mel ex floribus sibi colligentis, fructum ex eis quæ legis pro animi medela desumito. *De recta vivendi ratione*, cap. 36.

43. Cum legis, studiose et accurate legas, magna cum tranquillitate atque industria percurrens versum. *Prosec.*

44. Dum legis, non studeas duntaxat libri folia evolvere : sed non pigeat bis terve ac sæpius eumdem repetere versum, ut vim orationis intelligas. *De patientia et consummat.*

S. FULGENT. 45. Nec lectio desit operibus bonis, nec bona opera desint studio lectionis. Epist. 6, *ad Theodor.*, cap. 9.

S. GREGOR. MAGNUS. 46. Sanctorum exemplorum flamma animus legentis incenditur. Homil. 15, super *Ezech.*

47. Multi legunt, et ab ipsa sua lectione jejuni sunt. Homil. 10, super *Ezech.* super illud : *Venter tuus comedet*, etc.

48. Qui verba legendo custodiunt, et sensus minime attendunt, nec verba intelligi faciunt, et sensus frangunt. Lib. 6, in *Registro*, indict. 15, cap. 191, epist. 27, *ad Narsem.*

S. HIERON. 49. Semper in manibus tuis sit divina lectio, ut omnes cogitationum sagittæ (quibus adolescentia percuti solet) hujusmodi clypeo repellantur. Epist. 9, *ad Salvinam.*

50. Ista legendo non noveris, quibus incontinentibus et miseris subvenitur : sed illa potius lectites, quibus pudicitia coronatur. Epist. *ad Geruntiam.*

51. Crebrius lege, disce quam plurima. Epist. 22, *ad Eustochium.*

52. Legenti fastidium generat longitudo. Epist. 2.

53. Optime uteris lectione divina, si eam tibi adhibeas speculi vice, ut ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet. Epist. 1, *ad Demetriad.*

54. Lectionem frequenter interrumpat oratio, et animam jugiter adhærentem Deo, grata vicissitudo sancti operis accendat. *Ibid.*

55. Sit lectio temperata, cui finem consilium, non lassitudo imponat. *Ibid.*

56. Tunc Scripturæ prosunt legenti, si quod legitur, opere compleatur. Lib. 1, super *Michæam*, cap. II, super illud : *Ne loquamini loquentes*, etc.

S. HILARIUS. 57. Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis, potius quam imponat ; neque cogit id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum. Lib. 1, *de Trinit.*, verbo *Sed vos.*

HUGO A S. VICTORE. 58. Divina lectio docet, quod scire delectet, et quod imitari expediat. *De Scriptur. et Scriptor.*, cap. 13.

59. Valde est utilis divina lectio : nam per lectionem discimus quid cavere, quid agere, quo tendere debeamus. *Prosec.*

60. Lectio ad orationem instruit et ad operationem, informat ad contemplativam vitam et activam. Super *Regul. D. August.*, cap. 9.

61. Frustra accedit ad legendum, qui non amat. Lib. 4, *de Anima*, cap. 9.

62. Legite atque diligite ; et quod propter dilectionem legitis, ad hoc legite, ut diligatis. *De laude charit.*

63. Prudens lector omnes libenter audit, omnia legit, non scripturam, non personam, non doctrinam spernit : indifferenter ab omnibus quod sibi deesse videt quærit, nec quantum sciat, sed quantum ignoret considerat. Lib. 3, *Didasc.*, cap. 14.

64. Geminus est divinæ lectionis fructus ; quia mentem vel scientia erudit, vel moribus ornat : docet quod scire delectet, et quod juvari expediat. *Ibid.*, lib. 5, cap. 6.

65. Christiano Philosopho lectio exhortatio debet esse, non occupatio ; et bona desideria pascere, non necare. *Ibid.*, cap. 7.

66. Non oportet lectionem esse fastidio, sed oblectamento. *Ibid.*

HUGO CARD. 67. Pie legit, qui cum devotione legit quæ legit : et quæ non intelligit, non reprehendit, sed studiose inquirit. Super *Sapient.*, cap. 1.

S. JOANNES CHRYSOST. 68. Lectio spiritualis salus est animæ, spiritualis divitiæ, et perfecta securitas. Homil. 10, super *Gen.*

69. Quod ad augendas vires corpori sensibilis cibus facit, id animæ lectio præstat. *Ibid.*, homil. 29.

70. Lectio spirituale alimentum est, et fortem reddit animam, et constantiorem. *Ibid.*

71. Domi lectioni sacræ vacare, Christianum decet. *Ibid.*

72. Lectione primo lingua reformatur, deinde anima pennas assumit et elevatur, jubareque solis justitiæ illustratur, et per tempus illud ab immundarum cogitationum illecebris liberata, multa quiete ac tranquillitate fruitur. *Ibid.*

73. Scripturarum lectio, cœlorum est reseratio. Homil. 2, *de verbis Isaiæ.*

74. Ubicunque fuerint libri spirituales, et eorum lectio, illinc omnis expellitur vis diabolica, multaque legentibus accedit consolatio. Conc. 3, *de Lazaro.*



75. Magna adversus peccatum munitio est, Scripturarum lectio. *Ibid.*

76. Fieri non potest, non potest, inquam, fieri, ut quis sine fructu discedat, qui assidua attentaque Scripturarum lectione fruitur. *Ibid.*

S. JOAN. CL. 77. Solet lectio non mediocriter lectores illuminare, atque colligere mentem. Gradu 28.

78. Noli antequam virtute spirituali præditus sis, eos libros legere, qui menti nocere possint. *Ibid.*

JOAN. SAR. 79. In libris sunt quæ omnibus prosunt, dum tamen legantur modestia dispensante, ut quæ nihil continent, nisi ædificationem fidei et morum. *Prosec.*

80. Sunt quæ solidioribus animis faciant, habenda quidem procul a lectione simplicium.

81. Sunt quæ natura bonæ mentis omnino ejiciant : sunt quæ digerant in usum morum, aut eloquentiæ, sunt quæ indurent animam, et in fide et bonis operibus solam faciant eruditatem.

82. Vix autem invenietur scriptum, in quo si non in sensu vel in verbis, non reperiatur aliquid quod prudens lector emittit.

83. Cæterum libri catholici tutius leguntur, et cautius, et gentiles simplicioribus periculosius patent : sed in utrisque exerceri fidelioribus ingeniis utilissimum est.

84. Nam exquisita lectio singulorum, doctissimum, cauta electio meliorum, optimum facit. Lib. 7, *de Nugis curial.*, cap. 10.

85. Sunt nonnulli quos plus delectat lectio nova et curiosa, quam divina. Super *Prolog. Regulæ, S. Bened.*, cap. 2, text. 2.

JOAN. TRITH. 86. Quanto quisque in lectione assiduus fuerit, tanto fructum ex ea uberiorem capit. *De laud. scriptor.*, cap. 16.

87. Lector strenuus, potius ad agendum quæ legit, quam ad sciendum est promptissimus. *Prosec.*

S. ISIDORUS HISPAL. 88. Minor est pœna nescire quid appetas, quam ea quæ legendo noveris, jam implere.

89. Sicut enim legendo, scire concupiscimus, sic sciendo recta, quæ per lectionem didicimus, implere debemus. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 8, sent. 8.

90. Nemo potest sensum scripturæ sanctæ cognoscere, nisi legendi familiaritate. *Ibid.*, cap. 9, sent. 1.

91. Arrogantes nunquam consequuntur legendo perfectam scientiam : nam quamvis scientes in superficie videantur, medullitus tamen veritatis arcana non tangunt, quia arrogantiæ nube præpediuntur. *Prosec.*

92. Semper enim arrogantes legunt, quærunt, et nunquam inveniunt. *Ibid.*, cap. 11, sent. 2.

93. In lectione non verba, sed veritas est amanda. *Ibid.*, cap. 13, sent. 8.

94. Lectio memoriæ auxilio eget, quæ si fuerit naturaliter tardior, frequenti tamen meditatione acuitur, ac legendi assiduitate colligitur. *Prosec.*

95. Sæpe prolixa lectio longitudinis causa memoriam legentis obliterat : quod si brevis sit, submotoque libro sententia retractetur in animo : tunc sine labore legitur, et ea quæ lecta sunt recolendo memoria minime excidunt. *Ibid.*, cap. 14, sent. 7.

96. Acceptabilior est sensibus lectio tacita, quam aperta. *Prosec.*

97. Amplius enim intellectus instruitur, quando vox legentis quiescit, et sub silentio lingua movetur.

98. Nam clare legendo et corpus lassatur, et vocis acumen obtunditur. *Ibid.*

99. Non putes parvam nasci utilitatem ex lectionis auditu ; siquidem oratio fit ipsa pinguior : dum rerum, quas audivit, imagines currit. Lib. *de Offic. Eccles.*, cap. 10.

100. Lectio vitæ demit errorem, lectio a mundi subtrahit vanitate, lectio docet quid caveas, lectio ostendit quo tendas. *Prosec.*

101. Multum proficis, cum legis : si tamen facias, quod legis. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 4.

102. Lege quod legis, ut intelligas : sin autem intelligere non vis, nequidem lege, ne contemnaris velut ignorans quæ legis. Lib. 1, epist. 141, *ad Adamantium.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 103. In eis lectionibus libenter versare, quæ spiritualem profectum adjuvant. *Prosec.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 104. Lectio, quæ pietati, aut justæ rationabilique necessitati non servit, vana est. In *Can. vitæ spirit.*, cap. 16.

105. Dum sacra legere paras, oculus intentionis tuæ sit simplex, desiderium placendi Deo sanctæ humilitati conjunctum, tibi ducatum præbeat : alioqui si prave curiosus, superbusque fueris, periculosus erit lectionis exitus. *Prosec.*

106. Nam mel quod ex ipsis lectionibus floribus salubriter exsugere deberes, tibi in venenum facile converteres. *Ibid.*

107. Vanitatibus rebusque caducis deditis lectio sacra non panis, sed lapis est. *Ibid.*

108. Certæ lectioni animum prudenter astringe, ordinemque servato : lectio enim incerta et erratica spiritum magis dissipat, quam promovet, si desit justa ratio talem lectionem sectandi. *Ibid.*

109. Lectionem sacram ames, sed orationem lectioni præferas. In *Brevi regula tyronis*, verbo *Lectionem.*

110. Sit sacra lectio vobis cibus, gladius, me-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicina, requies. Epist. 125, *ad Gualter. episcop. Rothomag.*

PETR. BLES. 111. Valde saporabilis est lectio, quam interpellata sorbet animæ intentio. Lib. 2, epist. 4, *ad Hugonem.*

PETR. CELL. 112. Mensæ lector sollicita consideratione perpendat, quam aperte, quam denique intelligibiliter legere debeat, quandoquidem cum refectione, ille pabulum exhibet animarum. *Prosec.*

S. PETRUS DAMIANUS. 113. Sic ergo legendum est, ut dum caro sua stipe reficitur, anima quoque cœlestibus epulis saginetur.

114. Legatur non lectori, sed auditori : nec aucupetur propriæ rumusculos famæ, sed ædificationi potius consulat alienæ.

115. Nec curet quid de lectore dici, sed quid de lectione possit intelligi. Opusc. 13, cap. 18.

116. Minor reatus est, sancta non legere, quam lecta violare. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

SALVIANUS. 117. Legem legimus, et legitima calcamus. *Ibid.*

118. In omni volumine profectus magis quæritur lectionis; quam nomen auctoris. *Ibid.*, epist. *ad Salonium episcopum.*

119. Tam imbecillia sunt hujus temporis judicia, ac pene tam nulla, ut hi qui legunt, non tam considerent quid legant, quam cujus legant : nec tam dictionis vim atque virtutem, quam dictatoris cogitent dignitatem. *Ibid.*

120. Liber, si placet, debet exhibere satietatem : si displicet, debet movere fastidium. Lib. 5, epist. 2, *ad Nymphidium.*

S. SIDONIUS EPISCOPUS. 121. Ita libenter devotos et simplices libros legere debemus, sicut altos et profundos. *Prosec.*

THOMAS A KEMPIS. 122. Non te offendat auctoritas scribentis, utrum parvæ vel magnæ litteraturæ fuerit, sed amor puræ veritatis te trahat ad legendum : non quæras quis hoc dixerit, sed quid dicatur, attende. Lib. 1, *de Imit. Christ.*, cap. 5.

123. Si vis profectum haurire, lege humiliter, simpliciter, et fideliter. *Ibid.*

124. Non est dignus in sacro libro legere, qui nescit lecta custodire. In *Doctrina juven.*, cap. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET. 125. Multa legas facito ; perlectis perlege multa. Lib. 3, *Distich.* metr. 39.

SENECA. 126. Onerat discentem turba, non instruit multoque satius est, paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. *De tranquillit. animi*, cap. 9.

127. Non quam multos, sed quam bonos habeas libros; lectio certa prodest, varia delectat. Epist. 45.

128. Alit lectio ingenium, et studio fatigatum, non sine studio tamen reficit. Epist. 84.

129. Quidquid legeris, ad mores statim referas : motus compesce, marcentia in te excita, soluta constringe, contumacia doma, cupiditates vexa. Epist. 89.

130. Distrahit animum librorum multitudo : itaque cum legere non possis, quantum haberis : sat est habere, quantum legas. *Prosec.*

131. Probatos utique semper lege, et si quando ad alios diverture libuerit, ad priores redi.

132. Quotidie aliquid compara : et cum multa legendo percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas : hoc ipse quotidie facio, ex pluribus quæ lego aliquid apprehendo. Epist. 2.

Vide etiam tit. *Scientia Dei*, sent. 6 ; *Scripta*, sent. 9, 11 ; *Scriptura sacra*, sent. 47, 48, 49.

## LEX IN GENERE.

CASSIODOR. *Etymologia.* Lex dicitur ex eo quod animos nostros liget, suisque teneat constitutis. Super *Psalm.* 1, vers. 2.

S. THOMAS AQUINAS. Dicitur lex a ligando, quia obligat ad agendum. 1, 2, quæst. 90, art. 1.

S. ANTONIN. *Definitio.* Lex est quædam ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis promulgata. Part. 1, tit. 2, *de Lege*, cap. 2, § 1.

S. ANTONIN. & S. THOMAS AQUINAS. Lex est quædam mensura directiva actuum, secundum quam inducitur homo ad aliquid agendum, vel retrahitur ab agendo mala. *Ibid.*, et S. Thom. Aq. 2, quæst. 90, art. 1.

GRATIANUS & S. ISID. HISP. Lex est constitutio populi, qua majores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt. In *Decr.* part. 1, dist. 2, can. *Lex.*, et S. Isid. Hispal., lib. 5, *Etym.*, cap. 10.

HUGO A S. VICTORE. Lex est, per quam facienda jubentur, et non facienda prohibentur. *De fruct. carnis et spirit.*, cap. 13.

JOAN. GERS. Lex est recta ratio practica, secundum quam motus et operationes rerum in suos fines regulate ordinantur. Part. 4, in *Descript. terminor.*

Lex est signum aliquod, per quod homo cognoscit id ad quod obligatus est judicio et voluntate supremi sui legislatoris ad attingendum finem. Part. 3, serm. *de Justitia ad Regem.*

PHILO JUD. Lex nihil aliud, est quam jubens agenda, et vitanda prohibens. *Libro de præmiis.*

S. THOMAS AQUINAS. Nihil aliud lex est, quam dictamen practicæ rationis in principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam. 2, 2, quæst. 96, art. 1.

Lex nihil aliud est, quam dictamen rationis in præsidente, quo subditi gubernantur. *Ibid.* quæst. 92. art. 2.



S. VALER. Nihil aliud est lex, quam bonitatis pietatisque consortium. Homil. 13.

CICERO. Lex est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Lib. 1, *de Legibus.*

Lex est recta ratio in jubendo, et vetando. *Ibid.*

Nihil aliud est lex, nisi recta legislatoris ratio, imperans honesta, prohibens contraria. Orat. 53, *Philip.* 11.

HUGO CARD. *Divisio.* Quadruplex est lex : scilicet carnis, est voluptas ; mentis, est æquitas; diaboli, est iniquitas ; Dei, est charitas. Super *Psalm.* vII.

Lex carnis, est mala pro malis reddere : lex mentis, bona pro bonis : lex diaboli, mala pro bonis : lex Dei, bona pro malis.

HUGO A S. VICTORE. Tres sunt leges malæ, lex membrorum, lex peccati, lex mortis. *Prosec.*

Tres sunt leges bonæ, lex rationis, lex Moysi, lex spiritus vitæ. Super *Epist. ad Rom.*, in illud ; *Video aliam legem*, etc.

RICHARD. A S. VICTORE. Quatuor sunt leges; lex Dei, diaboli, mentis, et carnis. *Prosec.*

Lex Dei est gratuito velle prodesse, lex diaboli est gratis velle obesse, lex mentis est facere quod licet, lex carnis est facere quod libet.

Lex diaboli abominabilis, lex carnis contemptilis, lex mentis laudabilis, lex Dei desiderabilis.

Lex diaboli ignominiosa lex, carnis periculosa, lex mentis officiosa, lex Dei gloriosa. Part. 2, super *Psalm.* cxvIII.

S. THOMAS AQUINAS. Quadruplex lex invenitur. Prima, lex naturæ ; secunda, lex concupiscentiæ; tertia, lex scripturæ ; quarta, lex charitatis et gratiæ. *Opusc. de decem præcept.*, verbo *Sicut.*

S. ISIDORUS HISPALENS. *Differentia.* Omnes leges aut divinæ sunt, aut humanæ : divinæ natura, humanæ moribus constant. *Prosec.*

Fas, lex divina est, jus, lex humana, transire per agrum alienum fas est, jus non est. Lib. *Etymol.*, cap. 2.

S. THOMAS AQUINAS. Hæc est differentia inter legem divinam et mundanam : quia lex mundana judicat facta et dicta : divina autem, non hæc tantum, sed etiam cogitata. Opusc. 9, *de Decem præcept., de nono præcepto : Non concupisces.*

CICERO. *Comparatio.* Sicut corpus sine mente, sic civitas sine lege. Orat. 14, *pro Cluentio.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Leges imperator fert, quas primus ipse custodiat. Lib. 5, epist. 32, *ad Valentinian. imperat.*

2. Lex scripta, quæ videbatur superflua, facta est necessaria, ut peccatum peccato solveret. Lib. 9, epist. 71, *ad Irenæum.*

3. Lex non solum agendi munus informat, verum etiam secretæ emundat mentis affectum. Super *Psalm.* cxvIII, serm. 7, vers. 3.

4. Lucet lex, sed non videtur, quia operta impiorum doctrina est, et contagione vitiorum, et cæcitate perfidiæ ; populo autem nationum, lux est. *Ibid.*, serm. 14, vers. 1.

5. Lex est judex peccati, ostendit enim quæ latent peccata, et quæ impune non sunt apud Deum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 7, in illud : *Lex Peccatum est ? absit.*

6. Minus criminis est ante legem manifestatam peccasse, quam post legem *Ibid.*, in illud : *Peccatum operatum est mortem.*

S. ANTONIN. 7. Tria concurrunt ad legem, scilicet auctoritas, veritas, et bonitas, et secundum hoc, oportet quod lex habeat principium, formam, et finem. *Prosec.*

8. Ratione principii debetur legi auctoritas, quia non potest esse principium legis, nisi habens auctoritatem.

9. Ratione formæ debetur legi veritas, quia nunquam fertur sine ratione recta, si sit propria lex, quia injusta non est lex.

10. Ratione finis debetur legi bonitas, quia non ordinatur nisi ad bonum. Part. 1, tit. 12, cap. 1.

S. AUGUST. 11. Lex esse non videtur, quæ justa non fuerit. Lib. 1, *de Libero arbit.*, cap. 5.

12. Lex ista, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedere, atque impunita relinquere videtur, quæ per divinam tamen providentiæ vindicantur, et recte. *Prosec.*

13. Neque enim quia non omnia facit, ideo quæ facit, improbanda sunt. *Ibid.*

14. Lex est summa ratio, cui semper obtemperandum est. *Ibid.*, cap. 6.

15. Lex temporalis quamvis justa sit, commutari tamen per tempora juste potest. *Ibid.*

16. In lege temporali nihil justum est atque legitimum, quod non ex æterna sibi homines derivaverint. *Ibid.*

17. In temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent, cum eas instituunt : tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. *De vera Relig.*, cap. 31.

18. Conditor legum temporalium (si vir bonus est, et sapiens) illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est : ut secundum ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum, vetandumque discernat. *Ibid.*

19. Quando imperatores pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, et coronantur perseverantes. *Prosec.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

20. Quando autem imperatores pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sævientes, et corriguntur intelligentes.

21. Quicunque legibus imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium.

22. Quicunque autem legibus imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Epist. 50, *ad Bonifac.*

23. Animus a lege vinci debet, ut hoc sentiat quod a lege significatur, non ut ipse legi sensum det suo arbitrio, ut legem se violenter legi exhibeat. In *Quæst. Veteris et Novi Testam.*, quæst. 109.

S. BASILIUS SELEUC. 24. Lex non novit peccatum ex æquitate expendere, sed solum de eo quod criminosum apparet, judicat. Orat. 29.

V. BEDA. 25. Ut volunt Reges, ita valent leges. In suis *Prov.*, verbo *Ut.*

S. BERNARD. 26. Qui legem spernit, honestatem abjicit, valefacit pudori. Serm. *de Septem donis Spirit. sancti.*

S. CLEMENS PAPA. 27. Perfectio legis, pax est. Lib. 2, *Recognit.*

GLOSS. ORD. 28. Contra malos posita est lex, bonis autem posita est crux. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 5.

S. GREGOR. NAZ. 29. Lex est regia apud cunctos homines, qui regio subsunt imperio. Orat. 1, in *Julianum imperat.*

S. HIERON. 30. Non in lege ratio quæritur, sed auctoritas. Lib. 2, *Dialogor. advers. Pelag.*

31. Meditatio legis est, non solum in legendis Scripturis, sed etiam in his quæ scripta sunt faciendis. Super *Psalm.* 1, vers. 2.

HUGO A S. VICTORE. 32. Habet lex claustralium judices et testes, atque consiliarios suos : imo testes sunt, vita et conscientia; duo judices, meditatio et scientia : duo consiliarii, amor proximi et Dei. Lib. 2, de *Claustro animæ*, cap. 17.

HUGO CARD. 33. Lex est sepes arcens ab anima bestias vitiorum. Super *Proverb.*, cap. XIX.

S. JOAN. VII PAPA. 34. Quidquid contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur. Et habet. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 10, can. *Vide.*

S. JOANNES CHRYSOST. 35. Sicut obsequia legis obtinent libertatem, ita contemptus generat servitutem. Serm. super illud *Isai : Si volueritis*, etc.

36. Contemptio legis, conditio est servitutis. *Ibid.*

37. Hoc est optimæ legis insigne, non utilia tantummodo, verum etiam possibilia sancire. Homil. 22, super *Matth. Oper. perf.*

38. Lex legislatori subjecta est, non legislator legi. Homil. 21, super *Matth. Oper. perf.*

39. Naturæ leges pervertere, summæ temeritatis est. Homil. 26, super I *Cor.*

40. Lex malis suppliciorum denunciatrix est. Homil. II *Timoth.*

JOAN. GERS. 41. Lex aliqua quanto est iniquior, et dæmoniis obsequentior, tanto semper invenitur crudelior et amarior. Tract. *Contra sectam Flagellant.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 42. Factæ sunt leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi facultas. Lib. 2, *Etymol.*, cap. 10.

43. Legis præmio aut pœna, vita moderatur humana. *Ibid.*

44. Erit lex honesta, justa, possibilis secundum naturam et consuetudinem patriæ : si sit loco temporique conveniens, necessaria, utilis, et manifesta. *Ibid.*, cap. 21.

45. Lex est nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta. *Ibid.*, lib. 5, cap. 21.

S. JULIUS PAPA. 46. Ea quæ sunt ab Apostolis eorumque successoribus instituta, nulla desidia negligantur, nulla dissensione violentur, nulla concertatione turbentur atque mutentur. In *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 25, quæst. 5, can. *Amputato.*

LACT. FIRM. 47. Necesse fuit constitui legem, qua possent et vitia prohiberi, et virtutis officia imperari. *De ira Dei*, cap. 15.

S. LEO I. 48. Justo lex posita, quia normam præceptionis implet judicio voluntatis. Epist. 90, *ad Ravennium Arelat. archiep.*

49. Non privatas leges fas est austeriores esse, quam publicas. Serm. 2, *Quadrag.*

S. NILUS. 50. Legem honorans, juxta legem vives. Parænes. 13.

51. Humana lex inflat, divina ædificat. Professores illius sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt, discipuli hujus, mites sunt et humiles corde. Epist. 140, *ad Petr. Cleric.*

PHILO-JUD. 52. Civitates quæ legibus parent, degunt liberæ; omnes sine lege servitutem serviunt; sicut e diverso liberi sunt, quotquot vivunt sub legibus. Lib. *Quod omnis probus liber sit.*

SALVIANUS. 53. Contemptus legis veniam non meretur. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 54. Timoris vacuitas maxima, est legum timor. Epist. 2, *ad Joan.*

55. Qui legum doctor est, quæ legibus consentanea sunt loquatur. Epist. 105, *ad Fratrem.*

TERTULL. 56. Nulla lex sibi soli conscientiam justitiæ suæ debet, sed eis a quibus obsequium expectat. *Prosec.*



57. Suspecta lex est, quæ probari se non vult : improba autem, si non probata dominetur. In *Apolog. advers. Gentes*, cap. 4.

S. THEODOR. 58. Sciendum est omnem legem, licet de minimis quibusdam statuat quid agendum sit, parem habere vim cum ea, quæ maxima præcipit aut prohibet. Quæst. 37, super *Genes.*

59. Lex est supervacanea iis qui ex virtute vivunt. Super *Epist ad Galat.*, cap. V.

S. THEOPH. ALEX. 60. Virtus lege comitata, vitiorum opprimet semina. *Epist. Paschalis* 3.

61. Radix vitiorum est legis scita contemnere. *Ibid.*

62. Lex custodita fugat ignominiam, neglecta parturit pœnas. *Prosec.*

63. Quanto magis, si despiciatur, severi judicis imitatur truculentiam : tanto magis, si servetur, clementissimi patris exhibet mansuetudinem. *Ibid.*

64. Medicina præteritorum ac præsentium, futurorumque vitiorum, legis indefessa est meditatio. *Ibid.*

65. Lex spem salutis largitur pœnitentibus, dum monet ut prosit : corripit, ut emendet. *Ibid.*

66. Lex negligentes sui, et in errorem demersos, consiliis optimis ad meliora revocare festinat, quasi norma pravorum operum. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. 67. Lex vivit, quandiu ratio naturalis efficaciter in homine viget : moritur autem lex naturalis in homine, quando ratio naturalis passionibus succumbit. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 7.

68. In temporali lege nihil est justum ac legitimum, quod non sit ex lege æterna profectum. 1, 2, quæst. 93, art. 3

69. Lex humana dicitur aliqua permittere, non quasi approbans, sed quasi ea dirigere non potens. *Ibid.*

70. Non videtur esse lex, quæ justa non fuerit : unde inquantum habet de justitia, intantum habet de virtute legis. *Ibid.*, quæst. 95, art, 2.

71. Rationis prima regula, est lex naturæ. *Ibid.*

72. Finis humanæ legis, est utilitas hominum. *Ibid.*, art. 3.

73. Ad hoc omnis lex tendit, ut amicitiam constituat, vel hominum ad invicem, vel hominis ad Deum. *Ibid.*, quæst. 99, art. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 74. Lex jubet uniuscujusque virtutis vivere ratione, et vetat vitii cujusvis vivere modo. Lib. 9, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 2.

75. Lex non est probis molesta, probitatem jubens. *Ibid.*, lib. 10, cap. 9.

76. Faciliter mutare leges ex præsentibus in alias novas, infirmam facere est vim legis. Lib. 2, *Polit.*, cap. 7.

77. Lex fortia et temperata nos facere jubet, prorsusque cuncta, quæ ex virtutibus dicuntur. Lib. 1, *Magnorum Moral.*, cap. 34.

78. Cum lex justa facere præscribit, et quæ ex omnibus virtutibus sunt, mandat : qui ex lege justis obtemperat, perfectam nanciscitur probitatem. *Ibid.*

79. Legis transgressor, injustus est : et legitimus, justus. Lib. 4. *Ethic. ad Eudemium.*

80. Leges de omnibus decernunt, respicientes quod utile, vel omnibus, vel optimis, vel potentibus fuerit, alio aliquo modo. *Ibid.*

81. Eæ leges colendæ sunt, quibus magistratus, maxime autem ex totius multitudinis suffragiis designantur. *De Rhetor. ad Alexandr.*, cap. *Quæ sint consulenda.*

82. Lex est recta ratio in jubendo et vetando. Lib. 1 *de Legibus.* CICERO.

83. Observa leges, citra piaculum non violandas. In suo *Enchirid.* EPICTETUS.

84. Pareto legi, quisquis legem sanxeris. In *dictis Sapient.* PITTACUS PHILOSOPH.

85. Lex omnis invidiæ est nescia. Lib. 7 *de Legibus.* PLATO.

86. Quoties a bono aberrant ii qui leges ferre instituunt, a legitimo et a lege discedunt. In *Dialogo Hippiæ majoris.*

87. Non est princeps super leges, sed leges supra principem. In *Panegyrico de Trajano augusto.* PLINIUS II.

88. Leges non cogunt, sed decorant; scelere deterrent, proficiunt ad bonos mores : et non tantum imperant, sed docent. Epist. 94. SENECA.

89. Legem brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit. *Prosec.*

90. Jubeat, non disputet; nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Damnatio*, sent. 23; *Iniquitas*, sentent. 43, 95; *Liberum arbit.*, sentent. 14, 15; *Natura*, sentent. 59; *Occisio*, sentent. 35; *Ratio*, sentent. 97; *Rex*, sentent. 1; *Severitas*, sentent. 34, 35.

## LEX DEI.

*Definitio.* Lex divina est ratio, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Lib. 22, *contra Faustum.*, cap. 27. S. AUGUST.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**PHILO JUD.** Lex Dei nihil aliud est, quam divinum eloquium facienda præcipiens, vitanda prohibens. *De Migrat. Abrahæ.*

**CASSIOD.** Lex Domini est in declinandis peccatis sancta præceptio. Super *Psalm.* I, vers. 2 : *Sed in lege Domini*, etc.

**S. THOMAS AQUINAS.** *Differentia.* Hæc est differentia inter legem divinam et mundanam, quia lex mundana judicat facta et dicta : divina autem non hæc tantum, sed etiam cogitata. *Opusculor.*, opus. 9, *de Præcepto*, verbo : *Non concupisces.*

SENTENTIÆ PATRUM.

**S. AUGUST.** 1. Ad ædificationem bona est lex, si quis ea legitime utatur, quia finis ejus est charitas. Lib. 32, *Conf.*, cap. 16.

2. Lex æterna est, per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur. Lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 6.

3. Lex æterna est, qua justum est, omnia sint ordinatissima. *Ibid.*

4. Jubet lex æterna avertere amorem a temporalibus, et eum mundatum convertere ad æterna. Libro *de Libero arbitrio*, cap. 15.

5. Disciplina ipsa Dei lex est, quæ apud eum fixa et inconcussa semper manens in sapientes animas quasi transcribitur : ut tanto se sciant vivere melius, tantoque sublimius, quanto et perfectius eam contemplantur intelligendo et vivendo custodiunt diligentius. Lib. 2, *de Ordine*, cap. 8.

6. Æternam legem mundis animis, fas est cognoscere ; judicare autem non fas est. *De vera Relig.*, cap. 31.

7. Lex adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, diffundit spiritus charitatem, implet charitas legem. Epist. 144, *de Anastas.*

8. Lex pædagogus vocatur, sub cujus minacissima severitate, qui invocaverit nomen Domini salvus erit. *Ibid.*

9. Bona est lex illi qui ea legitime, utitur : utitur autem legitime qui intelligens quare sit data, per ejus comminationem confugit ad gratiam liberantem. *Ibid.*

10. Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. *De Spiritu et littera*, cap. 13.

11. Lex data est, ut gratia quæreretur ; gratia data est, ut lex impleretur. *Ibid.*, cap. 19.

12. Lex Dei, est charitas. *De Spiritu et littera*, cap. 17.

13. Nullomodo aliquid legibus summi illius Creatoris ordinatorisque subtrahitur, a quo pax universitatis administratur. Lib. 19. *de Civit. Dei.* cap. 12.

14. Gratia nos facit legis dilectores, lex vero ipsa sine gratia nonnisi prævaricatores. *De Gratia et libero arbitrio*, cap. 18.

15. Prævaricatorem legis, lux deserit veritatis, qua desertus fit cæcus. *De Nat. et grat.*, cap. 22.

16. Lex Dei ita præcipit, ut cum in his implendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus, ac sic eum lex terrendo ad Christum diligendum pædagogi perducat officio. *De Perfect. justit.*, respons. 2.

17. Sunt qui tenent legem memoria, et non implent vita : qui vero implent, non possunt non tenere memoria. Super *Psalm.* LVIII, conc. 2, vers. 2.

18. Quanto legis major in quocunque cognitio est, tanto minor peccati excusatio : quanto minor peccati excusatio, tanto manifestior prævaricatio est. Super *Psalm.* CXVIII. conc. 25.

19. Homo ipse se dignum efficit morte, qui non paruit legi : odit vitam, qui divinam contempserit disciplinam. Serm. 3, *de Verbis Dom.*

20. Clausum cor habes, et clavem accusas : accusas legem, quia percutit libidinem. *De Verbis Apostoli*, serm. 4.

21. Ipse Christus Rex est indulgentiarum, qui dator est legis : misit legem, venit cum indulgentia. Reum te fecerat lex, absolvit te qui dedit legem. Serm. 1, *fer.* 3, *post Dom. Pass.*

22. Lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes ; ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate perceperint. Lib. 2, super *Exod.*, quæst. 67.

**S. BASIL. MAGN.** 23. Divina lex non actionem, sed cogitationem judicat. *De Virginit.*

**V. BEDA.** 24. Nihil prodest littera jubens, nisi adfuerit gratia juvans. Lib. 1, super *Luc.*, cap. 2, in illud : *Lex per Moysen*, etc.

**S. BERNARD.** 25. Qui legem Dei sprevit, honestatem abjecit, valefecit pudori, timorem Domini penitus transiliit, soloque vehitur appetitu, sequitur concupiscentiam solam, sola trahitur voluptate, et est apud eum pro ratione voluntas. Serm. *de Septem Donis Spiritus sancti.*

26. Lex Domini sola est, quæ ab amore sui et mundi, avertere possit animum, et in Deum dirigere. Epist. 2, *ad Carthus.*

27. Lex æterna creatrix et gubernatrix est universitatis : siquidem in pondere et mensura et numero per eam facta sunt universa, et nihil sine lege relinquitur. Epist. 11, *ad Carthus.*

**S. BONAV.** 28. Optime pœnam cavit, qui legem servavit : non est melior sempiternæ mortis cautela, quam



supernæ legis sequela. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII.

29. O summa fatuitas et cæcitas detestanda ! quia observantur ad unguem leges imperatorum et regum, sed non est qui legem servet regis regum, Dei deorum, et Domini Dominorum. Serm. *de S. Luc.*

**CASSIODOR.** 30. Inimici Christi sunt, qui a lege superna contraria voluntate dissentiunt. Super *Psalm.* XXXXIV.

31. Gravis morbus, et execranda calamitas ; animam divinæ legis appetentiam non habere : nam unde poterit vivere, si suam vitam cœperit non amare ? Super *Psalm.* CVI, vers. 18.

32. Totum in lege Dei debemus diligere, quidquid noscitur continere. Super *Psalm.* CXVIII. vers. *Diligentibus legem*, etc.

**CLEMENS ALEX.** 33. Lex est lumen vitæ, lex rex est omnium mortalium. Lib. 1, *Stromat.*

**S. CYRILLUS ALEX.** 34. Nemo dubitaverit legem esse accusatricem eorum qui instituti sunt, imbecillitatis, et lapsuum peccatorumque nostrorum judicatricem. Lib. 3, *Glaphyr. in genesim*, cap. 4.

35. Lex manu quodammodo ducit ad Christum, arguens transgressores, ipsoque experimento docens mortales, quod impossibile sit proclivitate ad peccatum laborantes effugere accusationem ex lege. *Ibid.*

**DIONYSIUS CARTHUS.** 36. Nova lex est lex pietatis, amoris, et gratiæ : vetus autem lex erat lex timoris, rigoris, et mortis. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 12, art. 12.

37. Lex evangelica, lex libertatis, lex spiritus vitæ : lex evangelica, lex charitatis et gratiæ : lex autem vetus, fuit timoris et pœnæ. Super *Epist. Jacobi*, cap. 1.

**S. HIERON.** 38. Præcipua tibi cura sit, legem nosse divinam, per quam possis quasi præsentia cernere exempla Sanctorum, quid faciendum sit, quidve vitandum, illinc consilio disce. Epist. 14, *ad Celantiam.*

39. Latus et immensus divinæ legis campus extenditur, qui diversis testimoniis veritatis, velut cœlestibus quibusdam floribus vernans, mira oblectatione legentis animum pascit ac refovet. *Ibid.*

40. Lex Dei nectar est, et ambrosia. Lib. 10, super *Isai.*, cap. XXXIII, super illud ; *Audite qui longe estis.*

**HUGO A S. VICTORE.** 41. Multi habent legem in corde, sed non habent cor in lege, legem in corde habent, qui cognoscunt veritatem : cor in lege habent, qui diligunt veritatem. *Prosec.*

42. Qui legem in corde habent, non cor in lege : hi portant legem, non portantur a lege ; onerati sunt, non adjuti. Super *Psal.* I, cap. 2.

**S. ILDEPH.** 43. Non ex natura rerum divinæ leges pendent, sed ex divinis legibus naturæ rerum, et leges manare probantur. *Libro contra eos, qui disputant de Virginit. Beatæ Mariæ.*

**S. INNOC. III** 44. Tria sunt, in quibus divina lex consistit ; mandata, promissa, sacramenta. In mandatis est meritum ; in promissione est præmium ; in sacramentis est adjutorium. In *Prolog.*, super lib. *sex mysteriorum Missæ.*

**S. JOANNES CHRYSOST.** 45. Data est lex, ut umbra aliqua, non peccata tollens, sed ea demonstrans ; ut imperfecti filii, qui lacte pascuntur, adolescere possint. Homil. 52, super *Genes.*

46. Quidquid lege præcipitur, hoc naturæ jure servatur : et quidquid natura geritur, hoc præcipi legibus demonstratur. Super illud *Isaiam* : *Si volueritis*, etc.

47. Nihil eo imbecillius, qui divinas conculcat leges : e contra nihil potentius eo, qui leges divinas defendit. Homil. 5, *de verbis Isai.*

48. Ita quod interdicitur, transgredi, mors est : ut quod jubetur, facere, vita est. *Prosec.*

49. Unde si observantia legis, vita paritur ; contemptu, mors necesse est inveniatur.

50. Quoniam si contemptu mors non nascitur, nec vita de observantia attribuitur : aut si necesse est vitam de observantia attribui, necesse est mortem contemptoribus irrogari. Serm. *de levium peccator. periclis.*

**JOAN. GERS.** 51. Lex divina nullo modo potest abrogari, quamvis possit revocari. *De potest. Ecclesiastic.*, cap. 12.

**JOAN. TRITH.** 52. Lex Dei dulcis et moderata fortibus, dispensativa infirmis, portabilis omnibus. Super *Prolog. Reg. S. Benedicti*, cap. 2.

**S. ISIDORUS HISPAL.** 53. Via, per quam itur ad Christum, lex est. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 18, sent. 1.

54. Lex Dei et præmium habet et pœnam legentibus eam, præmium his, qui eam bene vivendo custodiunt : pœnam vero eis qui eam male vivendo contemnunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 8, sent. 9.

55. Divinæ legis penetralia humilibus, et bene ad Deum intrantibus patent, pravis autem atque superbis clauduntur. *Ibid.*, cap. 11, sent. 2.

56. Nequaquam legem Dei intelligit, qui carnaliter verba legis percurrit ; sed is qui eam sensu interioris intelligentiæ prospicit. *Ibid.*, cap. 12, sent. 1.

**LACT. FIRM.** 57. Qui voluntatem Dei sequitur, qui divinam legem observat, Deo charus est. *De ira Dei*, cap. 17.

58. Suscipienda Dei est lex, illa sancta, illa cœlestis, quæ nos ad iter portumque virtutis dirigit. Lib. 6, *de Div. inst.*, cap. 8.

59. Supra leges, lex Dei est. In *Epitome*, cap. *Super est.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

PETR. BLES. 60. Humana lex inflat, divina ædificat. Professores illius sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt : discipuli hujus, mites sunt et humiles corde. Epist. 140, *ad Petr. Cleric.*

S. PETRUS DAM. 61. Lex Domini charitas est. Lib. 1, epist. 15, *ad Alexandr. Pap.*

PHILO JUD. 62. Æterni Dei lex æterna, firmissimum ac munitissimum fulcrum est rerum omnium. Lib. *de Plantat. Noe.*

S. REMIGIUS. 63. Lex sancta, et justa, et bona est : quia sanctitatem, justitiam, bonitatemque prædicat ; et observatores suos sanctos, justos, et bonos facit. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 7, can. 12.

SALVIANUS. 64. Quod lex Dei bona est, nostrum non est : quod autem male vivimus, nostrum est. *Prosec.*

65. Nihil utique nobis prodest, quod lex est bona, si vita nostra et conversatio non est bona.

66. Lex enim bona, muneris est Christi : vita autem non bona, criminis nostri.

67. Imo in hoc magis culpabiles sumus, si legem bonam colimus, et mali cultores sumus : quin potius nec cultores, si mali ; quia cultor dici non potest, malus cultor : neque enim colit, qui rem sanctam non sancte colit : ac per hoc accusatrix nostri est lex ipsa, quam colimus. Lib. 4, *de Gubern. Dei.*

68. Culpabiliores nos multo esse perspicuum est, qui legem Dei habemus, et spernimus ; quam illos qui non habent omnino, nec norunt. *Ibid.*

69. Minoris criminis reatus est, legem nescire, quam spernere : nemo enim ignota contemnit, nec ullus potest despicere quod nescit. *Ibid.*

70. Non tam lex Dei tibi o homo ! quam tu legi adversaris : nec lex contra te bene præcipiendo, sed tu contra legem male vivendo agis. *Prosec.*

71. Imo illa pro te est, tu contra illam : illa enim tibi consulit sancta dicendo, tu contra illam venis prava faciendo.

72. Nec contra illam tantum, sed etiam contra te : hoc ipso enim, quod contra illam agis, et contra te, quia in illa salus et vita tua est : ac per hoc dum legem divinam deseris, salutem propriam derelinquis. *Ibid.*, lib. 5.

73. Lex Dei nobis est antidotum, sed vitiositas venenum : quid prodesse poterit antidotum, cui superfunditur venenum ? sanare nos non potest legis antidotum, quos occidunt venena vitiorum. *Ibid.*

74. Si legem Dei non facimus, superflua nobis catholici nominis præsumptione plaudimus. *Ibid.*, lib. 7.

75. Omne fastidium non in præceptis legis Dei, sed in moribus est : lex quippe bona est, sed mores mali. *Ibid.*, lib. 4, *ad Eccles. Catholic.*

S. THEODOR. 76. Qui divinas leges despiciunt, in superbiæ morbum incidunt. Super *Psalm.* CXVIII, super illud ; *Increpasti superbos.*

77. Divina lex non novas traditiones affert, sed naturæ leges in memoriam revocat. Serm. 6, *de Providentia.*

S. THOMAS AQUINAS. 78. Lex duris peccatoribus data est in flagellum, proficientibus in pædagogum, perfectis in solatium. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 5, lect. 6.

THOMAS A KEMPIS. 79. Ignorantia divinæ legis, mater est erroris, et janua mortis, privatio honoris, virtutis, et salutis. *In Doctrin. Juven.*, cap. 1, sect. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 80. Deus lex est æquabiliter in nos fusa, nec correctionem, nec transpositionem ullam recipiens, præstantior et firmior in omnibus legibus, quæ in tabulis descriptæ continentur. *De mundo.*

81. Sane beatus et felix futurus est, qui divinæ legis, jam a primis vitæ rudimentis particeps fuit. *Ibid.*

CICERO. 82. Lex æterna quasi dux vitæ et magistra officiorum est. Lib. 1, *de Natura Deor.*

PLATO. 83. Legibus qui servit, Deo servit. Lib. 6, *de Legibus.*

Vide etiam tit. *Delectatio*, sent. 25 ; *Mandatorum facilitas*, sent. 77 ; *Propositum*, sent. 13.

## LIBERALITAS in genere.

S. ANTONIN. *Definitio.* Liberalitas est debitus usus rerum in mediocribus sumptibus erga se, familiam, et indigentes pauperes. Part. 1, tit. 1, cap. 3, § 2.

S. BONAV. Liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix, quæ pro affectu benignitas, pro effectu beneficentia nominatur. Part. 3, *Centiloquii*, sect. 44.

HUGO A S. VICTORE. Liberalitas est virtus, per quam liber animus in largitione possessorum nulla tenacitate coarctatur. *De fructibus carnis et spiritus*, cap. 13.

LACTANT. Is liberalis est, qui bene meritis, et cum oportet, et quantum satis est, largitur. *De div. Instit.*, lib. 6, *de Vero cultu*, cap. 17.

S. LAURENT. JUSTIN. Liberalitas est quidam animi motus faciens, et approbans liberas largitiones sine spe retributionis. Part. 1, *de Ligno vitæ*, tract. 4, *de Justitia*, cap. 5.

S. PROSPER. Liberalitas est, quæ etiam in eos, qui nihil indigere videntur, exuberat. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 24.

S. THOMAS AQUINAS. Liberalitas est virtus, qua bene utimur omnibus iis externis bonis, quæ nobis ad nostram sustentationem concessa sunt. Secunda secundæ quæst. 117.



S. AMBROS. *Divisio.* Duplex est liberalitas. Una, quæ subsidio rei adjuvat, id est, usu pecuniæ ; altera, quæ operarum collatione impenditur, multo frequenter splendidior, multoque clarior. Lib. 2, *Offic.*, cap. 15.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. 1. Vere largus sine spe recompensationis dat Domino totum quod est, quod habet, et quod potest. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtutibus*, cap. 16.

S. AMBROS. 2. Non illa perfecta est liberalitas, si jactantiæ causa magis quam misericordiæ largiaris, affectus enim tuus nomen imponit operi tuo. Lib. 1, *Offic.*, cap. 30.

3. Perfecta liberalitas est, ubi silentio quis tegit opus suum, et necessitatibus singulorum occulte subvenit. *Ibid.*

4. Perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commodatur, ut primum opereris circa domesticos fidei. *Ibid.*

5. Illa est probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. *Prosec.*

6. Melius est enim ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere ; non tamen ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu posses conferre inopibus. *Ibid.*

7. Consideranda in largiendo ætas est atque debilitas : nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, ut senibus plus largiaris, qui sibi labore non queunt jam victum quærere. *Ibid.*

8. Præcipua liberalitas est, redimere captivos, enutrire parvulos, pupillos tueri. Lib. 2 *Offic.*, cap. 15.

9. Pulchra liberalitas est, erga ipsos pauperes mensuram tenere, ut abundes pluribus, non conciliandi favoris gratia ultra modum fluere. *Ibid.*, cap. 21.

10. Non sibi blandiantur divites, quod plus videantur conferre quam pauperes : uberior est enim nummus e parvo, quam thesaurus e magno ; quia non quantum detur, sed quantum resideat expenditur. *Prosec.*

11. Nemo plus tribuit, quam qui nihil sibi reliquit. *De viduis.*

12. Non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat : si injuste quærat, et juste dispensandum putet. Libro 1 *Offic.*, cap. 30.

S. ANTONIN. 13. Primum signum nobilitatis, est liberalitas : nam et Deus, qui nobilissimus est, liberalissimus est. *Prosec.*

14. Tanta est ejus liberalitas, ut non solum sua, sed et seipsum dederit suis, et etiam hostibus. Part. 2, tit. 4., cap. 4.

15. Proprius actus liberalitatis, est bene uti pecunia. Parte 4, tit. 5. *de Justitia*, cap. 7. § 1.

S. AUGUST. 16. Multi multa pauperibus, non misericordia, sed ambitione largiuntur. *De serm. Dom. in monte*, libro 2.

17. Quam multi sunt, qui jactantiæ causa multa tribuunt, multa donant, et non ibi quærunt, nisi laudem humanam, et gloriam popularem plenam ventis, nulla stabilitate solidatam ! Tract. 6, super *Epist. Joan.*, de cap. III.

BOETIUS. 18. Avaritia semper odiosos, largitas claros facit. Lib. 2, *de Consolat. philosoph.*, prosa 5.

S. BONAV. 19. Sapiens debet liberaliter spargere quod conservatum perit, et distributum in pauperes fructificat. Lib. 2, *de Profect. Relig.*, cap. 44.

S. CÆSAR. ARELAT. 20. Dominus non solum copia largitatis, sed benevolentia pascitur largientis. Homilia 1.

CLEMENS ALEX. 21. Quemadmodum putei exhausti in pristinam mensuram revertuntur, et ad ubera quæ sugantur solet lac confluere : ita etiam elargitio communicata egentibus augetur et repletur. Lib. 3 *Pædagogi*, cap. 7.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 22. Non solum copia largitatis, sed benevolentia pascitur Deus largientis. Homil. 10, *ad Monach.*

GLOSS. ORD. 23. Large dat, qui affectum largiendi habet, et si nihil habeat quod largiri possit. Super II *ad Cor.*, cap. IX, in illud : *Hilarem datorem diligit Deus.*

GRATIANUS. 24. In ipsa liberalitate modus adhibendus est rerum et personarum : rerum, ut non omnia uni, sed singulis quædam præstentur : personarum, ut primum justis, deinde peccatoribus ; non quia peccatores, sed quia homines sunt. In *Decret.*, part. 1, dist. 86, can. *Fratrem*, § *In ipsa.*

S. GREGOR. NAZ. 25. Donando magnificus, jucundius dat, quam alii accipiunt. Orat. 3, *de S. Lavacro.*

S. HIERON. 26. Tu considera, ne Christi substantiam imprudenter effundas, id est, ne immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, et liberalitate liberalitas pereat. Epist. 13, *ad Paulin.*

27. Liberalitas sola excedat modum. Epist. 27, *ad Eustochium.*

28. Liberalitas virtus maxima, et via regia est ; a qua declinat, qui parcus est ; qui non solum aliis, sed sibi quidem non tribuit quod necesse est. Libro 16, super *Isaiam*, cap. LVII. super illud : *In multitudine viæ.*

HUGO CARD. 29. Sicut avarus sibi nequaquam est, et nulli bonus, id est, misericors : sic largus sibi justus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est, tribuens sibi rationabiliter necessaria, et indigentibus bonus, id est, misericors. Super *Ecclesiastic.*, cap. 14.

S. JOANNES CHRYSOST. 30. Deus liberalitatem suam differt, non quia præstare nolit, sed quia hominis illum delectat exactio. Homil. 23, super *Matth. Oper. perf.*

31. Ubi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Homil. 43, super *Matth. Oper. imp.*

32. Præsenti liberalitate æternam vitam mercare, momentaneo lucro præmia divina acquire. Serm. 1, *de Martyrib.*

33. Non mensura dantium, sed voluntate exhibentium liberalitas æstimatur. Homil. 16, super II. *Cor.*

34. Qui ministris bene confidit, et de recipientibus nihil suspicatur, majori liberalitate impendit. *Ibid.* Homil. 18.

35. Non ex vita accipientium a te, mercedem tibi retributurus est Deus : sed ex voluntate tua, ex liberalitate multa, ex misericordia, ex bonitate. Homil. 11, super *Epist. ad Hebræos.*

JOAN. SARB. 36. Ut liberalitatis ingenuæ facies denudetur, modus ille largiendi nobilior et laudabilior est, et absque omnium contradictione optimus, qui spem remunerationis excludit. Lib. 8, *de Nugis curial.*

LACT. FIRM. 36. *Bis.* Unum certum et verum liberalitatis officium est, egentes atque inutiles alere. Lib. 6, *de div.* inst., cap. 11.

S. LAURENT. JUST. 37. In liberalitate modus adhibendus est rerum et personarum. Rerum, ut non omnia uni, sed singulis quædam præstentur, ut pluribus prodesse possint ; personarum, ut primum justis, deinde peccatoribus, quibus tantum prohibemur dare, non quia homines sunt, sed quia peccatores. *De ligno vitæ*, tract. 3, *de Justitia*, cap. 5.

S. LEO I. 38. Si non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas : quoniam fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate. Serm. 3, *de Collectis.*

39. Sit dives munere copiosior, dum pauper animo sit inferior. *Ibid.*

40. Semper illi quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit. Serm. 1, *de Jejun. decimi mensis.*

41. Nulli parvus est census, cui magnus est animus : nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet ac pietatis. Serm. 2. Quadrages.

42. Majora quidem impendia sunt divitum, et minora mediocrium : sed non discrepat fructus operum, ubi idem est affectus operantium. *Ibid.*

43. Operantibus quæ bona sunt, non est omnino metuendum, ne eis desit facultas operandi, cum præmium habeat gratuita largitio. *Ibid.* serm. 4.

44. Clementes et mites animos largitas decet. *Ibid.*, serm. 5.

45. Non sit anxia liberalitas, quia abundanter largita retribuit, qui benigne largienda donavit. Serm. 2, *Jejun. septimi mensis.*

46. Avaritia liberalitate depellitur. *Ibid.*, serm. 5.

S. PETRUS CHRYSOL. 47. Felix vena, quæ suo ditatur irriguo, et fluenta putei tota acquirit, acque attrahit liberalitate. Serm. 136.

S. PETRUS DAMIANUS. 48. Largus et liberalis animus facit divitem, pavor atque tenacia reddit egentem ; pavor enim degenerem animum compellit egere, licet divitiarum copiis videatur affluere. Opusc. 9, cap. 1.

49. Liberalitate liberalitas perit, videlicet cum res non indigentibus indiscrete profunditur : ideoque quid vere indigentibus dandum sit, postmodum non habetur. *Opusc.* 13, cap. 19.

THEOPHYL. 50. Non ex multitudine donorum, sed animi promptitudine liberalitas æstimatur. Super III, *ad Cor.*, cap. 8, in illud : *Et profunda paupertas eorum*, etc.

S. THOMAS AQUINAS. 51. Liberalitas excrescit in divitiis, copiose dando. Super II. *Cor.*, cap. 8, lect. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 52. Differt hoc a liberali magnificus, quod hic circa magna, ille circa parva versatur. Lib. 2 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7.

53. Viri liberalis est potius dare, quibus oportet, quam capere unde oportet, et non capere unde non oportet. *Ibid.*, lib. 4, cap. 1.

54. Ii, qui dant, liberales dicuntur : sed qui non acipiunt, non ob liberalitatem, sed ob justitiam, potius laudantur : homines multo minus erogant sua, quam non accipiunt aliena. *Ibid.*

55. Liberalis honestatis causa dabit, et recte : dabit enim quibus oportet, et quot oportet, et cum oportet. *Prosec.*

56. At is, qui dat quibus non oportet, aut non honestatis gratia, sed ob aliquam aliam causam, non liberalis, sed alius quidam dicitur. *Ibid.*

57. Ad hominem liberalem pertinet in primis, ut in dando adeo exuperet, ut sibiipsi pauciora relinquat : est enim liberalis non ad seipsum respicere, at enim pro facultatibus ipsa liberalitas dicitur. *Ibid.*

58. Liberalis actio, non in multitudine rerum, quæ dantur : sed in habitu dantis consistit ; hic autem pro facultatibus erogat. *Ibid.*

59. Nihil prohibet eum magis esse liberalem, qui pauciora donat, si modo minores ei sint facultates. *Ibid.*



60. Magis ii liberales sunt, qui non compararunt sibi facultates, sed ab aliis acceperunt. *Ibid.*

61. Is est liberalis, qui pro facultatibus erogat, et in quibus oportet : qui vero exuperat, prodigus est. *Ibid.*

62. Vir liberalis magis moleste fert, si quid, cum oporteret, non erogaverit, quam dolet, si quid, cum non oporteret, erogaverit. *Ibid.*

63. Liberalitas animi virtus, est erogare quatenus honestum est parata. *De virtutibus*, cap. 2.

64. Difficile est liberalem divitem esse. Lib. 4 *Moral.*, cap. 1.

CATO POET. 65. Ne sis ventosus, dum vis urbanus haberi. Lib. 1. *Distic.*, metr. 49.

CICERO. 66. Temeritate remota gratissima est liberalitas : eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cujusque bonitas commune perfugium est omnium. Libro 2, *de officiis.*

67. Videndum est, ut ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, noceat nemini. Lib. 1, *de Offic.*

68. Videre licet plerosque non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa quæ videntur ab ostentatione magis, quam a voluntate proficisci : talis simulatio vanitati est conjunctior, quam aut honestati. *Ibid.*

69. Largitio fundum non habet. *Ibid.*, lib. 2.

PLINIUS II. 70. Nescit semel incitata liberalitas stare, cujus pulchritudinem usus ipse commendat. Libro 5 Epist. 12, *ad Fabatum Prosocerum.*

71. Vere liberalis est, non qui tribuere patriæ, propinquis, affinibus, amicis novit, sed qui pauperibus. Libro 9, epist. 30.

SENECA. 72. Non est magni animi, qui de alieno liberalis est : sed ille qui quod alteri donat, sibi detrahit. Libro 1, *de Clement.*, cap. 20.

73. Errat, si quis existimat facilem rem esse, donare : plurimum ista res habet difficultatis. *De Vita beata*, cap. 24.

74. Animus invenit liberalitatis materiam, etiam inter angustias paupertatis. Lib. 1, *de Benefic.*, cap. 9.

75. Multi sunt, quos liberales facit frontis infirmitas. *Ibid.*, libro 2, cap. 1.

76. In omni negotio liberalis, non minima portio est. *Ibid.*, capite 6.

77. Mentitur prodigus liberalem : multi enim sunt qui non donant, sed projiciunt : non voco liberalem, pecuniæ suæ iratum. Epist. 120.

VALERIUS MAXIMUS. 78. Liberalis si opibus sit excellens, multo etiam animo, quam divitiis est locupletior, semperque in eroganda potius, quam in contrahenda pecunia occupatus. Libro 4 *Dictor. memorabil.*, cap. 8.

Vide etiam tit. *Divitiæ*; sent. 65; *Donum*; sent. 28; *Manus*, sent. 49; *Pecunia*, sent. 48.

## LIBERALITAS DEI.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Multo crebrior, multoque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quidquid superna largitas donat accrescit, ut conferendorum munerum causæ de iis quæ sunt collata, pariantur. Libro 2, *de Vocat. gent.*, cap. 3. S. AMBROS.

2. Magna vero atque mirifica sunt, nec ulli hominum penitus, nisi his tantum (qui experti sunt) nota, quæ Dominus fidelibus suis, adhuc in ipso corruptionis vasculo constitutis, ineffabili largitur liberalitate. In collat. 12. *Abbat. Chæremonis.*, cap. 12. JOAN. CASS.

3. Deus liberalitatem suam differt ; non quia præstare nolit, sed quia hominis illum delectat exactio. Homil. 23. super *Matth. Oper. perf.* et quæ sanis videt moribus obviare, reprehendere non veretur. *Prosec.*

4. Quid Dei liberalitati æquale unquam inveniri potest? Ipse est Pater, ipse Frater, ipse Dominus, ipse Sponsus, ipse Nutritor, ipse vestis, ipse radix : ipse fundamentum, ipse amicus, membrum caput, soror, mater, universa ipse tibi est : quidquid volueris, ipse est, dummodo illi, ut decet, afficiaris. *Ibid.*, homil. 77. S. JOANNES CHRYSOST.

5. Tanta est Dei liberalitas, ut ex his quæ dedit accipiens, se propria non censeat accipere, sed multa cum largitate, ea reddere polliceatur. Homil. 34, *ad Popul. Antioch.*

6. Muneribus Dei juste et sapienter utendum est, ne materia boni operis, fiat causa peccati. Serm. 5, *de Collectis.* S. LEO I.

7. Terrenæ et corporis facultates ex largitate Dei proveniunt, ut merito rationem earum quæsiturus sit ; quæ non magis possidenda tradidit, quam dispensanda commisit. Serm. 5, *de Collectis.*

8. Pusillanimorum diffidentia, facit pauperem Christum : plena fides, divitem illum et largum in exhibendis muneribus experitur. *Opusc.* 12, cap. 8. S. PETRUS DAMIAN.

## LIBERTAS.

*Definitio.* Libertas est ut liber vivendi potestas. COLLECTOR.

Vel

Libertas est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Veram libertatem habet, qui non est captus S. ALBERTUS MAGNUS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

est, tribuens sibi rationabiliter necessaria, et indigentibus bonus, id est, misericors. Super *Ecclesiastic.*, cap. 14.

S. JOANNES CHRYSOST. 30. Deus liberalitatem suam differt, non quia præstare nolit, sed quia hominis illum delectat exactio. Homil. 23, super *Matth. Oper. perf.*

31. Ubi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Homil. 43, super *Matth. Oper. imp.*

32. Præsenti liberalitate æternam vitam mercare, momentaneo lucro præmia divina acquire. Serm. 1, *de Martyrib.*

33. Non mensura dantium, sed voluntate exhibentium liberalitas æstimatur. Homil. 16, super II. *Cor.*

34. Qui ministris bene confidit, et de recipientibus nihil suspicatur, majori liberalitate impendit. *Ibid.* Homil. 18.

35. Non ex vita accipientium a te, mercedem tibi retributurus est Deus : sed ex voluntate tua, ex liberalitate multa, ex misericordia, ex bonitate. Homil. 11, super *Epist. ad Hebræos.*

JOAN. SARB. 36. Ut liberalitatis ingenuæ facies denudetur, modus ille largiendi nobilior et laudabilior est, et absque omnium contradictione optimus, qui spem remunerationis excludit. Lib. 8, *de Nugis curial.*

LACT. FIRM. 36. *Bis.* Unum certum et verum liberalitatis officium est, egentes atque inutiles alere. Lib. 6, *de div.* inst., cap. 11.

S. LAURENT. JUST. 37. In liberalitate modus adhibendus est rerum et personarum. Rerum, ut non omnia uni, sed singulis qædam præstentur, ut pluribus prodesse possint; personarum, ut primum justis, deinde peccatoribus, quibus tantum prohibemur dare, non quia homines sunt, sed quia peccatores. *De ligno vitæ*, tract. 3, *de Justitia*, cap. 5.

S. LEO I. 38. Si non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas : quoniam fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate. Serm. 3, *de Collectis.*

39. Sit dives munere copiosior, dum pauper animo sit inferior. *Ibid.*

40. Semper illi quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit. Serm. 1, *de Jejun. decimi mensis.*

41. Nulli parvus est census, cui magnus est animus : nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet ac pietatis. Serm. 2. Quadrages.

42. Majora quidem impendia sunt divitum, et minora mediocrium : sed non discrepat fructus operum, ubi idem est affectus operantium. *Ibid.*

43. Operantibus quæ bona sunt, non est omnino metuendum, ne eis desit facultas operandi, cum præmium habeat gratuita largitio. *Ibid.* serm. 4.

44. Clementes et mites animos largitas decet. *Ibid.*, serm. 5.

45. Non sit anxia liberalitas, quia abundanter largita retribuit, qui benigne largienda donavit. Serm. 2, *Jejun. septimi mensis.*

46. Avaritia liberalitate depellitur. *Ibid.*, serm. 5.

S. PETRUS CHRYSOL. 47. Felix vena, quæ suo ditatur irriguo, et fluenta putei tota acquirit, acque attrahit liberalitate. Serm. 136.

S. PETRUS DAMIANUS. 48. Largus et liberalis animus facit divitem, pavor atque tenacia reddit egentem; pavor enim degenerem animum compellit egere, licet divitiarum copiis videatur affluere. Opusc. 9, cap. 1.

49. Liberalitate liberalitas perit, videlicet cum res non indigentibus indiscrete profunditur : ideoque quid vere indigentibus dandum sit, postmodum non habetur. *Opusc.* 13, cap. 19.

THEOPHYL. 50. Non ex multitudine donorum, sed animi promptitudine liberalitas æstimatur. Super III, *ad Cor.*, cap. 8, in illud : *Et profunda paupertas eorum*, etc.

S. THOMAS AQUINAS. 51. Liberalitas excrescit in divitiis, copiose dando. Super II. *Cor.*, cap. 8, lect. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 52. Differt hoc a liberali magnificus, quod hic circa magna, ille circa parva versatur. Lib. 2 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7.

53. Viri liberalis est potius dare, quibus oportet, quam capere unde oportet, et non capere unde non oportet. *Ibid.*, lib. 4, cap. 1.

54. Ii, qui dant, liberales dicuntur : sed qui non acipiunt, non ob liberalitatem, sed ob justitiam, potius laudantur : homines multo minus erogant sua, quam non accipiunt aliena. *Ibid.*

55. Liberalis honestatis causa dabit, et recte : dabit enim quibus oportet, et quot oportet, et cum oportet. *Prosec.*

56. At is, qui dat quibus non oportet, aut non honestatis gratia, sed ob aliquam aliam causam, non liberalis, sed alius quidam dicitur. *Ibid.*

57. Ad hominem liberalem pertinet in primis, ut in dando adeo exuperet, ut sibiipsi pauciora relinquat : est enim liberalis non ad seipsum respicere, at enim pro facultatibus ipsa liberalitas dicitur. *Ibid.*

58. Liberalis actio, non in multitudine rerum, quæ dantur : sed in habitu dantis consistit; hic autem pro facultatibus erogat. *Ibid.*

59. Nihil prohibet eum magis esse liberalem, qui pauciora donat, si modo minores ei sint facultates. *Ibid.*



60. Magis ii liberales sunt, qui non compararunt sibi facultates, sed ab aliis acceperunt. *Ibid.*

61. Is est liberalis, qui pro facultatibus erogat, et in quibus oportet : qui vero exuperat, prodigus est. *Ibid.*

62. Vir liberalis magis moleste fert, si quid, cum oporteret, non erogaverit, quam dolet, si quid, cum non oporteret, erogaverit. *Ibid.*

63. Liberalitas animi virtus, est erogare quatenus honestum est parata. *De virtutibus*, cap. 2.

64. Difficile est liberalem divitem esse. Lib. 4 *Moral.*, cap. 1.

CATO POET. 65. Ne sis ventosus, dum vis urbanus haberi. Lib. 1. *Distic.*, metr. 49.

CICERO. 66. Temeritate remota gratissima est liberalitas : eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cujusque bonitas commune perfugium est omnium. Libro 2, *de officiis.*

67. Videndum est, ut ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, noceat nemini. Lib. 1, *de Offic.*

68. Videre licet plerosque non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa quæ videntur ab ostentatione magis, quam a voluntate proficisci : talis simulatio vanitati est conjunctior, quam aut honestati. *Ibid.*

69. Largitio fundum non habet. *Ibid.*, lib. 2.

PLINIUS II. 70. Nescit semel incitata liberalitas stare, cujus pulchritudinem usus ipse commendat. Libro 5 Epist. 12, *ad Fabatum Prosocerum.*

71. Vere liberalis est, non qui tribuere patriæ, propinquis, affinibus, amicis novit, sed qui pauperibus. Libro 9, epist. 30.

SENECA. 72. Non est magni animi, qui de alieno liberalis est : sed ille qui quod alteri donat, sibi detrahit. Libro 1, *de Clement.*, cap. 20.

73. Errat, si quis existimat facilem rem esse, donare : plurimum ista res habet difficultatis. *De Vita beata*, cap. 24.

74. Animus invenit liberalitatis materiam, etiam inter angustias paupertatis. Lib. 1, *de Benefic.*, cap. 9.

75. Multi sunt, quos liberales facit frontis infirmitas. *Ibid.*, libro 2, cap. 1.

76. In omni negotio liberalis, non minima portio est. *Ibid.*, capite 6.

77. Mentitur prodigus liberalem : multi enim sunt qui non donant, sed projiciunt : non voco liberalem, pecuniæ suæ iratum. Epist. 120.

VALERIUS MAXIMUS. 78. Liberalis si opibus sit excellens, multo etiam animo, quam divitiis est locupletior, semperque in eroganda potius, quam in contrahenda pecunia occupatus. Libro 4 *Dictor. memorabil.*, cap. 8.

Vide etiam tit. *Divitiæ*; sent. 65; *Donum*; sent. 28; *Manus*, sent. 49; *Pecunia*, sent. 48.

## LIBERALITAS DEI.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Multo crebrior, multoque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quidquid superna largitas donat accrescit, ut conferendorum munerum causæ de iis quæ sunt collata, pariantur. Libro 2, *de Vocat. gent.*, cap. 3. S. AMBROS.

2. Magna vere atque mirifica sunt, nec ulli hominum penitus, nisi his tantum (qui experti sunt) nota, quæ Dominus fidelibus suis, adhuc in ipso corruptionis vasculo constitutis, ineffabili largitur liberalitate. In collat. 12. *Abbat. Cheremonis.*, cap. 12. JOAN. CASS.

3. Deus liberalitatem suam differt; non quia præstare nolit, sed quia hominis illum delectat exactio. Homil. 23. super *Matth. Oper. perf.*
et quæ sanis videt moribus obviare, reprehendere non veretur. *Prosec.*

4. Quid Dei liberalitati æquale unquam inveniri potest? Ipse est Pater, ipse Frater, ipse Dominus, ipse Sponsus, ipse Nutritor, ipse vestis, ipse radix : ipse fundamentum, ipse amicus, membrum caput, soror, mater, universa ipse tibi est : quidquid volueris, ipse est, dummodo illi, ut decet, afficiaris. *Ibid.*, homil. 77. S. JOANNES CHRYSOST.

5. Tanta est Dei liberalitas, ut ex his quæ dedit accipiens, se propria non censeat accipere, sed multa cum largitate, ea reddere polliceatur. Homil. 34, *ad Popul. Antioch.*

6. Muneribus Dei juste et sapienter utendum est, ne materia boni operis, fiat causa peccati. Serm. 5, *de Collectis.* S. LEO I.

7. Terrenæ et corporis facultates ex largitate Dei proveniunt, ut merito rationem earum quæsiturus sit; quæ non magis possidenda tradidit, quam dispensanda commisit. Serm. 5, *de Collectis.*

8. Pusillanimorum diffidentia, facit pauperem Christum : plena fides, divitem illum et largum in exhibendis muneribus experitur. *Opusc.* 12, cap. 8. S. PETRUS DAMIAN.

## LIBERTAS.

*Definitio.* Libertas est ut liber vivendi potestas. COLLECTOR.
Vel
Libertas est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Veram libertatem habet, qui non est captus S. ALBERTUS MAGNUS.

appetitu rerum temporalium, nec laude, vel favore hominum, nec propria placentia, vel displicentia aliena, nec amicitia carnali, vel timore servili, nec delectatione gaudii transitorii. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virt.*, cap. 27.

S. AMBROS. 2. Omnis sapiens liber est, omnis autem insipiens servit. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplicianum*.

3. Libera est sola sapientia, et liber est qui sapiens est. *Ibid.*

4. Solus sapiens liber est, quia qui ea facit quæ vult, liber est. *Prosec.*

5. Ubi nulla formido, ibi libertas : ubi libertas, ibi potestas faciendi quod vult. *Ibid.*

6. Servus non est sapiens, sed solus liber est : quia sapiens neque cogi, neque prohiberi potest ; et qui neque cogi potest, neque prohiberi, is nequaquam servus est. *Ibid.*

7. Non ille liber est, qui serviens desideriis et voluptatibus, vago fluitat errore. *Prosec.*

8. Non ille liber est, qui curvatur ambitu, servit enim alieno imperio : sed ille liber est, qui potest dicere, Ego sub nullius passionis redigor potestate. *Ibid.*

9. Recidenda insipienti potestas est, non adjicienda libertas : quia in libertate insipientis ruina vehementior est. *Ibid.*

10. Gloriosa libertas, quam nulla servitus culpæ, nulla peccatorum vincula constringunt, nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia degeneris nexui servitutis addicunt. Lib. 1, *de Jacob*, cap. 3.

11. Ille qui voluntatis suæ arbiter est, judex consilii, interpres arbitrii, qui coercet corporeæ appetentiam passionis, qui ea quæ agit, bene agit, et inculpate agit, habens suorum actuum potestatem, is profecto liber est. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3.

12. Qui omnia prudenter agit, et ita vivit recte ut vult, is solus liber est. *Ibid.*

13. Ille in quavis conditione servitii sit, qui amore non capitur, avaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non alligatur, qui securus spectat præsentia, quem futura non terrent, semper liber est. *Ibid.*

S. AUGUST. 14. Ille ab omnibus liberat, cui servire omnibus utilissimum est, et in cujus servitio placere perfecte sola libertas est. *De Quantit. animæ*, cap. 34.

15. Libertas nulla vera est, nisi beatorum, et legi æternæ adhærentium. Lib. 1, *de Lib. arbit.*, cap. 15.

16. Quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat. *De vera Relig.*, cap. 48.

17. Ea vera et sincera libertas est, qua fit ut ubicunque sis, bene sit tibi. *De Viginti sent.*, sent. 19.

18. Prima libertas est, carere criminibus. Tract. 41, super *Evang. Joan.*, cap. 8.

19. Libertas delectat. Nam quandiu timore facis quod justum est, non Deus te delectat : quandiu adhuc servus facis, non te delectat : delectet te, et liber es. *Ibid.*

20. Volens a gente est liber, etiamsi se quispiam cogi putet. *De duabus animabus*, cap. 10.

21. Bonus etiamsi serviat, liber est. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 3.

22. Erit voluntas tua libera, si fuerit pia. Tract. 41, super *Joan.*

23. Eris liber, si fueris servus : liber peccati, servus justitiæ. *Ibid.*

24. Magnorum est libertas. Lib. 4, *de Musica*. cap. 6.

25. Magnum est munus libertatis. *Ibid.*

S. BASILIUS MAGNUS. 26. Omnia amittere tolerabilius est, præter libertatem. Super *Psalm.* XIV, conc. 4, vers. 6.

S. BERNARDIN. SEN. 27. Nihil est quod homo naturali affectu refugiat amplius, quam privari propria libertate. Serm. 13, *de Obedientia*, art. 1, cap. 1.

BOETIUS. 28. Humanas animas liberiores esse necesse est, cum se in mentis divinæ speculatione conservant, minus vero, cum dilabuntur ad corpora: minusque etiam, cum terrenis artubus colligantur. Lib. 5, *de Consolat. philos.*, prosa 2.

S. BONAV. 29. Libertas nulla vera est, nisi bonorum, et legi æternæ adhærentium. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 5, vers. 11, art. 2.

30. Vera libertas est, regi lege charitatis. Collat. 43, super cap. VIII, *Joan.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 31. Quid prodest, quod liber est in natura, qui servus est in conscientia? Homil. 4.

32. Libertas nostra, Dei gratia et conversatio nostra est : libertas nostra, est cultus Religionis, justitia operis, puritas castitatis. *Ibid.*, homil. 5.

[illegible] ALEX. 33. Solus sapiens liber ac princeps est, etiamsi aliqui sexcentos corporis Dominos habeat. Et hab. apud D. Joannem Damasc., lib. 3 *Parall.*, cap. 73.

DIONYSIUS CARTHUS. 34. Libertas multis peccandi occasio est, quoniam pœnam non metuunt. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 5, art. 5.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 35. Qui in securitate vitiis deditus est, in libertate captivus est. Homil. in *Litaniis*.

GILLEBERT. ANGLUS. 36. Libertas illecebram parit. Serm. 1, super *Cant.*, apud div. Bernard., num. 2.

37. Est libertas conditionis, est libertas dispositionis, est libertas affectionis. Prima consistit in naturali aptitudine; secunda in habitu bene vel male constitutæ mentis; tertia in usu. *Ibid.*, serm. 39.



S. GREGOR. MAGNUS. 38. Nulla est libertas, ubi est culpa. Lib, 15 *Moral.*, cap. 13.

S. HIERON 39. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. Epist. 14, *ad Celantiam*.

40. Cito indignatur libertas, si opprimitur : nemo plus impetrat a libero, quam qui servire non cogit. Epist. 18, *ad Theophil.*

41. Libertas nimia, seminarium rixarum est. Epist. 60, *ad Marcellam*.

S. JOANNES CHRYSOST. 42. Omnis qui confitetur servitutem, meretur gratiæ libertatem. Serm. *de eo quod David dicit ; Quis sum ego?*

43. Beata voluntas est, quæ serviendo comparat libertatem : misera servitus, quam generat libertatis excessus. *Prosec.*

44. Beata libertas, quæ servit legi, obtemperat judici, paret auctori, quæ humilis Deo est, subjecta Christo.

45. Beata libertas, quæ imperata tenet, jussa complet ; præcepta conservat : contendit ut placeat, ut promereatur instat, timet offendere, veretur delinquere, amat divina monita frequentare. Serm. super illud *Isaiæ, Si Volueritis*, etc.

46. Ingratus est libertatis, qui peccando conditionem exceperit servitutis. *Ibid.*

47. Nihil prorsus libertatem sic tollit, quemadmodum sæcularium rerum cupiditas, et eorum quæ videntur esse præclara : non enim sibi vivunt, sed alteri, et mille crudelibus dominis hujusmodi homines promuntur. Homil. 59, super *Matth. Oper. perf.*

48. Ille cui magna rerum affluit copia, ingens potentia, patriæ splendor, majorum nobilitas, ad quam universa pene respicit civitas, libertatem amisit, et servus omnium abjectissimus est. *Ibid.*

49. Odiosa sit semper libertas. Homil. 15, *ex Divers. in Matth.*

50. Libertas dissoluta, ac moderamine carens, ubique mala est, confusionisque causa. Serm. 23, super *Epist. ad Dom.*

51. Hæc maxima libertas est, cum quis in servitutem clarus. Homil. 19, super I *Cor.*

52. Vera hominis libertas tunc apparet, cum is qui sub domino est, nihil tamen servile possidet. *Ibid.*

53. Servitus peccati lædit, sed nemo te quispiam lædere poterit, si serviles mores non habueris, quibus si obnoxius fueris, nulla est tibi libertatis utilitas, etiamsi millies liber esses. *Prosec.*

54. Quid tibi profuerit, quod nemini hominum servias, si teipsum affectibus subjicias? *Ibid.*

55. Solus liber est ille, qui libertatem intrinsecus habet : sicut servus est ille, qui succumbit irrationabilibus vitiis. Homil. 18, super I *Timoth.*

JOAN. GERS. 56. Vera libertas, summa ingenuitas est ; fallax libertas, omni servitute deterior. Serm. *de Orat. in concil. Constant.*

JOAN. SAR. 57. Libertas de singulis pro arbitrio judicat, et quæ sanis videt moribus obviare, reprehendere non veretur. *Prosec.*

58. Nihil autem gloriosius libertate, præter virtutem, si tamen libertas recte a virtute sejungitur.

59. Omnibus enim recte sapientibus liquet, quia libertas vera aliunde non provenit.

60. Ergo et pro virtutum habitu quilibet liber est, et quatenus est liber, eatenus virtutibus pollet. Lib. 7, *de Nugis curial.*, cap. 25.

JOAN. TRITH. 61. Hæc est vera libertas, animum terrenis affectibus facere alienum. Lib. 2, *de Vir. illustr. Ord. S. Bened.*, cap. 145.

S. ISID. HISP. 62. Melior est subjecta servitus, quam elata libertas. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 47, sent. 4.

LACT. FIRM. 63. Libertas, si alios insectetur, potius quam insectantibus resistat, contumacia est. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 14.

PHILO JUD. 64. Libertas quædam est corporum non subjecta hominibus potentioribus quædam animi nullis affectibus obnoxia. Lib. *Quod omnis probus liber sit.*

SALVIANUS. 65. Melius est sub specie captivitatis vivere liberi, quam sub specie libertatis esse captivi. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

THOMAS A KEMPIS. 66. Non est vera libertas, nisi in timore Dei. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 21, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 67. Si iniquum est liberum asseruisse, qui servus est : longe iniquius, servum sanxisse, qui liber est. Sect. 29, *Problem.*, quæst. 13.

68. Nullus hominum liber est; nam aut pecuniæ, aut fortunæ servit. Lib. 2, *Rhetor.*, cap. 21.

CICERO. 69. Dictum est ab eruditissimis, nisi sapientem liberum esse neminem : Quid est enim libertas, nisi potestas vivendi ut velis? quis igitur vivit ut vult, nisi qui recta sequitur, cui vivendi via considerata atque provisa est? *De Paradoxis*, cap. 5.

PLINIUS II. 70. Quid libertate pretiosius? porro quam turpe, si libertas servitute mutetur. Lib. 8, epist. 24, *ad Maxim.*

SENECA. 71. Quandiu non sumus nostri, natura nos regit, et in quemcunque vult casum non mittit : hinc vero sumus æstimandi liberi, cum sumus nostri. Lib. 1, *Controvers.*, controvers. 6.

72. Liber est, qui servitutem effugit sui. Lib. 3, *Quæst.*

73. Libertas est, nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus. Epist. 51.

74. Inæstimabile bonum est, suum fieri. Epist. 75.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

75. Nemo liber est, qui corpori servit. Epist. 92.

76. Perit libertas, nisi illa contemnimus, quæ nobis jugum imponunt. Epist. 85.

77. Non potest gratis constare libertas : hanc si magno æstimamus, omnia parvo æstimanda sunt. Epist. 104.

78. Hominis bonum, liber animus est, ac rectus, alia subjiciens sibi, se nulli. Epist. 124.

79. Liber est, non in quem parum licet fortunæ, sed in quem nihil. Epist. 110.

SIXT. PHIL. 80. Omnia auferenti a te, cede, præter libertatem. Sent. 14.

81. Non est sapienter factum, in quo libertas aufertur. *Ibid.*, sent. 267.

82. Immensa amatoris sapientiæ libertas non sit in homine, sed in anima. *Ibid.*, sent. 379.

Vide etiam tit. *Necessitas*, sent. 29; *Paupertas voluntaria*, sent. 15; *Possessio*, sent. 11; *Potestas in genere*, sent. 16; *Servire Deo*, sent. 67; *Servitus*, sent. 74; *Virginitas*, sent. 19, 66

## LIBERUM ARBITRIUM.

S. ANASTAS. PATR. *Definitio.* Liberum est, quod sui juris est : nam quod sub domino, seu alieno jure est, hoc non est liberum. *Prosec.*

Libertas enim proprie, est omnis fræni, et impedimenti expers potestas persequendi id, quod animo allubescit. *Libro viæ ducis*, cap. 2, *de Verbo.*

S. ANSELM. Libertas arbitrii est potestas servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem. *De Concordia præscientiæ.*

S. BERNARD. Liberum arbitrium est consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, et rationis indeclinabile judicium. *De gratia et lib. arbitr.*

S. BONAV. Liberum arbitrium, est liberum de voluntate judicium. Part. 3, *Centiloquii*, sent. 24.

S. CLEMENS PAPA. Arbitrii potestas, est sensus animæ habens virtutem, qua possit ad quos velit actus inclinari. Lib. 3, *Recognit.*

JOAN. GERS. Libertas arbitrii est facultas rationis et voluntatis ad utrumlibet oppositorum. In *Descript. terminor.*

S. LAURENT. JUSTIN. Liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis, qua eligitur bonum, gratia existente. *De contemptu mundi*, cap. 8.

CICERO. Quid est libertas, nisi potestas vivendi ut velis? quis igitur vivit ut vult, nisi qui recta sequitur, cui vivendi via considerata atque provisa est? *De Paradox.*, cap. 5.

PLATO. Liberum arbitrium est, quod sibiipsi imperat.

IN VIT. PATR. Arbitrii libertas est animæ ratione utentis voluntas, sine ullo impedimento ad id quod vult, hoc est, sive ad virtutem, sive ad vitium incitata, atque a summo illo parente et architecto ita effecta. Lib. 1, in *Vita SS. Barlaam et Josaphat.* cap. 15.

Arbitrii libertas est intellectualis animæ pro suo arbitratu agitatio. *Ibid.*

V. BEDA. *Comparatio.* Sicut equi cujuslibet cursus in loco spatioso, ita et hominis voluntas probatur in arbitrio dato. In suis *Prov.*, verbo *Sicut.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non est quod cuipiam nostram adscribamus culpam, nisi nostræ voluntati : nemo enim tenetur ad culpam nisi voluntate propria deflexerit. *Prosec.*

2. Voluntarium sibi militem legit Christus, voluntarium servum sibi diabolus auctionatur.

3. Neminem jugo servitutis adstrictum possidet, nisi se prius ei voluntatis ære per peccatum vendiderit. Lib. 1, *de Jacob*, cap. 3.

S. ANSELM. 4. Liber est, qui cogi non potest ad ea quæ nolit, nec prohiberi ab eo quod velit. *De Similitud.*, cap. 53.

5. Nec libertas, nec pars libertatis est, peccandi potestas. *De lib. arbitr.*, cap. 1.

6. Liberum arbitrium usque adeo in peccatoribus non periit, ut per ipsum peccent, maxime omnes qui cum delectatione peccant et amore peccati. Super *Epist. ad Rom.*, cap. VI, in illud : *Liberi fuistis.*

7. Nondum tota, nondum pura est, nondumque plena libertas, quia nondum æternitas. *Ibid.*, cap. 8, in illud : *Infelix ego homo*, etc.

8. Liberum arbitrium dedit nobis Dominus, ut arbitrio propriæ voluntatis recedamus ab iniquitate, vel permaneamus in iniquitate. Super II, *Timoth.* 2.

S. ATHANAS. MAGNUS. 9. Ab illicitis cavere, jugum necessitatis est : permissa vincere, munus arbitrii. In *Exhort. ad Monach.*

S. AUGUST. 10. In potestate hominis est mutare in melius voluntatem : sed illa potestas nulla est, nisi a Deo detur. Lib. 1, *Retract.*, cap. 22.

11. Voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior : tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiæ gratiæque subjectior. Epist. 89, *ad Hilar.*

12. Nihil boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit a perditione liberatus : nam libero arbitrio male utens homo, et se perdidit, et ipsum. In *Enchirid.*, cap. 30.

13. Initium salutis nostræ Deo miserante habemus; ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est : ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris : ut non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est, et cœlestis pariter adjutorii : ut labamur, nostræ potestatis est et ignaviæ. *De Ecclesiast. dogmatibus*, cap. 21.



14. Lex non impletur, nisi libero arbitrio : sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum : per gratiam sanatio animæ a vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio. *Prosec.*

15. Sicut autem lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur : ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur. *De spirit. et litt.*, cap. 30.

16. Laudandus est, non attractus ad opus serviliter animus ; sed liberaliter et sponte devotus. Lib. 2, *Exod.*, quæst. 170.

17. Nostrum est velle, sed voluntas ipsa etiam monetur ut surgat, et sanatur ut valeat, et dilatatur ut capiat, et impletur ut habeat. *De Bono viduit.*, cap. 17.

18. Cum omnia bona dicuntur ex Deo, scilicet et magna et media, et minima : in mediis quidem bonis, invenitur liberum voluntatis arbitrium ; quia et male illo uti possumus, sed tamen tale est, quod sine illo recte vivere nequeamus. Lib. 1, *Retract.*, cap. 9.

19. Datum est animæ liberum arbitrium, non ut quodlibet eo moliens, ullam partem divini ordinis legisque perturbet. *De quantit. animæ*, cap. 36.

20. Valet liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur, quod fit humiliter petendo et faciendo. Epist. 89, *ad Hilar.*

21. Non voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur : sed ideo juvatur, quia non tollitur. *Ibid.*

22. Nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est. Lib. 3, *de Lib. arbit.*, cap. 3.

23. Deus præparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operando incipit : quoniam ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. *De Gratia et lib. arbitr.*, cap. 17.

24. Bene facere nemo potest, nisi elegerit, nisi amaverit, quod est in libera voluntate. Lib. 2, *contra litteras Petiliani*, cap. 83.

25. Liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est ad Dei dona pertinere non ambigitur. Lib. 2, *de Peccat. meritis et remiss.*, cap. 6.

26. Est in nobis per Dei gratiam in bono recipiendo et perseveranter tenendo non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. *De corrept. et grat.*, cap. 11.

27. Prima libertas voluntatis erat posse non peccare, novissima erit multo major, non posse peccare : prima immortalitas erat posse non mori, novissima erit multo major, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere. *Ibid.*

28. Ipsa sanitas est vera libertas, quæ non periisset, si bona permansisset. *De perfect. just.*, respons. 5.

29. Carnalis non agit quod vult : cum vult, non potest : quia quando poterat, noluit ; per malum velle, perdidit bonum posse. *De verb. Apost.*, serm. 12.

30. Voluntas non est, nisi tua : justitia non est, nisi Dei. Esse potest justitia Dei, sine voluntate tua : sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam. *Ibid.*, serm. 15.

31. Malum proprii arbitrii, germinatio est voluntatis. Apud Bedam, tom. 7, in *Scintillis*, cap. 41.

32. Libera voluntas non debuit alteri dari, quam data est. Lib. 2, *de Libero arbitr.*, cap, 2.

33. Voluntas quia est in potestate, libera est nobis : non enim est nobis liberum, quod in potestate no habemus. *Ibid.* lib. 3, cap. 3.

34. Est excellentior creatura quæ libera voluntate peccat, quam quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem. *Ibid.*, cap. 16.

35. Voluntas non libera dicenda est, quandiu est vincentibus, et vincientibus cupiditatibus subdita. Epist. 144.

36. Voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur in malis, ideo libera in bonis non est : quia liberata non est. Lib. 1, *ad Bonifac.*, cap. 3.

37. Deus dedit homini liberam voluntatem, sed nec bonam infructuosam, nec malam voluit esse impunitam. Lib. 3, *contra Crescon.*, cap. 51.

38. Semper est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. *De gratia et lib. arbitr.*, cap. 15.

39. Erit voluntas tua libera, si fuerit pia. Tract. 41, super *Joan.*

40. Libertas sine gratia, non est libertas sed contumacia. Epist. 89, quæst. 3.

41. Arbitrium hominum a diaboli potestate liberatum, opus est gratiæ, non naturæ. Epist. 107.

42. Non arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus. *De natura et gratia*, cap. 32.

S. BASILIUS MAGNUS. 43. Apud inferos quæ sunt mala, non Deum causam habent, sed nosipsos : principium namque ac radix peccati in nobis est, et in nostra po-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

testate. Homil. 9, *Quod Deus non est auctor malorum.*

44. Liberum illud, quod in potestate hominis est arbitrium, in eo situm est, vel velis vel nolis resistere diabolo. Homil. *Quod sine divina virtute resistere Satanæ*, etc.

S. BERNARD. 45. Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur : tolle gratiam, non erit unde salvetur. *De Gratia et lib. arb.*

46. Æque profecto liberum arbitrium, tam in malo quam in bono integrum perseverat. *Ibid.*

47. Arbitrii libertas hæc est, plane divinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Serm. 81, super *Cant.*

48. Frustra nititur quis, si non innititur. *Ibid.*, serm. 85.

49. Quid superbius quam spontaneæ, et tanquam liberæ adscribere voluntati, quod vel cogit necessitatis vis, vel pusillanimitatis infirmitas? Epist. 87, *ad Ogerium canonic. regular.*

50. Potestate accepta malle in malo, quam in bono uti, abuti est. Epist. 245, *ad Eugen. Pap.*

51. Nobis triplex posita est libertas : a peccato, a miseria, a necessitate, prima libertas est naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prima habet multum honoris, secunda plurimum virtutis, novissima cumulum jucunditatis. *De Grat. et lib. arb.*

52. Manet libertas voluntatis tam plena in malis, quam in bonis; sed in bonis ordinatior : tam integra pro suo modo in creatura, quam in Creatore, sed in illo potentior. *De Gratia et lib. arb.*

53. Utinam tam libere nobis consuleremus, quam libere de nobis judicamus : ut quemadmodum libere per judicium licita illicitaque decernimus, ita per consilium et licita tanquam commoda nobis eligere, et illicita tanquam noxia respuere liberum haberemus. *Ibid.*

54. Velle inest nobis ex libero arbitrio, non tamen posse quod volumus : non dico velle bonum aut velle malum, sed tantum velle : velle enim bonum, profectus est : velle malum, defectus. Velle vero simpliciter ipsum est quod velle proficit, vel deficit. *Prosec.*

55. Porro ipsum ut esset, creans gratia fecit : ut proficiat, salvans gratia facit : ut deficiat, ipsum se dejicit.

56. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos : ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle. *Ibid.*

BOETIUS. 57. Frustra bonis malisque præmia pœnæve proponuntur : si nullus liber ac voluntarius sit motus animorum, qui meruerit. Lib. 5, *de Consolat. philos.*, prosa 2.

58. Manet semper intemerata mortalibus arbitrii libertas. *Ibid.*, lib. 5, prosa 6.

59. In homine nihil melius et subtilius libero arbitrio. Super *Psalm* CXIV. S. BONAV.

60. Velle et non posse est miserum, nolle et posse est iniquum, velle et posse est felicissimum. Super *Psalm.* CXXXIX.

61. Quantum vis, tantum facis quod expedit, cum potes : sed si non facis, non vis. Lib. 2 *de Profectu. relig.*, cap. 23.

62. Liberum arbitrium per peccatum originale debilitatum fuit, non sublatum. Super *Psalm.* CXI, vers. 3.

63. Dicitur liberum arbitrium os animæ, cujus pro certo tunc vis occultatur, cum non recte usurpatur, et ad mali operis exercitium flectitur. *Prosec.*

64. Nam cum a Domino ideo datum sit, ut in bono exerceatur, et sic sit meritum, ille revera illud non ad hoc esse datum ipsa rei experientia negat, qui potius ad usum operationis pravæ declinat. Super *Psalm.* CXXXVIII, vers. 14.

65. Medicus et reparator noster rationem et liberum arbitrium, quæ per originale peccatum debilitata fuerant, per mortem unigeniti sui reparavit, et corroboravit. Super *Psalm.* CXLIII, vers. 2.

66. In peccatoribus liberum arbitrium minime extinctum est, viribus licet attenuatum, et inclinatum. Session. 6, cap. 1. CONCILIUM TRIDENT.

67. Liberi arbitrii germen est malum voluntarium. *Catechas.* 2. S. CYRILLUS HIEROSOL.

68. Liberum arbitrium habet anima, et potest quidem diabolus incitare, cogere autem præter voluntatem omnino non potest. *Ibid.*, catech. 4, *de Statu homin.*

69. Liberi arbitrii potestas est animæ rationalis, quæ prompte movetur quo velit. *De Perfect. spirit.* S. DIADOCH.

70. Deus hominem liberum, ac suæ potestatis condidit : quod sibiipsi per socordiam et inobedientiam fecit, hoc ipsi nunc Deus per benignitatem suam misericordiam donet. Habet. apud div. *Joan. Damasc.* lib. 1, *Parall.*, cap. 9. S. ELEUTH. PAPA.

71. Nullum vitium meum est, nisi quod voluntas mea facit esse meum. In *Annot. super Psalm.* vers. 13. FRANCIS. TITELM.

72. Sui juris voluntas est : libera est cum adest, sed non est animus ad omnem quam oportet adesse voluntatem liber, cum abest. Serm. 39 super *Cant.* GILLEBERT. ANGLUS.

73. Est libertas, quæ sine voluntate non est, et sine qua non est voluntas : et est libertas quædam quam non semper comitatur voluntas. Illa est in voluntate, hæc est in quadam volendi facultate : illa est in ipsa, hæc quasi ad ipsam. *Ibid.*



GLOSS. ORD. 74. Si nulla esset in hominibus arbitrii libertas, nulli essent laudandi, nec vituperandi : exularent omnes adhortationes Prophetarum et Domini, vacaret omne consilium. Super *Jone*, cap. 24.

S. GREGOR. MAGNUS. 75. Reprobi cœlestis patriæ præmia nequaquam percipiunt, quia ea nunc, dum moveri poterant, ex libero arbitrio contempserunt. Lib. 33 *Moral.*, cap. 20.

76. Liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens a terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur. *Ibid.*

77. Scimus quod Dei munere prævenimur, et quod obsequente libero arbitrio, bona eligimus, quæ agamus. *Ibid.*

78. Ignorat mens gratiam libertatis, quam ligat servitus timoris. Part. 3, *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 14.

S. GREGOR. NAZ. 79. Volentium et non coactorum, salutis est mysterium. Orat. 4, *Cum a patre in consortium assumptus*, etc.

S. HIERON. 80. Velle et nolle nostrum est, ipsumque quod nostrum est, sine Dei misericordia nostrum non est. Epist. 8, *ad Demetriad.*

81. Velle et currere meum est; sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum. Epist. 23, *ad Ctesiphon.*

82. Ipsum liberum arbitrium semper Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget. *Ibid.*

83. Liberum arbitrium dat liberam voluntatem, et non statim ex libero arbitrio homo facit, sed Domini auxilio, qui nullius ope indiget. *Ibid.*

84. Liberum habetis arbitrium, et semel vobis concessa a Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio. Lib. 2 *Dialogi advers. Pelagianos.*

85. Ubi misericordia et gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium, quod in eo tantum est, ut velimus atque cupiamus, et placitis tribuamus assensum. *Ibid.*, lib. 3.

86. Nihil boni operis agere ullus potest, absque eo qui ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret, ne libertas arbitrii redundaret ad injuriam conditoris. Epist. 17 *ad Cyprian.*

87. Quia liberi arbitrii es, moneo ut non tibi peccatum, sed tu peccato domineris. In *Quæst. hebraicis.*

88. Ita libertas arbitrii reservanda est, ut in omnibus excellat gratia largitoris. Lib. 4, super *Hierem.*, cap. 18, super illud : *Verbum quod factum est.*

89. Ita in nostra positum est potestate, vel facere quid, vel non facere : ut quidquid boni operis volumus, appetimus, explemus, ad Dei gratiam referamus. *Ibid.*, lib. 5 cap. 26, super illud : *Et dices ad eos*, etc.

90. Unicuique ad id quod volet, via est proposita vivendi, et appetendi, atque agendi permissa libertas. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Appropinquet oratio mea.* S. HILARIUS.

91. Gratia Dei prævenit et excitat liberum arbitrium, ut possit velle sanari, quia per se non potest velle sanari, qui per se potuit velle infirmari. Lib. 4 *de Arca Noe*, cap. 3. HUGO A S. VICTORE.

92. Cupientibus vobis feliciter vivere etiam Deus id largiri paratus est. Epist. 10, *ad Smyrnenses.* S. IGNATIUS MARTYR.

93. Nullus justorum sibi sufficit ad obtinendam justitiam, nisi per momenta singula titubanti ei et corruenti, fulcimenta manus suæ supposuerit divina clementia, ne prostratus intereat penitus, cum fuerit liberi arbitrii infirmitate collapsus. Collat. 3, *Abbat. Paphnutii*, cap. 12. JOAN. CASS.

94. Sicut in dæmonibus est instigationis copia, ita et in nobis cum Dei adjutorio, virtus respuendi sive acquiescendi, libertas est attributa. Collat. 7, *Abbat. Sereni*, cap. 8.

95. Auxilio et munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo certum, de languido sanum de imprudente sit providum. Homil. *de Adam et Eva.* S. JOANNES CHRYSOST.

96. Homo ideo ex bono et malo creatus est, ut contempto malo sequatur bonum, ut per hoc habeat electionis mercedem. Homil. 41, super *Matth. Oper. Imperfect.*

97. In te est, ut possis : quia in te est, ut velis. Ita velle efficit posse, ut efficit nolle non posse. *Prosec.*

98. Non poterit quisquam excusari, quasi voluerit, et non potuerit : cum constet eum idcirco non potuisse, quia noluit : ut nolens volentis exemplo damnetur, et volens voluntate propria (quia implevit quæ voluit) muneretur. Conc. 4, *de Lazaro.*

99. Velle et non velle, animæ est. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 5.

100. Libertate decenter uti tempore consentaneo, congrua tum mensura, tum prudentia adhibita, magni admodum animi et admirabilis est. In libro *contra Gentiles.*

101. Volentibus nobis bene agere, Deus ad largiendum promptus est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 9. S. JOAN. DAMASC.

102. Si invitos nos Deus ac repugnantes traheret, eam quam dedit libertatem nobis eriperet. *Ibid.*

103. Exploratum habemus, quod et velle et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

currere in nobis situm sit, Deumque per voluntatem et per cursum ad opem nobis ferendum pertrahamus. *Ibid.*

104. Volentibus animis, Deus favorem suum adjungit : sin autem velut a suflitu se removerit, spiritus quoque divino beneficio concessus sese contrahit. *Ibid.*

105. Id omne quod ratione utitur, arbitrii quoque libertate præditum est. Lib. 2 *de Fide orthod.*, cap. 3.

106. Cum Angelus arbitrii libertatem naturaliter habeat, libere ac sine ullo impedimento ea utitur, ut qui nec ullam repugnantiam sentiat, nec quemquam habeat a quo imperetur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 14.

107. Quamvis homo arbitrii libertate præditus sit, eamque naturaliter habeat : at habet tamen etiam diaboli impetum, corporisque motum. *Ibid.*

108. Primum bonum quod liberi arbitrii est, naturam eam decet, quæ ratione utitur. *De Duabus Christi voluntat.*

109. Liberum arbitrium prodere, et sine ratione ritu belluarum vivere, hoc vitium est, hoc peccatum. *Ibid.*

JOAN. TRITH.

110. Sicut liberum arbitrium sine gratia Dei nihil proficit, ita gratia Dei ad operandum bonum in nobis nostrum arbitrium requirit. *De vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 8.

111. Arbitrii tui extende brachium, gratia Dei in promptu est. *Ibid.*

S. IRENÆUS.

112. Homo liber in arbitrio factus, et suæ potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Lib. 4 *advers. Hæres.*, cap. 9.

113. Liberum hominem Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, et non coactum a Deo : vis enim a Deo non fit. *Ibid.*, lib. 4, cap. 71.

114. Posuit in homine Deus potestatem electionis, quemadmodum et in Angelis. *Ibid.*

S. LAURENT. JUSTIN.

115. Nobis in medio constitutis liberum Deus præbuit arbitrium ; ut quod volumus, eligamus. *De casto connubio*, cap. 13.

116. Tunc hominis arbitrium liberum est, cum bene operatur, Deus in illo. *Prosec.*

117. Secus autem liberum non est, liberum nequaquam esse valet, cum peccando Conditoris prætergreditur legem. In *Fasciculo amoris*, cap. 8.

118. Absque voluntate libera, nihil est Deo gratum. *Ibid.*, cap. 9.

119. In voluntate liberi collacta est sedes arbitrii, virtutum et vitiorum finis, vitæ et mortis janua, promerendi ac demerendi lex. *De Humilit.*, cap. 5.

LUDOVICUS BLOSIUS.

120. Voluntatis arbitrium (quod in te liberum) gratiæ Dei adjunge, simulque cum ea labora. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 6.

121. Neque diabolus, neque creatura cogere te potest, ut peccato consentias, cum habeas voluntatem liberam. In *Speculo spirit.*, cap. 2.

122. Ipse Deus, qui voluntate summe liber est, Angelo et homini liberum voluntatis arbitrium contulit, ut uterque præmio digna ageret. Lib. 2 *Enchirid. parvulor.*, cap. 12.

123. Creatura rationalis, si liberum non haberet arbitrium, voluntatem habere dici non potest : non enim voluntas esset, si coacta esset. *Ibid.*

124. Peccato per liberum arbirium admisso, ipsa arbitrii libertas non quidem prorsus perdita est, sed misere labefactata et infirmata. *Ibid.*

S. NILUS. ABB. ET E.

125. In tuo arbitrio situm est, vel luce frui, vel in tenebris versari. Hab. apud *D. Joan Damasc.* lib. 1 *Parall*, cap. 9.

ORIGENES.

126. Sui arbitrii est anima, et in quam voluerit partem est ei liberum declinare. Homil. 20, in cap. XXV, *Numer.*

127. Non sufficit ad perficiendam salutem sola voluntas humana nisi hæc ipsa voluntas, et quæcunque esse potest industria, divino, vel juvetur, vel muniatur auxilio. Lib. 2 *Peri-Archon.*, cap. 2.

128. Neque quæ in nostro arbitrio sunt putemus sine adjutorio effici posse : neque ea, quæ manu Dei sunt, putemus absque nostris actibus et studiis, et proposito consummari. *Ibid.*, cap. 2.

PHILO JUD

129. Homo liberam facultatem et sui juris sententiam sortitus, ex destinato pleraque faciens, merito vituperium incurrit, si prudens sciensque peccat : sicut e diverso laudem, quando sua sponte benefacit. Lib. *Quod Deus sit immutabilis.*

S. PROSPER.

130. Quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire; cum in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generaverit? Epist. *de Rufin. de Lib. arb.*, cap. 1.

131. Homo, qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus : sed per se malus, per Deum bonus. *Ibid.*, cap. 2.

RICHARD. S. VICTOR.

132. Inter omnia creationis bona, nihil in homine sublimius, nihil dignius libero arbitrio. Part. 1, tract. 1, *de Statu inter. homin.*, cap. 3.

133. Liberum arbitrium dominium non patitur nec pati potest : quia violentiam inferre ei, nec Creatorem decet, nec creatura potest. *Prosec.*



134. Totus infernus, totus mundus, totus denique militiæ cœlestis exercitus in unum concurrat : unus ex libero arbitrio consensus in qualicunque re, invito extorqueri non valet. *Ibid.*

135. Principatur omnibus liberi arbitrii ultroneus consensus. *Ibid.*

136. Non arbitrium hominis idcirco liberum dicitur, quia promptum habeat bonum vel malum facere : sed quia liberum habet bono vel malo non consentire. *Prosec.*

137. Posse quidem facere malum, est infirmitatis : posse facere bonum, est potestatis : neutrum autem, libertatis : libertatis vero est, quod consensus ejus extorqueri vel cohiberi non potest. *Ibid.*, cap. 13.

138. Potestatem promerendi, peccanto amittere potuit homo ; libertatem vero arbitrii, sicut nunquam non habuit, sic nunquam non habebit: quia nunquam qualicunque peccato, vel pœna amitti, vel minui poterit; amisit itaque potestatem, non libertatem. *Ibid.*, cap. 13.

139. Liberum arbitrium quod ex seipso nihil potest, incipit posse, quando et quantum voluerit ille, qui omnia potest. *Prosec.*

140. Incipit ergo posse ex divino adjutorio, quod non potest de seipso : et quod jam non potest per naturam, accipit bonum posse per gratiam. *Ibid.*, cap. 16.

141. Manet infirmitas cum libertate, et libertas cum infirmitate, in tantum ut neutra præjudicet alteri, nec infirmitas libertati, nec libertas infirmitati : quia nec infirmitas minuit libertatem, nec libertas aufert infirmitatem. *Ibid.*, cap. 22.

142. Hominis arbitrium, liberum dici non potest, si vel ex parte libertatem amisit. *Ibid.*, cap. 22.

143. Primus libertatis gradus, est nulli coactioni subjacere : secundus, nulli subjici debere : tertius vero, nulli penitus subjici posse. *Ibid.*, cap. 23.

144. Arbitrii libertas nec in bonis major, nec in malis est minor : quæ nec per peccatum minuitur, nec per meritum augetur. *Ibid.*

145. Eorum quæ sunt ad meritum nihil habet homo in libero arbitrio, nisi ex divino adjutorio. *Ibid.*, cap. 33.

146. Frustra quispiam libero arbitrio innititur, nisi divino adjutorio fulciatur. Part. 1, lib. 3, *de Contemplat.*, cap. 16.

ROBERTUS BELLARM.

147. Non tollitur arbitrii libertas per auxilium gratiæ, sed stabilitur. Super *Psalm.* LXXVIII, vers. 9.

TERTULL.

148. Libertas arbitrii non ei culpam suam respuet a quo data est, sed a quo non ut debuit administrata est. Lib. 2, *advers. Marcionem*, cap. 9.

THEODOR.

149. Rationalis animæ proprium est, libero arbitrio potiri. Quæst. 36, super *Gener.*, cap. 8.

150. Deus non cogit animum humanum, sed libero suo arbitrio dimittit : at quoniam geri contraria permittit, quæ prohibere posset, non tamen prohibet, ne vi et necessitate quadam fieri videatur quod agitur. Quæst. 37, super *Deut.*

S. THOMAS AQUINAS.

151. Homo quod liberum arbitrium rationis remanet liber a coactione, non tamen semper est liber ab inclinatione. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 8, lect. 4.

152. Homo per liberum arbitrium non potest. salvari absque divino auxilio. Supe *Epist. ad Philipp.*, cap. 2, lect. 3.

THOMAS A KEMPIS.

153. Fili, ad istud diligenter tendere debes, ut in omni loco, et actione, seu occupatione externa sis intimus liber, et tuiipsius potens, et sint omnia sub te, et tu non sub eis, ut sis dominus actionum tuarum et rector, non servus nec emptitius. Lib. *de Imit, Chr.*, cap. 38.

S. VALER. EPISCOPUS.

154. Omnem hominem Deus non so um ad libertatem vocavit, sed etiam in summa rerum dignitate constituit. Homil. 3, *de Arcta vita.*

155. Nostrum est bonum velle, Christi vero perficere. Homil. 11.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.

156. Nostra in potestate situm est agere et non agere, et in quibus non agere, in iis est et agere. *Prosec.*

157. Quare si agere bonum (quod honestum est in nobis est situm, et non agere (quod est turpe) in nobis est collocatum : Etsi non agere malum quod est honestum in nostra est potestate, et agere (quod est turpe) in nobis est situm. Lib. 5, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 5.

158. Manifestum est in nostro arbitrio esse bona malaque facere. Lib. *Magnorum Moral.*, cap. 6.

CICERO.

159. Quid dulcius hominum generi a natura datum, quam sui cuique liberi? Orat. 27, *ad Quirites.*

Vide etiam tit. *Gratia Dei*, sent. 67, 94; *Invitus*, sent. 56 ; *Justitia Dei*, sent. 7, 8 ; *Libertas*, sent. 31; *Paradisus*, sent. 44; *Peccatum* in genere, sent. 151; *Prædestinatio*, sent. 4; *Præscientia Dei*, sent. 37; *Resurrectio a peccato*, sent. 41; *Servitus*, sent. 14; *Voluntas* in genere, sent. 7, 8, 11, 83.

## LIBIDO.

S. AUGUST.

*Etymologia.* Sine dubio a libendo, id est, a libitu per derivationem libido et nuncupata : non om-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ne ideo quod libet, libido est, sed omne quod male libet, libido est. Lib. 4, *Hypognost.*, cap. 2.

*Definitio.* Libido est appetitus animi, quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur. *De Mendacio ad Consentium*, cap. 7.

HUGO CARD. Libido est amor rei temporalis, ut pecuniæ, vel scientiæ, rei excellentiæ, vel hujusmodi. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate flammatur. Lib, 1, *de Pœnit.*, cap. 14.

2. Qui majore flagrat ardore gratiæ, flammas non sentit libidinis. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplician.*

3. Sævus criminum stimulus, libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. *Prosec.*

4. Nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, a negotio abducit, a ratione revocat, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiendo inflammat, usque accenditur. Lib. 1, *de Cain et Abel*, cap. 5.

5. Nihil est quod tam miseræ servituti subjiciat hominem, quam libido, quæ jugo quodam criminum gravi deprimit miseram conscientiam, ut se nequeat attollere. *De Noe et Arca*, cap. 9.

6. Qui subditus est libidini, ille servus est : primum suis ardet incendiis, et peccati sui facibus exuritur. *De Joseph.*, cap. 4.

S. ANTONIN. 7. Dum libido in carne dominatur, cæteræ vires emollescunt, ut ad virtutem surgere nequeant. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 4, § 2.

S. ANTONIUS DE PADUA. 8. Gravius libido urit quem invenit otiosum. Serm. 2, *Dom.* 3, *post Pascha.*

S. AUGUST. 9. Clarum est jam nihil aliud, quam libidinem in toto malefaciendi genere dominari. Lib. 1, *de Libero arbitr.*, cap. 3.

10. Magnam istam pœnam esse judicio, et omnino justam ; si quis jam in sublimitate sapientiæ collocatus, inde descendere, ac libidini servire delegerit. Lib, 1, *de Libero arbitrio*, cap. 11.

11. Quid tam inimicum bonæ voluntati est, quam libido? Lib. 1, *de Libero arbit.*, cap. 13.

12. In usu rerum, abesse oportet libidinem. Lib. 3, *de Doctrina christiana*, cap. 12.

13. Grave est, ut quem non vincit homo, vincat libido. Epist. 182, *ad Bonifat.*

14. Sunt multæ variæque libidines. Est libido ulciscendi, quæ ira dicitur; est libido habendi pecuniam, quæ avaritia; est libido quomodocunque vincendi, quæ pervicacia; est libido gloriandi, quæ jactantia, est libido dominandi, quæ superbia nuncupatur. Lib. 14, *de Civitate Dei*, cap. 15.

15. Felicius servitur homini, quam libidini, cum sævissimo dominatu vastet corda mortalium. *Ibid.*, lib. 19, cap. 15.

16. Libidinosa crudelitas, vel libido crudelis est, ubi propter luxuriam sterilitatis venena procurantur. Lib. 1, *de Nuptiis*, cap. 14.

17. Mulier longe, libido prope. Super *Psalm.* L.

18. Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam : nec sit tibi verecundum fugere, si castitatis palmam desideras impetrare. *De honest. mulier.*, cap. 1.

19. Contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debemus in præsenti resistere, libidinem vero fugiendo superare. Serm. 2, *Dom.* 25, *post Pent.*

20. Cum vir a virtute nomen acceperit, et mulier a mollitie, id est, a fragilitate, quare contra crudelissimam bestiam libidinem vult unusquisque uxorem suam victricem esse, cum ipse ad primum libidinis ictum victus cadat? *Prosec.*

21. Vere nimis grave malum est, ut vir fortis, qui ferro non vincitur, libidine superetur. Serm. 2, *Dom.* 22, *post Trini.*

22. Tentat libido, ut accendat. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 16.

23. Qando libido vincit, vincit et diabolus : quando libido vincitur, et diabolus vincitur. *Ibid.* lib. 5, cap. 7.

24. Uti libidine non semper est peccatum, quia malo bene uti non est peccatum. *Ibid.*, cap. 16.

V. BED. 25. Ferreas mentes libido domat. In suis *Prov.*, verbo *Ferreas.*

S. BERNARD. 26. Libidinis illecebrosa vorago quantis laboribus et dispendiis interdum et famæ, vel honoris, aut etiam vitæ ipsius periculo comparatur! Serm. *de Convers. ad Clericos*, cap. 12.

27. Libidinis appetitus anxietatis et vecordiæ, actus abominationis et ignominiæ, exitus pœnitudinis et verecundiæ plenus esse dignoscitur. *Ibid.*

28. Ardor libidinis pro aliqua parva occasione excitatur, et nisi illico respuatur, subito totum corpus occupat, urit et incendit : primo carnem cogitatione modicum titillat, deinde delectatione turpi mentem maculat, et ad extremum per consensum pravitatis sibi mentem subjugat. Lib. *Medit.*, cap. 14.

29. Difficile est libidinis incendia extinguere; impuberes stimulat, juvenes inflammat, viros enervat, senes fatigat, non aspernatur tuguria, non reveretur palatia, utinam sola cœnobia fugiat. *De inter. domo*, cap. 29.

30. Transacta libido semper sui relinquit pœnitudinem; nunquam satiatur, et extincta reaccenditur. *De ordine vitæ.*

31. Libido cedit rebus, luxuria cedit operibus. Serm. 51. *ad Sororem.*

S. BONAV. 32. Triplex libido inducit diabolum in animam. Libido principandi, libido delectandi, libido possidendi. Serm. 22, in *Hexamen.*

33. Sicut ignis ex oleo crescit et lignis, sic libido ex cibis. Serm. 1, *de SS. Philipp. et Jacob.*

34. Libido est juncta luxuriæ : prius enim venter extenditur, et sic cætera membra concitantur. *Ibid.*

35. Libido est fundamentum civitatis diaboli, et radix omnis peccati. Super lib. 2, *Sent.* dist. 5, art. 2, quæst. 1.

CÆSARIUS ARELAT. 36. Contra libidinem non expedit repugnare, sed fugere : esto ergo libidinis fugitivus, si vis castitatis pugnator esse egregius. Epist. *ad quosdam.*

S. CYPRIAN. 37. Nec libidinum morsus quisquam evasit illæsus. *De Jejunio et tentat. Christi*, cap. 2.

38. Per omne scelus copiosæ libidines exquiruntur. *Ibid.*, cap. 6.

DIONYSIUS CARTHUS. 39. Libido incessabilis est, quia quo amplius pervagatur, seu exercetur, eo plus incitatur, et infrænis ac vaga efficitur. Super *Epist.* II *Petri*, cap. 2, art. 2.

S. EPHRÆM. 40. Quousque tandem libidinibus subservies? noli effici libidinum servus; sed ab iis potius te liberum redde. Super illud ; *Attende tibi*, cap. 6.

S. GREGOR. MAGNUS. 41. In adolescentia libido fervescere inchoat. Lib. 15 *Moral.*, cap. 5.

42. Plerumque virus libidinis de radice nascitur elationis : tunc caro vincit, cum spiritus latenter intumuit. *Ibid.*, lib. 26, cap. 13.

43. Libido ad perfectionis summam tendentibus, arma voluptatis objicit, et corda quæ potest gladio immundæ suggestionis ferit. Lib. 6, in *Regum*, cap. 1, super illud : *Quomodo restitit ei in via*, etc.

44. Libido ignis est, et turpes cogitationes paleæ : si in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parva scintilla quæ remanent, omnes paleæ accenduntur. *Ibid.*, super illud : *Non concupisces ipsius aliquid.*

45. Nil facilius vincitur, quam libido, si omnis immunda cogitatio devitetur. *Ibid.*, cap. 2, super illud : *Nec voluerunt disperdere ea.*

46. Celer et facilis victoria libidinis est, circumspectio cogitationis. *Ibid.*

S. HIERON. 47. In serico et in pannis libido dominatur : nec regum purpuras timet, nec mendicantium spernit squalorem. Epist. 9, *ad Salvinam.*

48. Sola libido insita a Deo ob liberorum procreationem, si fines suos egressa fuerit, redundat in vitium. Epist. 10, *ad Furiam.*

49. Libido transacta semper sui relinquit pœnitudinem, nunquam satiatur, et extincta reaccenditur : usu crescit et deficit; nec rationi paret, quæ impetu ducitur. Epist. 11, *ad Gerantiam.*

50. Inter illecebras voluptatum etiam ferreas mentes libido domat. Epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio.*

51. Libidinosa mens ardentius inhonesta persequitur, et quod non licet, diutius suspicatur. *Ibid.*

52. In nullis ætatibus, libido tuta est. *Ibid.*

53. Captivitatis nulla major calamitas est, quam ad alienam libidinem trahi. Lib. 1, *advers. Jovian.*

54. Tu qui contra libidinem pugnas, superari potes et vincere : ego vero nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam : cum fugero, non vincar in eo quod fugio, sed ideo fugio ne vincar, ut vincam. *Prosec.*

55. Nulla securitas est, vicino serpente dormire : potest fieri ut me non mordeat, tamen potest fieri ut aliquando me mordeat. Epist. 6, *advers. Vigilant.*

56. Inter illecebras voluptatum etiam ferreas mentes libido domat; quæ majorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putat omne quod nescit, In *Regula monachor.*, cap. 3, *de Castitate.*

57. Potens diabolus miserum vulnerat cor sagittis tentationum, cum ardore libidinis. In *regula monachor.*, cap. 20.

58. Non sufficit mulieribus libido innata naturæ, sed occasiones quærunt explendæ libidinis. *Ibid.*, cap. 21.

59. Dæmonum cultum sequitur libido. Lib. 2, super *Oseam*, cap. VIII, super illud : *Væ eis, quoniam recesserunt a me.*

60. Ubicunque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi, libido domina. Super *Epist. ad Tit.* cap. I, in illud : *Non vinolentum.*

61. Effrænata libido modum servare non novit. Super *Epist. ad Rom.*, cap. I, in illud : *Masculi, relicto*, etc.

62. Cui libido domina est, in quo cœno dedecoris volutatur? pendat ad occasiones adulteriorum, anxius circa lasciviæ suæ fervorem, oculis, mente corpore totus in scortis est. Super *Psalm.* CXXV. S. HILARIUS.

63. Nullus portus illi tutus est, nulla statio secura, nulla serenitas tranquilla, qui intrinsecus concupiscentiæ suæ æstibus jactatur, et insatiabili libidinum voragine absorbetur. Lib. 4, *de Arca Noe morali*, cap. 7. HUGO A S. VICTORE.

64. O extrema libidinis turpitudo, quæ non S. INNOC. III

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

solum mentem effœminat, sed etiam corpus enervat : non solum maculat animam, sed fœdat et personam. Lib. 2, de *Contemptu mundi*, cap. 21.

JOAN. CASS. 65. Ubi furoris insidet virus, libidinis necesse est incendium penetrare. Lib. 6, *de Cœnob. inst.*, cap. 23.

S. JOANNES CHRYSOST. 66. Modum nescit libido, sed quanto exercetur, tanto magis accenditur. Homil. 32, super *Matth. Oper. imperf.*

67. Actus libidinis opus est animalium. *Ibid.*, homil. 42.

68. Proprium et naturale est Angelorum, omnino separatos esse ab usu libidinis. *Ibid.*

69. Sensus libidinis semper in malo est, et nunquam in bono. *Ibid.*

70. Porci sunt, qui vitam suam cœnosæ libidini et voluptatibus sæculi mancipant. Homil. *de Cruce Dominica.*

71. Libidinis innumera confluunt incitamenta, quam gignit potestatis auctoritas; nutriunt vero et fovent deliciarum fomenta, et super omnia regalis luxus inflammat. Lib. 2 *de Compunct. cordis.*

S. JOANNES DAMASC. 72. Quid libidinis amore tenetur, a tartarea charybde non longe abest. Lib. 1, *Parall.*, cap. 77.

73. Anima libidini dedita nihil fœtidius. *Ibid.*, lib. 3, cap. 28.

JOAN. GERS. 74. Libidinis usus non satiat, sed irritat, more febrilis ardoris, quem potus nutrit, auget, et inflammat. In *Dialog. de Castit. ecclesiasticor.*, etc.

JOAN. TRITH. 75. Libidinis ardore succensus, quo plus ignem se credit extinguere, eo magis accendit. Orat. 1, in *Conventu Abbat. habita.*

76. Fera pessima libido, cujus semel obruerit mentem, raro libertati dimittit. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPAL. 77. Unusquisque suæ deputet culpæ, quod cecidit, quoties libidine vincitur : quia nisi præcessisset latens superbia, non sequeretur libidinis manifesta ruina. *Prosec.*

78. Sed Dei servus sic cavet libidinem, ut non incurrat elationem : et sic premit elationem, ut non resolvat animum ad libidinem. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 39, sent. 2.

79. Libido tunc magis quæritur, dum videtur. *Ibid.*, sent. 8.

80. Libidinis immoderata licentia nescit habere modum : Nam dum immoderate metas pudoris excesserit, ad alia nefanda scelera suadentibus dæmonibus transit. *Ibid.*, sent. 15.

81. Non ita suavis est amantium, imo amentium, incerta carnis libido, sicut experta : nec ita delectat fornicatio, dum primum committitur, nam repetita majorem ingerit delectationem : jam vero si in usum venerit, tanto perditis dulcior fit, ut ab illa separari difficile sit. *Ibid.*, sent. 23.

82. Libidinis ignes ciborum fomite increscunt. *Ibid.*, cap. 42, sent. 7.

83. Libido in infernum hominem demergit, libido ad tartara hominem mittit, ad pœnas tartari hominem libido perducit. Lib. 2, *de Synonym*, cap. 2.

S. ISIDOR. PELUSIOTA. 84. Libido et corporis robur, et animi vires dejicit et adimit, eumque qui hoc vitio captus est, omnibus illudendum et irridendum propinat. Lib. 1, epist. 135, *ad Zosimum.*

LACT. FIRM. 85. Libido, si extra legitimum thorum non evagetur (licet sit vehemens) tamen culpa caret : si vero appetit alienum (licet sit mediocris) vitium tamen maximum est. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 16.

86. Non est morbus, libidine commoveri : sed libidinosum esse, morbus est. *Ibid.*

87. Qui libidinosus est, etiam quod legibus vetatur, affectat. *Ibid.*

88. Libidinis voluptas, corporis finis est. *Ibid.*, lib. 7, cap. 10.

S. NILUS. 89. Libidinis vitium ex ventris imbecillitate, infirmum est et debile : contra viget ac fervet, cum illi robur et vires venter sufficit. In *Libro ascetico.*

90. Libido gulam sibi sociam assumit in bello, ut ejus auxilio atque insidiis tandem expugnet adversarios. *Ibid.*, orat. 2, *de Luxur.*

S. PETRUS DAM. 91. Incentiva libidinis fomites sunt avaritiæ, et materia cupiditatis. Lib. 1, epist. 15, *ad Alexandr. Pap.*

92. Dum nullo modo venter ab immoderata alimentorum perceptione restringitur, in ardorem libidinis animus turpiter inflammatur. *Opuscul.*, cap. 7.

S. BERN. 93. Crassitudo carnium, et delitiosæ epulæ, provocant corpus ad libidinem. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XIV, canc. 2.

RICHARD. S. VICTOR. 94. Absque dubio non extinguitur flamma libidinis, nisi prius flectatur vigor elationis. Part. 2, super *Psalm.* XXVIII.

THOMAS A KEMPIS. 95. Nihil sic morbidum, sic contagiosum invenitur in homine, sicuti indomita libido, quæ totam corrumpit animæ pulchritudinem. Serm. 6, *ad Fratr.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 96. Nulla facilius ad maleficium causa, quam turpis amor et intemperans libido commovere potest. Lib. 4, *de arte Rhetoric.*, *ad Herennium.*

97. Libido nefaria, gurges est vitiorum, ac vorago turpitudinum omnium. Orat. 8, in *Verrem*, lib. 3, act. 4.



98. Locus jam nullus est, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non per hæc tempora nostrorum hominum libido pervaserit. *Ibid.*

99. Quid fœdius, quid immanius, quid contemptius, quid abjectius ex vitiis perspici potest libidine? Lib. 1, *de Legibus.*

100. Si libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est : quod et ipsa senectus concipit dedecus, et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam. Lib. 1, *de Offic.*

101. Illum, quem libidinibus inflammatum et furentem videmus quo affluentius voluptates undique hauriat, eo gravius ardentiusque sitientem, nonne recte miserrimum dixeris? Lib. 5, *Tusc. quæst.*

102. Nunquam finem invenit libido. *Ibid.*

PLATO. 103. Ita usu venit, ut cum amatores libidinem expleverint, eos tandem pœniteat. In *Dialogo Phædri.*

SENECA. 104. Expulso melioris æquiorisque respectu, quocumque visum est libido se impingit. Lib. 2, *de Ira*, cap. 8.

105. Libidinis initia continebit, qui exitum cogitabit. *De Moribus.*

XT. PHIL. 106. Vir libidinosus ad omnia inutilis est. Sent. 162.

107. Nihil propter solam libidinem facias. *Ibid.*, sent. 223.

108. Turpissimæ libidinis ea quidem, quæ suavia sunt, cito transeunt : probra vero perpetuo manent. *Ibid.*, sent. 264.

109. Excole quod intra te est, nec ei ex libidine corporis contumeliam facias. *Ibid.*, sent. 428.

Vide etiam tit. *Delectatio*, sent. 23; *Domare*, sent. 38; *Lex Dei*, sent. 20; *Maledictio*, sent. 31; *Otiositas*, sent. 64; *Peccatum in genere*, sent. 35; *Tentatio*, sent. 77; *Vinum*, sent. 69; *Vir*, sent. 15; *Voluntas propria*, sent. 115.

## LICENTIA, LICERE.

COLLECTOR. *Definitio.* Licentia est immoderata impunitaque quædam facultas agendi dicendique quidquid velis.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANSELM. 1. Licentia multos decipit. *De Similitud.*, cap. 89.

S. ATHANAS. MAGNUS. 2. Ab illicitis cavere, jugum necessitatis est : permissa vincere, munus arbitrii. In *Exhortation. ad Monachos.*

S. AUGUST. 3. Cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur, quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur. Epist. 5, *ad Marcellinum.*

4. Quæ est pejor mors animæ, quam libertas erroris? Epist. 166.

5. Quisquis meminit illicita se commisisse, studeat a licitis abstinere, et qui prohibita commisit, sibimet abscidat concessa. *De spiritu et anima*, cap. 57.

6. Si quod minus est non licet, quanto minus licet, quod majus malum est. Lib. 3, super *Levitic.*, quæst. 73.

7. Juste puniuntur, qui licitis abutuntur; juste puniuntur, qui rapere inconcessa conantur. *Prosec.*

8. Abutuntur licitis, qui bona Dei maculant usibus inconcessis. *De spiritu et anima*, cap. 42.

9. Melius est quod licet et expedit, quam id quod licet et non expedit. *Prosec.*

10. Ubi aliquid ita licitum est, ut aliud facere omnino non sit illicitum, fiat quod expedit, vel quod magis expedit. Lib. 1, *de Adulterinis conjugiis*, cap. 19.

11. Tantum valet ordinatio Creatoris, et ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cum modus exceditur, longe sit tolerabilius, quam in eis, quæ concessa non sunt, vel unus, vel rarus excessus. *De Bono conjugali*, cap. 2.

12. Quærentes licentiam male faciendi, quærunt sibi exempla male viventium. Serm. 2, *de Comm. vita clericor.*

13. In ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri. Epist. 144.

14. In quibusdam rebus pro temporum proprietatibus institutis, invenimus nunc aliquid non licere quod ante licuerit, vel quod ante non licuerit, nunc licere. Lib. 19, *contra Faust.*, cap. 20.

15. Qui a nullis refrænat licitis, vicinus est illicitis. *De Utilitate Jejunii*, cap. 5.

16. Sicut non omne quodlibet, licet : sic non omne quod licet, statim etiam expedit. Epist. 25, *ad Hugonem archiepiscopum.* S. BERNARD.

17. Extorta seu coacta licentia, non est, sed violentia. Epist. 87, *ad Ogerium canonic. regularem.*

18. Quod absque licentia non liceret, liceret autem, si cum licentia fieret. Epist. 7, *ad Adam monach.*

19. Etsi constet in Christiana philosophia, non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet et licet : non continuo tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. Lib. 3, *de Considerat. ad Eugen. Pap.*

20. Vide utrum liceat, si liceat utrum deceat, S. BONAV.

et si deceat utrum expediat : nil enim expedit, nisi liceat et deceat. Serm. 22, in *Hexam.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 21. Nullus magis illicita vitare debet, quam qui respuit quod licebat. Homil. 16.

22. In populo Christiano quidquid fœminis non licet, nec viris unquam licuit, aut licebit. *Ibid.*

S. CYPRIAN. 23. Consensere jura peccatis, et cœpit licitum esse, quod publicum est. Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 7.

24. Disce temperantiæ modum, qui per licentiam quæris excessum. *De Singular. cleric.*, cap. 9.

DIONYSIUS CARTHUS. 25. Libertas multis peccandi occasio est, quoniam pœnam non metuunt. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 5, art. 5.

GLOSS. ORD. 26. Non est purus, qui mala ageret, si liceret. Super *Job*, cap. 9.

27. Quanto accusatio impiorum rarior et difficilior est, tanto peccandi licentia videtur eis esse major. Super *Ecclesiasten*, cap. VIII, in illud : *Vidi impios sepultos*, etc.

28. Nunquam dicitur licere, quod prohibetur. Super I, *ad Cor.*, cap. 6, in illud : *Omnia mihi licent.*

29. Melius quod licet et expedit, quam quod licet, et non expedit. *Ibid.*, cap. 7, in illud : *Melius facit.*

S. GREGOR. MAGNUS. 30. Sæpe hi qui in potestate sunt, dum sese a licitis retinere nesciunt, ad illicita opera, et inquieta dilabuntur. *Prosec.*

31. Solus enim illicitis non cadit, qui se aliquando et a licitis caute restringit. Lib. 5, *Moral.*, cap. 8.

32. Cum homini facere quodlibet licet, juste sibi omne æstimat licere quodlibet.

33. Tanto a se licita quisque abscindere debet, quanto meminit illicita perpetrasse. Homil. 20, super *Evang.*

34. Cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere. *Ibid.* homil. 44.

35. Culpa esse innuitur, quod indulgeri perhibetur : sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illicitum quid agitur, sed hoc quod est licitum sub moderamine non tenetur. Part. 3, *Pastor.*, cap. 8, admonit. 28.

36. Sapienter illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 39, epist. 39, *ad Romanum defensor.*

S. HIERON. 37. Pessimæ consuetudinis est, putare licere quodlibet : omnia quidem licent, sed non omnia expediunt. Epist. 10, *ad Furiam*.

38. Providendum est ne tibi hoc, cum licita contemnas, securitatem quamdam illicitorum faciat. Epist. 14, *ad Celantiam*.

39. Sæpe dum una pars se a licitis abstinet, altera ad illicita delabitur. *Ibid.*

40. Quidquid æqualiter licet, æqua lance pensandum est. Lib. 1, *advers. Jovinian.*

41. Quidquid licet, minus desideratur, quidquid non licet, fomentum accipit desiderii. Epist. 29, *ad Algasiam*, quæst. 8.

42. Nullus magis illicita vitare debet, quam qui respuit quæ licebant. Epist. 1, *ad Demetriad.*

43. Quid proderit sprevisse quod licuit, et exercere quod non licet ? Si vis prodesse tibi quod licita contempsisti, vide ne quid eorum, quæ non licent, facias. Epist. 14, *ad Mauritii filium*.

JOAN. CASS. 44. Non tam laudabile est, si ab illicitis, quam si etiam a licitis nos temperemus. Collat. 21, *Ab. Threnæ*, cap. 5.

PETR. BLES. 45. Perniciosa est circa minores blanda majorum permissio. Epist. 51, *ad Joan. Sarisberiens. episc.*

S. PETRUS DAMIANUS. 46. Omnia cum licentia sunt facienda : quia quod sine licentia fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi. Serm. 58, *de S. Andr.*

TERTULL. 47. Erramus, nusquam et nunquam excusatur, quod Deus damnat : nusquam et nunquam licet, quod semper et ubique non licet. *De Spectaculis*, cap. 20.

S. THOMAS AQUINAS. 48. Non licere aliquid alieni dicitur dupliciter : scilicet ratione prohibitionis, et ratione defectus. 2, 2 quæst. 187, art. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 49. Non est permissum, ut impune nobis liceat, quod alteri impune non licet. Orat. 7, in *Verrem*, lib. 2, art. 3.

50. Est aliquid quod non oportet, etiamsi licet : quidquid vero non licet, certe non oportet. Orat. 35, *pro Balbo*.

51. Quid deceat vos, non quantum liceat vobis, spectare debetis. Orat. 39, *pro Rabirio*.

52. Scelerum permissio, et iis qui perpetrant, perniciosa est, et iis qui permittunt. Orat. 50, *Philipp.* 8, num. 6.

CLEOB. LIND. 53. Quanto plus liceat, tam libeat minus. In *Dictis sapient.*, ex Ausonio, dict. 1.

MIM. PUBL. 54. Cui plus licet, quam par est, plus vult quam licet. In suis *Sent.*, sent. 86.

PLATO. 55. Qui immoderatam habent licentiam, maxima, et plane impia committunt facinora. *De Rhetor.*

SENECA. 56. Quædam licent, quæ tempore et loco mutato non licent. Lib. 3, *Controvers.* 25.

57. Crescit licentia spiritus, servitute comminuitur. Lib. 2, *de Ira*, cap. 21.

58. Nihil tibi liceat, dum irasceris : quare ? quia vis omnia licere. *Ibid.*, lib. 3, cap. 12.



59. Solutior est post vinum licentia. *Ibid.*, lib. 3, cap. 37.

## LINGUA.

COLLECTOR. *Definitio*. Lingua est membrum corporis, per quod exprimuntur conceptus mentis.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. 1. Ubi non est moderatio linguæ, ibi nunquam erit perfectio vitæ. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtutibus*, cap. 31.

S. AMBROS. 2. Lingua tua menti subdita sit, restringatur habenæ vinculis, frænos habeat suos, quibus revocari possit. *Prosec.*

3. Ad mensuram sermones proferat libra examinatos justitiæ, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. Lib. 1, *Offic.*, cap. 3.

S. ANTONIN. 4. Lingua male persuadentium, gladius acutus est. Part. 1. tit. 6, cap. 13, § 1.

S. ANTONIUS DE PADUA. 5. Sicut lingua canis est medicinalis, sic lingua prædicatoris, qui est medicus animarum. Serm. *Dominicæ 1 post Trinit.*

S. AUGUST. 6. Utinam isti, qui vacare volunt manibus, vacarent et linguis. *De Opere Monachor.*, cap. 22.

7. Quotidiana fornax nostra est humana lingua. Lib. 10, *Confess.*, cap. 37.

8. Lingua inquietum malum est, plena veneno mortifero, ait Apostolus, utique nocentiore quam bestiarum est atque serpentum. *De nat. et grat.*, cap. 15.

9. Mali malas habent linguas : mala loquuntur, cum loquuntur, dolum. Super *Psalm.* V, vers. 11, *Linguis suis dolose agebant.*

10. Difficile est ut quisquam lingua non labatur et peccet, et qui lingua non peccavit, ut scriptum est, hic perfectus est vir : non enim lingua frustra in udo est, nisi quia facile labitur. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 1, *Ut non delinquam in lingua.*

11. Major est machæra linguæ, quam ferri. Tract. 10, super *Epist. Joan.*, de cap. 5.

12. Non aliud pectus tegat, et aliud lingua proferat. *De verb. Dom.*, serm. 39.

13. Non est labor erigere fabricam, et labor est tenere linguam ? *Ibid.*

14. Lingua periculum immittit, luctum producit, discordiam sæpe spargit, proditionis venenum et detractionis parit. Serm. 2, *ad Fratr. in Eremo.*

15. Lingua sensum nostrum sequatur, et rationem non voluntatem. *Ibid.*

16. Lingua dolosa seminat inter fratres discordias, incitat furores, suscitat lites, conventus conturbat, adulando laudat. *Ibid.*, serm. 29.

17. Majora vulnera sunt linguæ, quam gladii : gladius corpus interficit, lingua autem animam perimit. *Ibid.*, serm. 45.

18. Quanta mala habet lingua ; in bono magna est, in malo mors est. *Ibid.*

19. Male homo utitur lingua, nec ideo malum est lingua : opus Dei est lingua, sed bono opere Dei male utitur. Tract. 27, super *Joan.*

20. Non minus amori lingua serviat, quam timori. *Ibid.*, tract. CXXIII.

V. BEDA. 21. Rustica lingua veri mansuetum cor retinentis, gratior est Domino, quam lingua perita superbi. In suis *Proverbiis*, verbo *Rusticus*.

S. BERNARDIN. SEN. 22. Tribus lingua mala nociva est : primo loquenti, secundo audienti, tertio patienti, seu impatienti. Serm. 20, *Dom. 23, post Pent.*, art. 3, cap. 5.

S. BERNARD. 23. Lingua multum inquinat homines per vaniloquia et mendacia, per detractiones et adulationes, per verba malitiæ et jactantiæ. Serm. 2, *post. octav. Epiphaniæ*.

24. Est lingua dissoluta in sermonibus otiosis, est lingua impudica, est et magniloqua : quarum prima lasciviæ, sequens arrogantiæ famulatur. *Prosec.*

25. Est etiam dolosa, et item lingua maledica : quarum altera in falsiloquam et adulatoriam subdividitur, altera vero nunc in facie contumelias irrogat, nunc detrahit in occulto. Serm. *de Triplici custodia linguæ*.

26. Levis, tenera, mollis, et exigua caro est lingua hominis : attamen vix teneri potest : modicum membrum est, sed nisi caveas, magnum malum. *Ibid.*

27. Facile lingua labitur, nec minus facile illabitur cordi : ita ut multis inter loquendum minus profuerit, quod propriam cohibuerint, dum non caverint alienam. *Ibid.*

28. Est magna sermonis utilitas, et frequenter in lingua fructus pretiosissimus reperitur. *Ibid.*

29. Ubique frænanda lingua præceps, maxime autem in convivio. Lib. 4 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

30. Lingua dicitur, quia lingit : lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo. *De inter. domo*, cap. 50.

31. Lingua ligat, et ligari non potest : labilis est, et teneri non potest : sed labitur et fallitur, labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta. *Ibid.*

32. Lingua tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias. *Ibid.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

33. Lingua uno ictu multos percutit et interficit; blanda est et subdola, lata et parata ad exhaurienda bona et miscenda mala. *Ibid.*

34. Custodi cor, et retine linguam. *De Ordine vitæ.*

35. Antequam verba proferas, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam. In *Speculo monachor.*

36. Lingua modicum est membrum in corpore hominis, sed tamen si refrænata non fuerit, totum corpus maculat, et corrumpit. Serm. 17, *ad Sororem.*

37. Lingua contentiosa, si frænum non habeat, nullus homo cum ea in pace vivere poterit. *Ibid.*

38. Rixosa lingua veneno plena est. *Ibid.*

S. BONAV. 39. Nunquam melius, quam per linguam homo cognoscitur : numquid per linguam non cognoscuntur Theutonici? numquid non Gallici ? numquid non Græci? Serm. 4, *de Ss. Apostolis.*

40. Sæpe meritum immoderata lingua confundit. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 20.

CASSIODOR. 41. Lingua sequitur mentis arbitrium, imperioque cordis ejus mobilitas naturali ordine famulatur. Super *Psalm.* v, vers. 13.

CLEMENS ALEX. 42. Lingua est psalterium Domini. Lib. 2, *Pædag.*, cap. 4.

S. EPHRÆM. 43. Lingua non minus nocet, quam gladius. *De morbo linguæ.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 44. Lingua bonum opus Dei, atque decus, mendaciis, falsiloquiis, falsis testimoniis depravatur. Homil. 4, *Epiph.*

GILLEBERT. ANGLUS. 45. Lingua vitiatæ nativitatis mobilis corruptela, per se nimis rotatur ad malum, et volubilitate propria fertur, in præceps. Serm. 24, super *Cant.* apud S. Bernar.

46. Lingua prava iracundiæ et indignationis occasiones requirit, injurias vel falsas simulat, vel veras exaggerat, quas debuerat dissimulare. *Ibid.*

GLOSS. ORD. 47. Lingua pravorum bestiis ferocitate, volucribus levitate, serpentibus virulentia præcellit. Super *Epist. Jacobi*, cap. 3.

S. GREGOR. MAGNUS. 48. Lingua janua mentis est. Lib. 2 *Moral.*, cap. 4. num. 5.

49. Perversi quique malum non in lingua, sed sub lingua habent : sermonibus enim dulcia prætendunt, et cogitationibus perversa moliuntur. *Ibid.*, lib. 15, cap. 5.

50. Per linguæ innocentiam, discordiæ origo propinatur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 11.

51. Qui linguam non refrænat, concordiam dissipat. *Ibid.*, lib. 7, cap. 17, in *Pastor.*, part. 2, cap. 1, admonit. 15.

52. Lingua sub magni moderaminis liberatione frænanda est, non insolubiliter obliganda : ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab utilitate torpescat. *Ibid.*, super illud : *Væ mihi, quia tacui.*

53. Lingua bonis fomentum sit, pravis aculeus, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides, hortatu succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consoletur. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 111, epist. 111, *ad Aregium. Episc.*

54. Hominum lingua lubrica est, præcipue cum non ratione gubernetur. Orat. 1, *ad Nazianzenses.* S. GREGOR. NAZ.

55. Lingua scortans, cum dæmone committetur. Orat. 28.

56. Nihil aliud noverit lingua, nisi Christum : nihil possit sonare, nisi quod sanctum est. Epist. 8, *ad Demetriad.* S. HIERON.

57. Incongruum est, latere corpore, et lingua per totum orbem vagari. Epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio.*

58. Nihil est quidquam in nobis, quo facilius peccare possimus, quam lingua. Epist. 1, *ad Demetriad.*

59. Nescio qua conscientia lingua quis Dominum rogat, qua aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

60. Linguam a maliloquio cohibe, et ori tuo legis frænos impone. *Ibid.*

61. Pretiosa Deo lingua est, quæ non nisi in divinis rebus novit verba construere : et sanctum est os, unde cœlestia semper eloquia proferuntur. *Ibid.*

62. Linguam semper tuam de bonis eloquiis assuesce, et auditum tuum magis ad bonorum laudem, quam ad malorum vituperationem accommoda. *Ibid.*

63. Refrænatio linguæ est, cum linguæ aut silentium imponitur, aut ad bonum exercetur. In *Reg. monachor.*, cap. 23.

64. Majora vulnera sunt linguæ, quam gladii : gladius tantum interficit corpus lingua animam. *Prosec.*

65. Lingua mala res est, malum magnum : modicum quidem membrum, sed magna exulcerat.

66. Lingua nihil medium habet, aut grande malum est, aut grande bonum : grande bonum, si Deum confitetur : grande malum, si Deum negat.

67. Diabolus cur de cœlo cecidit, non quia furtum fecit, non quia homicidium, non quia adulterium commisit; sed propter linguam suam



cecidit. Super *Psalm.* CXLIX, exposit. 2, vers. 2 : *Domine libera animam meam*, etc.

68. Nihil mihi nocet alterius lingua, mea mihi inimica est : puto quod inimico meo noceam, et nescio quod meipsum occido. Super *Psalm.* CXLIX, vers. ultimo.

S. HILARIUS 69. Linguæ humanæ officium est, ut naturali impulsa ratione, motu vario, eodemque moderato vocem in verba distinguat. In *explicat. super Psalm.* LI.

70. Lingua machæra acuta est. In *explanat. super Psalm.* LIV.

71. Periculosus linguæ, et promptissimus lapsus est. Super *Psalm.* CXL.

HUGO A S. VICTORE. 72. Lingua modica est, labilis, velox, in humido sedet, verba format, magna exalta, frigidum est membrum, voluntatem denuntiat. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 10.

HUGO CARD. 73. Quinque sunt linguæ vitiosæ, scilicet lingua impudica, lingua dolosa, lingua adulatoria, lingua detractoria, lingua magniloqua. Super *Psalm.* XIII.

74. Multiplex est lingua mala : scilicet lingua avaritiæ, loquens semper de terrenis; lingua luxuriæ, quæ provocat ad luxuriam; lingua invidiæ, quæ detrahit bonis; lingua superbiæ, magna loquens; lingula gulæ, de cibis discurrens; lingua perfidiæ, frangens fidem; lingua fraudulentiæ, id est, advocatorum; lingua diaboli, suggerens peccatum. Super *Psalm.* CXVIII.

75. Nihil magis gratiosum reddit hominem, quam modestia linguæ. Super *Ecclesiastic.*, cap. XLII.

76. Lingua præmia æternæ jucunditatis obtinebit, si bene regitur. Super *Epist. B. Jacobi*, cap. 3.

S. JOANNES CHRYSOST. 77. Qui petulantis est linguæ, quidquid in buccam venerit, garrit. Homil. 15, super *Gen.*

78. Cohibe linguam tuam a malo id est, a mendacio, a furto, a jactantia, a detractione, ab adulatione, a fictione. Homil. super *Psalm.* XXXIII.

79. Audaciæ os, diabolum imitatur : linguam habet nequissimo dæmoni simillimam : os diaboli conditur maledictione, contumeliis, contradictione, perjurio; igitur diaboli linguam habet, qui ut diabolus loquitur. Homil. 79, super *Matth. O er. perf.*

80. Deus tibi dedit linguam, ut sibi gratiarum actionem persolvas, et proximum ædifices : itaque si sermone tuo ædificationem subvertis, melius est ut taceas, et nunquam loquaris. Serm. 14, super *Epist. ad Ephes.*

81. Magnus laqueus est linguæ petulantia, et multæ refrænationis indigens. Homil. 15, *ad Popul. Antioch.*

82. Lingua tua mensuras habeat, ne per linguam pereas. *Ibid.*, homil. 22.

83. Nullum æque congruum diabolo organum lingua humana, in ministerium est interitus atque peccati : inde mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur. Homil. *ad Baptizandos.*

84. Lingua membrum corporis cum sit, etiam quo jam erudita fuerit, ejus consuetudinem requirit. Gradu 11. S. JOAN. CLIM.

85. Ad libitum famulatur lingua : si est bonus, bona loqueris ; si malus, mala facis. Super *Prolog. reg. S. Bened.*, cap. 2, text. 8. JOAN. TRITH.

86. Pessimum membrum lingua, dum male regitur : quia multos occidit loquendo, quam gladius vorax persequendo. *Ibid.*

87. Nihil reperitur deterius ac malevolentius lingua : lingua enim homines pereunt, lingua in paupertatem devenitur, lingua urbes evertuntur, lingua omnia oriuntur. *Ibid.*

88. Qualis unusquisque sit, lingua probat loquentis. *Ibid.*

89. Maximum terrenorum omnium membrorum lingua est, quæ ægre retineri possit. Lib. 1, epist. 325, *ad Cyrum.* S. ISIDORUS PELUSIOTA.

90. Lingua interpres animi, a sensu et cogitatione non discordet. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 8. LACT. FIRM.

91. Ubi incomposita est lingua, ibi nil potest esse occultum : hæc si moderetur reddit hominem moribus ornatum, mente tranquillum, conscientia sincerum, et cunctis amabilem. *De Discipl. monast.*, conversat., cap. 15. S. LAURENT. JUSTIN.

92. Ecce, lingua ossa non habet, et ossa comminuit : quia cum ipsa per ventosa verba leviter effluit, fortia atque robusta virtutis nostræ facta corrumpit. Serm. 73, *de Vitio linguæ.* S. PETRUS DAMIAN.

93. Immenso pondere gravior est, qui linguam suam vertit ad quæcunque libuerit. Quæst. 45, super *Numer.* S. THEODOR.

94. Benedicta lingua prudentis, quia sanat vulnera irascentis. In *Hortulo rosar.*, cap. 4. sect. 2. THOMAS A KEMPIS.

95. Æstimari non potest quantum impediant viam vitæ vitia indisciplinatæ linguæ. Homil. 2, *de Arcta vita.* S. VALER. EPISCOPUS.

96. Inquieta naturaliter lingua non parvum mortalibus affert vitæ detrimentum, ut cum bene composita dissipat, aut diu pacata conturbat. *Ibid.*, homil. 4, *de Oris insolentia.*

97. Habet semper hoc lingua malitiosa commercium, ut lites serat, odia moveat, mortes acquirat. *Ibid.*

98. Nihil est tam noxium aut malitiosum, quod non viribus suis minus sit, si se incitata semel lingua commoverit. *Ibid.*

99. Singulare malum est lingua, in qua tan-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum malitiæ robur exultat, ut in perficiendo opere suo, alterius auxilium non requirat. *Ibid.*

100. Solet lingua non impune recedere, cum se in verborum procacitate jactaverit : nam flammas evomit, et cum alium nocere quærit, totum intrinsecus male conscium pectus incendit. *Ibid.*

101. Facilius quilibet potest ferre armatas ferro acies, et instructas rebus bellicis legiones ; quis autem sustineat labiorum tela fixa pectoribus ? facilius sine dubio recipiunt sanitatem corpora ferro lacerata, quam lingua venenata. *Prosec.*

102. Linguæ enim insanabilis plaga est, quæ quamvis leviter percutiat, alta tamen semper movet pectoris dolore suspiria. *Ibid.*

103. Enumerari non potest, quantis sit lingua jaculi accincta verborum. *Ibid.*

104. Cohibenda est lingua, ne forte cum proruperit, aut excitata lædat, aut incitata percutiat. *Ibid.*

105. Castigandus est linguæ sonus, ne de facilitate verborum faciat venenum. *Ibid.*

106. Excedit lingua omne genus veneni, quæ non potest nisi morte compesci. *Ibid.*

107. Ubi semel quis lingua rotante proruperit, frustra medicum quærit, sine remedio enim est culpa verborum. *Ibid.*

108. Quid istis infelicius, quid periculosius esse potest, qui fallacis linguæ studio vitæ insidiantur alienæ? *Ibid.*

109. Inter confusos linguæ sonos neminem pœnituit tacuisse. *Ibid.*

110. Quamvis aliquis vitam fide muniat, scientia regat, castitate et sobrietate componat, nihil est quod in homine placeat, si in toto corpore sola lingua displiceat. *Ibid.*

111. Cito quæ sunt in homine optima revilescunt, nisi linguæ vitia resecentur. *Ibid.*, homil. 6.

IN VITIS PATR. 112. Quis linguam refrænat, ubique peregrinus est. Lib. 5, libell. 10, *de Discretione*, num. 33.

113. Non didicimus nos ligneum claudere ostium, sed magis ostium linguæ. In *Sent. in fine positis*, sent. 43.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 114. Tibi diligentissime est lingua continenda. Lib. 1, *Epist. ad Quintum fratrem*, epist. 1.

SEXT. PHIL. 115. Lingua maliloqua, indicium est mentis malæ. Sent. 74.

116. Insuesce lingam tuam bene proloqui, et maxime cum de Deo fit sermo. *Ibid.*, sent. 75.

117. Lingua tua sensum tuum sequatur. *Ibid.*, sent. 152.

Vide etiam tit. *Detractio*, sent. 18, 19, 26, 27, 28; *Domare*, sent. 6, 7, 13, 14, 19, 20 : *Eloquentia*, sent. 13 ; *Laus Dei*, sent. 105, 112; *Locutio*, sent. 130 ; *Maledictio*, sent. 6 : *Monachus*, sent. 18, 31 ; *Mores*, sent. 31 ; *Passio Christi*, 77; *Pax*, sent. 95; *Reus*, sent. 19; *Vaniloquium*, sent. 3.

## LOCUS.

S. JOANNES DAMASC. *Definitio.* Locus est terminus corporis continentis, quo id quod continetur, continet. Lib. *de Fide orthodox.*, cap. 16.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nulla spatia possunt satis esse discordibus, quietis et pacificis etiam angusta abundant, dissonis moribus etiam spatiosa arctantur. *Prosec.*

2. Melius est emigrare loco cum gratia, quam cohabitare cum discordia. Lib. 1, *de Abraham.*, cap. 3, et lib. 2, cap. 6.

S. ANAST. II PAPA. 3. Non loca creatori nostro nos proximos faciunt sed bona merita. In *Decretis Gratiani*, part. 1, dist. 40, can. *Non loca.*

S. ANTONIN. 4. Non loca, sed vita et mores sanctum faciunt. Part. 1, tit. 14, cap. 5, § 9.

5. Sanctitas loci ordinatur ad sanctitatem hominis. Part. 2, tit. 1, § 1.

S. AUGUST. 6. Locus non facit Sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit et nos. Serm. 27, *ad Fratr. in eremo.*

7. Nullus locus medius est, ut non sit in supplicio, qui non erit in regno. Et hab. in *Glossa ord.*, super illud *ad Galat.* v : *Regnum Dei consequentur.*

8. Omne quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est. Epist. 6.

9. Effusione lucis adjuvamur ad capienda spatia locorum. Lib. 6, *Musicæ*, cap. 8.

10. Proprie dicitur locus in spatiis, quæ corporibus occupantur. Lib. 5, *de Genes.* ad litt., cap. 18.

11. Homo secundum corpus in loco est, et de loco migrat ; et cum ad alium locum venerit, in eo loco unde venit non est. Tract. 31, super *Joan.*

12. Si loca dicenda sunt, et quibus non corpora continentur, et locus est cuique rei ubi est : locus Christi æternus ubi semper est, ipse Pater est, et locus Patris Filius est. Et locus noster ipsi sunt, et nos locus Dei sumus, quoniam templum ejus sumus. *Ibid.*, tract. 111.

13. Illis Deus intus loquitur, qui ei locum præbent : illi autem Deo locum præbent, qui diabolo locum non præbent. Tract. 4, super *Epist. Joan.*



S. BASILIUS SELEUC. 14. Deus quidem omnibus adest in locis, neque tamen Deum locus ullus audet circumscribere. Orat. 26.

S. BERNARDIN. SENENS. 15. Quanto sanctior locus est, tanto ibi commissa gravior est offensa. Serm. 10, *fer.* 3, *post Dom.* 2, *Quadr.*, art. 1, cap. 4.

S. BERNARD. 16. Altiorem locum sortitus es, sed non tutiorem : subliniorem, non securiorem : terribilis prorsus, terribilis est locus iste. Epist. 237, *ad Eugen. Pap.*

S. BONAV. 17. Triplex locus est, in quo puniuntur peccata post hanc vitam. Est purgatorium, et hic debetur peccato veniali, est limbus, et hic debetur peccato originali. Est infernus, et hic debetur peccato mortali. In *Centiloq.*, part. 2, sect. 4.

18. Nullum putaveris locum sine teste. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 30.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 19. Non est Deus loco circumscriptus, sed in omnibus locis existens, a nullo tamen comprehensus. *Cateches.* 6.

S. GREGOR. MAGNUS. 20. Locus perversorum, est temporalis vitæ delectatio et carnis voluptas. Lib. 8, *Moral.*, cap. 12.

21. Malorum locus, est superbia : bonorum vero locus est humilitas. *Ibid.*, lib. 3, cap. 13.

22. Si desit spiritus, non adjuvat locus. Homil. 9, super *Ezech.*

23. Locus extra paradisum esse non potest, in quo antiquus hostis mentes hominum penetrare non valeat. Lib. 8, in *Registr.*, indict. 3, cap. 45, *ad Palladium presbyt.*

24. Prædicatorum locus, quem pro se habent, secreta divinitatis contemplatio est : locus autem pro subditis, prædicatio. Lib. 4, in 1 *Reg.*, cap. 4 super illud : *Et ascenderunt civitatem.*

25. Quælibet occulta loca sine Dei gratia animam salvare non possunt. Lib. 6, in *Registro*, indict. 15, cap. 169, epist. 5, *ad Cyriacum episc. Constantinopol.*

26. Non pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. *Ibid.*, lib. 12, *de Duodecim Interrogat.*, cap. 3, interrogat. 3.

S. HIERON. 27. Judæ nihil profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit. Lib. 2, *advers. Jovian.*

S. JOANNES CHRYSOST. 28. Non locus virtute facit præditos, sed mens et mores. Homil. 43, super *Gen.*

29. Locus non salvat hominem, sed mores. Adam in paradiso, ut in portu naufragium fecit : Loth in Sodomis, sicut in pelago, servatus est : Job in stercore justificatus est, Saul inter charos regno præsenti et futuro excidit. Serm. *de Euchar.*

30. Non locorum commoditas, sed morum probitas quietem præbet. Homil. 21, *ad Popul. Antioch.*

31. Invenies multos e mediis liberatos tumultibus, qui si in alium locum mittantur, sæpe numero morosi sunt, tristes, et migrationem ægre ferentes. Homil. 34, super *Genes.*

32. Unicuique rei locum proprium distribuit Deus. *Ibid.*, homil. 3.

33. De loco in locum non transit universorum Dominus. *Ibid.*, homil. 42.

34. Multi adeo sunt consuetudini suæ alligati, ut potius multa et omnia ferre velint, quam loca mutare. *Ibid.*, homil. 31.

35. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Homil. 43, super *Matth. Oper. imperf.*

S. JOAN. CLIM. 36. Qui proni se faciles ad migrationem mutationemque locorum sunt, improbi omnino judicantur. *Prosec.*

37. Nihil ita boni operis fructus consuevit obtundere, ut locorum crebra mutatio. Gradu 4.

JOAN. TRITH. 38. Quanto quis in eminentiori constitutus est loco, tanto majori versatur in periculo. Lib. 2, *de Tent. relig.*, cap. 5.

39. Tria sunt hominum loca : supremus, medius, infimus, in supremo, id est, in cœlo, soli boni, in medio, boni et mali, in infimo, tantum mali, et nusquam boni. Epist. 14, *ad Nicol. presbyt. Mennic.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 40. Valet interdum conversis pro animæ salute mutatio loci : plerumque enim dum mutatur locus, mutatur et mentis affectus. *Prosec.*

41. Nam locus ubi prave quisque vixit, hoc in aspectu mentis opponit, quod semper ibi vel cogitavit, vel gessit. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 10, sent. 7.

42. Quanto quisque in superiori constitutus est loco, tanto in majori versatur periculo. *Ibid.*, lib. 3, cap. 50, sent. 5.

S. LAURENT. JUSTIN. 43. Non ille apud Deum censendus est vilior, qui infimum tenet locum, sed qui virtutibus inferior est. *De Triumphali Christi agone*, cap. 25.

S. PETRUS CHRYSOL. 44. Non locorum mutatio, sed conversio sensuum, adversa depellit, merores fugat, desperationes abjicit, excludit angustias, intrat domicilium sinceri pectoris, et lætitiæ divinæ æternam præparat mansionem. Serm. 46.

S. PETRUS DAMIAN. 45. Trinæ sunt distinctiones locorum, quas pro diversitate meritorum animæ sortiuntur : Cœlum, infernus et purgatorium. Ad cœlum statim evolant, qui domicilio corporis usi sunt, tanquam carcere, qui defœcatam puramque substantiam utriusque hominis servaverunt. E contrario, qui fecerunt usque ad mortem, quæ digna sunt morte locis gehennalibus sine misericordia deputantur. Qui vero neutrum sunt, sed sunt inter utrumque qui mortalia quidem commiserunt, sed circa mortem pœnituerunt pœnitentiam non explentes, in-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum malitiæ robur exultat, ut in perficiendo opere suo, alterius auxilium non requirat. *Ibid.*

100. Solet lingua non impune recedere, cum se in verborum procacitate jactaverit : nam flammas evomit, et cum alium nocere quærit, totum intrinsecus male conscium pectus incendit. *Ibid.*

101. Facilius quilibet potest ferre armatas ferro acies, et instructas rebus bellicis legiones ; quis autem sustineat labiorum tela fixa pectoribus ? facilius sine dubio recipiunt sanitatem corpora ferro lacerata, quam lingua venenata. *Prosec.*

102. Linguæ enim insanabilis plaga est, quæ quamvis leviter percutiat, alta tamen semper movet pectoris dolore suspiria. *Ibid.*

103. Enumerari non potest, quantis sit lingua jaculi accincta verborum. *Ibid.*

104. Cohibenda est lingua, ne forte cum proruperit, aut excitata lædat, aut incitata percutiat. *Ibid.*

105. Castigandus est linguæ sonus, ne de facilitate verborum faciat venenum. *Ibid.*

106. Excedit lingua omne genus veneni, quæ non potest nisi morte compesci. *Ibid.*

107. Ubi semel quis lingua rotante proruperit, frustra medicum quærit, sine remedio enim est culpa verborum. *Ibid.*

108. Quid istis infelicius, quid periculosius esse potest, qui fallacis linguæ studio vitæ insidiantur alienæ? *Ibid.*

109. Inter confusos linguæ sonos neminem pœnituit tacuisse. *Ibid.*

110. Quamvis aliquis vitam fide muniat, scientia regat, castitate et sobrietate componat, nihil est quod in homine placeat, si in toto corpore sola lingua displiceat. *Ibid.*

111. Cito quæ sunt in homine optima revilescunt, nisi linguæ vitia resecentur. *Ibid.*, homil. 6.

IN VITIS PATR. — 112. Quis linguam refrænat, ubique peregrinus est. Lib. 5, libell. 10, *de Discretione*, num. 33.

113. Non didicimus nos ligneum claudere ostium, sed magis ostium linguæ. In *Sent. in fine positis*, sent. 43.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. — 114. Tibi diligentissime est lingua continenda. Lib. 1, *Epist. ad Quintum fratrem*, epist. 1.

SIXT. PHIL. — 115. Lingua maliloqua, indicium est mentis malæ. Sent. 74.

116. Insuesca lingam tuam bene proloqui, et maxime cum de Deo fit sermo. *Ibid.*, sent. 75.

117. Lingua tua sensum tuum sequatur. *Ibid.*, sent. 152.

Vide etiam tit. *Detractio*, sent. 18, 19, 26, 27, 28; *Domare*, sent. 6, 7, 13, 14, 19, 20 : *Eloquentia*, sent. 13 ; *Laus Dei*, sent. 105, 112; *Locutio*, sent. 130 ; *Maledictio*, sent. 6 : *Monachus*, sent. 18, 31 ; *Mores*, sent. 31 ; *Passio Christi*, 77; *Pax*, sent. 95; *Reus*, sent. 19; *Vaniloquium*, sent. 3.

## LOCUS.

S. JOANNES DAMASC. — *Definitio.* Locus est terminus corporis continentis, quo id quod continetur, continet. Lib. *de Fide orthodox.*, cap. 16.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. — 1. Nulla spatia possunt satis esse discordibus, quietis et pacificis etiam angusta abundant, dissonis moribus etiam spatiosa arctantur. *Prosec.*

2. Melius est emigrare loco cum gratia, quam cohabitare cum discordia. Lib. 1, *de Abraham.*, cap. 3, et lib. 2, cap. 6.

S. ANAST. II PAPA. — 3. Non loca creatori nostro nos proximos faciunt sed bona merita. In *Decretis Gratiani*, part. 1, dist. 40, can. *Non loca.*

S. ANTONIN. — 4. Non loca, sed vita et mores sanctum faciunt. Part. 1, tit. 14, cap. 5, § 9.

5. Sanctitas loci ordinatur ad sanctitatem hominis. Part. 2, tit. 1, § 1.

S. AUGUST. — 6. Locus non facit Sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit et nos. Serm. 27, *ad Fratr. in eremo.*

7. Nullus locus medius est, ut non sit in supplicio, qui non erit in regno. Et hab. in *Glossa ord.*, super illud *ad Galat.* v : *Regnum Dei consequentur.*

8. Omne quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est. Epist. 6.

9. Effusione lucis adjuvamur ad capienda spatia locorum. Lib. 6, *Musicæ*, cap. 8.

10. Proprie dicitur locus in spatiis, quæ corporibus occupantur. Lib. 5, *de Genes.* ad litt., cap. 18.

11. Homo secundum corpus in loco est, et de loco migrat; et cum ad alium locum venerit, in eo loco unde venit non est. Tract. 31, super *Joan.*

12. Si loca dicenda sunt, et quibus non corpora continentur, et locus est cuique rei ubi est : locus Christi æternus ubi semper est, ipse Pater est, et locus Patris Filius est. Et locus noster ipsi sunt, et nos locus Dei sumus, quoniam templum ejus sumus. *Ibid.*, tract. 111.

13. Illis Deus intus loquitur, qui ei locum præbent : illi autem Deo locum præbent, qui diabolo locum non præbent. Tract. 4, super *Epist. Joan.*



S. BASILIUS SELEUC. — 14. Deus quidem omnibus adest in locis, neque tamen Deum locus ullus audet circumscribere. Orat. 26.

S. BERNARDIN. SENENS. — 15. Quanto sanctior locus est, tanto ibi commissa gravior est offensa. Serm. 10, *fer. 3, post Dom.* 2, *Quadr.*, art. 1, cap. 4.

S. BERNARD. — 16. Altiorem locum sortitus es, sed non tutiorem : subliminiorem, non securiorem : terribilis prorsus, terribilis est locus iste. Epist. 237, *ad Eugen. Pap.*

S. BONAV. — 17. Triplex locus est, in quo puniuntur peccata post hanc vitam. Est purgatorium, et hic debetur peccato veniali, est limbus, et hic debetur peccato originali. Est infernus, et hic debetur peccato mortali. In *Centiloq.*, part. 2, sect. 4.

18. Nullum putaveris locum sine teste. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 30.

S. CYRILLUS HIEROSOL. — 19. Non est Deus loco circumscriptus, sed in omnibus locis existens, a nullo tamen comprehensus. *Cateches.* 6.

S. GREGOR. MAGNUS. — 20. Locus perversorum, est temporalis vitæ delectatio et carnis voluptas. Lib. 8, *Moral.*, cap. 12.

21. Malorum locus, est superbia : bonorum vero locus est humilitas. *Ibid.*, lib. 3, cap. 13.

22. Si desit spiritus, non adjuvat locus. Homil. 9, super *Ezech.*

23. Locus extra paradisum esse non potest, in quo antiquus hostis mentes hominum penetrare non valeat. Lib. 8, in *Registr.*, indict. 3, cap. 45, *ad Palladium presbyt.*

24. Prædicatorum locus, quem pro se habent, secreta divinitatis contemplatio est : locus autem pro subditis, prædicatio. Lib. 4, in 1 *Reg.*, cap. 4 super illud : *Et ascenderunt civitatem.*

25. Quælibet occulta loca sine Dei gratia animam salvare non possunt. Lib. 6, in *Registro*, indict. 15, cap. 169, epist. 5, *ad Cyriacum episc. Constantinopol.*

26. Non pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. *Ibid.*, lib. 12, *de Duodecim Interrogat.*, cap. 3, interrogat. 3.

S. HIERON. — 27. Judæ nihil profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit. Lib. 2, *advers. Jovian.*

S. JOANNES CHRYSOST. — 28. Non locus virtute facit præditos, sed mens et mores. Homil. 43, super *Gen.*

29. Locus non salvat hominem, sed mores. Adam in paradiso, ut in portu naufragium fecit : Loth in Sodomis, sicut in pelago, servatus est : Job in stercore justificatus est, Saul inter charos regno præsenti et futuro excidit. Serm. *de Euchar.*

30. Non locorum commoditas, sed morum probitas quietem præbet. Homil. 21, *ad Popul. Antioch.*

31. Invenies multos e mediis liberatos tumultibus, qui si in alium locum mittantur, sæpe numero morosi sunt, tristes, et migrationem ægre ferentes. Homil. 34, super *Genes.*

32. Unicuique rei locum proprium distribuit Deus. *Ibid.*, homil. 3.

33. De loco in locum non transit universorum Dominus. *Ibid.*, homil. 42.

34. Multi adeo sunt consuetudini suæ alligati, ut potius multa et omnia ferre velint, quam loca mutare. *Ibid.*, homil. 31.

35. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Homil. 43, super *Matth. Oper. imperf.*

S. JOAN. CLIM. — 36. Qui proni se faciles ad migrationem mutationemque locorum sunt, improbi omnino judicantur. *Prosec.*

37. Nihil ita boni operis fructus consuevit obtundere, ut locorum crebra mutatio. Gradu 4.

JOAN. TRITH. — 38. Quanto quis in eminentiori constitutus est loco, tanto majori versatur in periculo. Lib. 2, *de Tent. relig.*, cap. 5.

39. Tria sunt hominum loca : supremus, medius, infimus, in supremo, id est, in cœlo, soli boni, in medio, boni et mali, in infimo, tantum mali, et nusquam boni. Epist. 14, *ad Nicol. presbyt. Mernic.*

S. ISIDORUS HISPALENS. — 40. Valet interdum conversis pro animæ salute mutatio loci : plerumque enim dum mutatur locus, mutatur et mentis affectus. *Prosec.*

41. Nam locus ubi prave quisque vixit, hoc in aspectu mentis opponit, quod semper ibi vel cogitavit, vel gessit. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 10, sent. 7.

42. Quanto quisque in superiori constitutus est loco, tanto in majori versatur periculo. *Ibid.*, lib. 3, cap. 50, sent. 5.

S. LAURENT. JUSTIN. — 43. Non ille apud Deum censendus est vilior, qui infimum tenet locum, sed qui virtutibus inferior est. *De Triumphali Christi agone*, cap. 25.

S. PETRUS CHRYSOL. — 44. Non locorum mutatio, sed conversio sensuum, adversa depellit, mœrores fugat, desperationes abjicit, excludit angustias, intrat domicilium sinceri pectoris, et lætitiæ divinæ æternam præparat mansionem. Serm. 46.

S. PETRUS DAMIAN. — 45. Trinæ sunt distinctiones locorum, quas pro diversitate meritorum animæ sortiuntur : Cœlum, infernus et purgatorium. Ad cœlum statim evolant, qui domicilio corporis usi sunt, tanquam carcere, qui defœcatam puramque substantiam utriusque hominis servaverunt. E contrario, qui fecerunt usque ad mortem, quæ digna sunt morte locis gehennalibus sine misericordia deputantur. Qui vero neutrum sunt, sed sunt inter utrumque qui mortalia quidem commiserunt, sed circa mortem pœnituerunt pœnitentiam non explentes, in-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

digni ut statim gaudeant : nec digni ut semper ardeant, loca purgatoria sortiuntur. Serm. 59, *de S. Nicol.*

THOMAS A KEMPIS. 46. Imaginatio locorum, et mutatio, multos fefellit. Lib. 1, *De Imitatione Christi*, cap. 9, sect. 1.

IN VITIS PATR. 47. Si in monasterio cum aliis versaris, non mutes locum : monachus frigescit et mortificatur in fide, de loco ad locum transeundo. Lib. 5, libell. 7, *de Fortitud.*, num. 15.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 48. Censemus locum id continere, cujus est locus, et nihil esse ipsius rei. Lib. 4, *Physic.*, cap. 4, text. 50.

49. Locus est alicubi, non ut in loco, sed ut finis in eo quod est finitum. *Ibid.*, cap. 5, text. 49.

CICERO. 50. Loca sacra et religiosa profana haberi, sacrilegium est. Orat. 30, *de Haruspic.*, respons.

SENECA. 51. Commutatio loci tolerabilis est, si tantum locum mutes, non animum, *de Consol. ad Helviam*, cap. 13.

52. Severior loci disciplina format ingenium, aptumque magnis conatibus reddit. Epist. 51.

53. Non multum ad tranquillitatem locus confert, animus est, qui commendat omnia. Epist. 55.

54. Mutare te loca, et in alium de alio transire nolo : quia tam frequens migratio instabilis animi est. Epist. 69.

55. Ultra summum non est locus. Epist. 74.

56. Nullum putaveris locum, sine teste. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Medium*, sent. 12; *Occupatio*, sent, 27; *Præsentia Dei*, sent. 5, 6, 13, 17, 21, 25; *Religio*, seu *Congregatio*, sent. 44; *Religiosus*, sent. 180; *Virginitas*, sent. 94.

## LOCUTIO.

S. AUGUST. *Definitio.* Loqui est articulata voce signum dare, quod comprehendi litteris potest. In princ., *Dialect.*, cap. 5.

S. GREGOR. THAUMAT. Nihil aliud sunt voces nostræ, quam imagines quædam animi nostri conceptuum ac notionum. In *Orat. Panegry.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT. MAG. 1. Loqui oportet opportuno tempore, quia sermo opportunus est optimus. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtutib.*, cap. 31.

S. AMBROS. 2. Laqueus adversarii est sermo noster, sed etiam ipse non minus adversarius est nobis. *Prosec.*

3. Loquimur plerumque quod excipiat inimicus, et quasi nostro gladio nos vulneret.

4. Quanto tolerabilius est alieno gladio, quam nostro perire ! Explorat ergo adversarius nostra arma, et concutit sua tela : si emisero verbum indecorum, laqueum suum stringit. Lib. 1, *Offic.*, cap. 4.

5. Sapiens ut loquatur multa prius considerat; quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. *Ibid.*, cap. 10.

6. Sermo tædiosus iras excitat : quam vero indecorum, ut cum omnis confabulatio habere soleat incrementum gratiæ, habeat nævum offensionis ! *Ibid.*, cap. 12.

7. Nullum ex ore verbum, quod revocare velis, proferas, sed parcior loquendi fiducia sit. Lib. 3, *de Virgin.*

8. Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter ; postremo si ubi non oportet loquaris. *Ibid.*, lib. 3.

9. Laqueus est in labiis nostris, et sæpe unusquisque sermonibus suis non explicatur, sed involvitur. Lib. 7, epist. 44. *ad Constantium.*

10. Nihil sic penetrat animam, sicut sermo fucatus : nihil sic mordet, ut durior sermo. Lib. 2, *de Interpellat.*, cap. 3.

11. Adulterinus sermo juvenculæ, nodus adolescentium est : verba adolescentis, vincula sunt amoris. Lib. 1, *de Pœnitent.*, cap. 13.

S. AUGUST. 12. Romani maximus auctor Tullius eloquii, nullum unquam verbum, inquit, quod revocare vellet emisit, quæ quidem laus, quamvis præclarissima videatur, tamen credibilior est de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto. Epist. 7, *ad Marcellinum.*

13. Plerumque in sermone copiosa est egestas humanæ intelligentiæ : quia plus loquitur inquisitio, quam inventio ; et longior est petitio, quam impetratio, et operosior est manus pulsans quam sumens. Lib. 12, *Confess.*, cap. 1.

14. Mali malas habent linguas : mala loquuntur cum loquuntur dolum. Super *Psalm.* v, vers. 2 *Linguis suis dolose agebant.*

15 .Non ille reus tenebitur, qui plura quidem sed bona loqui : sed ille qui saltem rara, sed mala dicere probatur. *De Constituti. vitior. et virt.*, cap. 22.

16. Tenendus est motus in loquendo, et ab ipsis nonnunquam utilibus parcendum. *Ibid.*

17. Oportet ut senilis sermo non solum sit gravis, sed etiam brevis. *De laudibus charit.*

18. Nemo de suo corde præsumat quando profert sermonem, quia ut bona prudenter loquamur a Deo est, non nostra sapientia. Serm. 1, *de S. Vincentio.*



19. O quam sanctum est os, unde semper cœlestia erumpunt eloquia ! Serm. 3, *ad Fratr. in erem.*

20. Omne quod non ædificat, in periculum vertitur dicentium et audientium. *Ibid.*

21. O quam grande periculum est, non solum dicere falsa, sed et vera prædicare pœnosum et dubium est. *Ibid.*, term. 26.

22. Magnæ sapientiæ est, hominem revocare quod male locutus est. Et habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 32, quæst. 4, can. *Magnæ.*

23. Plerumque loqui amant etiam qui nesciunt quid loquantur, vel quomodo loquantur. Lib. 1, *contra Cresconium.*, cap. 1.

24. Qui sic credit ut loquitur, etsi non vera loquitur, fideliter loquitur : qui autem non credit quæ loquitur, etsi vera loquitur, infideliter loquitur. Epist. 135.

25. Tanto magis pro parvulis loqui debemus, quanto ipsi pro se loqui non possunt. Epist. 89, quæst. 3.

26. Si frigido loquor, nescit quid loquor. Tract. 26, super *Joan.*

27. Semper de dilectione loqui non possumus : sed de qua semper loqui non licet, semper eam custodire licet. Tract. 8, super *Epist. Joan.*

28. Homo, si velit, adimit sibi possibilitatem loquendi, non adempto illo membro, quo loquimur. *De natura et grat.*, cap. 45.

V. BEDA. 29. Longo usu dicendum est, quid, cuique loqui vel tacere conveniat. In suis *Prov.*, verbo *Longo.*

S. BERNARD. 30. Videas multo (sincera licet intentione, et benigno accedant animo) leviter dicere, quod graviter audiatur : volat irrevocabile verbum ; et quod sanare debuerat, quia mordacius forte videtur, exasperat, et ulcerat magis, quando negligentiæ additur impudentia, etiam et impatientia cumulatur. Serm. 2, *Paschæ.*

31. Multis non suppetit verborum copia, sed præ sermonis inopia, linguam suam palato adhærescere sentiunt, quod et ipsum interdum solet audientibus obesse non parum. *Prosec.*

32. Aliquibus autem ad manum est abundantia multa sermonis, sed quæ dicunt, minus sapiunt, minus acceptantur ; et quia gratiam non habent, minus efficacia sunt quæ loquuntur. *Ibid.*

33. Felix ille quem in omni confabulatione duplex timor sollicitat, et duorum consideratio simulat auditorum : primum quidem divinæ majestatis, in cujus manus incidere, prorsus horrendum : de hinc fraternæ infirmitatis, cui nihilominus perfacile est offendiculum dare. Serm. *de triplici custodia linguæ.*

34. Quod sermo non explicat, consideratio quærat, oratio expetat, mereatur vita, puritas assequatur. Lib. 5, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

35. Fieri non potest ut aliquando cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacens fabulatur : intende illi, qui intendit tibi : audi illum loquentem tibi, ut ipse exaudiat te loquentem sibi. Lib. 6, *Medit.*, cap. 6.

36. Stude loqui non quodlibet, sed quod oportet. *De Inter. domo*, cap. 43.

37. Bona mens et vere munda, ut loquatur, multa prius considerat ; quid dicat, et cui dicat, quo loco, et quo tempore. *De ordine vitæ.*

38. Cum loqueris, verba tua sint rara, vera, ponderosa, et de Deo. *In notabili documento.*

39. Antequam verba proferas, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam. *In speculo Monachorum.*

40. Loquentis gestus debet esse molestus et humilis, sonus demissus et suavis. In *speculo discipl.*, part. 1, cap. 20. S. BONAV.

41. Clamositas et verborum asperitas, locutionem plurimum quidem et dedecet et deturpat. *Ibid.*

42. Honestatem habet locutio, si et illius qui loquitur, et illorum quibus vel de quibus fit sermo, conveniat dignitati. *Ibid.*

43. Primo bis ad limam, quam semel ad linguam veniat sermo. *Ibid.*, cap. 31.

44. Ponderet unusquisque sermones suos, et quod sibi loqui non vult, alteri non loquatur. Apud Gratian., in *Decret.*, part. 1, dist. 50, can. *Ponderet.* S. CALIXTUS PAP.

45. Nescit titubare quod veritas loquitur. Super *Psalm.* cx, vers. 7. CASSIODOR.

46. Præstat lapidem incassum mittere quam sermonem : loquere quæ oportet, et cum oportet, et non audies quæ non oportet. Et habetur apud D. Joannem, lib. 1, *Parall.*, cap. 19. EVAGRIUS.

47. Humilis quæ dicit, non ex auctoritate præcipit, sed ex ratione persuadet. Super *Job*, cap. vi. in illud : *Loquentes quod justum est.* GLOSS. ORD.

48. Facundius loquitur, qui obstupescendo tacet. *Ibid.*, cap. 38.

49. Aliquando blande loquitur Deus, ut ametur : aliquando terribiliter, ut timeatur. *Ibid.*, cap. 38.

50. Intemperata locutio excitat iram, moderata extinguit. Super *Ecclesiastic.*, cap. xxviii. GLOSS. IN.

51. Qui in dictis suis reprobari metuit, ipse prius debet examinare quod dicit. Lib. 8, *Moral.*, cap. 2. S. GREGOR. MAGNUS.

52. Discrete vicissitudinum pensanda sunt tem-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pora, ne aut cum restringi debet lingua, per verba se inutiliter solvat : aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. *Ibid.*, lib. 7, cap. 17.

53. Aliquando linguæ modum quis ponere nititur, sed onere dispensationis exigente silere prohibetur. *Prosec.*

54. Aliquando dum nimia se censura restringit, tacet etiam quæ loqui debuit.

55. Aliquando ad inferenda necessaria, dum se latius relaxat, dicit etiam quæ loqui non debuit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 26.

56. In Dei auribus superba non sunt, quæ humili corde proferuntur. *Ibid.*, lib. 12, cap. 16.

57. Ille scit recte dicere, qui et ordinate scit tacere. *Ibid.*, lib. 30, cap. 7.

58. Multum sæpe mens etiam cum recte loqui conatur extra semetipsum spargitur. *Prosec.*

59. Integritatem animi, dum cogitantur verba qualiter proferantur, quia cum trahunt extrinsecus, minuunt.

60. Igitur a publico locutionis redeundum est ad curiam est.

61. Omne quod dicitur, quadripertita potest qualitate distingui, si dicantur aut mala male, aut bona bene, aut mala bene, aut bona male. Male malum dicitur, cum res perversa suadetur ; bonum bene dicitur, cum recte recta prædicantur ; malum bene dicitur quando per os dicentis idcirco vitium exprimitur, ut reprobetur ; male bonum dicitur, cum rectum aliquid recto studio non profertur. *Ibid.*, lib. 23, cap. 1.

62. Tunc bene dicitur bonum, cum is qui dicit soli ei a quo accipit, perid appetit placere quod dicit. *Ibid.*, lib. 35, cap. 16.

63. Boni viri freno consilii retinent præcipitationem verbi, et caute considerant ne relaxantes linguæ lasciviam, auditorum conscientiam incauta locutione transfigant. *Ibid.*, lib. 5. cap. 11.

64. Sicut pravi in sensu leves sunt, ita in locutione præcipites : quia quod levis conscientia concipit, levior protinus lingua prodit. *Ibid.*

65. Ille bene loquendi facundiam accipit, qui sinum cordis ad perfecte vivendi studia extendit : nec conscientia loquentem præpedit, cum vita linguam antecedit. *Ibid.*, lib. 6, cap. 16, super illud *Job* 5 : *Et sciens quoniam multiplex*, etc.

66. In omne quod dicitur, necesse est ut causa, tempus, et persona pensetur : si verba sententiæ veritas roboret, si hanc tempus congruum postulet, si veritatem sententiæ et congruentiam temporis, personæ qualitas non impugnet. *Ibid.*, cap. 18.

67. Justi verba dolore plena sunt, quia quousque præsentia tolerat, ad alia loquendo suspirat. *Ibid.*, lib. 7, cap. 3, super illud *Job* VI : *Unde et verba mea.*

68. Magnæ virtutis laus est, simplicitas locutionis. *Ibid.*, lib. 23, cap. 8, num. 14, super illud *Job* XXXIII : *Simplici corde meo.*

69. In omne quod dicitur summopere intuendum est quid dicatur, quando dicatur, et quomodo dicatur. *Ibid.*, lib. 24, cap. 13.

70. Juxta quod loquitur lingua, vivat conscientia : ut lux ejus tanto clarius resplendeat in superficie, quanto verius inardescit in corde. *Ibid.*, lib. 30, cap. 3.

71. Caute discendum est, quatenus os discrete, et congruo tempore vox aperiat : et rursum congruo taciturnitas claudat. Part. 3, *Pastor.*, cap. 1, *admonit.* 15.

72. Ille loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit : quasi enim quoddam nutrimentum verbi est censura silentii. *Prosec.*

73. Pensandum est ergo quanta ei culpa sit non tacere, quem nulla cogit necessitas loqui. Homil. 11, super *Ezech.*, super illud ; *Cum autem pertransissent*, etc.

74. Pensare doctor debet quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur et quantum loquatur. *Ibid.*, super illud : *Si autem tu annuntiaveris impio*, etc.

75. Arrogantes ad loquendum, prolatis laudibus animantur. Lib. 4, in I *Regum*, cap. IV, super illud : *Maledictus qui comederit*, etc.

76. Os alienum videtur assumere, qui ea conatur, quæ in corde non sentit, proferre. In *Septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* IV, vers. 16.

77. Multum quippe deorsum ducimur, dum locutione continua sæcularibus admiscemur. *Prosec.*

78. Valde difficile est, ut lingua sæcularium mentem non inquinet, quam tangit.

79. Quia dum plerumque eis ad quædam loquenda condescendimus, paulisper assueti hanc ipsam locutionem, quæ nobis indigna est, etiam delectabiliter tenemus : ut extra jam redire non libeat, ad quam velut ex condescensione deducti venimus inviti, sicque fit, ut ab otiosis ad noxia, a levioribus ad gravia veniamus. Lib. 3, *Dialogi*, cap. 15, verbo *Apud.*

80. Loqui de Deo quietæ valde et liberæ mentis est : tunc bene dirigitur lingua in sermone, cum secure sensus quieverit in tranquillitate. Homil. 11, super *Ezech.* super illud, *Rom.* II : *Ignoras quoniam benignitas*, etc.

81. Utilis semper est docti viri oblocutio, quia aut discit audiens, quod nescire se noverat ; aut cognoscit (quod est amplius) id quod se et nescisse nesciebat. Lib. 7, in *Registro*, indict. 1, cap. 29, epist. 29, *ad Eulogium episcopum Alexandr.*



S. HIERON.

82. Bonus sermo secreta non quærit, quin potius delectatur laudibus suis, et testimonio plurimorum. Epist. 12, *ad Gaudentium.*

83. Sermo sit in omnibus moderatus, et parcus, et qui necessitatem magis loquendi indicet, quam voluntatem. Epist. 14, *ad Celantiam.*

84. Diu ante considera quid loquendum sit, et adhuc tacens provide ne quid dixisse pœniteat. *Ibid.*

85. Sit sermo virginis prudens, modestus, et rarus : nec tam eloquentia pretiosus, quam pudore. *Prosec.*

86. Mirentur omnes tuam te tacente verecundiam, te loquente prudentiam.

87. Mite ac placidum semper eloquium tuum ornet mixta cum gravitate suavitas, cum pudore sapientia. Epist. 1, *ad Demetriad.*

88. Si forte loquaris, quando tacere peccatum est, caveas ne quid, quod in reprehensionem veniat, dicas. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

89. Lapis emissus est, sermo prolatus : quapropter diu antequam proferatur, cogitandus est. *Prosec.*

90. Beata labia sunt, quæ nunquam quod revocare velint, emittunt. *Ibid.*

91. Pudicæ mentis debet etiam sermo esse pudicus, qui ædificet semper et nunquam destruat audientem. *Ibid.*

92. Sermo semper sit modestus, et in suo tempore proferendus. *Ibid.*

93. Omne quod non ædificat audientes, in periculum loquentium vertitur. In *Regula monachorum*, cap. 20, *de Juramento.*

HUGO A S. VICTORE.

94. In locutione quinque res sunt observandæ : quid dicatur, cui dicatur, ubi dicatur, quando dicatur, quomodo dicatur. *De Inst. Novit.*, cap. 13.

95. Qui cum alio loquitur, primum consideret utrum propter se, an propter illum loquatur : si propter se, videat ut ille talis sit, de cujus colloquio utilitas sibi provenire possit : si propter illum loquitur, caveat ne talis sit ille, qui vel sua exhortatione non indigeat, vel ita in malo obstinatus, ut exhortatione alterius corrigi se non permittat. *Ibid.*, cap. 14.

96. Est tempus quando nihil, et est tempus quando aliquid dicendum est : nullum vero tempus est, quando dicenda sunt omnia. *Prosec.*

97. Tempus est, quando nihil dicendum est, quia tempus tacendi : et tempus quando aliquid, quia tempus loquendi : tempus vero quando omnia, nunquam. *Ibid.*, cap. 16.

98. Sapiens æque cavet, vel ne eo tempore quando loqui debet per negligentiam sileat, vel ne omni tempore quando loqui licet, per licentiam concessam in multiloquium cadat. *Prosec.*

99. Recte tempus loquendi discernitur, si homo nec unquam quando loqui debet, sileat : nec semper quando licet, loquatur. *Ibid.*

100. Modus loquendi in tribus consistit : quo gestu, quo sono, qua significatione quis loquatur. *Prosec.*

101. Loquentis sit gestus modestus et humilis, sonus demissus et suavis, significatio verax et dulcis. *Ibid.*, cap. 17.

102. Sermo prius debet venire ad limam quam ad linguam. Debet esse præmeditatus, discretus, maturus, distinctus, rarus, vivus, authenticus, humilis, patiens, sollicitus. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 17.

HUGO CARD.

103. Vere sapiens, non solum quod loquitur, sed etiam opportunitatem loci et temporis, et personæ cui loquitur, diligenter inquirit. Super *Proverb.*, cap. XV.

104. Optimi sermonis quinque sunt partes, scilicet doctrina veritatis, exhortatio honestatis, confessio peccati, confessio laudis, oratio vocalis. *Ibid.*

105. Temeritas loquendi in quatuor maxime reprobatur, scilicet in judiciis faciendis, in consiliis dandis, in testimoniis ferendis, in votis et promissionibus emittendis. Super *Ecclesiasten*, cap. 5.

106. Quatuor genera sunt fugienda : scilicet sermo otiosus ; sermo spurcus, sive turpis ; sermo venenatus laudis, vel detractionis ; sermo blasphemus. *Ibid.*, cap. 7.

S. JOANNES CHRYSOST.

107. Sicut ignem cum valde accenditur, aqua injecta extinguit : ita et animum fornace magis exardescentem, verbum cum mansuetudine prolatum extinguit. Homil. 58, super *Gen.*

108. Nemo potest in valle stare, et de monte loqui : sed ubi stas, loquere : aut unde loqueris, ibi ista. *Prosec.*

109. Si in terra est animus tuus, ut quid de cœlo loqueris ? si ergo in terra tu stas, de terra loquere : si autem de cœlo loqueris, in cœlo consiste. Homil. 9, super *Matth. Oper. imperfect.*

110. Sicut ignis de modica scintilla magnum conflat incendium : ita et sermo malus de levi occasione magnam succendit inimicitiam. *Ibid.*

111. Si christianus es, quod loqueris hoc cogita : aut quod cogitas, hoc loquere. *Ibid.*

112. Licet justa cum furore dicas, totum perdis, etiamsi libere loquaris, etiamsi moneas, etiamsi quidvis operatus fueris : si autem mansuete, tunc est vera loquendi libertas. Homil. 17.

113. Neque dicendi libertas aliquid conducit, ubi non est facultas : neque facultas, ubi non est fiducia. *Ibid.*, homil. 40.

114. Semper asperis uti sermonibus magis exa-

cerbat hominem : ideoque bonum est ubique moderatis uti. Super *Epist. ad Galat.*, cap. IV.

115. Os habes spirituale, cogita quam primum verbum proferre volueris, quid sis locuturus, et quæ sit oris tui dignitas. Serm. 14, super *Epist. ad Ephes.*

116. Si dicendum utile quid habes, aperi labia : si nihil sit necessarium, tace. Homil. 21, *ad Popul. Antioch.*

JOAN. GERS. 117. Si omnia nunc dicere voluero, vanus erit et inexplebilis conatus meus, incidamque in illud : Omnia qui dicit, nihil dicit. Serm. 4, *de Omnibus Sanctis*, part. 2.

JOAN. TRITH. 118. Senem loqui decet, juvenem auscultare loquentem. In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, verbo, *Seniores.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 119. Quadrimoda est dicendi ratio, qua prævidendum est : Quid, cui, quando, vel quomodo aliquid proferatur. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 29, sent. 14.

120. Quadripartita est loquendi ratio, qua profertur. Vel bonum bene, vel malum male ; vel bonum male, vel malum bene. Bonum bene loquitur, qui ea quæ recta sunt, humiliter annuntiare videtur ; malum male loquitur, qui quodlibet flagitium persuadere conatur. Bonum male loquitur, qui quodcunque rectum arroganter prædicare sentitur ; malum bene loquitur, qui aliquod narrando vitium detestatur, ut ab eo homines avertantur. *Ibid.*, *sent.* 16.

121. Corde bene loquitur, qui charitatem non dissimulat : ore bene loquitur, qui veritatem annuntiat : factis bene loquitur, qui alios bonis exemplis ædificat.

122. Corde male loquitur, qui interius cogitationes noxias meditatur et cogitat.

123. Lingua male loquitur, qui dum pro eoquod male agit, flagellatur, murmurat.

124. Factis male loquitur, qui male vivendo exemplis suis, alios ad prave vivendum informat.

125. Semel bene loquitur, qui se pœnitendo redarguit : bis bene loquitur, qui bene vivendo et alios instruit.

126. Semel male loquitur, qui post vitium cito non corrigitur : bis male loquitur, qui male vivit et male docet.

127. Bis male loquitur, qui et male cogitat et male refert cogitata.

128. Bis male loquitur, qui et bonum, quod debuit, non egit : et malum quod non oportebat, admisit. *Ibid.*

129. Mores hominis lingua pandit ; qualis sermo ostendit, talis et animus comprobatur. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 8.

130. Intende opportunitatem loquendi, tempus proferendi sermones inquire : scito quo tempore loquaris, considera quando dicas tempore congruo loquere, tempore congruo tace. *Prosec.*

131. Non loquaris, nisi interrogatus, non dicas, priusquam audias ; sint verba tua pauca, loquendi modum non excedas, ne immoderatione linguæ incurras pericula. *Ibid.*

132. Melior est sermo novissimus, quam primus : ideo in principio audi, loquere novissimus, postremus dicas, primus taceas. *Ibid.*

133. Communia omnibus, secretioria perfectioribus loquere, aperta cunctis, operta paucis annuntia. *Prosec.*

134. Non erubescas loqui quod nosti defendere ; quæ aliis deesse videris, tace. *De contemptu mundi*, verbo *Disce.*

135. Quadrimoda est sentiendi ratio. Qua aut bene sentiendo, quod bene proferatur ; aut nil sentiendo, nil ducitur, aut parum sentiendo, loquacitas sola ostentatur ; aut optime sentiendo, non eleganter profertur quod intelligitur. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 29, sent. 15.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 136. Pulchre loqui, cymbalo simile est ; at probe agere, Angelis innatum est. Lib. 1, epist. 163, *ad Cyrum.*

LACT. FIRM. 137. Qui rationem divinitatis ignorat, is vere elinguis et mutus est, licet sit omnium disertissimus. *Prosec.*

138. Lingua enim cum verum loqui cœperit, id est, virtutem majestatemque Dei singularis interpretari, tum demum officio naturæ suæ fungitur.

139. Quandiu autem falsa loquitur, in suo usu non est : et ideo infans sit necesse est, qui divina proloqui non potest. Lib. 4, *de Divin. inst.*, cap. 26.

S. LAURENT. JUSTIN. 140. Prout suggerit animus imprudens loquitur. *De discipl. Monast.*, cap. 15.

141. Regula bene loquendi est, ut prius discat quisque tacere, quam loqui. *Prosec.*

142. Nunquam sciet fari quod expedit, qui tacere ignorat. In *Fasciculo amoris*, cap. 11.

PETR. BLES. 143. Sicut in suavi colloquio, non est suavitas admittenda : sic in duro rusticoque sermone, non est veritas aspernanda. *De Charit.*, cap. 52.

S. PETR. DAM. 144. Erubescat lingua phrenetica, et quæ nescit esse fœcunda, discat esse vel muta : nescit utiliter verba depromere, sciat saltem sine læsione tacere. Lib. 5, epist. 8, *ad Cleric. florent.*

145. Prudens quæ dicenda sunt ponderat, et tanquam cautus viator, solerter attendit, ubi linguæ suæ vestigium figat. Lib. 6, epist. 27, *ad Petr. Cerebros. monac.*

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 146. Oris tui ostium utilitati aperiatur, nugacitati claudatur : aperiatur ad ædificationem, claudatur ad obloquentium, vel murmurantium detractionem : aperiatur ad exhortationem supervenientium, claudatur ad verbositatem curiosorum. Lib. 1, epist. 20, *ad Gislebert.*



147. Tutius est dicenda diu deliberare, quam post dicta pœnitere. *Ibid.*, lib. 2, epist. 34, *ad Atonem Trecens. episcop.*

PHILO JUD. 148. Gaudet sermo, et fit alacrior, quando conceptus animi non est obscurus, quo prælucente decurrit expedite propriis, aptis, egregie significativis vocabulis affluens. *De migrat. Abrahæ.*

149. Libertas loquendi cognata est amicitiæ, alioqui cum quo loquemur libere, si cum amico non licet? Lib. *Quis rer. divinar. hæres sit.*

S. SIDONIUS EPISCOPUS. 150. Maximum pondus in verbis est, cum aut nulla narrantur, aut seria. Lib. 1, epist. 2, *ad Agricolam.*

THOMAS A KEMPIS. 151. Si loqui licet et expedit, quæ ædificabilia sunt, loquere. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 10.

152. Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet. *Ibid.*, cap. 20, sect. 2.

153. Claude oris ostium, et pondera verba tua antequam loquaris. In *Hortulo Rosarum*, cap. 16, sect. 2.

154. O quam laudabile et jucundum loquentis verbum, nil mali, nil vani, nil doli, nil falsi habens admixtum. In *Valle lilior.*, cap. 18, sect. 3.

S. VALER. EPISCOPUS. 155. Nihil est sævius, nihil violentius amaris asperisque sermonibus, quorum vulnera tanto difficilius curantur, quanto facilius proferuntur. Homil. 5, *de Oris insolentia.*

IN VITIS PATR. 156. Sermo superbus et malus, etiam bonos convertit ad malum : sermo vero humilis et bonus, etiam malos mutat in melius. Lib. 3, num. 127.

157. Esto liber in loquendo, non servus. In *Sent.*, in fine positis, sent. 95.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CHILO LAC. 158. Si dixeris quæ vis, audies quæ non vis. In *Sent.*, sent 1.

EPICTETUS. 159. Quod si potes, familiarium tuorum sermones, tuis sermonibus, eo quo decet, traducito : sin a peregrinis circumventus fueris, taceto. In *Enchirid.*, cap. 42.

160. Magni periculi est, statim emovere, quod non concoxeris. *Ibid.*, cap. 68.

PITTACUS PHILOS. 161. Loqui ignorabit, qui tacere nesciet. In *Dictis sapient.*, ex Ausonio, dict. 1.

PLINIUS II. 162. Nihil audio quod audisse, nihil dico quod dixisse pœniteat. Lib. 1, epist. 9, *ad Minutium fundan.*

SENECA. 163. Effœminata vox, virum decet. Epist. 96.

164. Omnibus rebus, omnibusque sermonibus aliquid salutare miscendum est. Lib. 2. *de Nat.*, quæst., cap. 59.

165. Sermones utiles magis, quam facetos, et amabiles ama rectos potius quam obsecundantes. *De Quatuor virt.*

166. Sis rari sermonis ipse, sed loquentium patiens. *Ibid.*

167. In hoc tantum incumbe, ut libentius audias, quam loquaris. *De Moribus.*

168. Imago animi, sermo est. *Ibid.*

169. Quidquid dicturus es, antequam alii dixeris, dicito tibi. *Ibid.*

170. Cum loqueris Deo, scito quod judiceris a Deo. Sent. 19. SIXT. PHIL.

171. Delibera antequam dicas, ne quæ non expedit, dicas. *Ibid.*, sent. 144.

172. Brevis est in sermonibus sapiens : indicium imperitiæ, longa narratio. *Ibid.*, sent. 146, etc.

173. Tum loquere, quando tacere non expedit. *Ibid.*, sent. 151, etc.

174. Sermo extra tempus, indicium malitiosæ mentis est. *Ibid.*, sent. 153.

175. Ideo natura dedit homini aures duas, os unicum : ut plus audiamus, quam loquamur. In suis *sent.*, sent. 2. ZENO CIT. PHOLOSOPH.

Vide etiam tit. *Adulatio*, sent. 96 ; *Clamor*, sent. 69 ; *Ebrietas*, sent. 102 ; *Exemplum*, sent. 83 ; *Gravitas*, sent. 24 ; *Familiaritas*, sent. 24 ; *Lingua*, per totum ; *Modestia*, sent. 16 ; *Mores*, sent. 32 ; *Mulier*, sent. 1 ; *Oculus*, sent. 27 ; *Orator*, sent. 14 ; *Reddere rat.*, sent. 17 ; *Taciturnitas*, sent. 6, 7, 8, 70, 105, 106 ; *Verbum*, per totum ; *Virginitas*, sent. 16.

## LOQUACITAS. *Vide* Multiloquium.

## LUCRUM.

*Definitio.* Lucrum est acquisitio pecuniæ, vel rei pecunia æstimabilis, alias indebitæ. COLLECTOR.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Nihil tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci. Lib. 1, *Offic.*, cap. 37. S. AMBROS.

2. Pretiorum captare incrementa, non simplicitatis, sed versutiæ est. *Ibid.*, lib. 3, cap. 6.

3. Meliora damna, quam lucra sunt sæculi. Lib 5, epist. 24, *ad Marcellum.*

4. Caduca hæc omnia cum damno sine lucro : illud solum est lucrum, ubi fructus perpetuus ubi æternæ merces quietis. Lib. 7, epist. 44.

5. Quæstus est plane non modicus, ubi lucrum non pecuniarum, sed acquiritur animarum. Serm. 78.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

6. Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur. *De Nabuthe*, cap. 2.

S. ANTONIN. 7. Avarus quanto magis lucratur, tanto magis desiderat lucrari. Part. 2, tit. 1. cap. 2, § 1.

8. Rapit animam insatiabilis amor, et spes lucrorum. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 3.

S. AUGUST. 9. Lucrum luteum, cum apprehenditur, manum inquinat. Lib. 6, *Confession.*, cap. 12.

10. Lucrum auri vides, damnum fidei non vides. Tract. 2, super *Epist. Joan.*

11. In rebus utilibus non vocatur damnum, quod propter majus lucrum amittitur. *De Mendacio*, cap. 13.

12. Omnes artifices mali, Deum non timentes, pro lucro vel pro timore damni, aut egestatis, mentiuntur et perjurant. Super *Psalm.* LXX, *Enarrat primæ partis*, vers. 17.

13. Tu desiderio tuo facis locum diabolo. Ecce enim diabolus promittit lucrum, et invitavit ad fraudem : lucrum habere non potes, nisi fraudem feceris; sed lucrum esca est, fraus laqueus. Sic attende escam ut videas et laqueum ; quia lucrum non potes adipisci, nisi fraudem feceris, fraudem autem si feceris, capieris. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 9.

14. Nemo habet injustum lucrum, sine justo damno : qui furatur, verbi gratia, acquiret vestem sed cœlesti judicio perdet fidem. Ubi lucrum, ibi damnum invisibiliter lucrum, visibiliter damnum. Serm. 2, in Sabb. *post* 3, *Dom. Quadrag.*

15. Non decet Christianum sæculi lucris inhiare cui promissum est regnum cœleste. Serm. 2, *Dom.* 24, *post Trinit.*

16. Amanda sunt honesta lucra, sed horreantur damnosa compendia. Serm. 31, *ad Fratr. in eremo.*

V. BEDA. 17. Lucrum turpe ut dispendium fugito. In suis *Prov.*, verbo *Lucrum.*

18. Lucrum sine damno alterius non potest esse, *Ibid.*

S. BERNARD. 19. Non valet pure Dei, vel proximi quærere lucra, qui propria non contempserit. Epist. 52, *ad Henricum Senonens. archiep.*

S. BONAV. 20. Mirum est quod non timent homines, quod quod post buccellam, quam de injusto acquirunt lucro, intret in eos Satanas. Serm. 1, *Dom.* 3, *Quadrag.*

S. CYPRIAN. 21. Usque ad mortem Domini amor lucri se ingerit : nec vitæ Salvatoris quæstus desiderium parcit. *De jejun. et tent. Christi*, cap. 6.

GILLEBERT. ANGLUS. 22. Suspecta sunt lucra, quorum incertus est proventus, vicinum propriæ periculum salutis, certum internæ suavitatis damnum. Serm. 27, super *Cant.*, apud. S. Bernard.

S. GREGOR. MAGNUS. 23. Quasi esca in laqueo est, lucrum cum culpa: et dum a concupiscente lucrum appetitur, quasi pedem mentis apprehendit decipula, quæ non videtur. Lib. 14, *Moral.*, cap. 7.

24. Qui semper ad lucra inhiat, semper damna formidat. *Ibid.*, lib. 10, cap. 12, super illud, *Job* II ; *Requiesces, et non erit.*

25. Mundi lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra deberent. Part. 1, *Pastor.*, cap. 8.

26. Damna parva quandoque causa magni lucri fiunt. Lib, 3, *Dialogi*, cap. 14, verbo *Magna.*

27. Boni sunt, qui sic lucra aliorum expetunt, ut sui nulla damna patiantur. Lib. 4, in 1 *Reg.*, cap. 4. super illud : *Et erat ei filius*, etc.

28. Solerter intuendum est, quod cuncta lucra hic relinquuntur, et solæ dispendiosorum lucrorum causæ post mortem ad judicium deportantur. Lib. 1, in *Registr.*, indict. 9, cap. 2, epist. 2, *ad Justin. Prætorem Siciliæ.*

29. Providum salubreque est aliquid compendii procurare, unde nulla spes lucri, sed damni magis formido est. *Ibid.*, lib. 11, indict. 6. cap. 58, epist. 58, *ad Joan. episc. Panormitan.*

S. HIERON. 30. Ne lucra sæculi in Christi militia quæras. Epist. 2, *ad Nepotian.*

31. Ubicunque compendium est, velocior spes, citus sermo, auris attentior : si damnum (ut sæpe accidere solet) fuerit nuntiatum, vultus mœrore deprimitur. Epist. 18, *ad Marcellam.*

32. Quidquid in sumptus de tuo tuleris, pro lucro computa. Epist. 1. *ad Paulin.*

33. Optandum est etiam quamvis sit amarum, quod lucrum parit, et cum lætitia majore sumendum, quidquid ampliorem generat mercedem. Epist. 5, *ad Virginem in exilium missam.*

34. Pericula maris, spes lucri delectat. Super *Marc.*, cap. I, can. 6, num. 9, super illud : *Pœnitemini.*

HUGO A S. VICTORE. 35. Ibi promittitur lucrum, ubi sæpe datur sepulcrum. Lib. 1. *de Claustro anim.*, cap. 5.

HUGO CARD. 36. Nihil iniquius est quam commodum temporale lucro animarum præferre, cum Christus pro lucro animarum seipsum dederit. Super *Prov.*, cap. 13.

37. Turpe lucrum est ditari de peccatis distillantis, vel per bursam vindicantis, vel per silentium veritatis. Super I *Cor.*, cap. IX.

38. Turpe lucrum est, emere et pluris vendere, turpe est enim huic professioni quæstibus studere. Super I *Tim.* III.

39. Justum est, ut qui est particeps in negotiatione, particeps sit in lucro. Super *Apocal.*, cap. 1.

IDIOTA. 40. Qui injuste lucrum quærit, animæ detrimentum reperit : et sic deperit, quidquid agitur. Lib. 1, *Contemplat. de amore Dei*, cap. 33.



S. IGNATIUS MART. 41. Ubi laboris plus est, ibi et plus emolumenti. Epist. 11. *ad Polycarp. episc. Smyrn.*

S. JOANNES CHRYSOST. 42. Ubi spirituale affulserit lucrum, tempestiva violentia atque coactio laudabilis est. Homil. 43, super *Gen.*

43. Multi lucra magna lucrifaciunt, ut habeant quod dent pauperibus : injusta lucra et hæc cogitatio molesta. Homil 37. Super *Acta Apost.*

44. Licet pauca injuste lucratus sis, ex his tamen universam substantiam tuam corrumpis : idcirco pauca male parta, multa bene comparata perdunt. Homil 15, super I. Cor.

45. Qui lucrum animæ magnum esse existimat, damnum rei modicum putat : nam qui damnum rei magnum existimat, lucrum animæ minimum putat. Homil. 12, super *Matth. Oper. imperf.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 46. Sciant sæculi lucra sectantes, quantum sint vana vel adversa quæ diligunt : quæ etiam nec in hoc sæculo sine contritione gravi conquirunt, et pro quibus in futuro supplicio pœnas dabunt. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 59, sent. 3.

47. Lucrum tentatio est mundi, tantoque majora supplicia in futurum dabunt, quanto et ipsa lucra majora sunt. *Ibid.*, cap. 60, sent. 2.

LACT. FIRM. 48. Stultus est, qui alteri fecerit lucrum, sibi damnum. In *Epitome*, cap. *Nam.*

49. A quibus abest studium lucri, abest etiam voluntas peccandi et causa fallendi. Lib. 1, *de divin. inst.*, cap. 4.

50. Lucra nunquam sapiens studet, quia bona hæc terrena contemnit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 18.

S. LEO I. 51. Cupiditas injusti lucri, non injusti causa est damni. Serm. 6, *de Jejunii decimi mensis.*

52. Anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit. Serm. 9, *de Passione.*

S. PETRUS DAMIANUS. 53. Absit, ut quod alieni juris est, in tua lucra proficiat. Lib. 4, epist. 1, *ad Albert. episc.*

S. VALER. EPISCOPUS. 54. Stultitiæ genus est, aliis fecisse lucrum, et sibi parasse supplicium. Homil. 20, *de Avarit.*

55. Si non requiras lucrum, nullum patieris in tempestate naufragium. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 56. Indigentiæ auxilium, lucrum est. Lib, 8, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 14.

57. Lucri cupidus undequaque quæstum aucupatur. Lib. 2, *Ethic. ad Eudomium.*

SIXTUS PUB. 58. Damnum appellandum est, cum mala fama lucrum. In suis *Sent.*, sent. 99.

59. Lucrum sine damno alterius, fieri non potest. *Ibid.*, sent. 215.

60. Lucrum turpe, res pessima. In *Dictis Sapient.*, ex *Græcis*, dict. 5.

61. Lucrum non est appositum sceleri, sed immixtum. Epist. 87. SENECA.

## LUCTUS.

Luctus est tristis animi habitus, et affectus, qui existit propter privationem rei alicujus, quæ placet. Orat. 3, *de Beatitud.* S. GREGOR. NYSS.

Luctus est ægritudo animi ex ejus, qui charus fuerit, interitu acerbo. Lib. 4, *Tusc. quæst.* CICERO.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Si non luges, propter hoc luge : si vero luges propter hoc magis luge. *De adhærendo Deo*, cap. 15. S. ALBERT. MAGNUS.

2. Qui luget, humiliatur. Lib. 3, super *Luc.*, cap. VI, in illud : *Beati qui nunc fletis*, etc. S. AMBROS.

3. Luctus est, si quis amicorum moriatur, et tenebræ dolorum : et versa dulcedine in amaritudinem cor madidum, et ex amissa vita morientium, mors viventium. Lib. 4, *Confess.*, cap. 9. S. AUGUST.

4. Consideremus quantum nobis in hoc exilio lugendum sit. *De spiritu et anima*, cap. 49.

5. Quanto magis homo sua mala intelligit, tanto amplius suspirat et gemit. *Ibid.*

6. Parvulis est ludere, perfectis autem viris lugere. *De salutar. docum.*, cap. 43.

7. Præsens luctus lætitiam generat sempiternam. *Ibid.*

8. Sunt ne, Christiane, in te viscera pietatis, qui plangis corpus, a quo recessit anima; et non plangis animam, a qua recessit Deus? Apud div. Antonin., part. 4, tit. 7, cap. 6, § 3.

9. Luctus in humano corde, quasi vulnus aut ulcus, cui sanando adhibentur officiosæ consolationes. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 8.

10. Luctus humano pensetur affectu, non usu. Serm. 26, super *Cant.* S. BERNARD.

11. Videmus mortuos quotidie plangere mortuos suos, fletum multum et fructum nullum : non culpamus affectum, nisi cum excedit modum, sed causam. Ille nimirum naturæ est, et ejus turbatio pœna peccati : hoc vero vanitas est, et peccatum. *Ibid.*

12. Qui non vetera plangit, nec plangit admissa peccata, nec plangit tempus amissum, Deo minime placet. *Prosec.*

13. Si non plangis, plane non sentis animæ vulnera, et conscientiæ læsionem. Serm. 2, *de Septuag.*

14. Mens casta plus gaudet in luctu, quam in risu. Serm. 65, *ad Sororem.*

15. Pro fidelibus defunctis non debemus plorare, sed Deo gratias agere : quia eos de miseria hujus seculi dignatus est liberare. *Ibid.*, serm. 70

16. Defunctos fideles lugere non debemus quos ad requiem migrasse non dubitamus. *Prosec.*

17. Illi homines sunt in morte plorandi, quos dæmones cum ignorantia rapiunt : non illi quos Angeli cum honore suscipiunt.

18. Illi sunt lugendi, quos dæmones pertrahunt ad pœnas inferni : non autem illi, quos Angeli perducunt ad gaudia paradisi.

19. Illi sunt plorandi, qui post mortem a dæmonibus sepeliuntur in inferno : non illi, qui ab Angelis collocantur in cœlo.

20. Illi sunt plorandi, qui male moriuntur : non illi, qui bene finiuntur.

21. Illi sunt flendi, qui mala morte præoccupantur : et non illi, qui pretiosa morte honorantur. *Ibid.*

22. Quando mortuos, qui bene moriuntur, lugeo, mihi noceo, et illis non proficio : quando mortuos ploro, et illis non prodest, et mihi obest. *Ibid.*

S. BONAV. 23. Quanto aliquis plus luget, tanto videt amplius esse lugendum. Super *Lament. Hierem.*, cap. 1.

24. Viri Sancti in tribulatione, vel contritione vehementi non solent parcere oculis, aut pectori. *Ibid.*, cap. 2.

25. Culpabiliter se durum ostendit, qui damna temporalium, vel mortem amici deflet, et non dolorem peccati. Serm. 1, *Dom. 9, post Pent.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 26. Carnem quam non possumus suscitare plangimus, et mortuam animam non plangimus. *Prosec.*

27. Corpus mortuum plangimus, quod amamus : animam vero mortuam, quam non amamus, nec dolemus, nec plangimus. Homil. 8.

CASSIODOR. 28. Ille quærendus est gemitus Christianis, qui cordis compunctione peragitur, cum et malorum nostrorum reminiscimur, et futuræ pœnæ consideratione terremur. Super *Psalm.* VI, vers. 6 : *Laboravi in gemitu meo.*

GLOSS. ORD. 29. Cavendum est ne tempore luctus increpatio fiat, quia etsi quidam debent increpari, non tamen in luctu : ne qui lenire debet, dolorem augeat. Super *Job*, cap. 16.

30. Plangendum est nunc, ut in futuro saltemus. Super *Ecclesiasten*, cap. 3, in illud : *Tempus plangendi.*

GLOSS. INT. 31. Ex ipso luctu pœnitentium oriuntur virtutes Sanctorum : ut tanto magis in bono proficiant, quanto se nequius egisse meminerint. Super *Ezech.*, cap. 3.

GRATIANUS. 32. Lugere et tristari tam pro nostra, quam pro aliorum morte non oportet. In *Decret.* part. 2, causa 13, quæst. 2, can. *Quia*, § *Lugere.*

S. GREGOR. MAGNUS. 33. Quisque perpendere sollicite sciat, ne luctus tempore verba increpationis inferat. Lib. 13, *Moral.*, cap. 2.

34. Qui nescit lugere quod gravat, non valet proferre quod sublevat. *Ibid.*, lib. 31, cap. 38, num. 33.

35. Luctu suo anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo sublevatur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 7, super illud : *Psalm.* XXXXI, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes*, etc.

36. Perditi nimis lugendi non sunt. Lib. 6, in 1 *Regum*, cap. 3.

37. Grave nimis est, de alieno velle facere luctu compendium. Lib. 7, in *registro*, indict. 2, cap. 55, epist. 55, *ad Januarium episcop. Sardiniæ.*

38. Continuo luctu, dolor maculas carnis diluit. In *Septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* I, vers. 6.

39. Quiesce dolere, desine tristis esse : nam indecens est, de illis tædio afflictionis addici, quos credendum est ad veram vitam moriendo pervenisse. Lib. 7, in *registro*, indict. 2, cap. 111, epist. 111, *ad Aregium episcop.*

40. Judæorum luctus, Christianorum gaudium est. Epist. 3, *ad Heliodor.* S. HIERON.

41. Lugeas mortuum, sed quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cujus pœnam æternus ignis æstuat : cibum tibi denegas, non jejuniorum studio, sed doloris. Epist. 25, *ad Paulam.*

42. Non licet luctu commoveri animum christianum, ne contra Christi imperia reluctetur : non te deseriit, sed præcessit. Epist. 52, *ad Tyrasium.*

43. Vir sapiens quando filium suum bonæ indolis amittit, non doleat, quod talem perdiderit; sed gaudeat, quod talem habuerit. Et habetur apud Bedam, tom. 7, in suis *Scintillis*, cap. 56.

44. Heu! quam multi lugent damna corporalia qui lugere contemnunt damna spiritualia. *Prosec.* HUGO A S. VICTORE.

45. O vita mortua ! de istis quæ non sunt lugenda, vel parum lugenda, homines graviter lugent; et graviter lugenda non lugent, etiam de ipsis rident.

46. Lugeat corruptus amissionem virginalis integritatis.

47. Lugeat malitiosus amissionem pietatis.

48. Lugeat superbus amissionem humilitatis.

49. Lugeat iracundus amissionem internæ tranquillitatis.

50. Lugeat avarus amissionem largitatis.

51. Lugeat ebriosus amissionem sobrietatis.

52. Lugeat acediosus amissionem spiritualis exercitationis.

53. Lugeat invidus amissionem charitatis. *De Allegor. super Matth.* lib. 2, cap. 1.



54. Qui nescit lugere quod gravat, non valet proferre quod sublevat. Serm. 53, *de Divers.*

HUGO CARD. 55. Beati, qui propria peccata lugent, quia accepta remissione consolantur : sed beatiores, qui et aliena deflent. Super I *Esdræ*, cap. 10.

S. INNOC. III 56. Melius est lugere humiliter mala sua, vel aliena, quam temere gaudere de bonis propriis. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

57. Sciat se culpabiliter durum, et dure culpabilem, qui corporalem amici sui mortem deplorat, et spiritualem animæ suæ mortem non deflet. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 24.

S. JOANNES CHRYSOST. 58. Animi vitia, corporis mœrore sunt demonstranda : si vexatus est animus, lugeat corpus; quoniam quoties corpus in causa est, animus mœstitiæ condolescit. Homil. 2, *de lapsu primi hominis.*

59. Circa defunctos ne temere lugeamus : sed quid? lugeamus peccatores, non tantum defunctos, verum et viventes. *Prosec.*

60. De justis autem non lugeamus, sed gaudeamus, non modo superstitibus, verum et mortuis. Nam illi quidem et viventes mortui sunt : hi vero mortui quoque vivunt.

61. Ne mortuos itaque temere defleamus, sed in peccatis mortuos : hi namque luctu sunt digni, hic planctibus et lacrymis.

62. Quomodo non sunt lacrymis digni? ita migrantes lugeamus, non prohibeo. Lugeamus, sed non indecenter, non comas vellentes, non detegentes brachia, oculos non dissipantes, non pullis utentes vestibus : sed tantum in animo silenter amaras fundentes lacrymas. Homil. 69, *ad Popul. Antioch.*

63. Non ita cor continens efficit, sicut secundum Deum luctus. *Ibid.*, homil. 79.

64. Lugendum est et flendum et per totam vitam plangendum : ut sic occupata in luctu et lacrymis anima erubescat aliquando peccare. Lib. 1, *de Compunct. cordis.*

65. Quod charum est, in luctu contrariam formam accipit. Homil. 3, *de Patient. Job.*

66. Plangendum est in hac vita caduca, ruinis plena, casibus obvoluta. Homil. *de Jephte.*

67. Peccata nemo luget, nemo animæ suæ curat perditionem : quod lugere non debemus, id lugemus. *Prosec.*

68. De morte hominis esse lugendum, non ego prohibeo : minime lugere, sed imprudenter lugere veto : luge, sed prudenter. Homil. 61 super *Joan.*

69. Mœrere, naturæ est : ultra modum hoc facere, amentiæ est, delirationis est, effeminati animi est. *Prosec.*

70. Luge, lacryma; sed ne indigneris, ne moleste feras, gratias age Deo accipienti, ut exornes abeuntem e vita hominem, et honesta illi hæc tribuito parentalia. Homil. 2 in *dictum Apost. De dormientibus nolo vos*, etc.

71. Si corpus jaceat mortuum, omnes rogas ut congregentur : et sine compassione requiris qui forte non luxerint : anima vero periit, et dicis, Non lugeas. Homil 23, super *Epist. ad Hebr.*

72. Lugere et deplorare, et lamentari eos, qui de hac vita discedunt, ex pusillanimitate contingit. *Ibid.*, homil. 26.

JOAN. TRITH. 73. Semper justus in hac vita habet unde lugeat, qui duram in carne servitutem portat : si non habet propria peccata, lugeat aliena. Lib. 3, *de Vir. illustr. ordinis. S. Benedict.*, cap. 339.

S. ISIDORUS HISPALENS 74. Etsi pietas pro defunctis fidelibus flere jubeat, fides tamen pro eis lugere vetat. *Prosec.*

75. Illi enim deplorandi sunt in morte, quos miseros infernus ex hac vita recepit, non quos cœlestis aula Christi lætificandos claudit. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 62, sent. 13.

S. NILUS. 76. Propter mortuum ne lugeas, communis enim via est, beatus vero qui præcessit. *Parænes.* 191.

PETR. BLES. 77. Humanum quidem est, flere; sed continuare fletus, penitus inhumanum. Epist. 175, *ad quemdam.*

TERTULL. 78. Profectio est, quam putas mortem ; non est lugendus, qui antecedit, sed plane desiderandus. Cur enim immoderate fers abiisse, quem mox subsequeris? *De patient.*, cap. 9.

IN VIT. PATR. 79. Qui vult liberari a peccatis, planctu liberatur ab eis : et qui vult in se ædificare virtutes, planctu ædificet. Plangite igitur, altera enim via non est ad vitam, nisi ipsa. In *Sentent.* in fine positis, sent. 33.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 80. Et in luctu, et in fletu inest quædam voluptas : mœror enim in eo est, quod non adest : voluptas autem, quod recordentur amici, illum quodammodo vident. Lib. 1, *Rhetor.*, cap. 11.

PLATO. 81. Omnes illos clarorum virorum mortuorum ploratus, mulieribus relinquamus, et ignavis hominibus, qui sunt etiam mulieribus deteriores. Lib. 3, *de Republ.*

SENECA. 82. In tuis malis id agere te oportet, ut dolori tantum des, quantum poscit ratio, non quantum consuetudo. *De Tranquillit. animi*, cap. 15.

83. Quid fratris mei defuncti desiderio maceror? qui aut beatus, aut nullus est beatum deflere, invidia est : nullum dementia. *De consolat. ad Polybium*, cap. 27.

84. Nulla domus in toto orbe terrarum, aut est, aut fuit, sine aliqua comploratione. *Ibid.*, cap. 33.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

85. Turpissimum est in homine prudente remedium mœroris, lassitudo mœrendi. *Prosec.*

86. Annum fœminis ad lugendum constituere majores, non ut tam diu lugerent, sed ne diutius : viris vero nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum. Ep. 63.

87. Nulla res citius in odium venit, quam dolor, qui recens consolatorem invenit : inveteratus vero deridetur, aut enim simulatus, aut stultus est. *Ibid.*

88. Non affligitur sapiens liberorum amissione, non amicorum : eodem enim animo fert illorum mortem, quo suam expectat : non magis illam dolet, quam hanc timet. Ep. 74.

89. Quem putas perisse, præmissus est : quid autem dementius quam (cum idem tibi iter emetiendum sit) lugere eum, qui antecessit? Ep. 99.

Vide etiam tit. *Dolor*, sent. 15, 87 ; *Mors in genere*, sent. 241 ; *Psalmus*, sent. 103, 104 ; *Resurrectio a peccato*, sent. 26, 27 ; *Viduitas*, sent. 8.

## LUDUS.

ARISTOTEL. *Definitio.* Ludus est remissio animorum, atque requies. Lib. 7, *de Moribus*, cap. 7.

S. ANTONIN. *Productio.* Quot in taxillis sunt puncta, tot scelera ex ludo procedunt, unum gravius altero : et ideo non mirum si lusores vituperantur a Deo et a toto mundo. *Prosec.*

Nam primum peccatum, quasi primum punctum, sine quo nunquam reperitur ludus, est amissio temporis, et non solum amittunt ipsi ludentes tempus, sed et alios amittere faciunt, qui talia scilicet respiciunt.

Secundum vitium procedens ex ludo, est blasphemia : nam in nullo exercitio ita frequenter blasphematur Deus, et tota curia cœlestis, sicut in ludo taxillorum.

Tertium est contumelia, nam contumelias sibi invicem ludentes dicunt.

Quartum est dissipatio substantiæ temporalis, unde multi magnas divitias per ludum cito consumunt, et ad magnam miseriam deveniunt.

Quintum est Ecclesiæ contemptus, seu inobedientia : nam Ecclesia prohibet ludum alearum, non solum clericis, sed etiam laicis.

Sextum est furtum : nam qui sunt dediti ludo, cum non habent ad ludendum, furantur.

Septimum est gula criminalis : qui enim vincunt, sicut male acquisierunt pecuniam, ita expendunt, sive in tabernis, sive in conviviis.

Octavum est homicidium : nam lusores aliquando de verbis veniunt ad verbera, de verberibus ad vulnera, de vulneribus ad homicidia.

Nonum est invidentia fraternalis : nam qui perdit, cum videt bursam suam vacuam, et ejus qui sibi vicit, plenam, et aliorum etiam ludentium, invidet et dolet, quod non habeat ut ludere possit.

Decimum est caristia rerum, quæ sequitur in domo sua : nam modo deficit panis, modo vinum, modo lectus, modo vestimentum uxoris, quæ pignorat, ut ludat.

Undecimum est laudatio mala : nam qui vicit, laudat se de malo, et aliquando de eo quod decipit socium : laudatur etiam a mundanis quasi strenuus lusor, et hæc laus est diabolica.

Duodecimum est mendacium : quot mendacia dicuntur ibi a ludentibus, et ab aspicientibus? et omnes qui dicunt mendacium, filii sunt diaboli.

Tertium decimum est neglectus : nam lusores propter hoc ut habeant magis temporis ad ludendum, negligunt divina, et missas, et vesperas, et orationes, et prædicationes : nisi forte orent, ut Deus faciat eos vincere, sed nescit divina justitia patrocinium dare facinori, seu criminibus.

Quartum decimum est odium : nam odium eos, qui eos vincunt, aliquando odiunt seipsos, se verberantes, odiunt, quod pejus est, et Deum, qui non facit eos vincere.

Quintum decimum est participatio sceleris : namqui dant eis pecunias ad ludendum, vel mutuant, utique mortaliter peccant.

Sextum decimum est quæstio litigiosa, seu contentiosa, et ex his insurgunt contumeliæ, et verba inordinata.

Decimum septimum est rapina : aliquando enim quasi violenter trahit unus alium ad ludum, vel volentem recedere invitum tenet : vel falsos taxillos submittit, et tunc est tanquam rapina, et restituere tenetur.

Decimum octavum est scandalum : cum enim quis videt alium ludentem, ubi nihil cogitabat de ludo, inclinatur ad simile, et sic scandalizat alios suo exemplo ludendo.

Decimum nonum est tristitia, quæ in eo in tanta est, qui perdit, quod nil boni libet ei agere, quin imo aliqui intrant in desperationem, et seipsos occidunt.

Vigesimum est usura maxima : si enim quis pro centum quæ exponit mutuo, recipiendo decem, vel quinque dicitur usurarius. Quid dicendum est de eo, qui ponit se ad ludum cum decem florenis, et in eadem die lucrabitur per ludum centum florenos? certe videtur maxima usura.

Vigesimum primum est christianitatis vituperatio, quia vituperatur servitium, quo servimus Christo, et per ludum servitur diabolo. Part. 2, tit. 1, *de Vitiis*, cap. 23 § 6.

S. CYPRIAN. Ludorum omnium mater idololatria est. *De spectaculis*, cap. 4.

PETR. BLES. Alea perjurii, furti, sacrilegii mater est. Ep. 74, *ad quemdam Archidiac.*

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Cum alea, taxillis luditur, ab hac fraus, et mendacium, et perjurium nunquam abest; postremo et damna rerum. Part. 1, tit. 1, cap. 3, § 3.

2. Potest dici ludus aleæ omnis ludus, qui innititur fortunæ, etiamsi fiat, ibi aliquid de industria : sicut ludus taxillorum, chartarum, et alia hujusmodi. Part. 2, tit. 1, cap. 23, § 6.

3. Non debet dici Christianus, qui deditus est ludo, cum vituperet nomen Christi. Part. 2, tit. 1, cap. 23.

S. AUGUST. 4. Facilis est ad lusum pueritia. *De* LXXXIII *quæst.*, quæst. 61.

5. In ludo fraudulentas victorias, ipse vanæ excellentiæ cupiditate victus, sæpe aucupabar. Lib. 1, *Confess.*, cap. 19.

6. O nimis inimica amicitia, seductio mentis, investigabilis ex ludo nocendi aviditas, et alieni damni appetitus. *Ibid.*, lib. 2, cap. 9.

7. Nullomodo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant ; sicut ludo aliquo sese oblectantium : quam pudendum et dolendum est, si delectat labor ut pila jaciatur, et non delectat ut Deus acquiratur. *De bono viduit.*, cap. 21.

8. Cohibeat se a ludis sæculi, qui perfectam vult consequi gratiam. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 15.

9. Parvulis est ludere, perfectis autem viris lugere. *De salutar. docum.*, cap. 43.

S. BASILIUS SELEUC. 10. A ludis diabolicis mentem avertamus, ne diaboli simus hæredes. Orat. 27.

S. BERNARD. 11. Ludam ut vilior fiam, ludam ut illudar : ludamus ergo, ut illudamur. *Prosec.*

12. Bonus ludus, quo Michol irascitur, et Deus delectatur : bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Ep. 87, *ad Ogerium canonicum regular.*

13. Ludis cum illusore, nescis quia Ismael est, qui tecum ludit? ludus iste non est pueritiæ, nec simplicitatis, vel innocentiæ, sed illusio est animæ, sed persecutio, sed mors. Lib. *Medit.*, cap. 17.

S. BONAV. 14. Ludus remissam facit animam. Lib. 3, *Pharetræ*, cap. 45.

CLEMENS ALEX. 15. Prohibendus est tesserarum ludus, et ex talium ludo lucri studium. Lib. 3, *Pædag.*, cap. 11.

16. Qui ludo vacant, non possunt taliter recreare animum absque damno. *Ibid.*

17. Quicunque clericus in ludis mortuus fuerit, neque in oblatione, neque in oratione pro eo postuletur. Et habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 8, can. *Quicunque.* CONCILIUM TRIBURIENS

18. Alea laqueus est diaboli manifestus, et venenum portans lethale serpentis. *De aleatorib.*, cap. 2. S. CYPRIAN.

19. Alea diaboli est venabulum, et delicti vulnus insanabile. *Ibid.*

20. Aleatoribus diabolus præsto est, ad capiendum submissus, et cum ceperit de captivo triumphum, perfidia et falsa testimonia sequuntur. *Ibid.*

21. In aleæ ludo mentis est furia, et venale perjurium, imperium et colloquium serpentinum. *Prosec.*

22. Illic rabiosa amicitia, illic atrocissimi sceleris fraternitas discordans, illic convicia et audacia sæva, et mens insana, et fera impatientia. *Ibid.*

23. Ubi possessionum amissio, et pecuniarum ingentium perditio, monstrum et demonstrans litigiosum, furax dementia. *Ibid.*

24. O aleatorum noxia, sedentaria et pigra nequitia! o manus crudeles, et ad periculum sui armatæ! quæ bona paterna, et opes avorum sudore quæsitas ignominioso ludo dilapidant. *Ibid.*

25. Alea est, quam lex odit : alea est, quam sequitur crimen ignobile, ubi manifesta tentatio est, et pœna occulta. *Prosec.*

26. Alea est alveus mali, et supplantatio amici, quæ nec lucrum confert, sed totum consumit. *Ibid.*

27. Alea qui ludit, prius auctori ejus diabolo sacrificare debet, quod Christianis non licet. *Ibid.*, cap. 3.

28. Christianus quicunque es, et alea ludis; non Christianum, sed Ethnicum tibi nomen est. *Ibid.*

29. Aleator quicunque es, Christianum te dicis, quod non es, quia sæculo particeps es : nec amicus Christi potes esse, qui cum inimico Christi tenes amicitiam. *Ibid.*

30. O ars infesta! quæ non divitias, sed mulitatem et inopiam præstat : manus carnifex, manus noxia, quæ nec post lucra desinit; sed adhuc post damna ludit. *Ibid.*, cap. 5.

31. Christianus qui alea ludit, ad sacrificium zabuli immolantibus pœnis auctoris, manus polluit. *Idid.*

32. Quisquis aleator es, tuus et hæreditatis tuæ inimicus es. *Ibid.*, cap. 5.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

33. Alea ne luseris, ubi lusus nocivus est, et crimen mortale : ubi dementia sine consideratione, ubi nulla veritas, sed mendaciorum mandra. *Ibid.*, .

S. CYRILLUS HIEROSOL. 34. Nepos quidam meus, Ruffus nomine, in decimo octavo suæ ætatis anno expiravit : oranti mihi die quodam, hora nona apparuit dicens se damnatum ; pro nulla, inquit, me scias causa fore damnatum, nisi quia in ludis maxime delectabar. *Prosec.*

35. Ecce quantum turpissimum ludi scelus divinæ abhorrent Majestatis oculi. Epist. ad Aug. *de Miraculis div. Hieron.*, quæ est penultima.

S. EPHRÆM. 36. In rebus ludicris non est tempus a Christianis consumendum. *De Ludicris.*

S. HIERON. 37. Ita anima christiana ludat, ut et ludus ipse eruditio sit. Epist. 7, *ad Lætam.*

S. JOANNES CHRYSOST. 38. Belli tempus est, et ludis. Serm. 17, super *Epist. ad Ephes.*

39. Aleas tractare perniciosum est, et infinita vitæ mala solet inferre. Homil. 15, *ad popul. Antioch.*

40. Circa aleas studium, blasphemias, jacturas, iras, convicia, infinitaque alia his graviora sæpe producit. *Ibid.*

41. Non Deus dat ludere, sed diabolus. Homil. 5, super *Matth.*, *Oper. perf.*

JOANNES SARESB. 42. Nonne tibi videtur aleator ineptus, qui tesserarum non tam vivit, quam perit ex gratia, et omnem jactum sortis suæ præsulem facit. *Prosec.*

43. Est ne ars accommoda rationi, cujus quanto quisque studentior, tanto erit studiosior ? Lib. 1, *de Nugis curial.*, cap. 5.

44. Nonne satis improbata est cujusque artis exercitatio, qua quanto quisque doctior, tanto nequior ? Aleator quidem omnis hic est. *Prosec.*

45. Mendaciorum siquidem et perjuriorum mater est alea, et aliena concupiscentia sua prodigit, et nullam habens patrimonii reverentiam, cum illud effuderit, sensim in furta dilabitur et rapinas. *Ibid.*

46. Aleam a regione morum illius auctoritas prorsus exterminat, qui universum orbem docens in filio, eam denuntiat omnibus fugiendam. *Prosec.*

47. Ab ea siquidem armantur ad lites homines, incurrunt inimicitias, in miseram etsi non miserabilem incidunt egestatem. *Ibid.*

S. ISIDORUS ISPALENS. 48. Ab hac arte aleæ fraus et mendacium, atque perjurium nunquam abest, postremo et odium et damna rerum. Lib. 18, *Etymolog.*, cap. 66.

SALVIANUS. 49. Dum in theatris et circis ludimus, deperimus. Lib. 6, *de Gubernat. Dei.*

50. Cum duo sint maxima mala. si homo aut seipsum perimat, aut Deum lædat, hoc utrumque in ludis publicis agitur. *Ibid.*

51. Nos et in metu captivitatis ludimus, et positi in mortis timore ridemus. *Ibid.*, lib. 7.

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 52. Ludi, qui remissionis animorum, et oblectationis causa sunt instituti, per se sunt expetendi. Lib. 10, *Moral.*, cap. 6.

CICERO. 53. Quos homines alea vincit, eos ferro statim vincit, eos ferro statim vinciit. Lib. 4, *de Arte Rhetor. ad Herenn.*

54. Non a natura ita generati sumus, ut ad ludum facti esse videamur, sed ad severitatem potius et ad quædam studia graviora atque majora. *Prosec.*

55. Ludo autem uti illo quidem licet, sed sicut somno et quietibus cæteris, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus.

56. Ipsum genus ludendi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet.

57. Sicut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestatis actionibus non sit aliena ; sic in ipso aliquod probi ingenii lumen eluceat.

58. Ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem dilabamur. Lib. 1, *de Offic.*

MIM. PUBL. 59. Aleator quanto in arte est melior, tanto est nequior. In suis *Sent.*, sent. 34.

## LUX.

HUGOCARD. *Etymologia.* Lux dicitur a luendo, quia luit, id est, purgat tenebras. Super *Genes.*, cap. 1.

S. BONAV. *Definitio.* Lux est qualitas activa corporis luminosi. Lib. 2, *Compendii theolog. verit.*, cap. 16.

ARISTOTEL. Lux est actus lucidi, secundum quod lucidum est. Lib. 2, *de Anima*, cap. 7, etc.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quælibet jacula justo nocere non possunt cui Deus lux est. *De Nabuthe*, cap. 14.

S. AUGUST. 2. Oculis ægris odiosa est lux, quæ puris amabilis est. Lib. 7, *Confess.*, cap. 16.

3. Lux visibilis excellit omnes sensus corporeos. *De Moribus Eccles.*, cap. 20.

4. Prævicatorem legis, lux deserit veritatis, qua desertus fit cæcus. *De Nat. et grat.*, cap. 20.

5. Sicut oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere : sic homo, etiam perfectissime justificatus,



nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. *Ibid.*, cap. 6.

6. Anima avertens se a luce justitiæ, quanto magis quærit quod inveniat contra justitiam, tanto plus a luce repellitur, et in tenebrosa demergitur. Super *Psalm.* LXIII, vers. 6 : *Scrutati sunt iniquitates*, etc.

7. Lux etsi per immundos transeat, non inquinatur. Tract. 5, super *Evang. Joan.*, de cap. 1.

8. Luce ista mali male utuntur, male vivendo enim etiam ipsam lucem quam vident, ad ministerium scelerum suorum usurpant. *Ibid.*, tract. 27.

9. O lux quam non videt alia lux, lumen quod non videt aliud lumen ; lux quæ obtenebrat omnem lucem, et lumen quod excæcat omne extraneum lumen. *Prosec.*

10. Lux a quo omnis lux, lumen a quo omne lumen : lumen ad quod omne lumen est tenebra . ad quod omnis lux, obscuritas.

11. Lux, cui omnes tenebræ, lumen : cui omnis obscuritas, lux.

12. Lux suprema, quam cæcitas non obnubilat quam caligo non hebetat, quam tenebræ non obscurant, quam nulla obstantia claudit, quam nunquam separat aliqua umbra.

13. Lux, quæ illuminas omnia tota simul, semel et semper absorbe me in claritatis abyssum, ut videam undique te in te, et me in te, et cuncta sub te. In *Soliloq. animæ*, cap. 13.

14. Lux beatissima nonnisi a purgatissimis oculis videri potest. *Ibid.*, cap. 34.

15. Multi sunt qui in luce ambulare se putant, et foris claros existere se existimant, cum intus tenebrosi persistant. Serm. 62, *ad Fratres in eremo.*

16. Lux divina, animæ tenebras fugat. Et hab. apud Grat. in *Decret.*, part. 2, *de pœnit.*, dist. 1, can. *Resuscitatus.*

17. Omnis qui odit malum, in luce agit : qui autem in luce agit, in Christo operatur, qui in Christo operatur, ejus filius probatur.

18. Ipsa regina cœlorum, lux ista perfundens cuncta quæ cernimus, si repente subtrahatur, cum desiderio requiritur ; et si diu absit, contristat animam. Lib. 10, *Conf.*, cap. 34.

19. Lux adest oculis, et videntis et cæci : sed videnti adest præsens, cæco vero absens. Epist. 3.

20. Propinquare luci merito perhibentur oculi, qui sanitatis accessu aciem recipiendo, lucem recipiunt. Epist. 57.

21. Lucis absentia tenebrarum nomen accepit. *De Genesi contra Manichæos*, lib. 1, cap. 4.

22. Oculi luce pascuntur, ita ut ipsam lucem, qua reficiuntur, videre non possint, et si diutius abfuerit, extinguuntur, et tanquam moritur in eis ipsa acies lucis. Tract. 13. super *Joan.*

23. Deus lux est longe præstantior, quam sol et luna. Tract. 1, super *Epist. Joan.*

24. Aliud est lux quod est Deus, aliud lux quod fecit Deus. Incomparabiliter autem melior lux ipse qui fecit, nullo modo indigens ea luce quam fecit. Lib. 1, *contra Advers. legis*, cap. 7.

25. Effusione lucis adjuvamur ad capienda spatia locorum. Lib. 6, *de Musica*, cap. 8.

26. Lucem intelligentiæ spiritalis, immunda corda non portant. Lib. 1, *de Adult. conjug.*, cap. 27.

S. BASILIUS MAGNUS. 27. Si cæco pœna est hanc non videre lucem, qualis pœna est peccatori vera luce privatum esse ? Homil. 6, in *Hexam.*

S. BERNARD. 28. Digna res est ponere in lumine lumen absconditum, ne sibi soli vivat, qui et alios ad vitam trahere possit. Epist. 155, *ad Innocent. Pap.*

S. BONAV. 29. Quis est hodie lux incorrupta, lux pura, lux immaculata ? Serm. 1, *de Joan. Bap.*

30. Lux nihil habet immunditiæ admixtum, imo in tantum est pulchra, ut non fiat immunda transiens etiam per immunda. Serm. *de Una virg.*

31. Lux est cœli purpura, maleficorum inimica, navigantium directio, oculus noctis, facies omnium rerum. Lib. 2, *Compend. theolog. verit.*, cap. 6.

32. Lux rectum habet incessum, et nullo modo incedit per curvum. *Ibid.*

33. Lux omnibus rebus decorem tribuit, et absque illa cuncta sunt ignota et abscondita. *Ibid.*

34. Lux sine sui diminutione, ubique se diffundit. *Ibid.*

35. In inferno est aliquid obscuri luminis, quo damnati, videre possint unde doleant, et non unde lætentur. *Ibid.*, lib. 7. cap. 22.

36. Oculis ægris odiosa est lux, sicut noctuis et vespertilionibus. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

CASSIODOR. 37. Præsentia lucis, noctis absentia est. Super *Psalm.* XXXXIV, vers. 9.

S. CYPRIAN. 38. Avelle radium solis a corpore ; divisionem lucis unitas non capit. *De Unit. Eccles.*

S. DIONYS. AREOPAG. 39. Tenebræ luce fugantur, eoque magis quo lux major est. Epist. 1, *ad Caium monach.*

S. EUSEBIUS EMISS. 40. Lux Christi non parietibus obstruitur, non elementis dividitur, non tenebris obscuratur. *Prosec.*

41. Lux Christi dies est sine nocte, dies sine fine : ubique splendet, ubique radiat, ubique non deficit.

42. Lumen Christi semper micat, radiat, corus-

cat, nec aliqua potest caligine comprehendi. Homil. 4, *de Pascha*.

FRANCISCUS TITELM. 43. Lux corporalis et solaris, imago quædam est et symbolum lucis spiritualis et divinæ. *Prosec.*

44. Lux ista est pretiosus quidam thesaurus, et singulare quoddam peculium maximi pretii, quo Deus suos donat, exornat, nobilitatque dilectos.

45. Per ejus lucis infusionem homines divinæ participes naturæ efficiens ; nunc quidem in luce imperfecta fidei et spiritalis gratiæ, post vero in luce perfecta claræ visionis et beatæ gloriæ. In *Elucid.*, super cap. XXXVI. *Job*.

GLOSS. ORD. 46. Qui lucem justitiæ non quærit, de tenebris non accedit. Super *Job*, cap. XV, in illud : *Non recedet de tenebris*.

47. Homo vicinior luci, sentit quid ante fuit : et quo est dignior, sibi videtur indignior, et longe esse quo propior. *Ibid.*, cap. XXXIX.

48. Sicut matutina lux solvit tenebras, ita lumen veritatis fugat errores. Super *Isaiam*, cap. 58, in illud ; *Quasi mane lumen tuum*.

49. Non novit lux tenebras, id est, non aspicit : quia si aspiceret, tenebræ non essent. Super *Matth.*, cap. VII, in illud ; *Nunquam novi vos*.

50. Qui vult habere societatem cum luce, pellat tenebras : quia tenebræ cum luce societatem habere non possunt. Super I *Joan.*, cap. 1.

GLOSS. INT. 51. Magnum est malum a luce veritatis deseri. Super *Psalm*, IX.

52. Eadem causa dicimur lux, qua Christus dictus est lux, ut simus exemplo ejus illuminantes alios. Super I *Joannis*, cap. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 53. Mors carnis electos luci suæ restituit, lucem suam reprobis tollit. Lib. 29, *Moral.*, cap. 6.

54. Lux superbientis est gloria vitæ præsentis. *Ibid.*

55. Lux visibilis si incaute diligitur, a luce invisibili cor cæcatur. *Ibid.*, lib. 22, cap. 2, num. 3.

56. Illi in sancta Ecclesia lucere per exempla aliis possunt, qui eruditione Scripturarum, et claritatem acceperunt luminis, et oleum perfectæ charitatis. Lib. 5, in *Regum*, cap. IV, super illud II, *Petr.* I : *Habetis propheticum sermonem*.

57. Ut intima luce fruamur, non est nostri conaminis, sed divinæ dignationis. *Ibid.*, lib. 1, cap. 1, *Moral.*, super illud : *Et ascendebat vir ille*.

58. Lucis cognitio per speculum, electorum desideria satiare non novit, sed excitare. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5, super illud *Exod.* XXXIII : *Loquebatur Moysi Dominus facie ad faciem*.

59. Divinæ lucis ostensio reprobos et fictos fugit, quæ se electis et mundis corde aperit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 4, super illud *Matth.* 5 : *Beati mundo corde*.

60. Lux æterna, quæ Deus est, quando immutabiliter fulget, tanto penetrabiliter videt : neque occulta nescit, quia cuncta penetrat : neque penetrata obliviscitur, quia incommutabilis durat. Lib. 25, *Moral.*, cap. 4.

61. Lux nostra, patria æterna est. *Ibid.*, lib. 16, cap. 25, num. 29.

62. Necesse est, ut si vere intendimus illuminata cernere, studeamus mentis oculos ad ipsum illuminans lumen aperire. *Ibid.*, lib. 23, cap. 1.

63. Lucem debet conspicere, qui vult de tenebris judicare : ut in illa videat, quid de tenebris æstimet, per quas videre præpeditur. *Ibid.*, lib. 24, cap. 6, num. 9.

64. Lux miseris datur, cum tolerare honoris onera compelluntur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 2, super illud *Job* 3 : *Data est misero lux*.

65. Æternæ lucis quanta sit claritas nesciunt, qui transitoriis occupationibus obcæcantur : et dum de terrenis rebus superbiunt, cœlestis sibi luminis aditum claudunt. *Ibid.*, lib. 57, cap. 7, num. 10.

S. GREGOR. NAZ. 66. Deus lux est, ac lux quidem summa, cujus tenuis quidem defluxus ac irradiatio, omne lumen exuperat infernum, etiamsi splendidissimum appareat. Orat. 20, *de Modestia*.

S. HIERON. 67. Clarius fit lumen, comparatione tenebrarum. Epist. 46, *ad Rustic.*

HUGO CARD. 68. Si vis videre lucem æternam ; primo stude ut sis in luce per cordis munditiam. Super *Gen.*, cap. 4.

69. Despecta luce hujus mundi (quæ est lux morientium) ad æternam lucem recurrant homines ; ibique vivant, ubi rerum lumen videant, ubi idem est lux et vita. Super *Job*, cap. 33.

70. Duplex lux est necessaria, maxime prælatis : lux scientiæ, lux gratiæ. Super *Psalm.* CXVII.

71. Lux justorum, est præsens tribulatio, atque tentatio : quia illa illuminante, vident quomodo sit ambulandum : hæc est enim collyrium, quo inuncti oculi clarius vident. Super *Prov.*, cap. 13.

S. JOANNES CHRYSOST. 72. Nemo captus luminibus, lucis jucunditatem cognoscere potest. Homil. 84, super *Matth. Oper. perf.*

73. Furi lux inimica est. Homil. 28, super II *Cor.*

74. Non lux illa bona est, quæ non fugat tenebras, sed densat. Homil. 13, super I, *Cor.*



75. Lux arguit ea, quæ in tenebris fiunt. Serm. 18, super *Epist. ad Ephes.* in illud : *Omnia quæ arguuntur, a luce*, etc.

S. JOAN. DAMASC. 76. Lux nunquam caligo erit, quandiu lux fuerit. Lib. 1, *Parall.*, cap. 19.

S. IRENÆUS. 77. Sequi lumen, participare est lumen : qui in lumine sunt, non ipsi lumen illuminant, sed illuminantur et illustrantur ab eo. Lib. 4, *advers. Hæres.*, cap. 28.

78. Hi qui fugiunt lumen, dignum fugæ suæ habent locum. *Ibid.*, cap. 76.

LACT. FIRM. 79. Multi lucem relinquunt, ut in tenebris cæci ac debiles jaceant. Lib. 1 *de Divin. instit.*, cap. 1.

80. Sicut lux esse sine igne non potest, sic vita sine luce. *Ibid.*, lib. 7, cap. 9.

81. Lumen mentis humanæ Deus est. *De Ira Dei*, cap. 1.

S. LAURENT. JUSTIN. 82. Lucem debet intueri, qui vult de tenebris judicare. *De Ligno vitæ*, tract. 12, *de Humilit.*, cap. 4.

S. LEO I. 83. Lux separetur a tenebris ; et fugiant filios diaboli, filii veritatis. Serm. 4, *Quadrag.*

84. Major est lux humilibus, quam superbis. Serm. 8, *de Jejun. septimi mensis*.

PETRUS BLESENS. 85. His, qui de tenebris progrediuntur ad lumen, lux imprimis molesta est, donec oculi lumini assuescant. Epist. 137, *ad Alexandr. de S. Albano*.

S. PETRUS CHRYSOL. 86. Lucem tenebræ fugiunt, tenebræ luce redeunt abscedente. Serm. 44.

PHILO JUD. 87. Brevis lux melior est, quam æternæ tenebræ. Lib. *Qui rerum divinar. hæres sit*.

RICH. A S. VICTORE. 88. Cum Dominus sit lux vera, more solis eo ipso quo respicit, illustrat, accendit et illuminat. Part. 1, lib. 1, *de Erudit. hom. inter.*, cap. 35.

S. THOMAS AQUINAS. 89. Lux major offuscat lucem minorem alterius corporis illuminantis : non tamen evacuat, sed perficit lucem corporis illuminati. Part. 3, quæst. 5, art. 4.

90. Lux in corporibus præmium tenet locum. Part. 1, quæst. 67, art. 2.

### SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 91. Lucis absentia omnia obfuscari, opacarique solent. Sect. 15, *Problem.*, quæst. 14.

Vide etiam. tit. *Damnatio*, sent. 31 ; *Differentiæ*, sent. 36 ; *Fervor*, sent. 7 ; *Liberum arbitr.*, sent. 122 ; *Monachus*, sent. 118 ; *Pauli encomia*, sent. 2 ; *Quærere*, sent. 156 ; *Sapientia*, sent. 81 ; *Visio Dei*, sent. 72.

## LUXURIA.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia*. Luxuria dicitur a luxu cibi et potus et vestitus, quorum affluentia caro viva et penetrans luxuriatur. Serm. *Dom.* 3, *post Epiphan.*

S. ANTONIN. *Definitio*. Luxuria est inordinatus appetitus venereorum. Part. 2, tit. 5, *de Luxuria*, cap. 1.

Luxuria est inordinata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, perniciosa potio, quæ corpus humanum debilitat, et virilis animi robur enervat. Part. 2, tit. 5, *de Luxuria*, cap. 1, § 2.

S. AUGUST. Luxuria est abutendi intemperantia. Lib. 3, *de Doctr. christ.*, cap. 18.

S. BONAV. Luxuria est libidinosæ voluptatis appetitus. Part. 1, *Centiloq.*, sect. 24.

HUGO A S. VICTORE. & JOAN. GERS. Luxuria est ex immundis descendens desideriis lubrica et effrænata mentis corporisve prostitutio. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 10, *Joan.* Gerson., part. 4, in *Descript. term.* verbo *Luxuria*.

S. THOMAS AQUINAS. Luxuria est vitium capitale, cujus propria materia est delectatio venerea, et secundaria cujuslibet rei sensibus jucundæ abundantia, 2. 2, quæst 153, in *Axiomate*.

S. AMBROS. *Productio*. Luxuria mater libidinis est. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Ecclesiam*.

S. ANTONIN. Decem sunt occasiones luxuriæ, his versibus contentæ.

> Otia segnities, somnus, caro, fœmina, vinum, prosperitas, ludus, carmina, forma, puer. Part. 2, tit. 5, *de Luxuria*, cap. 1, § 2.

S. CYRILLUS ALEX. Luxus in corporibus est radix veluti quædam, et parens rabidæ atque efferatæ voluptatis. Homil. 22, *de Festis Paschal.*

S. EDMUND. De luxuria nascuntur cæcitas cordis, instabilitas voluntatis impetuositas, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, error, et desperatio futuri. In speculo *Ecclesiæ*, cap. 8.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. De luxuria crescit illecebra, et pereuntem perditio plus delectat. Homil. 3, *de Epiphania*.

S. GREGOR. MAGNUS. De luxuria cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem, vel desperatio futuri, oriuntur. Lib. 31, *Moral.*, cap. 17, super illud *Job* XXXIX : *Exhortationem ducum*, etc.

S. HIERON. Luxuria mater libidinis est, ventremque distentum cibo et vini potionibus irrigatum, voluptas genitalium sequitur. Epist. 25, *ad Amandum*.

HUGO A S. VICTORE. Luxuriæ comites sunt, voluptas, lascivia, ignavia, petulantia, titubatio, blanditiæ, deliciæ. De fruct. carnis et spirit., cap. 10.

LACT. FIRM. Ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria vero vitia omnia nascuntur. *De Div. instit.*, lib. 2, *de Origine erroris*, cap. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cat, nec aliqua potest caligine comprehendi. Homil. 4, *de Pascha.*

FRANCISCUS TITELM. 43. Lux corporalis et solaris, imago quædam est et symbolum lucis spiritualis et divinæ. *Prosec.*

44. Lux ista est pretiosus quidam thesaurus, et singulare quoddam peculium maximi pretii, quo Deus suos donat, exornat, nobilitatque dilectos.

45. Per ejus lucis infusionem homines divinæ participes naturæ efficiens ; nunc quidem in luce imperfecta fidei et spiritalis gratiæ, post vero in luce perfecta claræ visionis et beatæ gloriæ. In *Elucid.*, super cap. XXXVI. *Job.*

GLOSS. ORD. 46. Qui lucem justitiæ non quærit, de tenebris non accedit. Super *Job*, cap. XV, in illud : *Non recedet de tenebris.*

47. Homo vicinior luci, sentit quid ante fuit : et quo est dignior, sibi videtur indignior, et longe esse quo propior. *Ibid.*, cap. XXXIX.

48. Sicut matutina lux solvit tenebras, ita lumen veritatis fugat errores. Super *Isaiam*, cap. 58, in illud ; *Quasi mane lumen tuum.*

49. Non novit lux tenebras, id est, non aspicit : quia si aspiceret, tenebræ non essent. Super *Matth.*, cap. VII, in illud ; *Nunquam novi vos*,

50. Qui vult habere societatem cum luce, pellat tenebras : quia tenebræ cum luce societatem habere non possunt. Super I *Joan.*, cap. 1.

GLOSS. INT. 51. Magnum est malum a luce veritatis deseri. Super *Psalm*, IX.

52. Eadem causa dicimur lux, qua Christus dictus est lux, ut simus exemplo ejus illuminantes alios. Super I *Joannis*, cap. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 53. Mors carnis electos luci suæ restituit, lucem suam reprobis tollit. Lib. 29, *Moral.*, cap. 6.

54. Lux superbientis est gloria vitæ præsentis. *Ibid.*

55. Lux visibilis si incaute diligitur, a luce invisibili cor cæcatur. *Ibid.*, lib. 22, cap. 2, num. 3.

56. Illi in sancta Ecclesia lucere per exempla aliis possunt, qui eruditione Scripturarum, et claritatem acceperunt luminis, et oleum perfectæ charitatis. Lib. 5, in *Regum*, cap. IV, super illud II, *Petr.* I : *Habetis propheticum sermonem.*

57. Ut intima luce fruamur, non est nostri conaminis, sed divinæ dignationis. *Ibid.*, lib. 1, cap. 1, *Moral.*, super illud : *Et ascendebat vir ille.*

58. Lucis cognitio per speculum, electorum desideria satiare non novit, sed excitare. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5, super illud *Exod.* XXXIII : *Loquebatur Moysi Dominus facie ad faciem.*

59. Divinæ lucis ostensio reprobos et fictos fugit, quæ se electis et mundis corde aperit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 4, super illud *Matth.* 5 : *Beati mundo corde.*

60. Lux æterna, quæ Deus est, quando immutabiliter fulget, tanto penetrabiliter videt : neque occulta nescit, quia cuncta penetrat : neque penetrata obliviscitur, quia incommutabilis durat. Lib. 25, *Moral.*, cap. 4.

61. Lux nostra, patria æterna est. *Ibid.*, lib. 16, cap. 25, num. 29.

62. Necesse est, ut si vere intendimus illuminata cernere, studeamus mentis oculos ad ipsum illuminans lumen aperire. *Ibid.*, lib. 23, cap. 1.

63. Lucem debet conspicere, qui vult de tenebris judicare : ut in illa videat, quid de tenebris æstimet, per quas videre præpeditur. *Ibid.*, lib. 24, cap. 6, num. 9.

64. Lux miseris datur, cum tolerare honoris onera compelluntur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 2, super illud *Job* 3 : *Data est misero lux.*

65. Æternæ lucis quanta sit claritas nesciunt, qui transitoriis occupationibus obcæcantur : et dum de terrenis rebus superbiunt, cœlestis sibi luminis aditum claudunt. *Ibid.*, lib. 57, cap. 7, num. 10.

66. Deus lux est, ac lux quidem summa, cujus tenuis quidem defluxus ac irradiatio, omne lumen exuperat infernum, etiamsi splendidissimum appareat. Orat. 20, *de Modestia.* S. GREGOR. NAZ.

67. Clarius fit lumen, comparatione tenebrarum. Epist. 46, *ad Rustic.* S. HIERON.

68. Si vis videre lucem æternam ; primo stude ut sis in luce per cordis munditiam. Super *Gen.*, cap. 4. HUGO CARD.

69. Despecta luce hujus mundi (quæ est lux morientium) ad æternam lucem recurrant homines ; ibique vivant, ubi rerum lumen videant, ubi idem est lux et vita. Super *Job*, cap. 33.

70. Duplex lux est necessaria, maxime prælatis : lux scientiæ, lux gratiæ. Super *Psalm.* CXVII.

71. Lux justorum, est præsens tribulatio, atque tentatio : quia illa illuminante, vident quomodo sit ambulandum : hæc est enim collyrium, quo inuncti oculi clarius vident. Super *Prov.*, cap. 13.

72. Nemo captus luminibus, lucis jucunditatem cognoscere potest. Homil. 84, super *Matth. Oper. perf.* S. JOANNES CHRYSOST.

73. Furi lux inimica est. Homil. 28, super II *Cor.*

74. Non lux illa bona est, quæ non fugat tenebras, sed densat. Homil. 13, super I, *Cor.*



75. Lux arguit ea, quæ in tenebris fiunt. Serm. 18, super *Epist. ad Ephes.* in illud : *Omnia quæ arguuntur, a luce*, etc.

S. JOAN. DAMASC. 76. Lux nunquam caligo erit, quandiu lux fuerit. Lib. 1, *Parall.*, cap. 19.

S. IRENÆUS. 77. Sequi lumen, participare est lumen : qui in lumine sunt, non ipsi lumen illuminant, sed illuminantur et illustrantur ab eo. Lib. 4, *advers. Hæres.*, cap. 28.

78. Hi qui fugiunt lumen, dignum fugæ suæ habent locum. *Ibid.*, cap. 76.

LACT. FIRM. 79. Multi lucem relinquunt, ut in tenebris cæci ac debiles jaceant. Lib. 1 *de Divin. instit.*, cap. 1.

80. Sicut lux esse sine igne non potest, sic vita sine luce. *Ibid.*, lib. 7, cap. 9.

81. Lumen mentis humanæ Deus est. *De Ira Dei*, cap. 1.

S. LAURENT. JUSTIN. 82. Lucem debet intueri, qui vult de tenebris judicare. *De Ligno vitæ*, tract. 12, *de Humilit.*, cap. 4.

S. LEO I. 83. Lux separetur a tenebris ; et fugiant filios diaboli, filii veritatis. Serm. 4, *Quadrag.*

84. Major est lux humilibus, quam superbis. Serm. 8, *de Jejun. septimi mensis.*

PETRUS BLESENS. 85. His, qui de tenebris progrediuntur ad lumen, lux imprimis molesta est, donec oculi lumini assuescant. Epist. 137, *ad Alexandr. de S. Albano.*

S. PETRUS CHRYSOL. 86. Lucem tenebræ fugiunt, tenebræ luce redeunt abscedente. Serm. 44.

PHILO JUD. 87. Brevis lux melior est, quam æternæ tenebræ. Lib. *Qui rerum divinar. hæres sit.*

RICH. A S. VICTORE. 88. Cum Dominus sit lux vera, more solis eo ipso quo respicit, illustrat, accendit et illuminat. Part. 1, lib. 1, *de Erudit. hom. inter.*, cap. 35.

S. THOMAS AQUINAS. 89. Lux major offuscat lucem minorem alterius corporis illuminantis : non tamen evacuat, sed perficit lucem corporis illuminati. Part. 3, quæst. 5, art. 4.

90. Lux in corporibus præmium tenet locum. Part. 1, quæst. 67, art. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 91. Lucis absentia omnia obfuscari, opacarique solent. Sect. 15, *Problem.*, quæst. 14.

Vide etiam. tit. *Damnatio*, sent. 31 ; *Differentiæ*, sent. 36 ; *Fervor*, sent. 7 ; *Liberum arbitr.*, sent. 122 ; *Monachus*, sent. 118 ; *Pauli encomia*, sent. 2 ; *Quærere*, sent. 156 ; *Sapientia*, sent. 81 ; *Visio Dei*, sent. 72.

## LUXURIA.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia.* Luxuria dicitur a luxu cibi et potus et vestitus, quorum affluentia caro viva et penetrans luxuriatur. Serm. *Dom.* 3, *post Epiphan.*

*Definitio.* Luxuria est inordinatus appetitus venereorum. Part. 2, tit. 5, *de Luxuria*, cap. 1. S. ANTONIN.

Luxuria est inordinata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, perniciosa potio, quæ corpus humanum debilitat, et virilis animi robur enervat. Part. 2, tit. 5, *de Luxuria*, cap. 1, § 2.

Luxuria est abutendi intemperantia. Lib. 3, *de Doctr. christ.*, cap. 18. S. AUGUST.

Luxuria est libidinosæ voluptatis appetitus. Part. 1, *Centiloq.*, sect. 24. S. BONAV.

Luxuria est ex immundis descendens desideriis lubrica et effrænata mentis corporisve prostitutio. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 10, *Joan. Gerson.*, part. 4, in *Descript. term.* verbo *Luxuria.* HUGO A S. VICTORE. & JOAN. GERS.

Luxuria est vitium capitale, cujus propria materia est delectatio venerea, et secundaria cujuslibet rei sensibus jucundæ abundantia, 2. 2, quæst 153, in *Axiomate.* S. THOMAS AQUINAS.

*Productio.* Luxuria mater libidinis est. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Ecclesiam.* S. AMBROS.

Decem sunt occasiones luxuriæ, his versibus contentæ. S. ANTONIN.

Otia segnities, somnus, caro, fœmina, vinum, prosperitas, ludus, carmina, forma, puer. Part. 2, tit. 5, *de Luxuria*, cap. 1, § 2.

Luxus in corporibus est radix veluti quædam, et parens rabidæ atque efferatæ voluptatis. Homil. 22. *de Festis Paschal.* S. CYRILLUS ALEX.

De luxuria nascuntur cæcitas cordis, instabilitas voluntatis impetuositas, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, error, et desperatio futuri. In speculo *Ecclesiæ*, cap. 8. S. EDMUND.

De luxuria crescit illecebra, et pereuntem perditio plus delectat. Homil. 3, *de Epiphania.* S. EUSEBIUS EMISSENUS.

De luxuria cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem, vel desperatio futuri, oriuntur. Lib. 31, *Moral.*, cap. 17, super illud *Job* XXXIX : *Exhortationem ducum*, etc. S. GREGOR. MAGNUS.

Luxuria mater libidinis est, ventremque distentum cibo et vini potionibus irrigatum, voluptas genitalium sequitur. Epist. 25, *ad Amandum.* S. HIERON.

Luxuriæ comites sunt, voluptas, lascivia, ignavia, petulantia, titubatio, blanditiæ, deliciæ. De fruct. carnis et spirit., cap. 10. HUGO A S. VICTORE.

Ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria vero vitia omnia nascuntur. *De Div. instit.*, lib. 2, *de Origine erroris*, cap. 1. LACT. FIRM.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. ISIDORUS HISPAL. *Comparatio.* Sicut clavus clavum expellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ. Libro 2, *de Summo bono*, cap. 39. sent 23.

S. NILUS. Quemadmodum furor ignis in stipula sæviens, coerceri non potest : ita luxuriæ vis in corpore cibis distento percurrens retinere nequit. Orat. 2, *de Luxuria*.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ægritudo carnis peccatum repellit, luxuria autem carnis culpam adolet. 1, *de Pœnit.*, cap. 13.

2. Nemo se luxui committit, nisi qui recedit a præceptis Dei veri : ubi autem cœperit quis luxuriari, incipit deviare a fide vera. Lib. 6, epist. 36, *ad Sabinum episc.*

3. Quo copiosior fuerit luxuries, eo perniciosior intemperantia est. Lib. 6. *Hexam.*, cap. 2.

4. Luxurioso carere deliciis, pœna est. Lib. 8. super Luc. cap. 16, in fine.

S. ANTONIN. 5. Nulla virtus vera potest esse simul cum luxuria, simul omnes corruunt. Part. 2, tit. 5, cap. 1, § 11, post med. fol. 189. col. 1.

6. Amara est mors corporalis, quia separat animam a corpore : sed amarior est luxuria, quia separat animam a Deo, et cœlesti curia. Part 2, tit. 5, cap. 5, § 3.

S. ANTONIUS DE PADUA. 7. Sicut clavus clavum ejicit, sic timor gehennæ delectationem luxuriæ. Serm. *Dom.* 2. *Quadrag.*

8. Luxurioso deliciis carere, maxima pœna est. Serm. *Dom.* 2, *post Trinit.*

S. AUGUST. 9. Luxuria satietatem atque abundantiam se cupit vocari. Lib. 2. *Confess.* cap. 6.

10. Quomodo coluber non apertis passibus, sed squamarum minutissimis nisibus repit : sic lubricus deficiendi motus negligentes minutatim occupat, et incipiens a perverso appetitu similitudinis Dei pervenit ad similitudinem pecorum. Lib. 12, *de Trin.*, cap. 2.

11. Pauperem egestas revocare debet a cupiditate luxuriæ. *De quæst. Vet. et Novi Testam.*, quæst. 124.

12. Non est luxuria vitium pulchrorum suaviumque corporum, sed animæ perverse amantis corporeas voluptates, neglecta temperantia, qua rebus spiritaliter pulchrioribus, et incorruptibiliter suavioribus coaptamur. Lib. 12. *de Civ. Dei.* cap. 8.

13. Si iniquum est aviditate possidendi, transgredi limitem agrorum : quanto est iniquius libidine concumbendi, subvertere limitem morum? *Ibid.*, lib. 15. cap. 16.

14. Libidinosa crudelitas, vel libido crudelis est, ubi propter luxuriam sterilitatis venena procurantur. Libro 1, *de Nuptiis*, cap. 15.

15. O quam parva concupitus hora, qua perditur vita æterna! quod ergo emolumentum affert corpori, quodve tribuit lucrum, quod tam cito ducit animam ad tartarum? *De conflictu vitior et virt.*, cap. 24.

16. Infelix commercium, pro tam brevi gaudio, cœlesti privari regno, et ineffabilis miseria cum diabolo pati supplicia. *De Contemptu mundi*, cap. 7.

17. Luxuria ita deprimit hominem intra se, ut cum factus sit ad imaginem Dei, velut porcus in luto vivere quærat. Serm. 42, *ad Fratr. in Eremo.*

18. Luxuria est pessima virtutum destructio, vitiorum augmentatio, delectationis combustio, charitatis diminutio, bursarum evacuatio. *Ibid.*, serm. 47.

19. Nulla virtus, nulla bonitas, nulla sapientia cum luxuria stare potest. *Ibid.*

S. BERNARDIN. SEN. 20. Luxuria est sitis ebria, delectatio momentanea, amaritudo æterna : lucem odit, tenebras appetit, velamen quærit, sensus hebetat. Serm. 18. *Dom.* 2. *Quadr.* art. 2, cap. 2.

S. BERNARD. 21. Luxuriæ currus quadriga volvitur vitiorum, ingluvie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie vestium, otii soporisque resolutione, trahitur equis duobus, prosperitate vitæ, et rerum abundantia : et quis his præsident duo, ignaviæ torpor, et infida securitas. Sermone 39. super *Cant.*

22. Largi sunt luxuriosi, ementes auro ventum de ore adulatorum. *Ibid.*

23. O nobilis creatura, quæ in croceis es nutrita, quare stercora amplexaris? Serm. *de Septem grad. Confess.*

24. Luxuria carnem debilitat, fractamque celeriter ducit ad senectutem. Serm. 22, *ad Sororem.*

25. Luxuria inimica est Deo, et paternæ benedictionis atque substantiæ perditio. *Ibid.*, serm. 23.

26. Per cibum et potum crescit luxuria. *Ibid.*, serm. 24.

27. Luxuria gravius urit quem otiosum invenit. *Ibid.*, serm. 51.

28. Libido cedit rebus, luxuria cedit operibus. *Ibid.*

S. BONAV. 29. Vitium luxuriæ melius vincitur fugiendo, quam resistendo. Serm. 4, *post Pent.*

30. Absque comparatione major est hodie luxuria hominum, quam brutorum. Serm. 1, *de uno Conf.*

31. Luxuria occidit hominem triplici morte : morte culpæ, morte infamiæ, morte gehennæ. Tit. 1, *diætæ*, cap. 9



32. Substrahe ligna foco, si vis extinguere flammam :

Luxuriat raro, non bene pasta caro. *Ibid.*, tit. 2 cap. 6.

CÆSARIUS ARELAT. 33. Qui per luxuriam peccaverit in carne sua, diabolum habet in anima sua. Homil. 23.

DIONYSIUS CARTHUS. 34. Vitanda sunt fomenta, occasiones, et causæ luxuriæ. Super *Epist* II, *ad Cor.*, cap. 6, art. 6.

S. EUSEBIUS CÆSAR. 35. Ensis diaboli est luxuria ; heu! quot illa interficit romphæa? Epist. *ad Damas. Pap. de Morte D. Hieron.*

36. Sicut virginitas hominem æquat Angelis, ita luxuria hominem quasi bestificat, et multo pejus bestia eum efficit. *Ibid.*

37. Luxuria corpus debilitat, famam denigrat, marsupia evacuat, furta instruit, homicidia causat, memoriam hebetat, cor aufert, oculos utriusque hominis cæcat, præ cæteris iram Dei provocat. *Ibid.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 38. Qui obscœnis et fœtidæ carnis illecebris occupatur, luxuriæ turpis dominæ jugo premitur. Homil. 11, *de Pascha.*

FRANCISCUS TITELM. 39. Luxuriosi nimio potu, nimiaque venere semetipsos enecant, viribusque exhauriunt, sicque sibi mortem ante tempus accersunt, sui crudeles interfectores. In *Annot. super Psalm.* XIII.

GLOSS. ORD. 40. Diabolus fortiter tenet quos capit per luxuriæ vitium. Super *Job*, cap. XXXX.

GLOSS. INT. 41. Luxuria consumit omnia bona naturæ. Super *Luc.* cap. XV.

S. GREGOR. MAGNUS. 42. Perpetrata luxuria, sæpe aut perjurio, aut homicidio tegitur, ne humanarum legum ultione puniatur. Lib. 25 *Moral.*, cap. 9.

43. Tanto pejus intus ante Dei oculos luxuriosus existit, quanto magis ante oculos hominum castus apparet. *Ibid.*, lib. 28, cap. 4.

44. Quælibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ, scelus non abluitur, immensitate hujus criminis obruuntur. *Ibid.* lib. 21, cap. 9.

45. Multis superbia luxuriæ seminarium fuit, quia dum eos spiritus quasi in altum erexit, caro in infimis mersit. *Ibid.* lib. 26. cap. 13. num. 12.

46. Omnis luxuria in carne perfecte domanda est, et a mente radicitus extirpanda. Lib. 6, in I. *Reg.*, cap. I, super illud ; *Non concupisces ipsius aliquid.*

47. Delectatio luxuriæ ad instar gladii, dum mentem percutit, virtutis cogitationes, aut operis bonum vivere nequaquam sinit. *Ibid.*, cap. 2, super illud ; *Sine liberis fecit mulieres gladius.*

48. Jumenta in stercore suo putrescere, est homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Homil. 10, super *Evang.* super illud *Joel.* I : *Jumenta in stercore*, etc.

S. GREGOR. NYSS. 49. Necesse est ut luxuria ubi semel radices egerit, et coaluerit reliquam secum nequitiæ materiam trahat. Orat. 1, *de Pauperibus amandis.*

50. Crudelis domina ac rabiosa est luxuria, libidine quasi stimulis servilem mentem exagitans. *De Vita Moys.*

S. HIERON. 51. Qui luxuriatur, vivens mortuus est. Epist. 41, *ad Ocean.*

52. Luxuria est inimica Deo, inimica virtutibus. Epist. 24, *ad Damas. Pap.*

53. Luxuria est cibus dæmonum. *Ibid.*.

54. O quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio! Epist. 22, *ad Susannam lapsam, in Consolatione.*

55. Luxurioso verbum castitatis offensio est. Epist. 37, *ad Pammach. et Ocean.*

56. Dæmonum cultum sequitur luxuria. Lib. 2, super *Oseam*, cap. VIII, super illud : *Væ eis quoniam recesserunt a me.*

57. Qui semel se luxuriæ permiserit, non respicit Creatorem : gula, ventre, et his quæ infra ventrem sunt delectatur. Libro 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. V, in illud : *Manifesta sunt.*

HUGO A S. VICTORE. 58. Nihil mentem citius enervat, quam cum aliquis ad luxuriam affectum cordis inclinat. Lib. 3, *de Claustro animæ*, cap. 5.

59. Nisi adjacentem substrahas igni stipulam, non cessat ignis : sic luxuria, quandiu carnalibus desideriis pascitur, non extinguitur. Libro 1, *de Nuptiis carnal.*, cap. 2.

60. Luxuria gratuita tollit, animam inficit, corpori morbum paralysis ingerit, et cæcitatem oculis, corpus inquinat, famam deflorat, pecuniam tollit, inimica est proximo, fœtet Deo, placet diabolo, odibilis est Angelis, ejus ignis descendit in infernum, fumus ejus vindictam petens, ascendit in cœlum. Libro 4, *de Propriet. rerum*, cap. 10.

HUGO CARD. 61. Tribus modis luxuria nocet : cutis nitore, vestis decore, exquisito ciborum sapore. Lib. 4. *Miscellan.*, codic. 2, tit. 65.

62. Luxuria inter septem mortalia, extremum locum tenet, propter fœtorem et immunditiam. Super *Gen.*, cap. VI.

63. Luxuria habet ingluviem ventris, mollitiem vestis, voluptatem carnis. Super *Exod.*, cap. 15.

64. Duobus modis perpetratur luxuria, opere et cogitatione. Super *Job*, cap. XXXI.

65. Alia est luxuria carnis, alia luxuria cordis : illa de corruptione carnis oritur, ista de castitate et cæteris virtutibus nascitur. *Ibid.*, cap. XXXVIII.

66. Luxuriosi pleni sunt luto, sed vacui castitate. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXIV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

67. Peccatum luxuriæ est quasi gluten. Super I *Cor.* VI.

68. Luxuria sus immunda est. Super *Epist. ad Galat.* cap. II.

S. INNOC. III 69. Familiaris est inimicus luxuria, habitans non procul, sed prope : non exterius, sed interius. *Prosec.*

70. Nunquam fugatur, nisi cum fugitur : nunquam mactatur, nisi cum maceratur.

71. Ad causam exigit libertatem et abundantiam, sed requirit ad affectum facultatem, et adjacentiam.

72. Hæc omnem ætatem corrumpit, omnem sexum confundit, omnem ordinem solvit, omnem gradum pervertit.

73. Invadit senes et juvenes, mares et fœminas, prudentes et simplices, superiores et inferiores. Lib. 1, *de Contemptu mundi,* cap. 22.

JOAN. CASS. 74. Majus miraculum est, de propria carne fomitem luxuriæ eradicare, quam expellere immundos spiritus de corporibus alienis. Collat. 15. *Abbat. Nesterolis,* cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 75. Luxuria corruptus et petulans, qui ad omnem corporis formam oculos figit, a dæmoniaco non differt. Homil. 29, super *Matth. Oper. perf.*

76. Nihil ita rescindit et suffodit, atque corrumpit, sicut luxuria. *Ibid.*

77. Talis res luxuria est, ut non petulantes solum, verum etiam homicidas faciat. *Ibid.*, homil. 49.

78. Divitiæ, deliciæ, gloria, amor corporum luxuriari faciunt corpus, vitiant autem animam. Homil. 18, super *Epist. ad Hebr.*

JOAN. TRITH. 79. Luxuria nunquam melius vincitur, quam si per fugam declinetur. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 2.

S. ISID. HISP. 80. Luxuriosis atque superbis dæmones plus fautores existunt : dumque in cæteris vitiis spiritus maligni deserviunt, his tamen majori familiaritate junguntur, eisque amplius famulantur. *Prosec.*

81. Per hæc duo vitia diabolus humanum possidet genus, vel dum mentem in superbiam erigit, vel dum per luxuriam carnem corrumpit. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 39, sent. 4.

82. Luxuriosa vita carnem cito debilitat, fractamque celeriter ducit ad senectutem. *Ibid.*, cap. 40, sent. 5.

PETRUS BLESENS. 83. Luxuria nunquam facilius vincitur, quam declinando : nunquam perfectius expugnatur, quam ab ejus congressu se cohibendo. Serm. 45.

84. Luxuria quandoque ad modicum temperatur, sed postmodum eo fortius revertitur, quo debilius ei resistitur. *Ibid.*

85. Ubi regnat luxuria, ibi miserabiliter ancillatur affligitur anima. Lib. 4, Epist. 10. PETR. CELL.

86. Cum luxuria, multis sumptuum indigere non ambigatur expensis, nisi ex multiplicibus exuberent commodis, fluere nequeunt in oblectationibus voluptatis. Lib. 1, epist. 15, *ad Alexand. Pap.* S. PETRUS DAMIANUS.

87. Si luxuriæ flamma in ossibus æstuat, protinus illam memoria perpetui ignis extinguat. *Opusc.* 7, cap. 23.

88. Luxuriam facit et nutrit vini perceptio nimia, non natura. Lib. 2, *de Vita contempl.* cap. 22. S. PROSPER.

89. Ubi est vita porcina, ibi non manet Christus, sed diabolus. Super *Matth.*, cap. 8. THEOPHYLACTUS.

90. Luxuriosorum cor est turpibus concupiscentiis plenum, de facili ad turpia verba prorumpens. 2, 2. quæst. 153, art. 5. S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

91. Quam turpe est diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere, quamque honestum parce, continenter, severe, sobrie. Lib. 1 *Offic.* CICERO.

92. Luxuria cum homini sit turpissima, tum senectuti est fœdissima. *Ibid.*

93. Memento nihil magis esse vitandum, quam luxuriæ et sordium societatem. Libro 2, *epist.* 6, *ad Avitum.* PLINIUS JU.

94. Nihil est tam mortiferum ingeniis, quam luxuria. Libro 1. *Controvers.* SENECA.

95. Desunt luxuriæ, multa, avaritiæ, omnia. Libro 3. *Controvers.*

96. Nulla res magis iracundiam alit, quam luxuria intemperans et impatiens. Libro 2, *de Ira*, cap. 26.

97. Parum est luxuriæ, quod naturæ satis est. *de Beata vita*, cap. 13.

98. Vacatio longa, somniculosæ inertisque causa est luxuriæ. Libro 3. *Quæst.*, cap. 18.

99. Luxuria videtur aliquando cessisse, seu frugalitatem professos sollicitat, atque in media parcimonia, voluptates non damnatas, sed relictas petit : et quidem eo vehementius, quo occultius. Epist. 56.

100. Luxurioso frugalitas pœna est. Epist. 71.

101. Nihil est istis, quandiu mersa et involuta cœno suo jacent fœdius, nihil obscurius, nihil informius. Epist. 94.

102. Faciliorem virtutis ad luxuriam, quam luxuriæ ad virtutem transitum esse videtur. Libro 2. *Dictor. memorabil.*, cap. 1. VALERIUS MAXIMUS.

103. Blandum malum est luxuria, quam accusare aliquando facilius est, quam vitare. *Ibid.*, libro 9, cap. 1.

104. Quid luxuria et deliciis fœdius, quid etiam



damnosius? quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter et corporis vires expugnantur. *Ibid.*

Vide etiam, tit. *Avaritia*, sent. 111; *Caro*, sent. 10; *Chorea*, sent. 26; *Cibus*, sent. 33, 34, 64, 87, 120, 121, 146, 148; *Delectatio*, sent. 21; *Disciplina*, sent. 60.; *Ebrietas*, sent. 29; *Familiaritas*, sent. 112; *Gula*, sent. 8, 27; *Jejunium*, sent. 78; *Libido*, sent. 33; *Mulier*, sent. 35; *Resurrectio a peccato*, sent. 152; *Superbia*, sent. 162, 163; *Vinum*, sent. 35, 45, 70; *Vita humana*, sent. 58.

FINIS TOMI SECUNDI.

Coulommiers. — Typ. A. MOUSSIN.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.
Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | | |

BV4611
R6
v.2
1875 44643
AUTOR
ROBERTO, A.V.P.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS